S. BRVNONIS ASTENSIS SIGNIENSIVM EPISCOPI OPERA.

CVM EXPOSITIONE IN PSALMOS

ODDONIS ASTENSIS MONACHI BENEDICTINI

Eidem Sancto Brunoni ab ipso Auctore Dicata.

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.

STVDIO, ET LABORE

D. MAVRI MARCHESII CASINENSIS DECANI.

TOMVS SECVNDVS.

Additis opportunis Scholijs, ac Indicibus.



VENETIIS, Apud Bertanos, M. DC. LI.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

INDEX SIVE SYLLABVS TOMI SECVNDI

Operum Sancti Brunonis Signiensis Episcopi, Abbatis Casinensis.

HOMILIÆ

In Natali Apostolorum.

In Natali plurimorum Martyrum.

Homi

INDEX.

FINIS.

S. BRV-



S. BRVNONIS ASTENSIS SIGNIENSIVM EPISCOPI, Et Abbatis Montis Casini.

TOMVS SECVNDVS.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit & Aduentus filij hominis.* Et reliqua.

Homilia lectionis eiusdem.

HOc est enim quod Psalmista ait: *Deus manifestè veniet Deus noster & non silebit.* Non, vt prius, veniet occultus, sed quasi sol in sua maiestate præfulgens, vbique apparebit, vbique lucebit cunctis, etiam nolentibus tenebitur. *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Aquilę enim Sanctorum animæ sunt, quæ, & altius volant, & clarius vident. Hæc autem tunc ad corpora propria venientes, vbicumque, et quomodocumque dispersa sint, ea iterum induentur, vt totus integer, & immortalis homo resurgat. Potest autem & sic intelligi, vt vbicumque Christi corpus fuerit, illuc, & animæ conueniant, paratæ eius obedire præceptis. *Statim autem post tribulationem eorum dierum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: Et stellæ cadent de cęlo, & virtutes cęlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.* Quia enim tũc sol iustitiæ Christus Deus Noster omni luce splendidior de cœlis descendet; sol iste, quem videmus, obscurabitur; et hęc luna non dabit lumen suum obscurati immenso splendore maioris lucis. Sicut enim luna, & stellæ solis huius splendore pallescunt: ita illius inenarrabili fulgore, ipse sol in tenebris conuertetur. Quod autem Stellas cadere dicitur, vel Sanctorum animas ad corpora descendere, vel ipsas iuxta literam quasi decidentes, & obeuntes lumen solitum amittere significat. Cadent præterea stellæ, quia Sancti, qui per stellas significantur, ab iniquis occidentur. Luna vero non dabit lumen suum, quia Sancta Ecclesia solitum splendorem insignis, & virtutibus non ostendet, Sol autem obscurabitur, quia hæretici, qui tunc erunt solem iustitię Christum Dominum, eiusque fidem damnare, et reprehendere non timebunt. Virtutes autem cœlorum commouebuntur, quia omnis ille exercitus Angelorum Christũ Dominum Nostrum ad iudicium sequetur. Et tunc apparebit Signum Filij hominis in cælo: per quod, vel eius Crucem, vel aliud aliquid victorię signum intelligere possumus. Et tunc plangent omnes Tribus terræ. Vnde in Zacharia Propheta scriptum est: *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt dolere solent in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus ad Remon in Campo Magedon, & plangent terra familiæ, & familiæ seorsum.* Quomodo enim super eũ non plangant, cum eum in tanta gloria videbunt, quem cum tanto opprobrio crucifixerunt? Sequitur: *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna; & congregabunt electos eius a quatuor ventis a summis cælorum, vsque ad terminos eorũ.* Angelorum enim ministerio ex omnibus mundi partibus Sãcti Dei colligentur, & resurgent, a summis cœlorum animabus descendentibus, et vsque ad eorum terminos venientibus. Sed quoniam Cœli Sancti vocantur, possumus per sũmos cœlorum Patriarchas, & Apostolos, per eorum verò terminos quoscumque alios Fideles intelligere. Colligentur igitur Cardinales electi Dei a summis cęlorum vsque ad terminos eorum, quoniam et maiores, et minores, et primi, et nouissimi, omnes simul in vnum conuenient. Quod enim ait cum tuba, ipse exposuit dicens, & voce magna. Magna enim vox erit, quę mortuos suscitabit, & mũdum vniuersum replebit. *Ab arbore autem fici discite parabolam, cum iã ramus eius tener fuerit, & folia nata scitis quia prope est æstas ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis,* Sicut enim ficus nouis ramis, & folijs orientibus æstatem proximam adesse annũtiat: ita & hęc omnia tam magna tamque inusitata Christi aduentum manifestissime annunciabunt. *Amen dico vobis, quia non pręteribit generatio hæc donec omnia fiant.* Hoc enim de scribarum, & Pharisęorum generatione intelligitur, super quam omnem Sanguinem iustum venire Superius dixerat. Non prius igitur illa generatio præteribit, non prius deficiet, nec tota a sua iniquitate cessabit, quam ista omnia compleantur. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quod enim Veritas dicit, immutabile est, & præterire non potest.

Alioquin

Alioquin veritas non esset. Cœlum igitur, & terrę transibūt, quia secundum hōc, quod modo sunt in melius commutabuntur, sed verba veritatis à statu suo mutari non poterunt. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum nisi solus Pater*. Alius autem Euangelista addidit: neque filius. Magnum est igitur hoc secretum, quod nemo scit nisi Pater, ideo virtus, & sapientia Patris, quæ simul.

EADEM DOMINICA

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus Discipulis suis. Erunt signa in sole & luna, & stellis; & in terris pressura gentium*. Et reliqua. Homilia Lectionis eiusdem.

QVibusdam interrogantibus Dominum, & Saluatorem Nostrum, quando veniret Regnum Dei, & quod signū aduentus eius, Respondit, quod prius surget gens cōtra gentē & Regnum aduersus Regnum, & Terremotus magni erunt per loca, & pestilentię, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Vnde & Apostolus id iterum quibusdam timētibus, & scire cupientibus ait. *Rogamus vos per Aduentum Domini Nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in idipsum, vt non cito moueamini a vestro sensu, neque Terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolā tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini: Quia nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicit Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus*. Hæc igitur erunt prima signa aduentus Christi, deinde sequentur, & illa, de quibus modo dixit: Erunt Signa in sole, & luna, & stelis Sicut enim Christi Natiuitate, & pax, & exultatio pręcessit, cantantibus Angelis. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid*. Ita & hunc perditionis filium lites, contentiones, dissentiones, Terremotus, pestilentiæ, fames, & alia his similia terroris signa præcedent, & tunc tandem ipse reuelabitur, & malis peiora succedent. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio sæculi vsque nunc, neque fiet, et nisi Dominus abbreuiasset illos dies, non esset salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur Dies illi*, vt non viuat tantùm, quantum se viuere sperabit. *Regnabit enim per tempus, et tempora, & dimidium temporis, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & auferet illustratione aduentus sui*. Sicut fortasse dicet aliquis ea non esse signa, quæ frequenter euenire solēt, quoniam signum dici nō solet, nisi nouum aliud, et inusitatū. Quocirca illa prælia terræmotus, illas pestilentias, & fames illos terrores more insolito, multoque tunc violentius fieri credere oportet, vnde non immerito illa tribulatio talis fore dicitur, qualis nulla alia aliquando fuerit. Et præter hæc omnia ad cumulum totius mali. *Surgent Pseudochristi, et Pseudopropheta, et dabunt alia signa, & prodigia multa ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. De solis autem, & Lunæ, & Stellarum signis alius Euangelista dicit. *Quia sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, et Stellę cadent*. His autem conuenire videntur quędam, quę in annalibus Iudæorum scripta referuntur, in quibus mare super omnes montes quindecim cubitis altius exaltari narrant, stantibus aquis, et in nullam partem fluentibus, & deinde tantum in abyssum demergetur, vt vix ab inspicientibus videri valeat. Postmodum vero reuertetur in locum suum, & tunc fortasse illa *Confusio sonitus maris, et fluctuum* fiet, de qua hic modo loquitur. Neque enim tanta maris fluctuumque commotio sine magna confusione & sonitu fieri poterit. Terra quoque sua signa dabit, quia terræmotus tam magni fient, vt penè omnia manu facta ruāt, omnesque lapides, etiam parui cōscindentur, et ferę de mōtibus descendentes inter homines manebunt, multisque nocebunt. Ipsi quoque homines quasi amētes, et pręttimore arescentes, huc, & illuc discurrentes tabescent, et his quidem Euangelij verba conuenire videntur, de quib. Dominus ait. *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quę superuenient vniuerso orbi*. Horum autem signorum, & aliorum, quę hic non dicuntur, vnumquodque vno die, & non amplius fieri narratur. Nos tamen his quidem authoritatem nundamus super ideo quidem scripsimus, quia Euangelij verba conuenire videbuntur, sequitur. *Nam virtutes cœlorum mouebuntur*. Virtutes cœlorum, Angelorum exercitus intelligimus, quæ ad iudicium venientem Saluatorem comitabuntur. Vnde & subditur. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Sic enim descendet Dominus, quemadmodum ascendit, sicut scriptum est *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum. Hic Iesus qui assumptus est a vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum*. Quis autem dicere vel cogitare valeat, quæ tunc læitia bonis, et quæ tunc erit tristitia malis? Hoc est enim quod Daniel ait. *Aspiciebam in visione noctis, et ecce filius hominis in nubibus cæli veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Dixerat enim se vidisse quatuor bestias grādes et inter se dissimiles*, quarum prima *erat quasi leæna, & habebat alas vt Aquila* quam cum aspiceret, *euulsæ sunt alæ eius, & ipsa interit, Postea vero stetit super pedes suos quasi homo, et cor eius datum est ei. Alia vero similis erat Vrso, eratque tres ordines in ore, & in dentibus eius, et dictum est ei surge, comede carnes plurimas. Tertia vero quasi Pardus & habebat alas quatuor super se, & quatuor capita in ea erant & potestas data est ei, Quarta vero erat dissimilis cęteris, terribilis, et admirabilis et fortis valde, dentes ferreos habēs, commedens, & cōminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*. Habebat autem cornua decem, quæ cum Daniel aspiceret, *aliud cornu ortum est inter illa a cuius facie tria de superioribus carnibus euulsa sunt*. Erant autem in cornu *oculi quasi hominis, et os loquens ingentia. Faciebat vero prælium contra Sanctos, & præualebat, et putabat quod posset mutare tempora, & leges, & regnum Sanctorum traditum est in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, donec, antiquus dierum sedit, & Throni positi sunt*. Hæc autem videat Daniel, quæ cum intelligere non posset vnum de assistentibus rogauit, vt ei exponeret quid ista significarent, dictumque est ei. *Quatuor bestię, quatuor regna consurgent de terra. Suscipient autem Regnum Sācti Dei Altissimi, et obtinebunt illud vsque in seculum, & seculum seculorum*. Et de quarta quidem bestia plenius in sequentibus dicetur. De tribus verò, quoniam Angelus nihil amplius exposuit, quod Dominus dederit, modo dicemus. Prima igitur bestia Regnum Græcorum est, cuius minimum Alexander Magnus fuit, qui quasi leo rugiens tam paruo tēpore circumquaque terras occupauit, vt magis volasse, quam pugnasse videatur. Vnde non immeritò Leonis speciem, & Aquila alas habuisse describitur. Sed quoniam paruo tempore regnauit, ideo alas ei euulsas dicit. Stetit autem super pedes quasi homo, quia tandem se mortalem intellexit, et cor proprium recepit, vt magis de morte, quam de honoribus cogitaret. Hoc autem regnum quantum Dei populum afflixerit, Machabeorum liber ostendit. Secunda verò bestia Regnum Romanorum intelligitur, quod quidem non cum tanta fortitudine, vt Gręcorum cœpit, sed ad maiorem potentiam peruenit, quoniam, & Leo Vrso fortior est. Tres autem ordines in ore, & dentibus Senatum, Populumq. et ipsos Imperatores vel Consules significant His enim tribus ordinibus Regnum Romanorum omnes gentes deuorauit) & suo Imperio subiugauit. Vnde, & hic ei dicitur: Surge, comede carnes plurimas. Et hoc quidem vsque ad tempora Constantini Dei Populum affligere non cessauit. Per tertiam verò bestiam Regnum Hæreticorum intelligimus, a tempore videlicet Arrij, & Constantij hęretici, & crudelissimi Imperatoris. Maiorem enim persecutionem tunc Dei populus passus est, quàm illa iam superius dicta regna ei mouissent. Maius est enim in corpore, & anima, quam in solo corpore persecutionem pati. Hæc autem bestia Pardo

similis

similis,& quatuor alas habuisse describitur,quoniam hæreticorum prædicatio velociter, & paruo tempore totum mundum volando repleuit. Quatuor enim sunt mundi partes, quæ per quatuor alas, & quatuor capita figurantur. Quatuor enim capita habuit hæc bestia, quia in quatuor mundi partibus suos prædicatores hęretici habuerunt. Quanta autem potestas Arrianis data fuerit, Ariminianense Concilium manifestat. Nűc autem quid de quarta bestia Angelus Danieli responderit,audiamus. *Bestia, inquit, quarta, Regnum quartum sit in terra, quod maius erit omnibus, Regnis,& deuorabit vniuersam terram,& conculcabit, & comminuet eã. Porro Cornua decem,decem ipsius Regni reges erunt. Et alius consurget post eos,& ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur,et Sanctos Altissimi conteret, & putabit quid possit mutare tempora. & leges,& tradentur in manus eius,vsque ad tempus,et tempora & dimidium temporis.* Hoc autem quartum regnum, de quo nunc Angelo exponente audiuimus circa finem sæculi expectamus. Erit enim tunc, vt iam diximus, tribulatio talis, qualis non fuit ab initio sęculi neque nunc,neque fiet. Vnde, & quarta bestia dissimilis cęteris,magisq. terribilis,fortisq. describitur. Per decem vero cornua omnes huius mundi Reges intelligere possumus, Si quidem frequenter in diuina pagina omnes per decem significantur. Illud verò vnum cornu, in cuius ortu tria cornua euulsa sunt, quod habebat oculos, & os loquens ingentia, Antichristus sit,alijs Regibus fortior atq. potentior. Qui postquam tres illos Reges superabit, & illorum regna sibi subiugabit,in tantam superbiam eleuabitur, vt contra Altissimum loqui,& ore nefario Deű se dicere nő timeat. Plenus namque spiritu sathanæ,virtutes multas,atque miracula arte diabolica operabitur,& alios quidẽ signis, alios verò gladijs ad suam voluntatem conuertet. Prælíabitur autem contra Sanctos, quia venient tunc Enoch, & Elias, quos,quia ratione superare non poterit, gladijs interimi faciet. Putabit autem quod possit mutare tempora, & leges, quia nouum testamentum ad veteris legis consuetudinem transferre conabitur. Regnabit autem per tempus,& tempora,& dimidium temporis, per quod tres annos,et dimidium intelligimus. Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,& auferet illustratione aduentus sui. Et tunc quidem sicut nudo in Euangelio audiuimus,videbunt filium hominis venientem in nubibus,cum potestate multa,& maiestate. Perueniet autem vsque ad antiquum dierum, quia Patri se æqualem,eiusdemq. antiquitatis se esse ostendet. *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate Capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra.* Audistis, inquit, certissima signa futuri Iudicij,quæ postquam fieri incipient respicite,& mentis oculos aperite, credite, & dubitare nolite. Leuate capita vestra,& a terrenis ad cęlestia erigite mentem vestrã quoniam appropinquauit redemptio vestra. Quamuis enim diem illam nemo sciat, proximam tamen esse dubitari non poterit. Postquam hæc tanta, & talia signa fieri incipient, Cuius rei gratia hãc valde competentem similitudinem subdidit,dicens. *Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt iam ex se fructũ,scitis quoniam prope est ęstas,Ita & vos cũ videritis hec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.* Sicut enim fructus,& folia nouiter in arboribus nascentia ęstatis aduentum denuntiãt, ita,& signa superius dicta statim vt apparuerint,Regnum Dei prope esse certissime nunciabűt. *Amen dico vobis, quia non pręteribit generatio hac, donec omnia fiant*: Nisi hæc signa priùs apparuerint, hominum generatio finiri, & dies vltima venire non poterit. *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Transibűt vtique cœlum, & terra,quia in melius commutabuntur,verba autem Christi non transibunt,sed in suæ virtutis stabilitate semper manebunt. Transirent enim, si id, quod fieri affirmant,nó fieri posset: & id quod fieri negant, fieri contigisset.

DOMINICA II. ADVENTVS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi,mittens duos de discipulis suis ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua. *Homilia Lectionis eiusdem.*

IOannes Baptista in vinculis,& in carcere positus, cum audisset miracula quæ Dominus operabatur,intelligens iam sibi diem mortis imminere;voluit eum quasi magistrum interrogare de his, quæ sibi adhuc incerta videbantur. Misit igitur ad eum duos de Discipulis suis,qui eius verba Christo referrent. Hi autem quid dixerint,audiamus; Ioannes, inquiunt, Baptista misit nos ad te dicens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ego quidem non puto Ioannis discipulos intellexisse, quid hac illorum magistri interrogatione significaretur. Sicut neque in Christi responsione,quęstionem intellexerunt esse solutam: Tu es, inquit qui venturus es? Ego quidem vado; ego ad Patriarchas,& Prophetas in infernum descendo. Sed numquid tu quoque ibi venturus es? Debeo te illuc venturum illis annunciare? Sicut te iam venisse mundo annuntiaui? Descendes illuc per te, an alium expectamus missum a te? Timeo enim hoc credere de te, nisi hoc certum mihi fiat a te. Valde quidem te humiliasti. An fortasse plus te humiliabis? Quid dicam illis? Quid nuntiabo? Et respondens Iesus ait illis? *Euntes renunciate Ioanni quæ audistis,& vidistis, Cęci vident,claudi ambulant, leprosi mundantur,Surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Quid enim aliud Dominus in hac sua responsione significabat: nisi quia, & hoc Prophetarum Oraculum per se complere non abhorreret. Sicuti nec alia, quæ de eo Prophetæ prædixerant. Ite, inquit, *dicite Ioanni quæ audistis, & vidistis.* Ipsa enim hora,ipsisque videntibus,vt Lucas testatur,fecit Dominus multas virtutes. Et tale erat, ac si diceret: In mundum veni, carnem assumpsi: baptizari volui, nunc autem prædico, nunc pauperes ad fidem conuerto, cœcos illumino, mortuos suscito, & cętera facio, quæ me facturum esse Prophetæ nuntiarunt. Qui igitur in alijs omnibus Prophetarum testimonia confirmo, & compleo, absit vt in hoc vno faciam eos esse mendaces. *Beatus* enim *qui non fuerit scandalizatus in me.* Beatus qui fideliter,firmiterque credident quæcumq. scripta sunt,& prophetata de me. Qui enim non horrui Virginis vterum, non vtique horreo crucem subire, neque horreo ad inferna descendere. Cloaca mundi est infernus. Lux tamen stercore non inquinatur. Mundus transeo per immundum,mundus totum compleo mundum. Descende igitur securè. Præcursor mihi es, vade, & pręcurre, nuntia gaudium fidelibus meis,citò sequar,& liberabo eos. Considera modo,quanta lætitia locus ille tenebrarum,locus ille mœroris, & doloris, considera inquam quanta lætitia quantoque gaudio exultauerit, quando ibi Beatus Ioannes hęc verba narrare cœpit. Illis autem abeuntibus cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Bene autem illis abeuntibus. Si enim illis præsentibus de Ioanne talia loqueretur, poterat fortasse adulatione notari ab his, qui non Deum, sed hominem eum esse credebant. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Non est arundo Ioannes, columna est,non mouetur vento, non quatitur timore,non flectitur adulatione: vno eodemque vultu respicit & illos, qui eum laudant, & illos qui eum vituperant: sic inimicos, vt amicos diligit: sic potentes, vt impotentes arguit. Vide igitur quam cautè Saluator noster, & Ioannis iustitiam commendat, & se ipsum ab adulationis vitio defendit; dum eum,quẽ laudat,nulla laude delectari dicit. *Sed quid existis videre hominem mollibus vestitum?* Ioannes enim (sicut legitur) pilis camelorum vestitus erat; qua in re apertissime ostende-

bat, quia & mundum istum, eiusque concupiscentias pro nihilo ducebat. Insuper etiam quia pœnitentiam prædicabat ut bonus magister pœnitentibus in se ipso pœnitentiæ simul exemplum, & regulam dabat. Vnde non immeritò quidam ait: Si vis me flere, dolendum est prius ipsi tibi, ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt; qui enim mollibus vestitur, conuentus hominum requirit, & videri appetit. Ideoque non in deserto, non in loco solitario, sed in domo regia inuenitur. Vana ergo gloria premitur, qui propter hoc mollibus vestitur. *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sic igitur Angelus Ioannes, & plusquam Propheta Ioannes; prius enim quam nasceretur, prophetauit, & non sicut cæteri prophetæ post multum temporis Christum venturum esse prædixit, sed ante eius faciem manens, & eum baptizans, & tangens, reuelante Spiritu Sancto, dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc autem non dixisset, nisi propheta fuisset, vnde enim eum cognouisset, si Propheta non fuisset? Erat autem & plusquam Propheta, quia ipsum quem prophetauit, digito demonstrabat, & in eo quidem, in quo dicitur plusquam Propheta, potest dici, & non propheta, faciens enim plusquam propheta ostendit se aliud esse, quàm Prophetam. Prophetarum enim est futura prædicere, non Prophetarum verò præsentia demõstrare. Vnde idem Ioannes interrogatus an esset Propheta, respondit se non esse Prophetam, sequitur. *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptiſta.* Aequales enim, & pares habuit Ioannes, maiores verò non habuit: pares enim ei fuerunt, & Moises, & Iob, & Elias, & Hieremias, & multi alij maiores tamen non fuerunt. Nemo igitur maior fuit Ioanne Baptista inter natos mulierum, excepto illo, qui minor est in Regno Cœlorum, de quo, & subditur, *qui autem minor est in Regno Cœlorum,* maior est illo. Quis est enim iste, qui Ioanne maior est, & in Regno Cœlorum minor est, nisi Saluator noster, de quo scriptum est: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & Constituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hoc autem Apostolus exponens ait: Eum autem qui modico quã Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis. Minor est enim Angelis Iesus, secundum hoc quòd mortalis, & passibilis factus est. Qui tamen omnibus maior est secundum hoc quod Deus, & Creator omnium est. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc *regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Ex quo enim Ioannes Baptista cœpit prædicare, & dicere, *pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum;* Ex eo tempore regnum Dei, quod est ecclesia, multis vndique confluentibus crescere cœpit, et quia violenter à violentis diripitur, non immeritò vim pati dicitur. Bona violentia, qua acquiritur regnum Dei. Hanc enim violentiam habebat ille, cui cum amicus eius tres panes accommodare nollet, propter importunitatem tamen illius dedit illi quotquot habebat necessarios. Vis igitur intrare in regnum cælorum? vis adscribi in exercitu, & militia Sanctorum? Esto violentus, & importunus. Audi quid Dominus dicat. *Petite & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, omnes enim qui petit accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Hæc est igitur violentia, qua diripitur regnum cælorum. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Est igitur Ioannes finis legis, quemadmodum, & Christus. Ioannes enim veteris testamenti, Prophetarum omnium vltimus, eum, quem cæteri prophetauerunt verbis, digito ostendit. Sic igitur vsque ad eum Prophetiæ venientes, in eo tandem completæ sunt, dum ipse monstrauit eas esse completas, omnis enim prophetia ibi finitur, vbi id quod prophetauerat, adimpletur. Nato etenim Christo completa est prophetia, qua dicebatur: *ecce Virgo concipiet filium.* Completæ sunt autem, & aliæ prophetiæ, quia iam non ad litteram, sed spiritualiter intelliguntur. Lex igitur vsque ad Ioannem prophetauit, quoniam in nube, & caligine loquebatur: deinde verò prophetauit Christus: quoniam eamdem legem spiritualiter intelligere docuit. Propheta enim dicitur, & qui prophetat, & qui prophetias expon[it]. Eo enim tempore pœnitentia, & misericordia exclusit sacrificium, & Baptismus Circumcisionem: venerat enim Dominus, non vt legem solueret, sed adimpleret: sequitur etsi [...] tis suie. Ioannes ipse est Elias, qui venturus est. Interroga[tus] enim Ioannes an esset Elias, respondit non sum. Quid est [...] tur, quod Dominus eum dicit esse Eliam, qui se ipsum [...] esse Eliam: Ioannes enim in persona Elias non erat: in S[piri]tu autem, & virtute Elias erat. Sic enim de ipso præ[dixit] Angelus ipse: *Præibit ante eum in Spiritu & virtute Eli[æ]* itaque Ioannes erat Elias, & non erat Elias. Vnde & [...] tur: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ille enim audiendi [...] tes non habet, qui hoc ad litteram intelligens, Ioannem [...] fuisse arbitratur.

F E R I A IV.

QVATVOR TEMPORVM ADVENTVS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

MIssus est, inquit, *Angelus Gabriel,* qui Dei fortitudo interpretatur vt Dei virtutem, & Dei Sapientiam carnem suscipere nuntiaret. Sed vbi missus est? *In Nazareth ciuitatem Galileæ,* ad quam? *Ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, et nomen Virginis Maria* de familia regali, de stirpe nobili, & præ cæteris religiosa. Vbi .n. castitatis, & munditiæ mater nisi in Nazareth habitare debuerat, quæ flos, vel munditia interpretatur. *Et nomen Virginis Maria.* Dicitur enim Maria Stella maris. Huius [...]tique maris, de quo scriptum est: *Hoc mare magnum & ſpatioſum, illic reptilia quorum non eſt numerus.* Plures stellas habet cælum, mare vnam: quæ præ illis omnibus clarior, & melior est. De hac enim vna ortus est Sol iustitiæ, cuius fulgore omnia illustrantur. Quem *qui ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Cuius igitur fulgoris illam stellam esse putamus, quæ hunc tantum, talemq. solem peperit mundo? *Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit, Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Non enim in plateis erat, non in publico morabatur, intus erat in penetralibus, sola sedebat, nec tamen sola tanto virtutum exercitu circumscripta. *Aue,* inquit Angelus, *gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Non fuit sufficiens *Aue* dixisse. Addidit: *Dominus tecum,* & deinde eam benedixit quasi tribus vicibus sub vna voce eam salutans. Quia in re diligens obsequium charitatis affectus, & reuerentia declaratur. Sed quis vnquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Alijs enim ad mensuram gratiæ dantur. Hæc autem gratia plena dicitur. Considera modo quantæ ante eam, quantæ post eam mulieres & Virgines fuerint: hæc tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim, & ineffabilis gratia est, vt vna ex tantis millibus eligatur, quæ cum gratia plena sit, prius etiam concipiat, post conceptionem quanta Dei abundet gratia, quis cogitare possit? Hæc autem sola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc sub antiquæ præuaricationis maledictione tenebantur, ex quo primæ mulieri a Deo dictum fuerat: *Multiplicabo ærumnas tuas, & in dolore paries filios.* Hac enim lege non tenetur virgo Maria, quæ virgo concepit, Virgo peperit, & sine dolore pariens virginitatis gloriam non amisit. Meritò ergo in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus a maledictione liberatur. *Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Turbata, inquit, est non in vultu eius, sed in sermone eius. Non enim Angelum, sed verba Angeli attendebat: & quid illa tam officiosa

-giosa salutatio sibi prætenderet cogitabat. Hoc autem Angelus sentiens ait, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Sed vis audire quam gratiam. *Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabitur nomen eius Iesus.* Hæc est causa illius salutationis, hoc missus sum nunciare tibi; abscedat timor, cesset cogitatio; esto secura; nulla sollicitudine teneris. Hæc enim verba non sunt timoris, sed gaudij. Paries enim filium, non vtique alium, nisi omnium rerum Creatorem & Dominum. Creator tuus erit filius tuus, qui fecit te, fiet ex te: *Et vocabis nomen eius Iesum.* Hoc enim nomen quicunque inuocauerit, saluus erit. In hoc nomine *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, cœli, terræ & inferi.* De hoc ipse Dominus ait: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hoc igitur in omnibus orationibus vti debemus. In hoc nomine ille non petit, qui contra Dei dispositionem, & contra suam, vel aliorum salutem petit; imò verò qui taliter petit, contra hoc nomen petere, nó dubium est. Sequitur. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Ipse autem qui secundum se semper magnus est, tūc apud homines magnus factus est, quando ab hominibus cognitus est. Quē Petrus Apostolus in persona totius Ecclesiæ Altissimi filium vocauit, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui. Et dabit illi Dominus Deus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Recipit enim Dominus a Domino Sedem Dauid secundum hoc, quod filius est Dauid. Regnat autem non solum in domo Dauid, idest in tribu Iuda: verum etiam in domo Iacob, idest in toto populo Israel. Per quod intelligitur quod in eius regni exercitu omnes illi connumerātur, quicunq. Dauid, & Iacob fidem, & iustitiam imitantur. Hoc enim regnum æternum est, hoc imperium non deficiet; quia *Regnabit Dominus in æternum, & in seculum seculi. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Non dubitat fieri, quod Angelus fieri promittit, interrogat tamen quomodo fiet: quoniam, quamuis Virginem aliquando parituram audierat, quomodo tamen pareret non audierat. Dicit enim Esaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium,* quomodo tamen pariat non dicit. Quia igitur virgo est, & virum non cognoscit, quomodo pariat, & virgo maneat, interrogat, quod nulli adhuc reuelatum erat. *Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hic est modus pariendi, ita concipies, ita paries. Iam nihil est quod te vlterius interrogare oporteat. *Spiritus enim Sanctus*, qui *Superueniet in te, & virtus Altissimi* quę *obumbrabit tibi*, & amplexabitur te, totamque intus, & extra muniet te, faciet in te quod voluerit, & quomodo voluerit. Quod autem ait: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, hoc exposuit dicens. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc enim virtus communis est totius Trinitatis. Tota enim Trinitas, vnus Deus, & ipse Altissimus. Natus est igitur Christus de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, idest de virtute Spiritus Sancti, quæ vna communis est Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Filius autem solius Patris Filius, & Pater solius Filij Pater est. Hæc itaque virtus superueniens obumbrauit Mariam, & ex duabus naturis Christum Dominum operata est. *Sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.* Quantum igitur ad humanitatem spectat, non solum à Patre & Spiritu Sancto, verum etiam a se ipso & factus, & creatus est filius. Quantum vero ad diuinitatem, nec factus nec creatus: sed à Patre solummodo genitus. *Et ecce Elizabeth cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua.* Non solum inquit, in te suæ virtutis miracula his temporibus operabitur Deus: verum etiam in Elizabeth cognatà tuà, quam tu ipsa, & vetulam esse & sterilem ab infantia fuisse optimè nosti. *Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis,* vt sciat omnis mundus, *quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quid ad hæc Iudæi increduli dicent? Negant Virginem peperisse, neque Euangelio credere volunt. Elizabeth tamen iam anum, & sterilem peperisse negare non possunt. Vtrumque mirabile est, vtrumque contra naturam factum est: neutrum fieri posset, nisi ille mutasset naturam, cui nihil impossibile est. Multa enim contra naturam fecit Deus, quæ negare non audet Iudæus. Virgam in serpentem, serpentem in virgam mutauit. Aquas in sanguinem, & sanguinem in aquas conuertit. Mare aperitur. Manna pluit. Asina loquitur. Petra fundit aquas, & Iordanis conuertitur retrorsum. Sed quid dicam de virga Aaron: quæ cum sicca esset, sub vna nocte, & frondes, & flores, & fructus germinauit? Virga sicca nuces dare potuit, & Virgo parere nó potuit? Vbique Deus operatur, quicquid vult, & in matre tantum modo amisit potestatem? Dixit autem Maria: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum,* auditis rationibus acquieuit, & acquiescendo concepit. Ancilla, inquit, Domini sum: non meæ, sed illius sum potestatis, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Et discessit Angelus ab ea.

DOMINICA III.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Tu quis es? & confessus est, & non negauit, et confessus est, quia non sum ego Christus. Et reliqua. Homilia lectionis eiusdem.

OMnes enim existimabant Ioannem esse Christum, quoniam in vità, & moribus habitu, & Sanctà conuersatione alijs omnibus dissimilis erat. Ipse tamen mundi gloriam fugiens, & Christum se non esse respondens, in tantum se humiliauit, vt indignum se esse diceret, qui Christi calceamenta soluere debuisset. Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Elias es tu? et dixit non sum. Interrogatus Dominus de Elia, respondit. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia, et si vultis scire, Ioannes ipse est Elias.* Quid est ergo quod se Ioannes Eliam esse negauit, quem Dominus ipse Eliam esse affirmauit? Dicit Ioannes, Non sum Elias. Dicit Iesus Ioannes ipse est Elias. Nec iste quidem mentiri potest, quia veritas est, nec ille quia discipulus veritatis. Verum ergo dicit vterque. Alter enim de persona, alter de spiritu loquitur. Ioannes enim in spiritu Elias erat, sed in persona Elias non erat. De quo Angelus ad Zachariam. Ipse inquit, procedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. At illi. *Propheta es tu? & respondit non.* Non enim simpliciter Propheta, sed plusquam Propheta erat Ioannes. Vnde, & Dominus ait. *Quid ex istis videre? Prophetam etiam dico vobis, & plusquam Prophetam.* Plus enim, quam Propheta fuit Ioannes: quia non solum ventura nuntiauit, quod vtique Prophetarum est, verum etiam digito demonstrauit, quod Prophetarum non est. Dixerunt ergo ei. *Quid es, vt responsum demus his, qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Propheta.* Vox Ioannes: Verbum, Christus: Sicut enim Ioannes præcedit Christum, ita, et vox præcedit verbum. Statim enim vt ex ore loquentis sonus qualiscumque procedit, vox est. Verbum autem nondum est, quia omne verbum significat aliquid. Præcedit igitur vox, sequitur verbum. Meritò ergo vox Ioannes, & verbū Christus vocatur: quoniam, et nascendo, & prædicando, & moriendo, & ipsa sui nominis significatione, Christum pręcessit. Hanc autem vocem illa tintinnabula aurea significabant, quæ pendebant in veste Aaron. Hanc significabant omnia illa musicorum genera, quibus Dauid cantare consueuerunt. Hanc psalterium iucundum cum cythara. Hanc tympana, & organa, & cymbala bene tinnentia significabāt. Hanc denique vocem significabant illæ tubę, quarum Sonitu Iubilęus annus nuntiabatur, quarum clangore totus exercitus, & omnia castra mouebantur, & figebantur. His namque canentibus capta est Hiericho, & post septem dierum circuitum muri corruerunt, & habitatores interiērunt. His Gedeon vicit Madianitas. Hæ semper victores fecerunt Israelitas. Vnde, & Propheta ait: *Canite in initio mensis tuba, in die insignis solemnitatis vestræ*: Semper tubarum so-

nitu Dei populus sumebat arma, & recedebat ab armis, sic pugnare solitus, sic vincere assuetus. Lege in Apocalypsi, & septem Angelos inuenies tuba canentes, per quos omnes Ecclesiæ Prædicatores ab ipsis Apostolis vsque in finem seculi significantur. Omnes igitur istæ tubæ, omnes istæ voces illam vnam vocem significabant. Quomodo in hoc Euangelio ille loquitur, *Dicens ego vox clamantis in deserto dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta*.

Hæc vox finis veterum, & nouum principium est. Omnis enim lex, & Prophetę vsque ad Ioannem. Discant igitur Ecclesiæ prædicatores non armis pugnare, sed voce. Audiant Dominum dicentem; *Ego, inquit, dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Si ergo volunt vincere, ore pugnent, quia tale os, & talem vocem habent, cui inimici resistere nequeunt. Sic Ioannes faciebat, & ideo se interrogantibus dicebat: *Ego vox clamantis in deserto non quis sim, sed quod dico attendite: non personam, sed vocem considerate. Vocem me esse dico vocem me esse confiteor*. Hæc autem vox in deserto clamabat, quia crudeles, & impios ad fidem vocabat, qui non homines pietate, sed bestias crudelitate imitabantur. Desertum enim non hominum, sed ferarum habitatio est. Sed quid dicebat? *Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta dirigite*, inquit, *viam Domini*, vt ipse ad vos venire, & in vobis habitare dignetur, qui nisi per viam rectam incedere nescit: fides enim, spes, & charitas, pietas, iustitia, & misericordia viæ sunt, per quas ad nos Dominus venit, si eas habeamus & ad Deum dirigamus. Istæ viæ in illis directæ non sunt, qui non ex veritate, sed simulatorie per eas incedunt. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisęis*. Pharisæi namque se præ cæteris iustiores esse arbitrabantur, quibus Dominus ait. *Publicani, & meretrices præcedent vos in Regnum Dei*: Quos & Ioannes viperarum genimina vocauit, *dicens serpentes, genimina viperarum, quo modo fugietis iudicia gehennę*, & interrogauerunt eum, & dixerunt ei. Quid ergo baptizas, si tu nō es Christus, neq. Elias neq. Prophet a? vt quid tibi Christi, & Prophetarū officia vendicas, si neque Christus es, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos non scitis*. In aqua enim, & non in spiritu baptizabat Ioannes quia nō peccata soluebat, sed corpora tantum lauabat, & Christi baptismum baptizando significabat, illius igitur baptismus vmbra quædam erat, & significatio melioris baptismi. Ego, inquit, *vos in aqua baptizo, medius autem vestrum stetit, quem vos non scitis, iste est qui post me venturus est, qui ante me factus est*. post eum namque, & nascendo, & prædicando, & baptizando, & moriendo venit Christus, factus est autem ante eum, quia quasi Dominum eum sequitur Beatus Ionnes, & post eum vadit. Ante, enim, hoc in loco non temporis, sed ordinis habet significationem. Cuius *ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*. Christi namque calceamenti corrigiam soluere, est eius humanitatis, & mortalitatis mysterium prædicare. Calceamentum enim, quia ex mortuorum pellibus fit, carnis mortiferū significat, alia enim nostra indumenta ex alia, & alia materia fiunt: calceamenta verò non nisi carnea sunt, vnde, & merito pro carne ponuntur. Vide ergo quantum se humiliauerit Præcursor Domini, quia postquam eum laudare cœperat, quasi qui eius laudes prædicare idoneus non esset, statim se indignum esse dixit, qui non solum eius diuinitatis, sed etiam ipsius humanitatis ministerium nunciaret. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans*.

FERIA SESTA.

Quatuor Temporum Aduentus.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Lucam.

In illo tempore. Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione in Ciuitatem Iudea, et intrauit in domum Zacharię & salutauit Elisabeth. Et reliqua. Homilia Lectionis eiusdem.

Virgo Deo plena ad montana conscendit, superiora petit, iam non in terris, sed in cœlo mente habitat, spiritu conuersatur: festinat, properat, nihil negligenter agit, domum religiosam ingreditur, iustam copulam, et sine querela incedentem videre desiderat, suæque humilitatis & mansuetudinis signa manifestat. Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem, Domina ad ancillam, ad Seruum Dominus venire non dedignatur. Hoc enim quid aliud est, quam humanitatis exemplum? *Et factum est, vt audiuit salutationem Maria Elisabeth, exultauit in gaudio infans in vtero eius*. Dic infans, dic Prophetarum omnium maxime qui dignè satis non Propheta, sed plusquam Propheta vocaberis, vnde tibi hæc exultatio? Nondum natus es, & iam prophetas, matrem Domini in voce agnoscis, quam, quia resalutare non potes, exultando agis, quod potes, quā lætus ei occurreres, si iam natus eam videres: cuius voce audita exultando obuiam exire conaris. Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Prius filius, deinde mater per filium repletur Spiritu Sancto, filius intus latens, docet; quid mater exteriùs agere debeat, quasi enim magna in Elisabeth interiùs commota non solùm Virginem salutauit, verùm etiam magna voce clamauit dicens. *Benedicta tu inter mulieres*. Id ipsum enim & Angelus ait: Ab omnibus benedicitur, quę omni benedictione digna habetur. *Et benedictus fructus ventris tui*; benedicta arbor, benedictus & arboris fructus, benedicta virga de radice Iesse, benedictus et flos, qui de tali radice ascendit: benedicta talis mater, benedictus talis filius, *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Neque Sanctitas, neque religio, neque nobilitas aliqua hoc mihi præstitit, vt tanto honore, tantaque beatitudine digna fierem. Ego potius debui ire ad te, sed tua, tuique filij humilitas te cœgit venire ad me. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*.

In aduentu, inquit, tuo non solum ego, sed et filius meus gratulatur, in tua salutatione lætatur, et quod voce non potest, gaudio fatum. *Et beata, quæ credidit quoniam perficientur ea quę dicta sunt tibi a Domino*. Quæ sunt enim quæ dicta sunt ei a Domino, nisi illa, quæ superius Angelus ait: *Ecce concipies & paries filium, et vocabis nomen eius Iesum* Et paulo post, *Spiritus sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. *Et ait Maria. Magnificat anima mea Dominum*. Anima inquit, mea, mens mea, virtus mea, omnisque intelligentia, et conscientia mea magnificat Dominum, laudat, benedicit, et prædicat. Dominum enim Magnificat, qui Domini magnificentiam prędicat. Magnificat autem, et illa Dominum, in cuius bonitate magnificatur, et laudatur Dominus. Sic enim in discipulis Magistri, sic in operibus suis singuli artifices laudantur, et magnificantur *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Modo inquit anima mea Dominum magnificat, modò eius magnificentiā, de qua scriptum est. *Exaltata est magnificentia tua super cęlos Deus*, cunctis gentibus manifestat, in quo semper exultauit, in quo semper delectata est, quem semper dilexit, cunctisque viribus adhæsit, et cuius seruituti semper omnia subiugauit. Et hoc meritò, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Respexit, et non despexit. Ad quem enim respicit Deus nisi

super

super humilem, et quietum, et trementem Sermones eius? *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Vera est prophetia, quam veritatis mater de se ipsa prophetauit. Nulla enim ex eo tempore generatio fuit, quæ eius beatitudinem non prædicauerit, semper enim eius beatitudinem Ecclesia concinit, in qua simul omnes generationes continentur: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, immo qui omnipotens est, verè vtique magna, & tam magna, quam magna nulli vnquam alij, vel fecit vel facturus est. Ex ea carnem suscepit, & cæli terræq. Dominam, & Reginam eam constituit. Magna enim sunt hæc. *Et sanctum nomen eius*; & ipse quidem potens est, & nomen eius sanctum est, quod nulli in vanum suscipere licet; in quo baptizamur, & consignamur, in quo sanctificamur, & Christiani vocamur; *Et misericordia eius a progenie, & in progenies, timentibus eum.* Eius enim misericordia non in vna progenie est: non enim Deus Iudæorum tantum, sed a progenie in progenies dilatatur, & crescit, cunctis subueniens timentibus eum. *Fecit potentiam in brachio suo.* Præterito pro futuro vtitur. Fecit enim potentiam Dominus in brachio suo, idest in virtute, & fortitudine sua: quia diabolum vicit; infernum spoliauit, & sanctorum animas secum ad cœlestia vexit. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Mente namque cordis sui, idest, secundum voluntatem suam: superbos Iudæos vbique terrarum Dominus dispersit, & cunctis nationibus subiugauit. Vnde Psalmista: *Disperge, inquit, illos in virtute tua & destrue eos protector meus Domine.* De quibus adhuc subditur: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles:* In gloriam scilicet Iudæis promissam Gentiles exaltans; hoc enim Dominus semper agit: *Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Esurientes erant Gentiles, qui cœlestium mandatorum dulcedinem non gustarant. Diuites Iudæi, qui legis, & Prophetarum diuitijs abundabant. Illos autem spiritualibus bonis impleuit. Hos verò inanes, & spiritualis intelligentiæ vacuos abire permisit. Huic autem, & illa conueniunt, quæ alibi Dominus ait: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et *Væ vobis diuites, qui habetis consolationem vestram. Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius in secula.* Hoc est enim quod in psalmis dicitur: *memor fuit in seculum testamenti sui; verbi quod mandauit in mille generationes, Quod disposuit ad Abraham; & iuramenti sui ad Isaac.* Recordatus enim misericordiæ suæ, sicut ad Patres nostros, idest ad Abraham, & semini eius locutus fuerat, suscepit Israel puerum suum. Suscepit enim, reconciliauit, tenuit, & in patriam promissam hereditatem introduxit: Puerum vtique Israel, non autem senem Israel, idest non veteris, sed noui testamenti sectatores. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.* Decebat enim, vt simul manerent, quatenus in illo parui temporis spatio, & Elisabeth à Maria, & Ioannes à Christo docerentur. Libet nunc intueri quantas tunc Zacharias, quantas, & Elisabeth lacrymas fuderit, quando Virgo Maria inde recessit, quando mundi gaudium, & stella maris in domum suam reuersa est; Ioannes quoque quamuis adhuc in matris vtero clausus, in eius discessu non parum doluit, qui in illius aduentu tanto gaudio exultauit.

DOMINICA IIII.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Anno quintodecimo imperij Tyberij Cesaris procurante Pontio Pilato Iudeam: tetrarcha autem Galilee Herode. Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituree, & Traconitidis regionis, & Lisania Abiline tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caypha factum est verbum Domini super Ioannem Zacharie filium in deserto. Et reliqua. Homilia eiusdem.

Quoniam quidem, vt Dominus ait. *Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur.* Iudæorum regni desolationem, & destructionem proximam iam tūc Euangelista monstrabat, quando illud in tot partes diuisum esse dicebat. Quo autem tempore Ioannes Baptista prædicare cœperit, descriptus terræ Principibus diligentissimè ostendit. Prædicabat autem Ioannes Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Hoc videlicet docens, & prædicans, quia nisi per baptismum, & pœnitentiam non possit fieri remissio peccatorum. Prædicabat quidem, sed non dabat. Docebat medicinam, sed non sanabat. Nondum enim baptismi data fuerat forma: nondū Dominus dixerat: *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Hæc est forma baptismi. Aliter baptismus non valet. Hanc autem formam sibi Dominus reseruauerat: hanc per se ipsum dare venerat, quia valde conueniens erat, vt vniuersalis medicina per vniuersalem medicum daretur. *Venit igitur Ioannes in omnem regionem Iordanis predicans*, sed non tribuens *baptismum pœnitentię in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro sermonum Isaię Prophetę. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Sic igitur faciebat Ioannes sicut Isaias de eo prædixerat. Clamabat, prædicabat, viam Domini prędicabat, baptismum, & pęnitentiam docebat. Istæ enim sunt illæ viæ, per quas venitur ad Dominum, & per quas ad nos venit Dominus. Interrogatus enim Ioannes quis esset. Respondit. *Ego vox clamantis in deserto.* Vox enim erat Ioannes, quia Verbum Christus. Sicut enim vox precedit verbum, ita, & Ioannes Christum præcessit. Statim enim, vt ex ore loquentis sonus qualiscunque procedit, vox est: verbum tamen nondum est, quia omne verbum significat aliquid, meritò igitur vox dicitur Ioannes; meritò Christus Verbum vocatur. Hæc autem Vox in deserto clamabat, quia impios, & crudeles ad fidem vocabat, qui non homines pietate, sed feras, & belluas crudelitate imitabantur. Desertum enim non est habitatio hominum, sed ferarum. Talis erat mundus iste, tales habitatores habebat. Vnde Psalmista ait: *In deserto, & in via, & in aquoso, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* In deserto itaque Ioannes prædicabat. Sed quid dicebat? *Parate viam Domini, & rectas facite semitas eius.* Tunc enim viam Domini paramus, eiusq semitas rectas facimus, si ea, quæ agimus non pro vana gloria, sed sincero affectu, & casto amore faciamus. De illis enim, qui omnia opera sua faciebant, vt viderentur ab omnibus, dicebat Dominus: *Amen dico vobis: quia receperunt mercedem suam.* Hoc autem ideo, quia ibant per viam prauam, & semitas tortuosas. *Omnis vallis implebitur & omnis mons & collis humiliabitur.* Sed quid per valles nisi humiles, quid verò per colles, nisi superbos intelligimus? Vallis igitur implebitur, & exaltabitur quia humilis Sancti Spiritus gratia plenus, ad cælestia sublimabitur. Mons verò & collis humiliabitur, quia superbus deprimetur, & in tenebras præcipitabitur. Vnde & subditur: & erunt praua, indirecta, & aspera in vias planas. Tunc enim, & praua dirigentur, & aspera planabuntur, quia nulla erit superbia, nulla potestas, nulla virtus, nulla altitudo, quæ sanctis resistere valeat. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Non enim in primo Aduentu Christum Dominum vidit omnis caro. In secundo autem omnis oculus eum videbit. Sicut ipse ait *Viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* De hoc autem salutari, Patriarcha Iacob Spiritu Dei plenus, cum filios benediceret ait: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro; salutare tuum expectabo Domine.* Hoc autem tale fuit, ac si diceret: Scio Domine, quia filij mei, progenies mea, sua prauitate decepta Antichristum expectabit. Ego autem salutare tuum Iesum Christum filium tuum expectabo Domine. De Tribu namque Dan, orietur Antichristus, quem Iudæi exspectant, & Messiam vocant. Ipse autem erit coluber in via, & cerastes in semita, quia omnibus in via mandatorum Dei currentibus, & ad patriam festinantibus insidiabitur, vt eorum itinera impedire valeat. Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam redimus, quia non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Tanta est via, quanta est & vita. In hac ergo via multū

nobis

nobis cauendum est, ne ille serpens nobis occurrat, suoque veneno nos inficiat. De quo scriptum est: *Trahet draco caudam, & separabit tertiam partem stellarum cæli.* Cerastes autem cornutus interpretatur. Hæc enim bestia, & hic draco decem cornua habere describitur, per quæ omnes mundi huius iniquos reges, & principes intelligimus Omnes enim in eius exercitu connumerabuntur, quicumque eius facta imitantur, vel imitabuntur. Vnde, & per Beatum Iob dicitur: *Quia post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.* Quibus verbis manifestè ostenditur, quia multi in eius exercitu computabuntur, qui eum corporaliter non viderunt; siquidē, & eos trahet, qui fuerunt ante se, & eos qui erunt post se. Sequitur *mordens vngulam equi, vt cadat, ascensor eius retro.* Sed quid per equum, nisi hunc mundum intelligimus? Quid verò per ascensorem, nisi reges, omnesq. potentes, qui ei præsident, suiq. moderaminis frænis eum regunt, & ad suam voluntatem conuertunt? Vngula verò, equi vltima pars mundi intelligitur; quoniam vltima pars corporis vngula est. Hunc igitur equum iam fugientem, & penè cursum finientem, & (vt ita dixerim) pedem trahentem, & solam vngulam, idest extremam sui partem ostendentem, mordebit cerastes, idest Antichristus, & sic sui veneni corruptione inficiet, vt & ipse pereat, & eius ascensores retrorsum cadentes intereant. Tanta enim erit eius deceptio, tam fraudulenta, & venenosa persuasio, vt in errores inducantur, si fieri possit, etiam electi. Hanc autem bestiam expectant Iudæi, hanc pestem expectāt Scribę, & Pharisei; neq. attendunt Iacob patrem prophetantē, neque intelligunt eum benedicentem atq; dicentem. Salutare tuum expectabo, Domine.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Mathęum.

Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritu Sancto. Et reliqua. Homilia lectionis eiusdem.

PRimum autem quærendum est cur beata Maria despōsata fuerit quę ante partum virgo, in partu virgo, post partum virgo, numquam viro cognita erat. Multę enim ex hoc rationes reddi possunt. Si enim virum non habuisset, & grauida videretur, nulla ei excusatio subuenire posset, vt quasi adultera non lapidaretur. Quis enim ei crederet sine viro concepisse, quis ei crederet de Spiritu Sancto eius vterum intumuisse? Erat enim hoc insitatum, inauditum, & sine exemplo. Melius ergo fuit, vt semper virgo ad tempus non virgo putaretur, quam, vt accusata secundum legem lapidaretur. Non enim violatur virginitas falsa opinione. Occiditur autem innocens plerumque falsa accusatione. Poterat enim Dominus, & aliter matrem suam non solum ab iniusta damnatione, verum etiam à falsà opinione defendere si vellet, qui semper in potestate habuit facere quicquid vellet. Cur autem magis voluerit ipse scit nō ego. Sic ei placuit. Placeat igitur, & nobis. Indigeat prætereà viri auxilio multis modis Virgo Maria, quia secundū Dei dispositionem in Bethleem paritura erat, & eam simul cum filio In egyptum fugere oportebat. Sic enim à Domino fuerat dispositum sic à Prophetis antea nuntiatum, sic futurum erat, & mutari non poterat. Hæc est igitur causa, cur desponsata fuerit. *Cum autem esset desponsata mater eius Maria Ioseph antequam conuenirent, inuenta est, in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quæris fortasse, qualis mater quære prius, qualis filius. Non habet filius in hominib. parem: non habet mater in mulieribus similem. Speciosus ille præ filijs hominum: speciosa illa quasi aurora cōsurgens. Fecit ille matrem suam, quod nemo alius fecerit: Peperit ille filium, & virgo permansit, quod nulla alia fecit. Fuit ille antequam mater: nō fuit, ista antequam filius Quid enim horum mirabilius tibi esse videtur. Vtrumque enim mirabile est, quia neutrum nec prius, nec postea factum est. *Antequam conuenirent* (inquit) *inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Quid est antequam conuenirent? Antequam simul in vna domo habitarent. Nondum enim conuenerant, nondum simul habitabant, Ille in suà, & illa adhuc in suà domo manebant, & tamen inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Quærerem ego à quo inuenta fuisset, si tales inuenire difficile esset. Multa enim signa sunt quibus grauidæ mulieres cognoscuntur. Videbatur igitur grauida ab his qui ei familiares erant, nemo tamen eam suspectam habebat, quoniam desponsatam esse sciebant. Intellexit hoc tandem & Ioseph, & Sponsam suam grauidā esse cognouit. Mirabatur ergo, & circa sponsam suā zeloparum mouebatur. Quid faceret? Prodere eam timebat, ne occideretur dimittere eam cogitabat, quod, et sibi facile nec illi periculosum esse sentiebat. Daret enim ei libellum repudij. Sic enim præcipit lex. Hoc est autem quod sequitur. *Ioseph, autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Quia enim iustus, & Sanctus erat, potius eam occultè dimittere, quam accusare volebat. Nolebat enim eam ducere in domum suam quam videbat grauidam esse non de suo. *Hæc autem eo cogitante: Ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens: Ioseph fily Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cum inquit, ita cogitaret. Cum his angustijs æstuaret Cum quid faceret dubitaret. Ecce Angelus Domini, ecce nuntius cęlestis: Ecce Gabriel consiliator Virginis, eiusq. conscius castitatis, cui hæc secreta commissa erant, cui hæc mysteria reuelata fuerant, apparuit Ioseph in somnis, & benè quidem in somnis. Si enim Ioseph non dormisset, si extra se non fuisset, si mentis oculos appertos habuisset, si solem, qui iam in Maria oriebatur Spiritu Sancto reuelante cognouisset, proculdubio nihil tale cogitare potuisset. Audiamus autem quid Angelus dixerit. *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Noli, inquit timere, noli dubitare, tolle hanc zęlotipiam, pelle suspitionem, non est vt cogitas, nondum cognoscis hanc Virginem, nondum bene vidisti Mariam coniugem Tuam. Ipsa enim est templum Dei, ipsa est porta cœli, ipsa est Domina tua, quam putas esse sponsam tuam. Accipe igitur eam iam nunc quasi Dominam, non quasi coniugem, accipe eam non tibi traditam, sed commendatam. Sis ei obediens, vt seruus, non imperans, vt maritus. Quare hoc? Vis audire quare? Quia *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Sufficiat hoc audire, sufficiat & credere. Non quæramus qualiter de Virgine incarnatus, & qualiter de Spiritu Sancto natus est Christus, Credidit enim Virgo Maria; & concepit. Hoc enim testatur Elisabeth: Beata (inquit) *quæ credidisti, perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Credidit Virgo, & operante Spiritu Sancto, Verbum caro factum est. *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Quare autem tali nomine vocetur, protinus subinferēs ait; *Ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum.* Manifestum est igitur, quia Iesus Saluator interpretatur.

IN NATIVITATE DOMINI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore Exijt edictum a Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hęc descriptio prima facta est a Pręside Syrię Cyrino. Et reliqua. Homilia Lectionis eiusdem.

QVod enim mundus vniuersus describitur, & sub vnius potestatis tributum redigitur, magnæ pacis indicium est. Si enim adhuc mundus repugnaret, & contra Romanum Imperium dimicaret, nequaquam eius edicto describi, vel sub tributum redigi potuisset. De hac enim pace Propheta prædixerat: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas*

suas

ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium & Pſalmiſta. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. Quia enim Princeps pacis oriebatur, pacē vbique fieri oportebat. Exibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. *Aſcendit autem & Ioſeph a Galilea de Ciuitate Nazareth in Iudæam, in Ciuitatē Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* His enim verbis aperte monſtratur, quod hæc deſcriptio ſecundum familias facta fuerat. Vnde & ad proprias ciuitates, atque familias, vbicumque eſſent ſingulos redire oportebat, quatenus communicato conſilio omnes ſimul tributum dare promitterent, & facta deſcriptione ſecundum vnam quamque familiam totius tributi ſummam colligerent. Venit itaque, & Ioſeph cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante in Bethleem Ciuitatem Dauid, vbi eorum familia habitabat, vt & ipſi ſicut cęteri eandem facerent profeſſionem. *Factum eſt autem cum eſſent ibi impleti ſunt dies, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Ibi enim Chriſtum naſci oportebat, quia ſic per Prophetam narratum fuerat. *Et tu Bethleem terra Iuda non eris minima in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.* Primogenitus autem ſecundum legem filius dicitur, qui primus de matris vtero procedit, ſiue alij filij ſequantur, ſiue non ſequantur. Cum enim lex ſtatim poſt vnum menſem omne primogenitum Domino offerre præcipiat, quis non intelligat, ſine alicuius relatione primogenita dici, cum nihil adhuc genitum ſit, cui hoc primogenitū referri poſſit? Quid enim ſi mater illico mortua fuerit, vel ſi vlterius filium non genuerit? Nunquid idcirco primogenitus ille non erit, qui ex ea iam natus, & poſt vnum menſē Deo oblatus, ab ipſa lege primogenitus eſt vocatus? Igitur aut lex mentitur, aut primogenitus aliquando ſine relatione dicitur. Peperit itaque Beatiſſima Virgo, concipiens Virgo, pariens Virgo, & in æternum permanens Virgo clauſa ante partum, clauſa in partu, & clauſa poſt partum. *Peperit enim filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat eis locus in diuerſorio.* O pietas immenſa, o humilitas ineffabilis, o ſacramentum inenarrabile. Deus homo fit, ęternus temporalis, immēſus localis, immortalis paſſibilis, paruus pannis inuoluitur, qui cœli ambitu pro magnitudine non continetur. Quis audiuit vnquam tale? Quis vidit huic ſimile? Reclinatur in præſepio, & panis viuus qui de cœlo deſcendit, non hominibus, ſed pecoribus anteponitur, id eſt non Iudæis, ſed Gentibus miniſtratur. *Tunc cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Sed quid dicam, quod cœli, terræq. Creator, quod Rex Regum, & Dominus dominantium non habuit locum in diuerſorio. Sic enim Apoſtolus ait: *Quia cum omnium diues eſſet: pro nobis pauper factus eſt. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim Euāgelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid;* Quantum enim ad litteram, ea cauſa eſſe videtur, vt prius paſtoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quaſi incauti ſtabulum intrarent, & præſepe adire tentarent, in quo Puer poſitus erat. Spiritualiter autem Stabulum Eccleſia, præſepe ſcriptura diuina, paſtores verò Epiſcopi, & doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Eccleſia, ad quam Dei animalia vndique confluunt, ibique ſtant, & morantur in ea. Vnde ſcriptum eſt. *Animalia tua Domine inhabitabunt in ea.* Hæc autem animalia quaſi in præſepio, in diuina ſcriptura cibis ſpiritualibus nutriuntur. Ibi poſitum inueniunt Chriſtum, ibique comedunt panem viuum. Beati qui huius præſepis cibis aluntur, et delicijs ſibi poſitis reficiuntur. Vos autem Eccleſiæ Paſtores, vos Epiſcopi, & ſacerdotes audite, & intelligite, vobis Angelus loquitur, vobis hoc magnum gaudium euangelizat, quia *vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*, vobis datum eſt noſſe, & intelligere ſecreta cœli. Nuntiate ergo quod audiſtis, prædicate quod vidiſtis, nolite celare, quod cognouiſtis. Toties enim Chriſtus in ſtabulo oritur, toties, vt paruulus in præſepio ponitur, quoties hæc in Eccleſia prædicatis, quoties virginis partum, & Chriſti Natiuitatem alijs nuntiatis. Inde enim hodierna feſtiuitas, Natiuitas Domini vocatur, nō quod Dominus hodie naſcatur, non quod iterum de Virgine oriatur, ſed quia eius Natiuitatis memoria hodie renouatur, & in illius commemoratione celebratur, & prædicatur. *Et hoc vobis ſignum inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Vtinam hoc ſignum Iudæi ſuſciperent, & Chriſtū nobiſcum in pręſepio quærerent quamuis enim pannis ſit inuolutus, & ſub velamine literæ iacet occultus, inuenirent tamen ſi eum quæſiſſent, & intelligerent ſi crediſſent. Quiſcumque igitur es, qui vis videre Ieſum, accede ad hoc pręſepe ſcrutare ſcripturas, remoue pannos, pelle litteram, *Littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat,* & tunc videbis quod videre non poteras. Sic enim Eccleſiæ Paſtores quærunt eum, & quærentes inueniunt, & inuenientes venerantur, & credunt, *Et ſubitè facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cęleſtis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonę voluntatis.*

IN DIE EIVSDEM.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore *Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus & oſtendit nobis.* Et reliqua. Homilia Lectionis eiuſdem.

PAſtores, inquit loquebantur adinuicem, & de his, quæ audierant, & viderant inter ſe tractantes dicebant, Mira ſunt, quæ audiuimus, ſtupenda quæ vidimus, cœlis gloria, pax terris promittitur. Saluator hodie natus eſt nobis, Rex nouus hodie datus eſt nobis, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Quid igitur facimus? Cur moramur? *Tranſeamus vſque Bethleem*; ipſa enim eſt enim ciuitas Dauid, *& videamus hoc verbum*, & credamus, quia *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quod factum eſt,* Quantum enim ad ſe, neque factum, neque creatum eſt; factum tamen quodammodo eſt, quia *Verbum caro factum eſt. Quod Dominus oſtendit nobis.* Videamus corporaliter, quod Dominus oſtendit nobis ſpiritualiter, & quod mente concepimus, & fide tenemus, reſtat, vt oculis intueamur. *Et venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in pręſepio.* In ſtabulo ſtellam, in præſepio ſolem inuenerunt, quia Maria ſtella maris, ſol iuſtitiæ Chriſtus vocatur. Recedant igitur tenebræ, fugiat caligo, quia ſtella in ſtabulo, & ſol in præſepio fulget. Fętor quoque ibi eſſe non poteſt, vbi eſt flos campi, & lilium conuallium, cuius odore ſuauiſſimo nimium delectata eccleſia *trahe, me inquit, poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Sed quid de matre Domini dicam, cuius odoris fragrantiam Rex ſapientiſſimus Salomon admirans ait, *Quæ eſt iſta, quę aſcendit per deſertum quaſi virgula fumi ex aromatibus mirrhę, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* vbi enim omnium aromatum fumus redolet, ibi fętoris inditium eſſe non poteſt. *Videntes autem cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis de Puero hoc:* Hic eſt enim ille Puer, de quo ſcriptum eſt. *Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſęculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio et iuſtitia a modo, & vſque in ſempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.* His enim paucis verbis Natiuitas & nobilitas, virtus, & fortitudo. Imperium, & iuſtitia, & cętera, quæ ad laudem, & gloriam huius Pueri pertinent, deſcribuntur. *Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt,*

& de

& de his quę dicta erant a Pastoribus ad ipsos. Quis enim vsque hodie non miretur audiens Pastores in ecclesia prędicare? Quis non miretur audiēs Episcopus, & Presbyteros Christi magnalia, & Verba Euangelica nunciare? Quis non miretur, quod ille, qui omnia fecit hodie natus est? & quod Verbum caro factum est? & quod ille, qui cęlum palmo concludit, hodie in præsepio positus est, & paruis pannis inuolutus est? Sed pauca sunt illa, quæ tunc illi Pastores nunciabant. Multò plura nostri Pastores, Episcopi videlicet, & Sacerdotes prædicant, & annunciant; Valde miranda, multumque stupenda, & cunctis fidelibus fideliter, firmiterque credenda, & tenenda. Vnde & subditur, *Maria autem conseruabat omnia verba hęc conferens in corde suo*. O Mater sapientissima, & sola talis filij dignissima, quę omnia verba hęc in corde suo ideo conferebat, nobisque conseruabat, & memoriæ commendabat, vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberentur, & in vniuerso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nunciarentur. Ab ipsa enim hæc Apostoli audierunt, hæc in eius scholis Euangelistæ didicerunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt. Quis igitur Euangelijs non credat? Quis eis contradicere pręsumat, quæ aut Matris, aut filij auctoritate muniuntur? Quædam enim Apostoli, & Euangelistę à Matre Domini audierunt, quemadmodum ista, & cętera, quæ de Saluatoris nostri infantia scripta sunt. Plurima verò visu, & auditu ab ipso Domino didicerunt. Nos quoque a Matre Domini exemplum capiamus, & ea, quę de Saluatore nostro nobis annunciantur fideliter in corde seruare, & memoriæ commendare studeamus. De illis enim, qui Verbum Dei audiunt, & memoriæ nō commendant scriptum est, *quia venit Diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant*. Vnde etiam illa animalia, quæ non rumant, immunda esse dicuntur, quia susceptū cibū obliti postquam illum in ventrem transferunt, eius vlterius non recordantur. Munda verò animalia non ita faciunt, sed cibum susceptum iterum comedendo, & tenuissimè comminuendo eius nullatenus obliuiscuntur. Tales igitur sunt viri Catholici, qui Verba Sacri eloquij sine intermissione perscrutantur, & in lege Domini die, ac nocte meditantur. Sequitur, *Et reuersi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos*. Beati isti Pastores, qui Christum Dominum videre meruerunt, & Deum laudantes, & glorificantes, ea quæ audierant, & viderant crediderunt. Beati & illi Pastores, qui vsque hodie in Ecclesiæ præsepio, idest in Sacris voluminibus Christum quærunt, & in eum fideliter credunt, eius natiuitatem nunciantes, & eius fidem prędicantes, & eum vbiq. laudantes, & glorificantes.

Initium Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN *Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et reliqua.

NArrant alij Euangelistæ Dominum, & Saluatorem nostrum ab Angelo nunciatum, de Virgine natum, Pastoribus reuelatum, per stellam declaratum, à Magis adoratum, ad templum delatum, & Simeoni pręsentatum. Narrant prætereà qualiter de Iudea cum Parentibus in Aegyptum fugerit, qualiter de Aegypto in Iudeam redierit, qualiter creuerit, & virtute, & sapientia profecerit. Hæc autem, & his similia dum Euangelistę scribebant verum hominem esse, & veram carnem eum suscepisse firmabant, & Hæreticos aliter credentes, & docentes superabant. Ioannes autem Euangelista altius ascendens, & vsque ad eius diuinitatem se extendens *ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum*, penetrauit cęlos, transcendit Archangelos, & peruenit vsque ad thronum Dei; ibique vidit Verbum Dei, ibi vidit Dominū nostrum Iesum Christum in sinu Patris, & tunc intellexit id quod scriptum erat. *Eructauit cor meum Verbum bonum*. Intellexit vtique, & dixit. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Iesus Christus Dominus noster, quemadmodum dicitur Filius Dei, sic dicitur Verbum Dei, sic & Virtus, & Sapientia Dei. Vnum enim, idemq. significant, Filius, Verbum, Virtus, & Sapientia. De quo Verbo ait Psalmista, *Verbo Domini cęli firmati sunt*. Et vt Verbum, & Sapientiam idem esse ostenderet, ait *omnia in Sapientia fecisse*: Nunquam igitur Pater sine Filio fuit, quia nunquam sine Verbo, nunquam sine Virtute, nunquam sine Sapientia esse potuit. Hæc autem Sapientia, hæc virtus, hæc Dei Filius quamuis temporaliter de Virgine natus sit, in principio tamen, & ante tempora erat. Et hoc est quod ait, in Principio erat Verbum. Taceant igitur quicumq. Saluatorem nostrum priusquam de Virgine nasceretur, non fuisse contendunt. Hoc enim Iudęi, & Gentiles, & quidam hęreticorum dicere solent; Quorum quidem errores Euangelista destruit, dum eum in principio fuisse dicit. Sed vbi erat? *Et Verbum erat apud Deum*. Semper enim in Patre Filius, semper in Filio Pater; Vnde ipse ait: *ego sum in Patre, & Pater in me est*. Denique vbi debuit esse, nisi in Deo virtus, & sapientia Dei? Vbi enim est Virtus, & Sapientia tua, nisi in te, & in animo tuo? Sic igitur & Verbum Dei, idest Virtus, & Sapientia Dei in principio erat apud Deum. Et quid erat? *Et Deus erat Verbum*. Nihil enim in Deo est, quod Deus non sit, totus enim idem est, & substantialiter Idem. Hoc autem Verbum nec syllabis constat, nec voce profertur, sed semper in sinu manēs, & in corde Patris cuncta disponit, regit, & operatur. *Hoc erat in principio apud Deum*. Hęc autem confirmatio est eorū quæ dicta sunt. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil*. Si igitur omnia per Verbum facta sunt, & omnia in Sapientia Dominus fecit, manifestum est, quia & Verbum, & Sapientia idem sunt. Ibi igitur Verbum, vbi Sapientia. In nobis autem non ita fit, quia Verbum in ore, in corde Sapiētiam habemus. Veruntamen sicut Sapientia nostra voce induitur, & fit Verbum, vt audiatur, ita & Sapientia Dei carne induta est, *& Verbum caro factum est*, vt ab hominibus videatur. Siue igitur Verbum, siue Sapientia vocetur Dei Filius, nulla differentia est, non enim loquendo, sed sciendo, & volendo cuncta operatur Deus. Quod enim scriptum est, *ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*, non sic accipiendum est, quasi motu linguæ, & aeris percussione aliqua ex ipsius ore vox insonuerit, sed dicere Dei voluisse est. *Omnia per ipsum facta sunt*. Omnia enim per ipsum facta sunt quæcumque à Patre facta sunt, & sine ipso nihil à Patre factum est, nihil enim sine sapientia facit Deus. Deus igitur vnus est, qui in Sapientia sua, & in spiritu suo omnia operatus est, cuius Sapientia carnem suscepit, cuius spiritus in igne apparuit. Qualiter autem Sapientiam suam, Verbum suum, & Filium suum ipse genuerit, quia solui non potest, quæri non debet. *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Duę namq. naturę sunt in Christo, Diuina scilicet, & humana, quarum altera facta est, altera facta non est. Humanitas enim, quæ in ipso est, & facta, & creata est: Ipse enim fecit humanitatem suam, ipse fecit & matrem suam. *Per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil*, hoc igitur solum in ipso est, nihilq. aliud est quod in ipso factum est. Hoc autem vita erat quamuis hoc Iudęi non credebant. Christi namque humanitas omnium in se credentium salus, & vita est, Vnde ipse ait. Ego sum via, veritas; & vita, Itemque ego sum resurrectio, & vita. *Et vita erat lux hominū, si enim Christi humanitas vita erat; & vita erat lux hominum*, ergo, & Christi humanitas erat lux hominum. Sed quare lux? quia lucebat, quia docebat, quia prædicabat, quia populum, qui sedebat in tenebris, illuminabat, vnde Propheta. *Populus, inquit, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbra mortis lux orta est eis*. Hinc ipse quoque Dominus ait, *ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitę*: De qua & subditur, *Et lux in tenebris lucet*. Lux enim in tenebris lucebat, quando inter peccatores Christus Dominus prædicabat, Hanc autem lucem *tenebræ non comprehenderunt, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Ipse enim solus inter peccatores sine peccato

viuere

nare potuit; Hæc sola lux nullis tenebris est obfuscata, nulla caligine denigrata, nullis vitijs maculata. Alij autem hunc locum ita distinguunt, vt prius dicant *quod factum est*, deinde subinferant, *In ipso vita erat*: sed videant, quomodo sequentia continuentur. Omnia enim quæ temporaliter fiunt, vel facta sunt, Prius quam fierent in ipso, & viuebant, & vigebant. Viuunt enim omnia, quæ in Dei dispositione sunt, quia sicut disposita sunt, non euenire non possunt. *Fuit homo missus à Deo, cui nomē erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimoniū perhiberet de lumine, vt omnes crederēt per illū. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Omnes enim sicut Lucas ait existimabant de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, *Erat enim lucerna lucens, & ardens, sed erat ipse lux*, quia ad hoc solummodo venerat, vt testimonium perhiberet de lumine. Erat autem lux vera lux æterna, & indeficiens, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hanc autem lucem illud candelabrum significabat, quod de auro purissimo Moyses fieri præcepit. Quid enim tam, purissimum, quam esse sine peccato: Quod tam purissimum, vt sapientia, & Sol iustitiæ. Habebat autem hoc candelabrum septem Lucernas, quibus totum tabernaculum illuminabatur, per quas septem Sancti spiritus gratias intelligimus, quibus totus mundus illuminabatur. Habebat autem, & in hastili suo quatuor scyphos, qui quatuor Euangelia significabant: habebat igitur & lucernas quibus mentis oculos illuminaret, habebat, et scyphos quibus sitientium corda reficeret, & satiaret Omnis autem homo in hunc mundum veniens, sola huius candelabri luce interius, & exterius illuminatur, hæc oculis visum, & cordi tribuit intellectum, Qui hac luce non illuminatur, cæcus est, & in tenebris manet. Venit autem homo tunc in hunc mundum, quando nascitur, quia tūc primum in hoc mundo apparet. Vnde, & de seipso Dominus ait. *Exiui a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mūdum, & vado ad Patrem.* Deus enim qui vbique est, quando se nobis manifestat, venire, quando se celat, recedere dicitur. *Venit igitur in mundum*, quia secundum carnem, quā assumpsit, mundo visibilis apparuit, & hoc est quod dicitur *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* Quid est in mundo erat, nisi, quia visibilis inter homines in hoc mundo conuersabatur? Mundus autem secundum quosdam eum cognouit, & secundum quosdam eum non cognouit. Mundi enim amatores Christum sequi, & agnoscere noluerunt, qui quoniam solum huius mundi voluptatem, & gloriam diligunt, non immeritò mundus vocantur. Vnde, & discipulis suis Dominus ait. *Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, in propria venit, et sui eum non receperunt.* Cùm enim omnia sua sint, eius tamen propria Iudęi dicebantur, & isti quidem eum non receperūt, sed eum spernentes, dixerunt. *Nolumus hunc regnare super nos: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Quid enim illis maius dari poterit, quam vt essent filij Dei? Si enim filii ait Apostolus, *& hæredes; hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Si verò cohæredes sunt, eamdem habent beatitudinem, & possessionem. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* Quantum enim ad hanc secundam natiuitatem, qua filii Dei homines fiunt, non secundum viri voluntatem, neque ex voluptate carnis, & sanguinis, sed secundum voluntatem Dei ex aqua & Spiritu Sancto regenerantur, et renascuntur homines. Quantum verò ad primam natiuitatem, vno, & simili modo, & boni, & mali omnes nascuntur *Et verbum caro factum est, et habitauit in nobis.* Factum est vtique verbum caro, non quod verbum mutaretur in carnē, sed quia carnem suscipiendo ex diuinitate, & humanitate vna persona facta est. *Et habitauit in nobis*, sicut Ieremias ait. *Hic Deus noster, et non æstimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam scientię, et dedit eam Iacob puero suo et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conuersatus est. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.* Hanc enim Christi gloriam illi viderunt. qui simul cum eo erant, quando in monte transfiguratus est, quando *resplendit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix* quando et *vox Patris audita est, Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Erat autem plenus gratiæ secūdum hoc quod Psalmista ait, *Speciosus forma prę filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.* Erat autem & Veritate plenus secundum illud, *Propter veritatem, & mansuetudinem, et iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua.* Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, et regnat in sęcula Sæculorum. Amen.

IN FESTO SANCTI STEPHANI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus turbis Iudæorum, & Principibus Sacerdotum: Ecce mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Et reliqua. Homilia Lectionis eiusdem.

SVperius in hoc Euangelio Scribis & Pharisæis Dominus, & Saluator noster loquitur, dicens. *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum. Ita testimonium estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Væh, inquit, vobis, non quia ædificatis, & ornatis monumenta Prophetarum; hoc enim pietatis opus est: sed quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Filij quidem non tantùm natura, quantùm imitatione, & iniquitate. Sicut enim omnes boni dicuntur filij Abrahæ, quia imitantur Abraham, ita omnes iniqui, iniquorum filii dicuntur; quia imitantur iniquos. Vnde & Dominus his talibus, ait: *Si filij Abrahæ essetis, opera vtiq. Abrahę faceretis.* Væh igitur illis, qui non Abrahæ, non Prophetarum, non iustorum filii sunt, quia non eos imitantur, immo verò filii eorum sunt, qui Prophetas occiderunt in omni malitia, & iniquitateq; eos imitantes. Dicunt prætetea si fuissent in diebus Patrum suorum, non fuissent socii eorum in sanguine Prophetarum, cùm valde illi nequiores non solùm Prophetas occiderint, verum etiam ipsum Dominum Prophetarum. Vnde, & subditur: & vos igitur, *implete mensuram Patrum vestrorum*, currite, festinate, vt vsque ad eorum iniquitatis integram perfectamq. mensuram perueniatis. Turpe est enim, vt a Patribus vestris, & minores ab illis in nequitia inueniamini. Hoc autem ideo dicit, quia in suam suorumque Discipulorum necem iam nimium eos per inuidiam accensos esse videbat. Hic autem locutionis modus a grammaticis Ironia vocatur. *Serpentes genimina viperarum quomodo fugietis a iudicio gehennæ?* Serpentes enim sunt, quia callidi, & venenosi. Genimina verò viperarum, quia cunctis iniquis iniquiores, cùm nec vxor viro, nec filii parentibus parcant. Qui vtique gehennæ iudicium aliter fugere non poterunt, nisi matrem suam occiderint, sic ipsa quoque eorum patrem interficit. Viperarum enim hæc natura dicitur esse, vt quando fœmina concipit, masculum interficiat: quando verò parit, ipsa nihilominus a filiis occidatur. Neque enim expectant, vt assueto naturæ ordine oriantur, sed rupto matris vtero violenter foras erumpunt. Viperæ igitur synagoga, vir eius Christus, venit Christus ad synagogam, venit ad vxorem suam, quam postquam suo semine impregnauit, totamque euangelicæ prædicationis sementem in eam infudit, illa sicut vipera, sicut venenosa, & impia contra eum assurgens eum interfecit, de cuius impio vtero filii eius erumpentes eū occidunt, quoniā Iudei ad fidē venientes eā excōmunicant, & damnāt. Vnde Apostolus ait. *Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meę, et voca-*

& vocauit per gratiam suam, &c. Omnes enim hæreses damnant, quicumque ab hæresibus ad Ecclesiam redeunt. Ideo *Ecce ego mitto vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas*, Ideo inquit, *vt & vos impleatis mensuram patrum vestrorum: ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris.* Talis erat B. Stephanus, de quo modò cum legeretur audiuimus: Quia *plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga disputantes cum eo, et non poterant resistere sapientiæ, et spiritui, qui loquebatur*, Vnde & Dñs ait: *Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes aduersarij vestri.* Sic igitur pugnabant Sancti: sic eos Dominus pugnare docuit, non armis pugnabant, sed voce. Sic ante pugnauerat Gedeon, cuius prælium omnia hęc Sanctorum prælia significauit. Gedeon namque contra Madianitas pugnaturus, his, qui secum erant, tubas, & lampadas parare iussit. Præcepit autem, vt intra lagunculas lampadas occultarent, & sic ad prælium profectus est. Nocte inimicorum verò castra ingressi lagunculis fractis tenentes tubas dextris, lampadas verò sinistris, tubarum clangore, & lampadum splendore, omnia circumquaque repleuerunt: quibus hostes perterriti fugere incipiunt, & quasi insani propriis gladijs magna ex parte se vicissim interficiunt. Talibus igitur armis vicit Gedeon, talibus & Sancti Martyres vincebant. Quid enim per tubas, nisi Prædicatorum voces intelligimus? Quid verò per lampadas, nisi miraculorum splendor figuratur? Lagunculæ verò vasa fictilia sunt de terra formata, per quæ Sanctorum corpora figurantur de limo terræ plasmata, de quibus Apostolus ait: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*; quoniam autem Dominus dixerat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Neque laguncularum fractionem, neque corporis passionem Sancti Martyres metuentes, ad omnia tormentorum genera parati erant. Vide igitur quàm bene sibi conueniant prælium Protomartyris Stephani, & prælium Gedeonis. Si enim per tubas Prædicatorum voces significantur, tunc nimirum B. Stephanus tuba sonabat, quando incredulos Iudæos arguebat, prædicabat. Quando verò prodigia, & signa magna faciebat, tunc vtique lampadas manu tenebat. Maior est enim splendor miraculorum, quàm splendor ignis. & multò longiùs refulget miraculorum fama, quã lampadarum flamma. Tunc autem Iudæi furientes, & ad lapides currentes, Protomartyris lagunculam fregerunt, quia eum lapidauerunt, & lapidibus interfecerunt. Vicit tamen B. Stephanus, quoniam coronatus cęlos ascendit. Iudæi autem victi sunt, quoniam post paucos annos destructa ciuitate in captiuitatem deducti sunt. Sequitur. *Et persequimini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.* Apostoli enim, martyres, doctores, Prophetæ, Sapientes, & Scribæ fuerunt, quos ad Iudæos omnesq. mundi nationes prædicandas Dominus misit. Nos autẽ Iudæi occiderunt, crucifixerunt, flagellauerunt, & de ciuitate persecuti sunt. Nemo enim Christianorum vsquam occisus est, qui eorum vel manibus, vel affectu non sit occisus. Vnde & omnium rei esse dicuntur, omniumq. iustorum sanguis super eos venire Dominus ipse testatur. Hoc autem ex quo, & vsque quo exponit dicens: *A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zacharię filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, et altare.* Cum enim alibi scriptum sit, quod *filius non portabit iniquitatem patris, sed vnusquisque in peccato suo morietur*; quid est quod modò hic dicitur; quod omnis sanguis iustus veniet super generationem istam? His enim verbis Saluator noster dicere videtur, quod hæc impia generatio tantam pœnam pro suo scelere patiatur, quantam pateretur, si omnium iustorum sanguinem fudisset, qui ab Abel fusus est vsque ad Zachariam. Et hoc meritò. Maius enim fuit Christum occidere, eiusq. corpus, quod est Ecclesia, iniquo odio persequi, quàm si omnium Iustorum præcedentium sanguinem fudissent. Zacharias autem Barachiæ filius nusquam legitur fuisse occisus. At verò Zacharias filius Ioiadæ, in atrio templi legitur interfectus. Inter templum videlicet, & altare, quod sub dio erat, vbi hostiarum sanguis fundebatur. Sed quare dixit vsque ad Zachariam, & non potius vsque ad se ipsum, vel vsque ad sæculi consumationem? Multum enim iustorum sanguinem fuderunt Iudæi, non solum vsque ad Zachariam, verum etiam post Zachariam. Hęc igitur, quia historiæ non conueniunt, spiritualis intelligentia quærenda est. Puto enim, quod Dominus noster se ipsum Zachariam vocat, & præterito pro futuro vtitur. Interpretatur enim Zacharias memoria Domini. Sicut enim Christus Iesus dicitur Verbum Domini, sermo Domini, Virtus, & Sapientia Domini: sic etiam dicitur Memoria Domini. Et iste quidem est Barachiæ filius, qui benedictus Domini interpretatur. Vnde & principi se interroganti, an esset Christus filius benedicti Rex ego sum. Hunc autem occiderunt Iudęi *inter templum, & altare*, quoniam ibi Christi mortem inter se consiliati sunt. Neque enim aliter Christum Dominum Iudęi occiderunt, nisi consiliando, accusando, & damnando. Vnde ipsi quoque dicebant: *Nobis non licet interficere quemquam.* Quod verò in atrio templi de eius morte consilium habitum sit, ipse per Psalmistam ostendit, dicens. *Aduersum me exercebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.* Sic igitur Zacharias filius Barachiæ inter templum, & altare occisus est: *Ierusalem Ierusalem quę occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Ego, inquit, filios tuos multoties congregare, & a malignorum spirituum incursu desuper, & circa volantium defendere volui, sicut gallina pullos suos cõgregat, & sub alis suis eos abscondit, ne ab importunis auibus ei subripiantur, sed noluisti. Ego igitur volui, sed ea conditione, si tu quoque voluisses. Quia ergo tu congregari, & saluari noluisti, ego quoq. iam nunc congregare, & saluare nolo. Vnde & dico. *Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector meus Domine.* Dominus enim, qui potest quæcumque vult, nullum alium saluare vult, nisi eum, qui vult saluari ab eo. Vnde etiam per Prophetam ait: *Si nolueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis; quod si nolueritis gladius deuorabit vos.* Sic enim manifestum est, quòd Dominus *non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Et sicut manifestum est, quia *neminẽ vult perire, sed omnes vult saluos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; sic tamen si crediderint, & baptizati fuerint, si de peccatis pęnitentiam egerint, & eius voluntatem fecerint, ita etiam manifestum est, quòd eos, qui neque credere, neque baptizari, neque pęnitentiam agere volunt, qui de bonitate Dei desperant, & de gloria, quę Sanctis promittitur non curant: si in hac praua voluntate vsque in finem perseuerant: manifestum, inquam, est, quia hos tales Deus saluare non vult. Quis enim dicere audeat? quod eos saluare velit, qui saluari non possunt: Impossibile est enim sine fide, vel saluari, vel placere Deo. Vnde & quibus Dominus ait: *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Nota quod ait *non potestis*, & considera, quare non possint. Quia enim credere nolunt, ideo ad illam beatitudinem peruenire non possunt. Similiter autem & Ioannes Euangelista ait. Præterea Iudęi credere non poterant, quia sic de eis Isaias prędixerat. *Excęca cor populi huius, ne fortè conuertantur, et sanentur:* Sed quare credere non poterant, nisi quia credere nolebant? fides igitur in voluntate est. Si enim voluissent, & non potuissent, peccatum non habuissent. De his autem breuiter in comentario diximus, de quo ista sumpta sunt, quę quando intelligit, hęc legat, vt intelligat. Sequitur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sic & in Psalmis: *Ecce elongaui fugiens, et mansi in solitudine.* Relictis enim Iudęis, in gẽtibus Dominus habitat. *Dico enim vobis non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Postquam, inquit hic corporali pręsentia, qua vobiscum ad tempus conuersatus sum, vos relinquam, non me videbitis amodo, donec me iterum ad iudicium venientem melius cognoscatis, simulq. vna, & consona voce omnes dicatis. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc est enim, quod alibi ait: *Viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua. Et videbit omnis caro salutare Dei.* Qui cum Deo Patre, &c.

In

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI, ET Euangelistæ.

Lectio secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus Petro: Sequere me.* Et reliqua. Homilia lectionis eiusdem.

LEgitur superius in hoc Euangelio, quod discipulos suos ad prandium Dominus inuitauerat. Et benè quidem ad prandium, quia dies paschales erant, dies de quibus ipse dixerat: *Non possunt ieiunare filij sponsi, quamdiu cum illis est sponsus.* Talibus enim diebus non semel, sed tota die si fieri posset Christi conuiuijs interesse, & spiritualibus cibis refici debuissent Christi fideles. Cum autem prandissent, interrogat Dominus Petrum; & ter interrogauit, an eum diligeret. Quo respondente, & ter similiter respondente: *Domine tu scis, quia amo te.* Ait: *Pasce agnos meos, pasce oues meas,* prius agnos, deinde oues ei commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues, pascit filios, pascit & matres, regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est, nihil inquam, quod suis pastoribus Christus commiserit. Ecce Petrus qui ter negauerat, ter Dominum se amare respondit. Quatenus amor deleat culpam, & dilectio tollat offensam. *Et dicit ei Iesus: Amen, amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas vbi volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Quod quid significet, Euangelista exponens, ait: *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis namque patibulo positus B. Petrus, ibique manus extendens, cum iam quidem senuisset, & ad vitæ finem peruenisset, ab alijs cinctus, & ligatus est, & merito postquam ter Dominum se amasse respondit, mortem suam ei Dominus nuntiauit: in qua quantum eum dilexerit, apertissime demonstrauit. Et cùm hoc dixisset, *dicit ei, Sequere me.* Quod Petro dicitur, omnibus dicitur. Quia enim Petrus præ cæteris maior erat, meritò tota Ecclesia in Petro significabatur. Omnes igitur fideles sibi dictum esse intelligant, id quod soli Petro dictum est: Sequere me. Si me inquit diligis, sequere me, veni post me, imitare me, vt sicut ego propter te, ita & tu morieris pro me. Hoc autem audiens B. Petrus, & mente, & pedibus cœpit ire post Iesum. *Conuersus autem vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus sequentem, qui & recubuit in cena super pectus eius & dixit: Domine quis est, qui tradet te?* Pluribus in locis Ioannes Apostolus de se ipso loquens ait: *Hic est Discipulus ille, quem diligebat Iesus,* quasi vel solum illum, vel præ cæteris ipsum vnum dilexisset. Christus autem si aliquem plus diligebat, eum vtique plus diligebat, qui cæteris melior erat. Quod autem omnes diligeret, ipse ostendens, ait: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Perfectè igitur diligebat omnes; non ergo plus diligebat Ioannem, quia perfecta dilectione nulla dilectio maior est. Sed dicis: Ille melior est, qui plus diligitur a Domino; Et ego dico, quia ille melior est, qui plus diligit Dominum. Non facile igitur patet, qui melior sit, an Petrus, an Ioannes. Quod enim Petrus plus diligat Dominum, ostendit etiam ipse Dominus, dum dicit; *Simon Ioannis diligis me plus his:* Quod vero Ioannes plus diligatur à Domino, ipse manifestat, dicens: *Hic est Discipulus, quem diligebat Iesus.* Hoc ergo quod ad literam non procedit, significationem videamus. Quid enim per Petrum nisi vita actiua? Quid per Ioannem nisi contemplatiua designatur? Ille enim vxorem, & prolem habuit, ille semper in virginitate perseuerauit. Istum ad laborem, illum ad quietem Dominus inuitat, Isti dicit; *sequere me.* De illo dicit: *Sic eum volo manere donec veniam quid ad te?* Fatigatur enim semper, & transit vita actiua, manet verò & quiescit contemplatiua. Vnde in canticis canticorum dicitur: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq. camporum, vt non suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Non modò quod ipsa quoque vita *dilecta* vocatur, quæ per hunc dilectum significatur. Ipse quoque Ioannes hoc in loco vitam contemplatiuam se significare ostendit, dum se super pectus Iesu recubuisse dicit. Illi enim recumbunt super pectus Iesu, qui sapientiæ, & scientiæ opera dant, & qui lectioni vacant, & contemplationi. Si ergo Petrus significat vitam actiuam, Ioannes autem contemplatiuam, plus vtique diligit Dominus Ioannem, quam Petrum, idest illam vitam, quæ significatur per Petrum, quamuis æqualiter diligat & Ioanné, & Petrum. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine hic autem quid: De me, inquit, iam scio, certus sum de morte mea, nuntiasti mihi passionem meam, volo etiam scire qua morte clarificet iste frater, & cõseruus, & socius meus. *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam. Quid ad te; Tu me Sequere. Tu, inquit, me sequere.* Tu, sicut ego, crucẽ ascende, tu eandem, quam ego mortem, patere. Hunc autem si volo manere, non cruce, non persecutoris gladio, non aliqua violentia, volo eum vitam finire, sed in pace, & quiete diem vltimum terminare. Veniam ad eum, & quando mihi placuerit, vocabo eum. Nemine cogente, sed ipso, & me vocante, de pace in pacem, de quiete in quietem transferam eũ. Legitur enim quod B. Ioannes longo iam senio confectus cũ in pace, & quiete Ecclesiam regeret, apud Ephesum populũ ad se conuocans, post longam allocutionem, & Missarum celebrationem in locum iuxta altare defossum descenderit, & ita quasi somno quodam leui, atque suaui ad Deum transierit. Quid est igitur *sic eum volo manere?* Quid est *sic?* Sic inquit, vt à nemine occidatur, sed me vocante suauiter, & iucundè de hac vita in aliam transferatur. *Exijt ergo sermo iste inter fratres, quod Discipulus ille non moritur, & non dixit Iesus nõ moritur, sed sic eum volo manere donec veniam quid ad te?* Non benè ergo discipuli intellexerant id, quod Dominus de Ioanne dixerat: *Sic eum volo manere donec veniam.* Non enim his verbis Iesu significatur, quod Ioannes non moriatur. Si enim his verbis non significaretur, nequaquam Ioãnes dixisset, & non dixit Iesus non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam. Quid enim aliud dixit Iesus nisi id quod eius verbis significabatur? Non enim tantum attendimus verba, quantum verborum significata. *Hic est Discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus, quia verum est testimonium eius.* Ioannis namque testimonium verum esse credimus, quia quicquid testatus est, de sacro pectore Iesu Christi potauit, quando in cœna supra pectus eiusdem Iesu Christi recubuit. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

IN NATIVITATE INNOCENTVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.* Et reliqua. Homilia lectionis eiusdem.

VEnerant illis diebus Magi ad Dominum & sicut Euangelista refert, munera ei obtulerũt, & *admoniti* ab Angelo *in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Qui cum recessissent: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens. Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Dubitari quidem potest quomodo completis diebus purificationis in Ierusalem Christus in templo offerri potuit, si statim vt Magi recesserunt, in Aegyptum fugiens abijt, aut fortasse tandiu Magi in Bethleem morati sunt, donec simul cum puero, & matre eius Ioseph de Ierusalem post purificationem reuerteretur? Sed melius mihi videtur esse, vt sic dicatur. Qui cum recessissent, aliquanto post tempore euoluto, & omnibus, quæ secundum legem debebantur expletis *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum.* Adhuc enim omnia quæ-

ta erant: adhuc Herodes magos expectans nondum sui corporis malitiam reuelabat. Vnde, & secure vadunt in Ierusalem, vt legis mandata perficiant. Inde vero in Aegyptum fugere iubentur, vbi Abraham, & Iacob, & filij Israel peregrinati sunt. Hoc enim Propheta prædixerat, dicens: *Ecce Dominus ascēdet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & corruent omnia simulachra eius*, nubes enim leuis & nullius corruptionis pondere grauis est Virgo Maria, quæ in Aegyptum Christum portauit; vt lux in tenebris luceret & populus, qui in tenebris sedebat, lucem videret. Sunt autem qui etiam ad literam intelligere velint vt Christo Domino Aegyptum ingresso mox per omnia plana, omnia simulacra corruissent. Hanc autem Christi persecutionem Moyses in se ipso significauerat. Multa sunt enim, in quibus Moyses Christum significat, sicut enim Moyses a Pharaone, ita & Christus ab Herode persecutionē passus est, & sicut infantes propter Christum in Iudęa occisi sunt, ita & in Aegypto propter Moysem in flumine necati sunt. Narrat enim Iosephus quēdam Sacerdotem, & magum Aegyptiorum prophetasse, quia de Hebræorum gente talis homo nasciturus esset, qui totam illam terram perdere debuisset. Vnde & Pharaoni consilium dedit, vt omnes hebręorum infantes interficerentur. Pręcepit igitur Pharao, vt hebræorum masculos interficerent & feminas reseruarent. Hoc autem ideo faciebat, vt ille vnus, qui quęrebatur vel sic inter alios occidi potuisset. Eadem autem intentio fuit & Herodis, qui quoniam Christum inuenire nō poterat, tot millia puerorum interfici iussit. Illis autem diebus natus est Moyses, de quo longa historia scribitur quomodo a parentibus occultatus, quomodo in fluuium missus, quomodo a filia Pharaonis de aqua susceptus, & in filium adoptatus fuerit, quomodo etiam ipsa puella de manibus illius impij sacerdotis, qui eum occidere conatus fuerat, eum liberauerit, quando vt prædictus historiographus narrat de capite Pharaonis ludens in infantia coronam eiecit. Hæc autem Moyses ideo fortasse prætermisit, ne suum præconium scribere videretur. Veruntamen pōstea in Pharaone, & in exercitu eius completam vidit, quod tunc in illis, quę infans & inscius agebat, significabatur. Sequitur: *Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & recessit in Aegyptum, & erat ibi vsq; ad obitum Herodis*. Ecce fugit Christus & in nocte fugit, vt fuga quæ per se difficilis est, noctis obscuritate difficilior fiat. Si ergo Christus fugit Herodem, quanto magis nos diabolū & membra eius fugere oportet? nulla itineris difficultate terreamur, quàm melius est duro labore fatigari; quàm ab hostibus necari: arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad vitam, veruntamen nec semper fugiendum nec semper est resistendum, sed pro temporis & negotij qualitate: & hoc & illud fieri oportet: nam & Sancti aliquando fugiebant, aliquando hostibus sponte occurrebant: ipse quoque Saluator noster, qui nos de ciuitate in ciuitatem fugere præcepit, cum & ipse si vellet, fugere potuisset, sponte sua tempore passionis hostibus occurrit. Non igitur mortis si iustum & vtilem fore putamus, sed timore peccandi & visibiles & inuisibiles hostes fugere debemus.

Quare autem Christus in Aegyptum fugerit Euangelista subinferens ait: *vt adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum*: si enim in Aegyptum non isset, ex Aegypto vocari non potuisset: sic enim impleta est prophetia, & vtilitas prophetiæ. *Tunc Herodes videns quod illusus esset a Magis, iratus est valde & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius a bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat a Magis*. Quoniam enim Herodes Prophetarum oraculo in Bethleem nasciturum Christum audierat, ideo omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius occidit, vt quam vnum inuenire nō poterat, vnum simul cum cęteris interficeret. Sed quare a bimatu & infra? quia secundum magorum responsionem Christum huius ætatis esse sciebat: Præoccupatus enim alijs negotijs cum iam pene duo anni transissent, & Magi ad eum non reuerterentur, se illusum esse intelligens valde iratus omnes hos pueros occidere iussit. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est ploratus & vlulatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt*. Rama enim interpretatur Excelsa. Illa vox auditur in Rama, quæ multum exaltat, præ sua magnitudine longe lateque diffunditur: multus enim ploratus, multusq; vlulatus ibi erat, vbi tot matres, tot parentes, tot homines vtriusque sexus visa tanta crudelitate eum [illegible] voces cohibere non possent. Quare autem Rachel [illegible] plorare dicitur, cum vtique non filij Rachel qui [illegible] ad terant, sed filij Liæ sororis eius omnes isti fuerint. [illegible] non Rachel, sed Liæ filius fuit, in cuius [illegible] de immensa facta est. Sed quia Rachel interpretatur ouis [illegible] ficat Sanctam Ecclesiam, quæ omnem simplicitatem [illegible] tur. Non immerito filij Rachel esse dicuntur, q[illegible] innocentes, & sine voce iugulantur. Denique cuius [illegible] agni? Nonne ouis? Sunt igitur filij Rachel: Siquidem [illegible] ouis, & isti agni. Plorat autem Rachel, idest Sancta [illegible] vsque hodie filios suos. Quia quamuis ad requiem eos intelligat, dolet tamen, quia corporaliter ab ea separantur: [illegible] autem dolebant et illi, quibus Dominus ait: *Et vos nunc quidem tristitiam habebitis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum*: & quamuis multo melius quam fuerint sint, siquidem iam nunc cum domino sint, ad tempus tamen m[illegible] solationem non recipit. quoniam in hac vita non [illegible] plendæ sunt enim scripturæ vbi ad intelligentiam [illegible] deest. Quis enim intelligat: noluit consolari, quia non sunt [illegible] si aliquid addatur: Tale quid & ibi inuenies, vbi de [illegible] dicitur, quod *videns ciuitatem fleuit super illam dicens, quia si cognouisses, & tu*: quis enim intelligere valeat quid [illegible] cet & tu, nisi aliquid additum fuerit? Potest autem & [illegible] telligi quod dicitur, *Rachel plorans filios suos, noluit consolari quia non sunt*: Sancta namque mater Ecclesia quamuis [illegible] de filiorum suorum nece diutisq. cruciatibus lugeat, [illegible] consolationem non recipit, quia non sunt in tali euentu [illegible] dæ vel suscipiendæ consolationes: vbi enim lætitia vincit [la]crimas, & gloria passionem, ibi consolatio necessaria non est: magis enim lætandum est de illa vita, quam Sancti inuenerunt, quàm de ista sit dolendum, quam amiserunt. Quid est [e]nim hæc vita ad comparationem illius vitæ? Vnde et Dominus ait: *qui amat animam suam, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Denique cur aliunde quærat consolationes ille, qui plenus est consolationibus? Illis enim consolatio necessaria est, qui illos lugent, de quibus bonam spem habere non possunt. De martyribus Christi nos bonam spem habentes, confidimus perfectam ex illis consolationem habituros per gratiam eiusdem Iesu Christi, qui cū Patre, & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in sęcula sęculorum. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM Natiuitatis Domini.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore, *Erant Ioseph & Maria Mater Iesu, mirantes super his, quæ dicebantur de illo*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

QVare autem pater eius dicatur Ioseph, in sequentibus Euangelista ostendit, dicens: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph*. Non igitur in rei veritate, sed in hominum opinione erat Iesus filius Ioseph. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, in Israel, & in signum cui contradicetur*. Hoc est enim quod de seipso Dominus ait: *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*: Illis enim in ruinam positus est Dominus, qui eius signo contradicunt, illis vero in resurrectionem, qui eius signa & prodigia venerantur, & credunt, quoniam illi in interitum

ruunt, isti autem ad gloriam resurgunt. Quod enim de virgine natus est, magnum & inauditum signum est. Huic tam signo nos credimus, Iudæi contradicunt. Resurrexit, cœlos ascendit, & hoc quidem signum est. Sunt autem & multa signa, quæ fecit Dominus Iesus, quibus infideles contradicunt & excecantur, fideles credunt, & illuminantur. Sic igitur positus est alijs in ruinam, & alijs in resurrectionem. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*, tuam inquit ipsius animam pertransibit gladius; gladius vtique Spiritus quod est verbum Dei: vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, quas nemo nisi Spiritu Sancto reuelante cognoscere potest. Vt enim alijs taceamus, ipsas filij sui cogitationes eam cognouisse ex eo intelligere possumus, quod ad nuptias vocata, hoc quod ille facere disponebat, ipsa vt faceret admonebat dicēs. *Vinum non habent*, cui cum ille responderet, *quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea*, ipsa gladio Spiritus per eam transeunte futura prænoscens ait ministris. *Quodcunque dixerit vobis facite*. Hoc enim illa non dixisset, si eius cogitationes non cognouisset. Tale igitur hoc fuit ac si B. M. V. dixisset Simeoni. Ecce dixi tibi, quæ mihi de filio tuo reuelata fuerant, non a meipso loquutus sum Spiritus eius me docuit, gladius ipsius me pertransiuit, & mea viscera penetrauit, qui per te quoque transiturus est, vt legis & prophetarum consilia & occulta mysteria te cognoscere faciat. Possumus autem & per hunc gladium, quo non corpus, sed anima vulneratur, immensum illum dolorem intelligere, quo virgo Beatissima de morte vnigeniti filij sui vulnerata & percussa est, *vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes*: Christi namque passio multorum cordium cogitationes & secreta mysteria reuelauit, quoniam prophetarum dicta, cogitationes & scripta reuelata ibi & consumata sunt. Quis enim nisi Christus passus fuisset, intelligere posset, quid propheta cogitasset cum diceret, *foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*: Itemque: *ego dormiui & somnum cepi & resurrexi, quoniam Dominus suscepit me*. Sunt autem & alia multa nobis quidem reuelata, quæ ideo Iudęi intelligere non possunt quia super Christo dicta non credunt. Vnde in Apocalipsi cū B. Ioannes omnium prophetarum librum signatum vidisset, multumque fleret quod nemo eum aperire potuisset, dictum est ei: *noli flere Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix David aperire librum & soluere septem signacula eius*. Qua in re manifestum est omnium prophetarum cogitationes & occulta mysteria Christi passione reuelata esse. Et hoc quidem velum templi significauit, quod eo moriente scissum est, vt omnibus apparerent Sancta Sanctorum. *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octuaginta quatuor, quæ non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Ierusalem*. Hæc igitur mulier venerabilis, cuius nobilitas extollitur, continentia laudatur, ętas commendatur, religio prædicatur, idonea valde & digna erat quę Dei filio testimonium perhiberet. Tales enim non minus quam viri in testimonijs suscipiūtur. *Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini reuersi sunt in Galileam ciuitatem suam Nazareth. Sic enim scriptū est in lege Domini vt mulier pro masculo offerat Domino par turturum aut duos pullos columbarum*. Talem igitur hostiam offerre debuit Virgo Maria, per quam castitas & humilitas figuratur, quæ inter omnes mulieres & castior semper & humilior extitit. Et bene quidem non singula, sed paria obtulit quæ non corpore tantum, sed & corpore & anima casta & humilis erat. Qualiter autem hæc animalia offerri debeant in Leuitico aperitur. Multa hoc in loco scribit Matthæus Euangelista, quæ Lucas prætermittit. Sicut ė contra hæc quæ huc usque Lucas narrauit, prætermisit Matthæus. *Admonitus enim in somnis Ioseph* vt Matthæus ait: *recessit cum puero in Aegyptum & erat ibi vsque ad obitum Herodis*, defuncto autem Herode redijt in Galileā & sicut hic scribitur habitauit in ciuitate Nazareth, *puer aūt crescebat & confortabatur plenus sapientia & gratia Dei erat in illo*: secundum humanitatem namque crescebat, quia secundum humanitatem puer erat, diuinitas autem crescere non poterat, quia vbique est & omnia continet: quotiescunque igitur Christus crescit, vel confortatur, vel tale aliquid agit, omnia ad hominem referantur.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI.

IN illo tempore: *Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi de eadem lectione.

NObis, non sibi circumciditur Dominus. Sicut enim nobis est natus, nobis baptizatus & passus, ita & nobis est circumcisus, de quo Apostolus ait. *Quia signum accepit circumcisionem signaculum iustitiæ fidei*. Data est igitur circumcisio, non vt peccata tolleret, quod baptismi proprium est, sed vt aliquid significaret, & quadam differentia Iudæorum populum ab alijs gentibus separaret. Quamuis itaque propter mandati transgressionem quicumque olim non circumcideretur, damnabatur, nemo tamen per circumcisionem iustificabatur. Vt enim Apostolus ait: *circumcisio quidem prodest, si legem obserues, si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua preputium facta est*: Non enim qui in manifesto iudęus, neq. in manifesto in carne circumcisio, sed qui in abscondito viuens, & circumcisio cordis, in spiritu non litera. Magnum igitur aliquid significat circumcisio, & tam magnum aliquid, vt quicunque eo modo circumcisus non fuerit, vt interim de paruulis taceamus, saluari non possit: de hac enim circumcisione scriptum est; circumcidite corda vestra & non corpora vestra. De carnis vero circumcisione Apostolus ait. *Ego Paulus dico vobis si circumdamini, Christus vobis nihil proderit*: hæc enim circumcisio in Christo completa est, in quo & aliæ legis cerimoniæ consumatæ sunt, finis enim legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Ideo enim ipse circumcisus est, vt legem compleret & bonam esse ostenderet, eiusque nobis significationem commendaret; Vnde & ea nocte, qua traditus est, cum discipulis agnum commedit & mox quid significaret ostendit, dum panem & vinum benedicens ait. *Accipite & commedite hoc est corpus meum, & bibite ex hoc omnes, hic est enim calix noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*. Et hoc sacramentum tunc ab eo & in eo esse completum, neque vlterius secundum literam agendum esse, vel intelligendum protinus ostendit dicens. *Amen dico vobis, non bibam amodo de hoc geniminę vitis, donec bibam illud vobiscū nouum in regno Dei*. Sic igitur vetus testamentum compleuit & confirmauit. Literæ finem imposuit & spiritualis, nouæq. intelligentiæ principatum Dominus tribuit. Consumata est ergo lex, atque pertransijt, sed secundum literam. Manet autem semperque manebit, secundum spiritualem intelligentiam. Vnde ipse Dominus ait: *cælum & terra transibunt, verba autem mea non prǽteribunt*. Itemque. *Amen dico vobis nō præteribit vnum iota neque vnus apex ex lege, donec omnia compleantur*. Et Iudęi quidem in vno membro circumciduntur, quare autem circumcidantur, non intelligunt. Christiani vero quid circumcisio significet intelligentes, non vnum tantum, sed omnia membra circumcidunt, non pellis incisione, sed totius superfluitatis abiectione. Qui non occidit, non mechatur, non furtum facit, non mentitur, non concupiscit rem proximi sui, qui nulli nocet, nulli iniuriam facit, vana nidere vel audire vel cogitare non appetit, iste interius & exterius perfecte crucifixus est. Hoc illa Iudæorum circumcisio significat. Sine hac significatione mutila est: si enim intelligerent quid significet *sint lumbi vestri precincti*. Hec est enim illius circumcisionis expositio, non se fortasse vlterius inutiliter vulnerarent. Hæc est igitur Sancta circumcisio, de qua ad Iosue Dominus ait, *fac tibi cultros lapideos & circumcide se-*

mundo filios Israel. Et paulò post hæc est igitur causa secundæ circumcisionis, quia populus per quadraginta annos in deserto natus fuerat, circumcisus nō erat. Quare ergo secunda circumcisio dicitur: vel quare secundo circumciduntur qui prius circumcisi non erant? secundus enim ad primum refertur, neque sine primo secundus dici potest. Sit igitur prima circumcisio carnalis, secunda spiritualis. Prima Iudæorum, secunda Christianorum. Prima eorum, qui Iordanem transiuerunt: secunda eorum, qui Iordanem non transierunt: Populus enim iste, qui in deserto natus fuerat, de quo modo dicitur, vt secundo circumcidatur, tunc prius circumcisus est, postquam Iordanem transiuit quoniam non illam circumcisionem significabat, quæ fit ante Baptismum, sed illam, quæ fit post baptismum. Iordanis enim baptismum significat, in quo Dominus baptizatus est, qui veri baptismi principium & formam dedit. Et illa igitur circumcisio, quæ fit ante baptismum, & illa, quæ fit post baptismum, penitentiam significat: solebant enim Sācti his, qui baptizandi erant, penitentiam imponere & illa qui erat prima circumcisio: Quid est enim circumcisio nisi vitiorum & peccatorum abscissio? Postquam vero baptizati sunt, idest postquam Iordanem trāseunt, baptizari enim hoc est Iordanem transire, tunc secunda circumcisio sequitur. Sed quare dico secundam? Toties enim circumciditur homo, quoties post peccatum ad penitentiam redit. Qui si nunquam peccaret, nunquam post baptismum vel circumcisione vel penitētia indigeret. Quoniam autem nisi per Christum peccata non tolluntur: ipse est enim *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, ideo cultris lapideis circumcisio fieri iubetur: quoniam sicut Apostolus ait. *Petra autem erat Christus*; *beatus* enim *qui tenebit & allidet paruulos suos vsque ad petram*. Sed quare completis octo diebus circumcisus est Dominus? quare etiam octaua die fiebat circumcisio? Octaua namque dies ipsa est, quæ est prima. Ipsa est autem quæ Dominica vocatur. Ipsa die mundus cępit, ipsa Christus a mortuis resurrexit, ipsa Spiritum Sanctum Apostolis dedit, & ipsa vltima & vniuersalis resurrectio fiet. Et tunc quidem perfecte circumcidetur omnis homo, quia tunc omnibus vitijs abscissis mundus & purus a peccato qualis in initio creatus est, talis ad vitam ducetur æternam. Sequitur *& vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo prius quam in vtero conciperetur.* Iesus enim Saluator interpretatur. De hoc enim salutari Iacob Patriarcha dicebat; *Salutare tuum expectabo Domine.* Ideo & Ioseph quia Christum significabat, Saluator Mundi a Pharaone vocatus est: Multa sunt enim, in quibus Ioseph Christum significabat. Fuit enim & ipse ouiū pastor, inde consilio venditus a fratribus adoratus. Ipse inter Principes loquebatur sapientiam, ipse totam Aegyptum a fame liberauit & sua sapientia saluauit.

IN DIE EPIPHANIAE DOMINI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

C*Vm natus esset Iesus in Bethleem iuda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt*. Et reliqua. Homelia Beati Brunonis Episcopi de eadem lectione.

NOn enim vacat a misterio, quod Beata Virgo Maria relicta patria, ciuitate, & domo, filium suum in Bethleem parere venit: Bethleem enim domus panis interpretatur. Iesus autem de seipso loquitur dicens: *Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi*. Dignum ergo fuit vt panis viuus in domo panis nasceretur, cuius Christi natiuitas fuerat causa vt sic vocaretur. Neque enim ideo Christus in ea natus est, quia sic vocabatur, sed ideo ipsa sic vocata est, quia in ea oriebatur. Simus igitur & nos Bethleem, simus domus panis: qui enim domus panis non fuerit, fame interibit. Hoc enim ipse Dominus ait: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*. Suscipiamus igitur Christum in domo nostra, suscipiamus eum in mente & in pectore nostro. Oriatur in nobis: ipse enim est *via, veritas, & vita*, ipse est sapientia & iustitia. Ipse ergo tunc oritur in nobis, quando ista nascuntur & ædificantur in nobis. Sequitur. *Ecce ab Oriente Magi venerunt.* Quare ab Oriente, quia iam interius illuminati erant & iam Sol iustitiæ eorum mentes illustrauerat. Sed vbi venerunt? *Ierosolimam*. Et quid dicebant? *Vbi est qui natus est rex Iudaeorum*: Vnde hoc scitis? quis hoc vobis indicauit? At illi: *vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Isti enim sunt primitię gentium, isti prius ex gentibus in Christum crediderunt. His non terra, sed cęli Christi natiuitatem prędicauerunt. Et in his quidem completum est illud quod dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*: Credunt autem isti cęlo non loquenti, sed nouam stellam ostendenti; Iudæi vero credere nolunt Christo prędicanti, prophetas exponenti, mortuos suscitanti, cæcos illuminanti, & alia miracula facienti. Sed numquid illa stella videbatur ab omnibus? Si enim ab omnibus videretur, nequaquam se eam in Oriente vidisse dicerent, quę non solum in Oriente appareret. Factum est autem vt visa stella, quicquid per eam significabatur, mox intelligerent, non tamen astrologicæ artis demōstratione, sed Sancti Spiritus illustratione. Christum igitur in stella quęrebant, quem diuina inspiratione per stellam significari intelligebant. Hoc enim & Balaam significauerat dicens. *Orietur stella ex Iacob, et exurget homo de Israel* Est igitur Christus & homo & stella. Stella in significatione, homo in veritate. Stella gentibus, homo Iudæis, gentes eum in stella sequuntur & illuminantur Iudæi. Hominem tantum esse putant & excæcantur. Vnde ipse quoque ait. *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant*. Audiens autem Herodes Rex turbatus est & omnis Ierosolima cum illo. Magna quidem erant, quæ dicebantur, sed quia lætitiam sonabant, & totius regni gloriam innuebant, non vtique turbari, sed lætari & Herodes & omnis Ierosolima debuisset: sic enim infirmi oculi viso lumine perturbari solent. Bene autem isti tales in Prophetarum libris per illas aues significantur, quas dies excęcat, & nox illuminat. Sed quis non lætetur quod puer noster adhuc in cunabulis vagit & rex terræ cum toto regno suo timore dissoluitur: Ne timeas miser, non enim venit vt regnum tibi auferat, sed vt omnibus de regno expulsis regnum restituat. Sequitur: *Et congregans omnes Principes Sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei in Bethleem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel*. Turbatus enim Herodes quiescere non potest, angitur, angustiatur, & pene ex improuiso capiatur, principes sacerdotum & scribas populi vocat, vbi Christus nascatur inquirit, dicitur ei *in Bethleē Iuda* timor additur timori & qui Magorum verbis perturbatus fuerat, iterum scribarum & Sacerdotum responsione terretur. Quomodo enim terreri non poterat, qui tantum terrena sapiens regnum amittere timebat, dum suo tempore Christum natum esse audiebat, quem prophetarum testimonio venturum esse credebat? *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.* Hoc autem ideo faciebat, vt si Christum inuenire non posset, saltem natiuitatis eius tempore cognito, qui solus occidi non poterat, simul cum ceteris eiusdem ætatis pueris necaretur. Non enim intelligis Herodes, non intelligis quod tibi per Moysē a Domino dicitur: *non coques hędum in lacte matris suę*, idest non occides Christum infantem & ad Virginis matris vbera pendentem. *Et mittens eos in Bethleem dixit: ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*. Nihil proficis, nihil hac tua calliditate agis: Non enim consilium nec sapientia nec fortitudo contra Deum. *Qui cum audissent Regem abierunt, & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde.* Recedunt Magi ab Herode & vident stellam, quia & illi qui a diabolo separantur, vident iustitiæ lumen. Sed quare eos antecedit stella, nisi vt viam eis ostendat, & ad puerum ducat? sequuntur igitur eam veniunt

runt Bethleem stat supra domum illam, in qua erat Virgo Maria. Stat stella supra stellam. Maria enim stella maris interpretatur. Stella itaque filius, stella & mater. Stella oritur de stella: sed maior quæ oritur quam illa de qua oritur. Vnde & merito suprastare videtur. Nō dixit supra puerum, sed quid dixit? *Supra vbi erat puer*. Vbi enim erat puer nisi in sinum matris? stabat igitur stella & clamabat. Habet enim stella linguam suam. Ne enim longe petamus exempla, sic illa stella loquebatur magis sicut istę literæ loquuntur nobis. Significando igitur loquebatur. Sed quid significabat, quid dicebat? Vis audire quid? Hic est puer: hic est mater pueri; hic eum quęrite; hic inuenietis; hic in paruo corpusculo latet qui vbique est & omnia replet. Hoc est enim quod dicit: *Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde*. Quid est enim videntes stellam, nisi videntes & intelligentes quid eis significabatur & dicebatur per stellam? non enim magnum gaudium est videre stellam: nam & Solem & Lunam sępe vid\emus & non multum gaudemus. Gaudebant igitur non propter stellam, sed propter stellæ significatum. *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & mirrham* Quanta tibi tunc exultatio fuerit ò virgo Beatissima, quis cogitare valeat; quando eum quem nuper genueras, iam quasi Dominum adorari videbas? Suscipe prima munera filij tui, suscipe tributa, quæ ei soluuntur, & quæ alijs tributa soluere veneras, tu prius ab alijs tributa suscipias. Ad hoc enim (vt Lucas ait) venerat Ioseph in Bethleem, vt ipse quoque sicut cęteri profiteretur & obligaret se tributa persoluere, eo quod esset de domo & familia David. Vnde manifestum est, quod secundum familias tributa soluebantur, omnesq; eiosdem familiæ propter hoc in vnum conueniebant, siquidem & Ioseph & Maria quia erāt de familia Dauid in Bethleem venire necessarium fuit, vbi illa familia habitabat. Sed quare tria munera Magi obtulerūt, nisi vt trinitatis misterium reuelarent: primum enim munus offerimus credendo in Patrem, secundum in filium, tertium in Spiritum Sanctum. Hæc tria munera nobis sufficiunt, qui hæc non offert, a Christo non recipitur. Hæc est igitur causa quare tria munera Domino obtulerunt: si enim vel plus vel minus offerrent, fidem Catholicam non tenerent. Quod igitur vnusquisque tria munera obtulit, trinitatis fidem aptissime demonstrauerunt. Quid autem per aurum significari putamus, nisi illam quę cæteris maior est & lanus fulget, regiam potestatem? Aurum igitur Christo offerimus quia omnium regem eum esse credimus: offerimus autem & thus, quia Dominum esse confitemur. thus enim in sacrificijs etiam gentiles dijs suis offerre consueuerant: mirrham quoque ei offerimus quia sic illum Deum esse credimus vt hominem & mortalem esse non dubitemus: mirrha enim ne corrumperentur olim mortuorum corpora condiebantur. Quia ergo Christo obtulimus sua, offeramus ei & nostra: quod enim regem & Dominum & hominem eum esse credimus, suum est, nostra vero sunt quæ nobis à Deo donata sunt: habet enim Ecclesia aurum in Sapientia, thus vero in Sancta & bene Deo redolente cōuersatione: mirrham autem in amaritudine penitentiæ & carnis mortificatione. Aurum igitur offerunt Doctores, thus martyres & confessores, mirrham iam penitētes peccatores. In alijs itaque aurum fulget, in alijs thus suauiter redolet, in alijs mirrha sapienter amarescit. Quid aliud Deo offerre possumus? omnis nostra oblatio in his tribus muneribus continetur. Tria igitur munera obtulerunt Magi, in quibus & fidei veritatem & totam Ecclesiæ disciplinam significabant. *Et responso accepto in somnis ne redirent ad herodem per aliam viam reuersi sunt in regionem suam*. Reuertamur igitur & nos per aliam viam in regionem nostram, quia per illam, qua exiuimus, redire non possumus: hoc enim & filijs Israel de Aegypto exeuntibus præcipitur, vt per eandem viā non reuertantur: regio namque nostra Paradisus est: regio nostra est terra viuentium. Ibi enim habitauerunt Patres nostri, inde exierunt. Sed qua via? vtique per superbiam, per inobedientiam, per vanam gloriam, per gulæ intemperantiam: per hanc enim viam in patriam redire non possumus: alia ergo quærenda est, qua in patriam reuertamur: hæc autem via Christus est ipse enim ait: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Inuenimus viam curramus per eam, si recto itinere in patriam redire velimus. Per hanc enim ille currit, quoniam eius Pręcepta custodit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum*. Hoc ipse pręcepit, hoc tibi sufficiat custodire, nec amplius: hæc via in patriam reducit.

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolimam secundum consuetudinem diei festi. Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

DIxit modo in proximo superiori versu Euangelista, quia ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die Solemni paschæ. Religiosi parentes per annos singulos ibant in Hierusalem vt legem audirent, sacrificiis participarent, solemnitatibus interessent, et eius adhuc vmbræ seruiebant, cuius iam veritatem tenebant. Tota enim illa solemnitas Christi passionem, resurrectionem, & cętera, quæ de eo scripta sunt significabat. Erat igitur simul cum cęteris Iesus in solemnitate, qui totus erat causa solemnitatis. Permixtus turbis videbatur ab omnibus, laudabatur ab omnib. in lege, & prophetis prędicabatur, in sacrificiis significabatur, & a nemine cognoscebatur, quia duplici velamine tegebatur. de velamine literæ hinc carnis pariete. Vnde scriptum est en ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Ipse iugulabatur in agnis, immolabatur in uitulis & in omnib. sacrificiis offerebatur. Mater eius quoque multa ibi in lege & prophetis cantare audiebat, quę de ipsa dici intelligebat, & in se iam completa esse sciebat, qualia sunt. Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuel. Itemque egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius ascendet, & multa alia. Merito igitur per annos singulos illuc veniebant, vbi suas laudes ab omni populo prædicari audiebant. Tandem autem, consummatisque diebus, & completa solemnitate cum redirent, *remansit puer Iesus in Hierusalem*. Tunc enim Iudeorum solemnitates completæ sunt, quando Christo Domino Nostro a mortuis resurgente vetera omnia transierunt, & facta sunt omnia noua. Et tunc quidem remansit puer Iesus in Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur, per quam Sanctam Ecclesiam intelligimus. Vnde & dicitur: *Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*: Hoc autem parentes eius idem Synagoga, & Iudeorum populus non cognouerunt, sed eum in comitatu esse existimantes & secum adhuc manere, & habitare putantes venerunt iter diei. Magnus erit iste dies. Hic enim dies, finem non habebit, nisi prius Iudei ad fidem conuertantur. Stulti Iudei, qui secum adhuc eum esse putabant quem iam occiderant, & dicentem audierant. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*. Et in psalmis: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Requirentes autem eum inter cognatos, & notos*, id est in lege, & prophetis quærunt Iesum: sed quia carnaliter quærunt, eum inuenire nō possunt. Si igitur eum inuenire desiderant, redeant in Hierusalem, veniant ad templum, & ad Ecclesiam, ibi enim est, & ibi eum inuenient. Hoc enim tunc spiritualiter completum est, quando post Christi passionem quidam Iudeorum corde cōpuncti venientes ad Apostolos (Hoc enim fuit Christum quærere, & redire in Hierusalem) dixerunt quid faciemus viri fratres? Quibus Apostolus Petrus, *Pænitentiam* inquit *agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Hos igitur & ceteros qui tunc temporis crediderunt, significabant parētes Iesu, quoniam sicut illi ignoranter eum perdiderant, ita & isti ignoranter eum occiderant. Vnde, & B. Petrus. *Et nunc fratres*, inquit *scimus quia per ignorātiam fecistis sicut et Principes*

cipes vestri. Merito autem parentes Iesu hoc in loco Synagogam, et Iudęos significant quo in Hierusalem eum duxisse narrantur, vt ea significatione iam fieri videret, quæ postea in Cruce passurus erat. *Et factum est post triduum inuenerunt eum in templo sedentem in medio doctorum audientem illos, & interrogantem*. Post triduum in templo inuenitur Iesus, quia post resurrectionem, quæ die tertia facta est ab his, qui eum quęrunt, in Ecclesia reperitur. Ante triduum quidem non inueniebatur, quia non Deus, sed homo tantum ab hominibus putabatur. Sed vbi inuenitur in templo, in Ecclesia in conuentu fidelium, in medio Doctorum & in cętu Episcoporum. Qui igitur quęris Iesum, veni ad templum veni ad Ecclesiam, veni ad Episcopos, & Sacerdotes, audi quid isti dicunt, ibi enim videbis Iesum, ibi sedet in medio Doctorum, idest in cordib. eorū, ibi eos audiens docet, & interrogans, instruit: illi autem actus nostri, & cogitationes respondent. Nihil ei absconditur, omnia videt & cuncta ei loquuntur. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, et responsis eius. Ipse igitur interrogabat, ipse respondebat, ipse & suas, & illorum soluebat quęstiones, morem agens peritissimi magistri, qui nunc interrogando nunc respondendo discipulos instruit, *Et videntes admirati sunt*. Admirati sunt inquit parentes eius cum eum in templo in medio Doctorum sedere vidissent. Admirantur vsque hodie Iudei, quicumque ad Ecclesiam veniunt, & ad fidem cōuertuntur, dum ibi Christum vident, quem ipsi Messiam vocant, quem in Synagogam, & inter cognatos, & notos nulla illorum expositione videre vel intelligere potuerunt. *Et dixit mater eius ad illum fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quęrebamus te*. Diximus iam per matrē Domini Synagogam significari, de qua Dominus secundum carnem originem duxit. Hęc autem quocumque tempore ad Ecclesiam veniens ibique veritatem intelligēs suam ignorantiam, et Christi absentiam admiratur. Et admirando dicit *fili quid fecisti nobis sic?* Cur nos reliquisti, & ad gentium Ecclesiam pertransisti? Ecce pater tuus, populus tuus, populus Iudaicus, et ego dolentes quęrebamus te. Hoc est enim quod Apostolus ait: *Testimonium illis perhibeo, quia Cęlum Dei habent, sed non secundum scientiam*. Quęrunt Iesum, & non inueniunt, quia nondum ad templum, & ad Ecclesiam peruenerunt. Et ait ad illos. Quid est quod me quęrebatis? quid quod me in comitatu infidelium, & extra Ecclesiam esse putabatis? hic etiam, hic me quęrat, qui quęrere vult an nesciebatis, quia in his quæ patris mei sūt et inter illos qui patris mei voluntatem faciunt, oportet me esse? *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos*. Quare non intellexerunt, quoniam eos significabant? qui nondum spiritualem intelligentiam habebant. *Et descendit cum eis, & venit Nazaret, & erat subditus illis*. Audiant hoc subditi, & subditi esse non dedignentur, si quidem omnib. Prælatus subditus fieri non est dedignatus. Prælati quoque non superbiant, & in Ioseph Prælato, et in Christo subdito, intelligant, quia sępe fit vt maioris meriti sint subditi, quam pręlati. *Et mater eius conseruabat omnia verba hec in corde suo*. Nisi enim ipsa ea conseruasset, nos ea non haberemus de eius namque thesauris nos ista suscepimus. *Et Iesus proficiebat sapientia, ętate, et gratia apud Deum, & homines*. Proficiebat enim non secundum diuinitatem, quę quidem in nullo, vel crescere, vel minui potest, sed secundum humanitatem, qua nobis similis factus est.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Lectio Sancti Euangelii secundum Ioannem.

In illo tempore Nuptiæ factæ sunt in Chana Galilee, & erat mater Iesu ibi. Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi de eadem lectione.

Has autem nuptias die tertia Euangelista factas fuisse narrat. Quod qualiter ad literam intelligendum sit in illo commentario exposuimus, de quo ista assumpta sunt. Qualiter autem spiritualiter intelligi debeat, audiamus. Prima namque dies ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia. Hac autem tertia die hoc inito incarnationis suæ tempore ad nuptias Dominus venire dignatus est, vt eorum errores destrueret, qui nuptias contradicunt: non enim abiecit Iesus coniugatos, & si Virgines & continentes meliores sint. Bonę nuptiæ, ad quas Iesus inuitatur, & discipuli eius. Bonę nuptię quibus mater Iesus interesse dignatur: tales enim nuptiæ, eo die in Ecclesia fiunt. Tales nuptias taliaque conuiuia Episcopi, & Sacerdotes fidelibus præparant, Hæ nuptię non sunt corporum, sed animarum: ibi cibi non sunt carnales, sed spirituales. Tunc enim Christum, & discipulos eius ad nuptias inuitamus, quoties in Ecclesia prędicantes aliquam sententiam eorum auctoritate firmamus, *& deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent*. Plena enim Spiritu Sancto Virgo maria iam tunc illud miraculum pręuidebat, quod filius eius facturus erat. Quod ergo Iesus facere cogitabat, hoc illa vt faceret ammonebat. *Et dicit ei Iesus quid mihi, & tibi est mulier?* Quid enim inquit, & tibi communne, est nisi hæc caro mortalis, et humanitas ista, quam fero, quæ famem pati, sitire, & mori nouit. Quod enim in vinum, aqua conuertitur, non humanitatis, sed diuinitatis est nondum venit hora mea, nondum venit hora passionis meæ, in qua quid mihi, & tibi commune sit omnibus innotescat. Tunc enim carnem, quam de te suscepi, non virtutes, & miranda facere, sed in Cruce pendere, & mori videbis. Et tunc quidem faciam vinum nouum, tunc faciam omnia noua, tunc literæ vetustate relicta ad nouam spiritualem intelligentiam conuertam; hoc enim ipse significans ait. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in Regno Dei*: Dixit mater eius ministris, quodcunque dixerit vobis, facite. Inter se loquebantur mater & filius, ipsi se intelligebāt, ipsi sua secreta nouerant, ipsi quod tunc fieri oportebat, et quid postea futurum erat sciebant: cæteri autem quid ipsi dicerent, ignorabant. *Erant autem ibi lapideę hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum capientes singulę metretas binas vel ternas*. Sex namque hydrię sex mundi ætates sunt. Prima ab Adam vsque ad Noe, Secunda a Noe vsque ad Abraham, Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta a Dauid vsque ad transmigrationem Babilonis. Quinta a transmigratione Babilonis vsque ad Christum, Sexta vsque ad finem sęculi. *Dicit eis Iesus, implete hydrias aqua, et impleuerunt eas vsque ad summum*. Quid enim per hos ministros, qui iubente Domino implent hydrias aqua, nisi Apostolos, & Doctores intelligimus? quoties enim narramus, & prędicamus quid in vnaquaque ætate factum sit, toties has hydrias aqua implemus. Multis enim in locis diuina scriptura aqua vocatur, in prima namque ætate cęlum, terram, maria, & omnia quæ in eis sunt creauit Dominus. Et tunc fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam dixitque. *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*. Immisit igitur soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius ex qua mulier facta est. Hoc autem dicentes implemus primam Hydriam aqua. Totum enim hoc ad literam intellectum quid aliud est, nisi aqua? Hęc autem aqua in vinum conuertitur si spiritualiter intelligatur vt per Adā qui ad imaginem Dei factus est, eum intelligamus de quo Apostolus ait, *Qui cum in forma Dei esset non rapina arbitratus est esse se equalem Deo*: at vero per Euam omnium viuentium matrem Sanctam Ecclesiam intelligamus: Sicut enim de latere Adam dormientis vna costa subtracta facta est Eua, ita de latere Christi in Cruce morientis sanguine effuso facta est Ecclesia. Vnde Ioannes Apostolus ait. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Veniamus modo ad Sanctam hydriam non vt eam impleamus, sed vt aliquantula aqua eam infundamus. In secunda namque ętate de lignis leuigatis facta est arca, in qua omnium animalium genera collecta sunt vt saluaretur semen vniuersæ carnis, in ea et non periret. Hæc est igitur aqua quę in vinum quidem conuertitur si spiritualiter intelligatur. Arca enim quæ de lignis leuigatis facta est Sanctam

Ecclesiam significat, quæ ex Sanctis, & perfectis hominibus fabricata non habet maculam neque rugam, in qua omnium hominum genera sunt collecta vt illud semen saluetur, & nō pereat, cui benedixit Dominus, de quo Propheta. *Nisi Dominus Deus Sabaot reliquisset nobis semen quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.* Nemo enim saluabatur quicunque extra hanc arcam inuentus fuerit. Dicamus modo de tertia hydria, quę vtique tanta est vt eius aqua cunctis viuentib. & bibere volentib. abundanter sufficere possit in hac enim ętate Abraham, & Isaac, & Iacob, & duodecim patriarchę fuerunt. In hac fuit Moyses, & Aaron, qui populum Dei de Ægypto liberantes & per mare rubrum ducentes legem suscipere meruerunt. Propter quos Dominus flagellauit Ægyptios, & Pharaonem cum omni suo exercitu in profundum maris demersit. Sed huius quoque hydrię aqua in vinum conuertitur, si spiritualiter intelligatur, vt in Moyse Christum, in Aaron Episcoporum, & Sacerdotum ordinem significent: isti enim populum Dei per baptismatis vndas lucentes, & Pharaonem idest diabolum cum omni vitiorū exercitu interficientes Sanctos Dei in terram viuentiū, & in promissam eis hęreditatem introducunt Nunc autem ad quartam hydriam veniamus, in qua Dauid fortitudo, & Sapientia narratur quomodo Goliad interfecerit, omnesque suos inimicos superauerit. In qua, & Salomon templum ędificat, & Regina austri venit a finibus terræ, vt eum videat, & eius sapientiam audiat, In hac autem omnium prophetarū libri vsque ad Ieremiam continentur, in qua, & Isaias clamat dicens, omnes *sitientes venite ad aquas, et qui nō habetis pretium properate, emite, & commedite.* Ad hanc autem implendam, & exponendam non vnus, sed multi dies, necessarij sunt. Quæ sola si in vinum Iudeis conuersa fuisset hodie omnes nobiscum Christiani essent. In hac enim Christi Natiuitas, passio, resurrectio, & ascensio plenissime continetur. Cuius aqua quomodo in vinum conuersa sit qui prophetarum expositiones legit intelligit. Si igitur per Dauid Christum intelligimus, ipse enim est Dominus fortis, & potens Dominus potens in prelio, qui diabolum vicit, & infernum expoliauit, qui sicut Salomon, et vere pacificus templum Domini idest Sanctam Ecclesiam ędificauit, consecrauit, & Sanctificauit. Ad quem Regina Austri idest Sancta Ecclesia venit eius vultum videre, et eius sapientiam audire desiderans. Si ioquā ita intelligamus mox mutato colore, & sapore in vinum aqua conuertitur. Transeamus ad quintam hydriam, in qua populus propter peccata sua ductus in captiuitatem plorat dicens. *Super flumina Babilonis illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion in salicib. in medio eius suspendimus organa nostra.* Qui tamen per pœnitentiam ad Deum conuersi sub Iesu Sacerdote magno Leti postea in patriam remearūt, & hoc quidem si quis spiritualiter intelligat sentiet, aquam in vinum conuersam. Illa enim captiuitas hanc nostram, quam in hoc mundo patimur, captiuitatem significabat. In qua dum populos peccantes, & semper quasi aquas ad inferiora labentes, aquæ enim multæ populi multi, Sancti Dei conspiciunt. Flent, & dolent illius supernæ beatitudinis recordantes. Et quia vel pauci, vel nulli sunt qui eorum monitis acquiescere volunt, Sanctæ Prædicationis organa suspendunt in salicibus idest quibusdam vinculis tenacissimis memoriæ commendant dicentes cum psalmista *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Memoria enim, quia ea quæ intelligit firmiter ligat et tenet non immerito salix vocatur. Silent enim prędicatores multoties, et a prædicatione cessant, dum & verba sua parui pendi et seipsos contemptui haberi conspiciunt. Sed sicut tunc ita et modo post pœnitentiam, & satisfactionem Duce Iesu Sacerdote magno qui tunc per illum Iesum significabatur, omnes peccatores in patriam reuertūtur. Restat nunc vt de sexta hydria dicamus quæ alijs omnibus nobilior est de qua etiam omnes aliæ suscipiunt, in hac enim quatuor Euangeliorum libri, & omnia Apostolorum dicta continentur, hanc ipse Dominus per se ipsum impleuit, hanc suis discipulis dedit vt omnes gentes ex ea satiarent dicens eis. *Ite in vniuersum mundum prædicate Euangelium omni creaturę.* Huius aqua dulcissima, huius vinum suauissimū est, sed vis bibere de aqua eius, Audi ipsum Dominum. *Simile* inquit *factum est Regnum Cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminauit Zizania,* quam cum serui eius colligere voluissent, ait *sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus colligite primi Zizania, & alligate fasciculos ad comburendum, triticum autem reponite in horreum meum.* Hęc est igitur huius hydrię aqua, quæ vt in vinum conuertatur, dicamus cum Apostolis. Domine edissere nobis parabolam istam *Ager* inquit Dominus *est mundus*: bonum vero semen hi sunt filij Regni, Zizania autem filij sunt nequam, inimicus autem qui seminauit, est diabolus, messis vero consummatio sæculi, messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur Zizania, et in igne cōburūtur, sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio iustorū & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium: sic igitur in vinum aqua conuertitur. Sic in spiritualem intelligentiam littera mutatur. Dictum est autem quid sex hydriæ significent, quę bene quidem omnem purificationem Iudeorum ibi positæ erant, quoniam quicquid in eis continetur baptismus quidam est, & purificatio animarum: capiebant autem singulæ metretas binas, vel ternas. Per quod significatur quia Dei proximique dilectionis, & fidei trinitatis mensura omnibus sufficiet ad bibendum, tenendum, & credendum. Sequitur, *Et dicit eis Iesus. Haurite nunc, & ferte architriclino, & tulerunt, vt autem gustauit Architriclinus aqua vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei. Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint tunc quod deterius est, tu autem seruasti vinum bonum, vsque adhuc.* Quis est iste architriclinus cui hoc nouum, & mirabile vinum prius affertur? iste enim architriclinus intellectus mihi esse videtur, a quo solum bonum vinum cognoscitur, & laudatur; habet enim vnusquisque homo hunc Architriclinum in palatio cordis sui: ipse est Princeps domus, ipse regit, & disponit omnia. Huic autem Ecclesiæ ministri Sanctarum scripturarum vinum quotidie offertur, quod ille bibens quamuis nesciat vnde sit tamen admiratur, & laudat: quando enim hæc in Ecclesijs recitantur, nulli alij dant saporem, nisi his, qui ea intelligunt. Merito igitur hoc vinum Architriclino Dominus ferre iussit quatenus, et nos maioris intelligentibus demus vinum, non intelligentibus vero aquam offeramus. Qui enim bene intelligunt, & literam venerantur, & Spiritum. Vnde, & hic Architriclinus dicit: *Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc*, & primum videlicet, & vltimum laudans: qui vero minoris intelligentiæ sunt, aquam bibant, & scripturarum plenissima audiant. *Hoc fecit initium Signorum Iesus in Chana Galilea, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* In Sacrarum namque scripturarum spirituali expositione, quæ vtique per hoc vinum significatur Christi gloria manifestatur, & credentium fides augetur.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Lectio Sancti Euangelij, Secundum Matthæum.

C*Vm descendisset Iesus de monte secutæ sunt eum turbæ multæ.* Homilia Beati Brunonis Episcopi de eadem lectione.

CVm, inquit, descendisset Iesus de monte, vbi octo beatitudines prædicauerat, multæ turbæ eius sermone delectatæ eius virtute sanatæ & eius amori colligatæ, secutæ sunt eum. Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: *Domine si vis potes me mundare.* Merito quidem Domino de monte descendenti leprosus occurrit, quia ad hoc venerat, ad hoc de cęlis descenderat, vt mundum sanaret & a vitiorum lepra munda-

mundaret: sed vide quanta sit fides huius leprosi, hominem videt, Deum adorat, de omnipotentia non dubitat: sed quid dicit? Domine si vis potes me mundare. Dominus es, omnipotens es, voluntas tua opus est, omnis creatura tibi obediens est, non promerui beneficium tuum, non sum dignus colloquio tuo, credo tamen, quoniam si vis potes me mundare. Et Dominus ad hæc *extendens manum suam, tetigit eum dicens, Volo, mundare*, manum suam Dominus extendit, potentiam manifestat, virtutem non celat, tangit hominem & fugit lepra, immo prius lepra fugit quam manus ad hominem perueniret, ne si lepram tetigisset, contra legem facere videretur lex enim huiusmodi hominē immundum iudicat, quæ omne immundum tangere interdicit. Sed quid ait, *volo mundare*, Credis quia possum, volo, quia credis experire fidem tuam, cognosce potentiam meam, volo vt munderis & ideo mundare, & confestim mundata est lepra, vt & fidei virtus & curantis omnipotētia appareret. *Et ait illi Iesus, vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacerdoti*, hoc enim non dixisset, si hoc miraculum inter turbas fecisset quæ eum sequebantur cum de monte descendisset. Neque enim vnus celare posset quod tanta millia hominum vidissent. Et de his quidem in illo volumine plenius diximus, de quo ista assumpta sunt. Quærendum tamen est cur ei Dominus præcipiat vt nemini dicat: prędicare namque & Dei miracula populis nuntiare sacerdotum est: leprosus vero etsi mundatus sit, sacerdos tamen fieri non debet: quoniam illi ad hoc officium eliguntur, vt Apostolus ait, qui sine crimine sunt. In hoc quoque & nos docemur in his, quę bene & laudabiliter agimus laudem hominum & vanam gloriam quærere non debere. Sed cur eum ad Sacerdotem mandas Domine Iesu, quare iubes vt Sacerdoti se ostendat, quem tu sacerdotum omnium maximus curas: quis eum iudicare audebit, qui a tuo iudicio mundus recedit? Hoc igitur agis vt legis sacramentis consentire agnoscaris. Ille enim mundus est, qui Sacerdotum iudicio mundus iudicatur: illorum enim est bonum a malo, iustum ab iniusto & mundum ab immundo separare. Hoc itaque priuilegium eis confirmas, dum ad eorum iudicium hunc hominem mādas. Sequitur. *Et offer munus quod præcepit Moyses in testamento illis*. Prius autem quid leprosus iste significet, significat enim aliquid, deinde etiam dicamus quid munus etiam significet, quod eum offerre præcepit Moyses: iste enim leprosus totum humanum genus & vnusquisque peccator intelligi potest. Hæc autem lepra non corporis, sed animæ est: illa enim anima leprosa est, quæ superbia, ira, auaritia, discordia, odio & luxuria sordescit. Talis leprosus currat ad Iesum, festinet ad medicum, non desperet, pęniteat & mundari desideret. Dicat *Domine si vis potes me mundare*. Potes vtique quia & ego sum pęnitens & tu es omnipotens. Tu enim dixisti quia *peccator quacunque hora conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet & non morietur*. Si enim hoc dixerit, si hoc egerit, certus sit de misericordia, non desperet de venia, quia benignus est Dominus, qui ad se venientem neminem repellit. Deinde vero offerat munus quod præcepit Moyses, præcepit enim Moyses vt leprosus quando mundatur, offerat pro se duos passeres viuos, quibus vesci licitum sit & lignum cedrinum & coccum & hisopum & vnum è passeribus immolet in vase fictili super aquas viuentes, alterum vero in agrum auolare dimittat, hoc enim vanum & inutile videretur, nisi ille præcepisset, cui nihil vanum vel inutile placet. Ille igitur qui mundatur duos passeres offerat & corpus & animam Domino reddat. Cum interrogaret quid esset, dictum est ei: hæc est amphora & hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce mulier vna sedebat in medio amphoræ, de qua cum interrogaret quæ esset, dictum est ei, quod esset impietas. Os autem amphoræ massa plumbea clausum erat. Et ecce duæ mulieres, quæ habebant alas quasi milui leuauerunt amphoram inter terram & cęlum, & portauerunt eam in terram Sennar vbi erat ei domus ędificata vt ponatur ibi supra basim suam. Quid enim per amphoram nisi auaritia significatur? hæc est autem oculus eorum. Quorum eorum? eorum videlicet: qui eam diligunt in vniuersa terra, omnes enim ad eam spectant, omnes ad eam attendunt, quoniam sicut scriptum est: pecuniæ obediunt omnia. In hac autem sedet impietas, quoniam diuites & auari quia misericordiam, & pietatem non habent, non solum impij, verum etiam impietas rectè vocantur. Sed quid melius per duas mulieres quæ amphorā ferunt, quam sollicitudo & deceptio intelligi potest? semper enim auari solliciti sunt in acquirendo & deceptores aliena rapiendo, vnde & alas milui hę mulieres habere dicuntur, quoniam miluus inter alias aues rapacissimus est, qui pusillis & mansuetis auibus insidiatur: ferunt autem hæ mulieres idest, deceptio & praua sollicitudo amphoram in terram Sennar siue Babilonis, quia his duobus vitijs diuites & auari in perditionem rapiuntur. De hac enim Babilone scriptum est. *Cecidit cecidit Babilon illa meretrix, & facta est habitatio dęmoniorum*, Miseri igitur, & per omnia infelices, qui inter Dęmonia habitaturi sunt, & in terra sennar domum inuenerunt. Sequitur sanare contritos corde; sanat autem contritos corde, quia talibus eius medicina facile subuenit, de quibus psalmista. *Sacrificium*, inquit, *Deo spiritus tribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non spernit*. Habeat igitur cor contritum, qui a Deo sanari desiderat. Prædicat, & captiuis remissionem non qua dimittantur a Babilonijs, sed qua dimittantur a Dæmonijs. Prędicat, & cæcis visum interiori lumine excęcans, de qua scilicet cæcitate Apostolus ait. Cæcitas ex parte contigit in Israel. Dimittit contractos in remissionem, quia quot Diabolus lædendo contriuerat, ipse sanando, & peccata dimittendo ad indulgentiam vocat. Annum vero Domini acceptum, & diem retributionis prædicat dicēs. *Pęnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum*. Itaque *multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vidistis, & non viderunt, & audire quæ audistis, et non audiuerunt*. De hoc anno accepto, et hoc die retributionis Apostolus ait. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, Et vere annus acceptus, in quo dominus predicantur sanantur illuminantur, in quo, et ęternæ deliciæ cunctis fidelibus præparantur.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Ascendit Iesus in Nauiculam, & secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat*. Et reliqua. Homilia eiusdem.

QVid enim Nauicula nisi Ecclesia, quid mare nisi mundus, quid motus maris nisi persecutorum, & tyrannorum sæuiens indignatio? Ecce enim Dominus in Nauicula dormit, & nauicula fluctibus operitur, timent discipuli, & nondum a periculo liberantur, clamant, & excitant Saluatorem, surgit a somno, qui nunquam dormit, *non enim dormitauit, neque dormiet, qui custodit Israel*, imperat ventis, & mari: & fit tranquillitas magna. Nobis fratres, nobis fiunt ista, nobis dormit Israel, nobis surgit à somno. Significatio est, nostrę que fragilitatis instructio, Pro nobis dormit, qui pro nobis moritur, non enim dormiret, nisi nobis suum somnum proficere intelligeret. Dormire enim videtur pastor, quando lupi in oues sæuiunt, quando fures rapiunt, & non est, qui eripiat. Sic igitur, & Iesus quamuis non dormiat, dormire tamen videtur, quando tyranni sæuiunt, quando mali in bonos insurgunt, quando boni vincuntur, & mali vincunt, non dormit quidem, sed prælium intuetur, & simul certaminis finem, & bellantium fidem expectat, & quia non statim adiuuat, quia non cito laborantibus subuenit, dormire putatur. Sed si consideremus eius certaminis qualitatem eiusque victoriæ modum, tunc Sancti victores existunt, quando ab iniquis victi esse creduntur. Tunc enim Sancti indubitanter vincunt quando humilitatem, & patientiam non amittunt. Sic igitur dormiat Iesus quando iniquorum crudelitas, & Sanctorum patientia innotescat, & Christi discipuli non armis, sed

sed clamore, & orationibus maris huius procellas deponere dicant. Quod si iam eas sustinere non possunt, si tamis perturbationibus resistere nequeunt; accedant ad Iesum, suscitent eum, dicentes *Domine salua nos, perimus*, Sic se defendant, hęc arma suscipiant, hoc auxilio tueantur, & hoc clipeo muniantur, neque vero ideo se non exaudiri existimēt, quia persecutio non cessat, quoniam nihilominus exaudiuntur, si eis aduersa tollerandi patientia datur, quam si omnis illa persecutio ab eis tollatur, Ipse enim scit, quid nobis opus sit, nos tamen semper dicamus. *Domine salua nos perimus*. Qui enim hoc dicit, nihil aliud, quam salutem quęrit. Sed fortasse ille de salute corporis dicit, ipse vero de animæ salute intelligit, Nemo autem Sanctorum salutem corporis contra animæ salutem desiderat, & si fortasse aliquando quęrat Deus; igitur non verba, sed intentionem exaudit, & dicit eis. *Quid timidi estis modicę fidei?* Ego hic sum, & vos timetis, sed quare timetis, nisi quia fidem modicam habetis? *Tunc surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*. Quotidie quidem surgit, quotidie bella sedat, quotidie visibilibus, & inuisibilibus hostibus imperat. Et eo iubente, cessant prelia, & lites, fit pax, & tranquillitas magna. *Porro homines mirati sunt, dicentes. Qualis est hic, quia, & venti, & mare obediunt ei*. Merito enim homines vocantur, qui sicut homines mirantur. Nondum enim Deum esse credebant, quem quasi hominem nunc dormire, & nunc vigilare videbant. Dicebant igitur *qualis est hic?* dicamus, & nos *Quis Deus magnus sicut Deus noster. Tu es Deus, qui facis mirabilia*, cui venti, & mare obediunt, cui omnes creaturę seruiunt, quem mare vidit, & fugit, cuius vocem audiuit, & timuit, Sed quare dicitis, homines *qualis est hic?* similem ei quęritis, qui similem non habet. Verumtamen vultis scire qualis est? Scio quia vultis, audite ergo. *Qualis pater talis filius, talis Spiritus Sanctus*. Ecce talis est, nullus alius talis. Sed quid mirum si venti ei obediunt, qui eos fecit, qui eos creauit, *qui producit ventos de thesauris suis?* Quod quidem qualiter fiat, nulli hominum ad plenum reuelatum puto. Quatuor sunt mundi partes, & venti, qui inde veniunt, quibus in mari, & in terra, & in aere non paruam Deus tribuit potestatem, ipsi enim dant pluuiam, et tempestates, ipsi fugāt nubes, & dant serenitates: Ideoque non immerito omnes huius sęculi potentes significant. Vnde Daniel se quatuor cęli ventos vidisse dicit, qui pugnabant in mari magno. Vnde, & per Salomonem, Dominus ait. *Surge Aquilo, & veni, auster perfla hortum meum, & fluent aromata illius*; hic hortus, & hæc nauicula idem sunt, venti autem, & hic, & ibi idem significant. Et quidem in hoc horto multa sunt arborum genera, multæ florum, & aromatum species; In hoc inter rosas martires, inter lilia confessores, & Virgines requiescunt. Hic est hortus conclusus, & fons signatus, hic hortus est tutissimus, Sanctorum Sanctissimus, qui non caret liliis, neque rosis, nec priuantur arbores suis pomis, ibi fons dulcissimi est saporis: Nunc ventorum flamina Tirannorum agmina perturbant, & ventilant cum furore, cælum petunt martyres cum honore, Delectatur Dominus in odore. Et de Aquilone quidem scriptum est. *Ab Aquilone pandentur mala super omnes habitatores terrę*, de Austro vero. *Deus ab Austro veniet*, per illum igitur aduersa, per hunc autem prospera figurantur, dicit igitur Dominus, surge Aquilo, recede, da locum, quiesce, noli perturbare hortum meum, nolli affligere Sanctos meos, veniat Auster, veniat pax, et securitas, veniant prospera, diu expectata, & fiat tranquillitas magna.

IN PVRIFICATIONE SANCTAE MARIAE:

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore, *postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum*. Et reliqua.

SCriptum est enim in lege Moysis, quod *Mulier, quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, & die octaua circuncidetur infantulus: Ipsa vero triginta diebus tribus manebit in sanguine purificationis suæ, Omne sanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium, donec impleatur dies purificationis eius*. Hac enim lege Beata Virgo Maria nō tenetur, quę nullo suscepto semine, Virgo concepit, virgo peperit, clausa ante partum, clausa in partu, & post partum clausa permansit. Ad cuius distinctionem Moyses non simpliciter dixit: mulier, quę peperit masculum, sed cum additamento, *quæ suscepto semine masculum peperit, immunda erit septem diebus*. Spiritualiter autem mulier ista Synagoga esse videtur, quę diuinæ legis semine suscepto, toties masculum pariebat, quoties bonum aliquid agebat: masculus enim filius bonum opus est, & quāuis masculum peperisset, & multos boni operis filios genuisset, tamen, septem diebus immunda erit septem enim illi dies omne illud temporis spatium significāt, quod fuit a Moyse vsque ad Christi incarnationē; illa enim hebdomada natus est agnus, qui tollit peccata mundi, de quo scriptum est. *Qui dilexit nos, et lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Verumtamen quamuis septimana finita esset, & quamuis Christus natus esset, nondum tamē Sinagoga penitus mundata erat, quia Christi sanguis nondum fusus erat. Mansit igitur adhuc triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ. Expectauit diem, immo annum tricesimum tertium. Ipso enim anno immolatus Christus, sine cuius sanguine mundus mundare, & lauari non potuit. Quod autem dies pro anno ponatur, in Ezechiele inuenies, vbi dicit, diem pro anno, diem pro anno, fili hominis dedi tibi, Quare autem infans circuncidatur, valde notum est, sed quare octauo die dicendum est. Octaua enim dies ipsa est, quę, & prima, in hac enim mūdus cepit, Christus Surrexit, in hac, & vniuersalis resurrectio fiet. Tunc autem non solum circumcisi, sed omnibus ab eis peccatis abscissis mundi, & immaculati æternum nomen Sancti suscipient, & hereditatem. Et hæc quidem de filio masculo dicta sunt. sin autem fęminam peperisset, immunda erat duabus hebdomadibus, & sexaginta, & sex diebus manebat in sanguine purificationis suæ. Toties enim sinagoga fęminam parit, quoties iniquitatem operatur, pro hac autem filia duabus hebdomadibus est immunda, vna videlicet ante Christi incarnationem, altera vero post Christi incarnationem. Per has enim duas hebdomadas totum, & hoc, & illud tempus significatur. Nisi igitur hāc iniquam filiam parere desistat, & ad Christi fidem se totam conuertat, numquam mundabitur sinagoga: Dantur autem ei sexaginta, et sex dies ad purgationem, per quos omnes dies vsque ad sæculi consumationem intelligere possumus, hic enim numerus totus ex senariis constat, in sex autem diebus etiam ipsis Iudęis operari licet: neque enim in sex diebus sabbatum continetur. Nulla igitur erit excusatio, si in his sexaginta, & sex diebus purificati non fuerint, quamuis autem purgationis dies ad Beatam Mariam Virginem non pertinerent, expectauit tamen & ipsa, donec eius purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed alijs mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, *omne Sanctum non tanget*, quę ipsum Sanctum sanctorum in gremio tenebat, in sinu fouebat, & Virgineo lacte nutriebat, completis autem diebus, *tulerunt puerum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sic enim scriptum est, in lege Domini, quia omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*. Et eo

namque

namque tempore, quo primogenita Ægyptiorum Dominus interfecit, omnia primogenita filiorum Israel sibi vendicauit, sibique offerri præcepit. Sed quare hoc, nisi vt omnia prima, & maxima, omnia meliora, & clariora Domino offeramus. Offeramus igitur ei fidem nostram, offeramus ei animas nostras, quę non de terris, sed de cœlis originem habent, & quæ prima in nobis, & præcipua, & maxima sunt. *Et vt darent Hostiam, secundum quod dictum est, in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum*, turtur enim castissimum animal est, columba vero felle, & amaritudine caret. Qui igitur corporis, & animæ castitate, & innocentiam custodiunt, illi equidem par turturum, aut duos pullos columbarum Domino offerunt. Et talis quidem Hostia Domino placet, in qua nos ipsos ei offerimus, & corpus, & animam innocenter, casteque viuentes ei dedicamus. Talem igitur hostiam matrem Domini offerre decebat, cuius tota vita castitas, & innocentia fuit. Quia igitur dictum est, quid ista significent, dicendum est etiam, qualiter offerri debeant. Iubetur enim sacerdos, qui ea offert, turturis, & columbæ caput ad collum retorquere, debet autem vesiculam gutturis, & plumas ad orientalem plagam proiicere. Debet præterea earum ascellas confringere, & non penitus secare, nec ferro eas diuidere debet. Tunc enim sacerdos turturis, & columbę caput ad collum retorquet, quando illum, qui per has aues significatur, docet, & admonet, vt iam nunc non erecta ceruice, sed humiliato capite incedere discat. Sicut enim in erecta ceruice superbia, ita, & in capite inclinato humilitas manifestatur. Sed quid per vesiculam gutturis, vbi aues reponunt, vnde viuunt, nisi ventris ingluuies designatur, quid vero per plumas, nisi morum leuitas, & mentis elatio significatur? Hęc autem homini proiicere, & a se repellere, bonum est: Sed vbi proiicere, nisi ad Orientalem plagam; semper enim ab ortu ad occasum tendimus: semper orientē fugimus, & ad occasum propinquamus, est enim occasus finis vitæ, quæcunque igitur ad occasum nobiscum non ducimus, ea iam a nobis proiicientes post dorsum relinquimus. Quibus denique ieiunium, & abstinentiam indicimus, eis proculdubio gutturis vesiculam tollimus. Quibus vero omnem vagandi licentiam interdicimus, eis vtique ascellas frangimus, vt & nobiscum maneant, & ad inutilia volare desistant. *Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo.* Qualis enim, & quantus Simeon iste fuerit, breuiter ostendit, dum eū iustum, & timentem Dominum, populique consolationem expectare, & desiderare, cui & Spiritus Sanctus, qui in eo erat, filii Dei aduentum reuelauerat, atque promiserat, & hoc est, quod ait. *Et responsum acceperat a Spiritu Sācto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Quanto desiderio videndi Dominum senex iste Beatissimus ęstuabat, quem iam ętas de hoc sęculo exire cogebat: sed Dei responsio retinebat, mori enim cupiens, mori nō poterat, quia Christum Dominum, nec dum viderat, de quo sibi factum responsum audierat, *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*, hoc igitur desiderabat, hoc mente tractabat, hoc semper cogitabat, dicens: Scio quia veniet, scio quia videbo eum, sed quando veniet, sed quando eum videbo? Veni Domine Iesu, solue mihi hæc vincula, & me iam nūc in pace abire dimitte. Dum autem hoc secum diceret, dum hoc desiderio ęstuaret, dictum est illi a Spiritu Sancto, Ecce adest, quem quæris, nunc eum videbis, surge, propera, festina, vade ad templū, *et venit in spiritu in templum*, id est spiritu iubente venit in templum. *Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas.* Cum inquit parentes eius puerum Iesum in templum inducerent, vt secundum consuetudinem legis pro eo facerent, occurrit senex, bracchia extendit, & parentibus ait, mihi eum date, mihi debetur, mei officij est, ad hoc missus sum, huic obsequio reseruatus sum. Deinde lętus, & exultans, *accepit eum, in vlnas suas.* Mox senectus fugit, & iuuenilis vigor affuit, & fortitudo, qui prius seipsum ferre vix poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat. Eleganter igitur dictum est, senex puerum portabat, puer autem senem regebat, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit, ipsum, quem genuit, adorauit, *& benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis Domine secundum verbum tuum: in pace seruum tuum, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Te, inquit, Domine, benedico, promissio tua completa est, completum est desiderium meum, quia video Christum tuum, Deum meum, dimitte ergo seruum tuum in pace, quia vidi Iesum, quia vidi salutare tuum. Iesus enim saluator, siue salutaris interpretatur. De quo scriptum est. *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum gentium reuelauit iustitiam suam, hoc enim lumen*, hanc lucem, hunc solem, hunc tantum splendorem *parasti*, atque misisti *ante faciem omnium populorum.* Ad quid? *ad reuelationem gentium*, & illuminationem, & *ad gloriam plebis tuę Israel.* Hoc enim lumine & gens illuminatur, & Iudæi glorificantur: magna enim gloria illis est, quod de illorum gente, hoc tantum lumen exortum est.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

Lectio Sancti Euangelii secundum Matthęum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis simile est regnum Cęlorū homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

COnditor humani generis Dominus noster Iesus Christus modo superius proposuit, dicens. *Multi erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Hanc autem propositionem, ad quid attulerunt sequentia monstrabunt. Ad hanc enim spectat tota subsequens similitudo. Vnde, & in conclusione dicitur, *sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.* Quod quidem si de mundi ętatibus intelligatur, non video qualiter primi sint nouissimi, vel nouissimi primi: primi enim fuerunt Patriarchę, & Prophetę, & cęteri prioris testamenti ad vitam prædestinati: nouissimi autem nos sumus, de quibus Ioannes ait: *Filioli nouissima hora est* & Apostolus ait: *Nos sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt*, & isti quidem sicut tempore primi fuerunt; ita & primi denarium susceperunt. Hos enim statim post passionem suam, Christus Dominus a pœnis eripiens, in gloriam introduxit. Apostolus quoque ait, *quia nos, qui viuimus, qui residui sumus, non preueniemus eos, qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubib. obuiam Domino.* Quomodo ergo sunt nouissimi primi? Nunc autem ipsam parabolam audiamus. *Simile est Regnum Cœlorum homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam:* Hoc autem tale est, ac si diceret. Sic fit in Regno Cœlorum, sicut factus est in vinea patrisfamilias, in quam ipse primo mane exiens, operarios conduxit. Regnum Cęlorum, Ecclesia est. Paterfamilias Christus Dominus noster, eius namque familia, & Angeli, & homines sunt. Magna quidem est familia, quia magnus est, & pater familiæ. Venit autem iste Pater familias, vt conduceret operarios in vineam suam: Vinea enim Deo Sabbaoth domus Israel est, Vinea Dei Ecclesia, est, extra quam, qui laborat mercedem non recipit, in qua qui laborat denarium suscipit iste enim denarius remuneratio est æternę beatitudinis, vbi vnus denarius omnibus datur, Vnus primis, & vnus nouissimis, Et alii quidem primo mane laborare incipiunt, alii vero circa horam tertiam: alii autem circa sextam, & nonam horam, Alii quoque circa horam vndecimam. hoc est enim quod ait. *Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam, et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis, ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem*

abierunt

duerunt. Iterum autem exijt circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter, circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis. Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei quia nemo nos conduxit, dicit illis, ite, & vos in vineam meam, Primo namque mane, in vinea Dei laborare incipiunt, qui a primeua ętate, idest a pueritia in Ecclesia Dei Domino seruiunt; Illi autem circa horam tertiam laborare veniunt, qui in adolescentia seruire incipiunt. Veniunt autem, circa sextam, & nonam horam, qui vel in iuuentute, vel senectute ad penitentiam conuertuntur. Vndecima vero hora illa est, quæ in qualibet ętate fini appropinquat, & morti proxima est. Hanc enim horam non solum iuuenes, senes, verum etiam pueri habent. In hac igitur hora laborare incipit, & illi, qui in decrepita ętate, & illi, qui in graui infirmitate ex toto corde ad Deum conuertitur. Nullus ergo locus desperationi, nullus locus restat excusationi, si quidem in omni ætate, & in omni hora peccator recipitur. *Peccator enim quacumque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, viuet, & non morietur.* Conuertatur igitur, vel vndecima hora conuertatur, vel in vltimo vitæ termino, qui prius in bono otiosus, & in malo sedulus fuit. Nam, & ipse si voluerit, & si conuersus fuerit, & si vel ad horam laborare ceperit, simul cum alijs mercedem recipiet, & denarium. Has autem horarum siue ętatum distinctiones illę quoque illius templi portę significare videntur, de quibus in Apocalypsi Ioannes Apostolus ait: *ab oriente porta tres, ab aquilone porta tres, a meridie porta tres, & ab occasu portę tres.* Templum igitur, & Vinea idem significant: Sancta namque Ecclesia, & Vinea nobis est, & in qua laboramus, & templum, in quo oramus. In hanc enim vineam, & in hoc templum pueri, & infantes, & primo mane per portas oriētis ingrediuntur. Adolescentes autem intrant in hora tertia, & per angustas portas, magisque difficiles Aquilonis. Intrant autem per portas Australes Iuuenes, & Senes, qui sexta, & nona hora in vinea Dei laborare ceperunt. Per portas vero occidentales, non solum decrepiti senes ingrediuntur, verum etiam quicumque in qualibet ętate ad bonum per penitentiam conuertuntur. Portas autem Aquilonis ideo angustas, & difficiles esse diximus, quia multa impedimenta illis fiunt, qui per eas intrare debent. Sed quid mirum cum ad Aquilonem sedem suam Diabolus posuerit, & ab Aquilone pandantur mala super omnes habitatores terræ. Miseri adolescentes, qui Aquilonis flatibus rigescunt, Miseri quos Diabolus perflat, & ventilat, Beati, qui hanc ætatem sine naufragio transire potuerunt. Inde est enim, quod Salomon ait: *Lętare Iuuenis in adolescentia tua.* Hoc autem his iuuenibus dicitur, qui sic in adolescentia vixerunt, vt in iuuentute non erubescant. Idem quoque Salomon difficile sibi esse dicit, cognoscere viam hominis in adolescentia sua. Hinc est quod per Isaiam Prophetam his, qui habitant in terra Austri, Dominus præcipit, vt cum pane, & aqua occurrent illis, qui veniebant de terra Aquilonis, & fugiebant de captiuitate Babilonis: fugiebant enim a facie gladij imminentis a facie arcus extenti, & a facie grauis periculi. Talibus igitur cibo, & potu spirituali occurrere debemus, quos diabolū persequentem fugere, & per penitentiam ad Ecclesiam redire videmus. Sed quid dicemus de illis impedimentis, quæ in ipso portarum introitu, & cum iam se euasisse putant, adolescentes patiuntur? Dicit enim Ezechiel Propheta: *conuertit me ad portam quæ respicit ad Aquilonem, & ecce mulieres sedebant ibi plangentes* Adonidem: Videns igitur, quia in porta Aquilonis sedent meretrices Veneris, luxurięque amores plangentes, & amatoria carmina componentes: Hæc sunt igitur, & similia, quibus adolescentes impediunt, ne in vinea Dei laborare, & templum intrare, & orare valeant: Vnde enim imminet ito sacri Canones, nisi translata hac ætate, Episcopos, & Sacerdotes fieri vetet licunt. Sequitur, *cum sero autem factum esset, dixit Dominus, vineę procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens a nouissimis vsque ad primos* Sero enim vnicuique fit, quando vltimum diem vita finit, Dei vero Procuratores Angeli sunt, qui Sanctorum animas dum repræsentant, & in requiem inducunt. De quibus Apostolus: *Omnes enim sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt,* Fit autem plerumque, vt illi, qui posterius veniunt, primo denarium, & mercedem accipiant, quoniam sæpe contingit, vt primi de hac vita exeant, qui posterius laborare, & Deo seruire incipiunt. Primus enim denarium recipit, qui primus de hac vita exit: multi enim Santorum eadem die, qua crediderunt de hoc mundo per martyrium exierunt. Isti igitur vna, & vltima hora in Dei vinea laborantes primum susceperunt denarium, quam illi, qui a primęua ætate Domino seruientes, sicut prius laborare ceperunt, ita post eos denarium susceperunt: fit igitur aliquando, & si non semper in Ecclesia Dei, quod in vinea Patris familias factum fuisse narrat, vt videlicet *primi sint nouissimi, & nouissimi primi,* hoc autē quia non semper fit, ideo in principio huius similitudinis Dominus ait, multi autem *erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Si enim semper hoc fieret, non multos, sed omnes dixisset, sic igitur multi nouissimi, & in mercede recipienda honorantur, & in pretio non minorantur. Vnde, & cæteri murmurantes dicunt, *hi nouissimi pares vna hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, et æstus.* Quos quidem digne satis Dominus redarguit, dum vni eorum respondit, dicens. *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum: tolle quod tuum est, et vade, volo autem et huic nouissimo dare sicut, & tibi, An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hæc autem non ideo dicuntur, vt de prouentu aliorum socios murmurare, vel nequā & inuidos oculos habere intelligere debemus, sed potius, vt murmurationis, & inuidiæ malum quantum sit intelligamus, & caueamus: magnum enim vitium est, quod tantopere a Domino redarguitur. Vnde, & Apostolus ait. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, et perierunt ab exterminatore,* multoties enim Iudęi murmurauerunt, multoties et propter murmurationem perierunt. Sancti quidem, & boni sunt, quicumque hunc denarium accipiunt, hunc autem accipiunt, & primi, & nouissimi. Et primi igitur, & nouissimi boni sunt, quomodo ergo murmurare possunt, quomodo nequam, & inuidos oculos habēt? tales igitur isti non sunt, & ne tales fiant, illorum exemplo admonentur bonum est enim in hac vinea laborare, sed malum est murmurare. Laboremus igitur nec murmuremus. Illorum reprehensio sit nostra correctio. Alterum nos inuitat ad bonum, alterum disuadet a malo: Illorum enim labor, et murmuratio nos inuitat, illorum vero murmurationis reprehensio nos a murmuratione compescit. In vtroque igitur consulit nobis Dominus, dum nos in altero laborare admonet, in altero verò murmurare disuadet. Quod autem sequitur. *multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* valde paucos esse ostendit eos, qui saluantur, ad comparationem eorum, qui per singulas horas vocantur. Suscipiunt igitur denarium, & proximi, & nouissimi, sed neque omnes primi, neque omnes nouissimi, quoniam multi vocantur, & ad vineę laborem inuitantur, qui neque inter primos, neque inter nouissimos connumerantur. Vnde psalmista ait, *annunciaui, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* multi enim ad vineam, & fidem vocati sunt, qui ad vitam prædestinati non sunt.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore, *Cum turba plurima conueniret, et de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem. Exijt qui seminat seminare semen suum.* Et reliqua.

MVlta turba sequebatur Iesus, multi vndique conueniebant, multi de ciuitatibus ad eum properabant, qui eius verba audire, ipsum, & miracula, quę faciebat, videre desiderabant. Cum autem sic ad eum omnes confluerent, dixit per simili-

similitudinem. In parabolis enim loquebatur Dominus, & *sine parabolis non loquebatur eis*, Vnde, & per Prophetam dixit. *Aperiam in parabolis os meum loquar propositiones ab initio.* Nunc autem ipsam parabolam vel similitudinem audiamus. *Exijt, inquit, qui seminat seminare semẽ suum, & dum seminat aliud cecidit secus viam & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud, & aliud cecidit super petram & natum aruit, quia non habebat humorem, & aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocauerunt illud, et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicẽs clamabat, qui habet aures audiendi audiat.* Non sine causa clamat Iesus, qui enim clamat audiri desiderat. Merito igitur clamat Dominus, quia pauci ibi erant, qui eum audirent. Audiebant quidem vocem, audiebant, & similitudinem, illud tamen non audiebant, quod per illam vocem, & per illam similitudinem significabatur, vnde, & aures audiendi requirebat, quia non aures corporis, sed potius aures cordis, hunc clamorem audiunt, & intelligunt. Interrogabant eum autem discipuli eius *quæ esset hæc parabola?* Et isti quidem nondum aures audiendi, eius verbum adhibuerant quibus ipse dixit. *Vobis datum est, nosce misterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Vobis inquit, qui creditis, vobis qui fidem habetis, vobis qui veritatem diligitis, vobis qui non carnalia, sed spiritualia quæritis; *vobis datum est nosce misterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Sed cœteris in parabolis, *Vt videntes non videant, et audientes non intelligant.* Hoc autem tale est ac si diceret, vt videntes vmbram non videant veritatem, & audientes auribus corporis non intelligant aurib. cordis. Hoc autem eorum duritia, & infidelitas facit, vt verba Dei intelligere non mereantur, *Est autem hæc parabola. Semẽ est verbum Dei. Quod autem secus viam. Hi sunt, qui audiunt, deinde venit Diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habẽt quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et diuitijs, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram hi sunt, qui in corde bono, et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* Ecce ipso Domino exponente didicimus quid sit semen, quid ager, quid terra secus viam posita, quid terra petrosa, quid spinosa, & quid bona terra significet. Semen enim est verbum Dei, multum est semen, quia magnus est ager. Hoc enim semine duo magna horrea plena habemus, nouum videlicet, ac vetus testamentum. Inde enim sumimus quicquid vbicumque seminamus. Ager autem tantus est, quantus, & mundus: Vos fratres mei, vos estis ager, in quem hoc semen seminatur. Videte ergo qualem terram huic semini exhibeatis, videte ne sitis illa terra, quę secus viam posita sit, cuius semen illi mali viatores conculcant, qui animæ male obedienti dicunt incuruare, vt transeamus. Hoc autem semen diabolus tollit, quia eius persuasione, & deceptione fit, vt citissime a memoria dilabatur. Videte ne sitis terra petrosa, in qua verbi Dei semen radices figere non valet, sed cito arescit, quia talis terra ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit: videte ne sitis terra spinosa, quæ quamuis semen suscipiat, in ea tamen crescere, & fructificare non valet, quia vitijs, & diuitijs, carnisque voluptatibus, quæ per spinas significantur, comprimitur, & suffocatur. Bene autem per spinas hæc figurantur, quoniam & si carni mollia, & suauia sunt, animam tamen vulnerant, & affligunt: illi autem sunt bona terra, *qui in corde bono, et optimo audientes verbum retinent*, & non solum audiunt, & retinent, verum etiam operantur, & patientiæ fructus afferunt. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Vnde scriptum est. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, Et Ioannes Apostolus in Apocalypsi ait. *Beatus qui legit, et qui audiunt verba prophetiæ huius et seruant ea, quę in ea scripta sunt.* Sed notandum est quod ait: *In corde bono, et optimo*; terra enim alia bona, alia melior, et alia optima est. Vnde, & Matthæus Euangelista Semen inquit, *cecidit in terram bonam, et attulit fructum aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum.* Bona est enim quæ trigesimum, melior quæ sexagesimum, optima vero quæ centesimum fructum affert: si enim libenter audis verbum Dei, & quod audis, bene, & Catholicè intelligis, & id quod intelligis, operaris, bona terra es. Quid bene, & Catholicè intelligere, nisi dupliciter intelligere, videlicet secundum literam, postea vero secundum spiritualem intelligentiam: Decem quidem sunt verba legis, in quibus tota lex pendet, et prophetę. Quę si dupliciter intelligamus ad Christum vsque conscendimus. Si autem ea, dupliciter idem ad literam, & spiritualiter intelleximus, singula operemur, fiunt triginta, Bona igitur terra, quæ decem legis mandata prius ad literam, deinde vero spiritualiter intelligit, & ea quæ intelligit, operatur. Trigesimum ergo fructum dant boni coniugati. Si non simpliciter vt Iudæi sed dupliciter, vt Christiani legem credunt, & intelligunt, & ea quæ intelligunt operantur, & custodiunt. Nunc autem ad sexagesimum veniamus, quem continentes reddunt, qui tantò coniugatis meliores sunt, quantò hic numerus illum excedit, cum totus ille in isto duplex inueniatur. Valde enim meliores sunt, qui corporis, & animæ continentiam, & castitatem custodiunt, quam qui solius animæ castitatem obseruant. Constat autem sexagesimus numerus ex sex, & decem, quoniam sexies decem, vel decies sex, sexaginta fiunt, & in decem quidem totam legis scientiam intelligimus, quoniam vt iam diximus in decem legis mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. In sex autem integra operatio designatur, quoniam in sex solummodo diebus omnem nostrum laborem, & operationem constituit Deus. dies namque Sabbati non ad laborem, sed ad quietem positus est. Dant igitur Continentes fructum sexagesimum, si legem quæ in decem mandatis continetur, credunt, & intelligunt, & ea quę intelligunt, operari non negligunt. Restat nunc vt de his dicamus, qui fructum centesimum Domino reddunt; centenarius namque numerum, & secundum se, & secundum partes suas perfectus est, quoniam replicari quidem potest, crescere autem non potest, decies namque decem centum faciunt. Et decem quidem, & centum, & mille, quia non est, vbi crescant, perfecti numeri dicuntur. Illi igitur qui perfecti in Ecclesia sunt, centenarium fructum congregatis redpere intelliguntur, & de talibus quidem Dominus ait. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quę habes, et da pauperibus, et veni sequere me.* Itemque, *Nolite cogitare de crastino, et nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori quid induamini.* Tales autem illi erant, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Soli igitur perfecti centesimum fructum reddunt, inter quos nec ipsæ virgines poni debent, nisi & ipsæ propter virginitatem hanc habeant perfectionem, Sic igitur semen, quod cecidit in terram bonam, attulit fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud verò centesimum.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore, *Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolimam, & consumabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

MVlta iam consumata erant, quæ de filio hominis prophetæ predixerant, multa iam completa erant, quæ de eius humanitate prophetauerant, pauca restabant adhuc, quæ ipsis diebus adimplenda erant. Quæ ideo quidem suis discipulis, Dominus prædicere voluit, vt cum sua sponte passum intelligamus, & ea quæ sibi ventura erant, eum præscisse, & præuidisse nemo vnquam dubitare audeat. Sequitur *Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur*

spuetur

ſpuetur, & poſtquam flagellauerint, occidant eum, & die tertia reſurget, & ipſi nihil horum intellexerunt. Erat enim verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Omnia hæc Prophetæ prædixerant, omnia hæc fieri oportebat, quoniam, vt fierent ipſe volebant. Vnde, & quibuſdam alibi ait. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quę locuti ſunt prophetę. Nonne ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Itemque *quomodo ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri*. Oportet enim vt fiat, quicquid Dominus fieri diſpoſuit. Tunc autē vt Matthęus ait: *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedęi cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo*. Tunc inquit, quādo Dominus aſcendebat Hieroſolimam, vt pro omnibus pateretur, tunc mater filiorum Zebedæi, id eſt Iacobi, & Ioannis ... is admonita acceſſit ad Ieſum, vt primas ſedes filijs poſtularet. In quo manifeſte apparet, quia vt Euangeliſta dicit, verba Domini diſcipuli non intellexerant, quæ modo de ſua paſſione eis Dominus nunciauerat, ſi enim intellexiſſent potius ad fletus, & lachrimas conuerterentur, quam de dignitatibus aliquid loquerentur, acceſſit igitur *ad eum Mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo*. Mulier iſta religioſa Chriſto familiaris erat, ideo & magna petit, & confidenter ad Dominum accedit. Valde enim de Chriſto præſumebat dum pro filijs orat, quod ipſi ſibi pro ſe petere timebant. Sed quid dicit? *dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo*. Cum ambitione loquitur mater, & cum carnali affectu ambitioſis filiis primas in cęlo cathedras poſtulat. Vnde, & merito eis a Domino dicitur: *Neſcitis, quid petatis*, neque ita petere, neque ita dare conuenit primas ſedes. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei poſſumus*, obſcure eis loquitur Dominus. Et fortaſſe nondum intelligebant, de quo calice eis loqueretur: dicebat enim de calice paſſionis. De quo & Petro Apoſtolo alibi ait. *Calicem, quem dedit mihi pater non vis, vt bibam illum?* Et Pſalmiſta *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et ait eis, calicem quidem meum bibetis*. Biberunt enim Iacobus, & Ioannes Calicem Chriſti, non quod ambo martyrio vitam finierat, ſed quod multas perſequutiones, & anguſtias, & tribulationes ambo ſuſtinuerint. Et Iacobum quidem occidit Herodes, ſic enim ſcriptum eſt. *Occidit autem Iacobum fratrē Ioannem gladio*. Ioannes vero non occiſus, ſed in feruentis olei dolio miſſus, & in Pathmos inſula exilio relegatus magnæ afflictionis, & amaritudinis calicem bibit. *Sedere autem ad dexteram meam vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a patre meo*. Ac ſi aperte dicat, quod vos modo petitis iā datum eſt. Non eſt meum dare, modo non ad me pertinet ordinare, & diſponere modo quis ad dextram meam, vel ad ſiniſtram ſedere debeat in regno meo. Hæc diſpoſitio non eſt hominis, nō eſt huius temporis, ab ęterno factum eſt, quod modo fieri poſtulatis. Simul cum patre ante tempora diſpoſui, neque iterum diſponere habeo quam ſedem vnuſquiſque ſuſcipiat. Quibus igitur paratum eſt videre ad dextram meā vel ſiniſtram ſiue vobis ſiue alijs illorum erit, mutari non poteſt, quod paratum, & diſpoſitum eſt. *Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus*. adhuc enim, & iſti carnales erant, neque minus ambitioſi, quam illi ideoque indignabantur, & quod ſibi vnuſquiſque affectabat, hoc dari alijs inuidebat. Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait illis: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*. Non ita inquit erit inter vos, ſicut eſt inter mundi huius poteſtates, vt ille cæteris dominetur, qui maior cæteris eſſe videtur, ſed potius omnibus erit inferior, qui voluerit eſſe ſublimior. Et qui plus ſe humiliauerit, maior a Deo conſtituetur hoc autem ad exemplum ſui oſtendit dicens; Sicut *filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis*. Sicut inquit filius hominis ſe humiliauit, ſic ſe humiliet qui maior eſſe voluerit, *qui cum in forma Dei eſſet non rapinā arbitratus eſt, eſſe ſe ęqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens, vſque ad mortem*, & quaſi ſeruus, & miniſter ſuorum diſcipulorum pedes lauare non eſt dedignatus. Hæc autem in via loquebatur Dominus his, & ſimilibus ad ſui exemplum diſcipulos ſuos informabat, nec in ipſo itinere otioſus eſſe volebat. *factum eſt autem cum appropinquaſet Ierecho*, nonaque interpretaretur luna, cuius mutabilitas tanta eſt, vt numquam in eodem ſtatu permaneat. Significat autem mundum iſtum cuius mutabilitates infinitæ ſunt, vt enim de alijs taceamus, quis ſolius hominis mutabilitates dicere valeat? Hanc autem ciuitatem qualiter, & quibus armis, & in quot diebus ceperit Ieſus Hiſtoria narrat. Quod ſi bene intelligatur eodem modo, eiſdem armis totidemque diebus Ieſu Chriſto Domino noſtro mundus iſte ſubiugatur. Et tunc quidem appropinquauit Dominus Iericho, quando factus eſt homo noſtræ carnis mutabilitatem ſuſcepit. Tunc igitur cęcus iſte illuminatus eſt, in quo multi cęci intelliguntur. Vnde, & Matthæus non vnum, ſed duos cęcos fuiſſe dicit per quos duos populos Iudęos videlicet, & gentiles intelligimus. Orto namque iuſtitiæ ſole *populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Ipſe eſt enim, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, omnes enim cæci erant*. Et quando hæc lux mundo apparuit, vel pauci, vel nulli illuminati erant. Sed numquid, & modo cęci non ſūt multi quidem cęci ſunt, & modo. Quomodo enim cęci non ſunt qui diabolum ſequuntur, & ſemper de via vitiorum præcipitantur. Vere vtique cęci ſunt, quos diabolus trahit. Vidiſti cęcos aliquando a pueris, aliquando etiam a canibus trahi: & melius quidem iſti trahuntur, quam illi qui a Diabolo ducuntur. Iſti enim cadunt, & ſurgunt: illi vero quos diabolus trahit, poſtquam ſemel in foueam præcipitātur numquam vlterius leuantur. Cæcus eſt autem omnis ſuperbus, omnis auarus, omnis adulter, & fornicator: denique omnes cæci ſunt quicunque illam lucem non ſequuntur, quæ ait. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitę*. Quiſquis igitur es, qui te cæcum eſſe intelligis, redi ad viam: quanto enim quiſque iniquior eſt, tanto a via longius eſt: ſed ad quam viam, ad illam per quam tranſit, & ambulat Ieſus. *Vniuerſa enim via Domini miſericordia & veritas*: ad has igitur te dirige per has ambulare diſce, clama & mendica, clama non ore, ſed corde, clamor cordis altius auditur, cęlos penetrat, & in Dei auribus reſonat. Clama ergo & dic, *Miſerere mei Domine fili David*. Mendica cum propheta, *Inclina Domine aurē tuam ad me, & exaudi me quoniam egenus, & pauper ſum ego*. O quam diues iſte erat qui ſic mendicabat, & ſe egenum, & pauperē dicebat. Noli audire turbam te increpantē, & clamare prohibentē, mala turba quæ a tali clamore hominē exturbat. Hæc turba vitiorum, & malignorum ſpirituum exercitus intelligitur, qui nos ad Deū clamantes, & miſericordiam poſtulantes ſemper impedire conantur. Si enim cæcus tacuiſſet, & turbę increpanti crediſſet adhuc illuminatus non fuiſſet. *Stans autem Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe, & cum appropinquaret interrogauit eum dicens, quid tibi vis, vt faciam? At ille dixit Domine vt videam*. Ecce quantum oratio poteſt, ecce quantum valet clamor mētis, turbam vincit, Chriſtum ſiſtit, clamore tenetur qui fortitudine teneri non poſſet. Stat Ieſus, vocat, & expectat eum, interrogat quid velit, nihil niſi lumen requirit, cum lumine loquitur, & a lumine lumen quærit, nihil melius quærere poterat. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & Ieſus dixit illi: reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum*. Inter dicere, & facere Dei nulla diſtantia eſt. Dixit illi, reſpice, & confeſtim vidit. Hoc autem fides fecit ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ſequebatur illum magnificans Deū. Cæci non ſequuntur Ieſum: Illi enim ſequuntur, qui illuminati ſunt. Illi vero illuminati ſunt, qui in eum credunt qui veritatem intelligunt, & errores tenebras a ſe repellunt. Et tales quidem eum magnificant, & laudant, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. *Et omnis plebs, vt vidit dedit, laudem Deo*. Dignum eſt

enim vt omnes eum laudent, qui facit mirabilia magna solus.

FERIA QVARTA CINERVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Cum ieiunatis nolite fieri sicut hipocritæ tristes.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

TRistes enim dicuntur Hipocritæ, quia vt religiosi appareant tristitiam quandam,& seueritatem in vultu ostendunt,quasi qui multo ieiunio sint confecti. Vnde & subditur: *exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes*, facies enim suas exterminant,quia vltra suæ pulchritudinis terminos, atque naturam incultas & informes horrescere finunt. Si enim informitas Deo placuisset tam pulchra facie hominem non formasset. Sed quare hoc faciunt: *vt appareant hominibus ieiunantes*: si enim soli Deo ieiunium suũ commendare voluissent non in facie,sed in corde illud ostenderent. Scriptum est enim, *homo videt in facie, Deus autem corda intuetur.* Quia igitur non Deo, sed hominibus placere volunt illud exterminant quod ab hominibus videtur. Ideoque quia laudem ab hominibus quærunt, mercedem a Deo non recipiunt & hoc est quod ait. *Amen dico vobis receperũt mercedem suam.* Sola igitur intentio facit vt nostra ieiunia, & cuncta nostra opera Domino placeant. Vnde & in sequẽtibus ait: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus nequam fuerit totum corpus tuum tenebrosum erit.* Animæ namque oculus intentio est, quæ si bona fuerit,omnis eius operatio lucida erit. Vnde quidam sapiens ait: non magnopere considerandum est quid aliquis agat,sed qua intentione hoc faciat. Qui enim ideo ieiunant,& facies suas exterminant vt appareant hominibus ieiunantes, quia stulta, & vana intentione hoc faciunt,isti quidem sicut Dominus ait, *receperunt mercedem suam.* Similiter autem, & illi qui omnia opera sua faciunt *vt videantur ab hominibus*,nullam aliã mercedem recipient. At vero illis qui bona intentione hoc faciunt,præcipit Dominus,vt coram hominibus opera sua faciant. Sic inquit. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera*, & glorificent patrem vestrum, qui in cęlis est. Sola igitur intentio facit,vt opera nostra vel bona, vel mala Domino appareant: *homo enim videt in facie, Deus autem corda intuetur.* Vnde & ipse ait: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Iudicabitis quæ nescitis,cõdemnans multoties quę ignoratis: aliter vobis,& aliter mihi videtur: cognoscite prius intentionem,& sic iudicate. Potest enim fieri vt vnum, & simile opus non vna intentione fiat: palam enim eleemosina dare, & bona. & non bona intentione fieri potest. Si enim ideo das vt ab hominibus videaris, non est bona intentio,si vero ideo das vt bonum exemplum alijs tribuas,& Deus inde glorificetur,bona intentio est. Sic igitur in omnibus sola intentio quærenda est, quæ si bona fuerit totũ corpus virtutum,totaque massa operationum lucida erit. Sed dicis quomodo ergo ieiunabo? Audi quod sequitur. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum,& faciem tuam laua,ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui videt in abscondito. & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Hipocrita inquit quando ieiunat,faciem exterminat,quoniam exterminatorem,& tristitię principem in corde habet. Tu vero qui totius consolationis lætitiæ Dominum in cordis habitaculo gestas, hilarem, & pulchram faciem ostende. Appareat exterius in facie quantum lentię bonum præsideat menti. Et virtute ieiunij operante sicut animæ caput, & facies lauatur,& vngitur interius,sic etiam non meroris,sed gaudij pulchritudo reueletur exterius: hoc enim ieiunium suo ordine celebratum operatur in nobis vt mens nostra Sancti Spiritus oleo vngatur, & facies animæ peccatorum maculis abstergatur,faciei autem spiritualis,sanctaque lætitia hipocrisim tollit eiusque suspitiones. Qualiscumque enim facies,Deus tamen non faciem intuetur, sed corda. Age palam quicquid vis finge, & simula quod vis,ipse tamen in abscondito videt & secundum hoc quod ibi videt,reddet tibi. *Nolite thesaurizare vobis thesauros interea, vbi erugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate vobis thesauros in cęlo vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur*: in terra enim thesaurizanti dicitur *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Itemque: *o stulte hac nocte anima tua rapietur a te, quæ autem parasti cuius erunt?* De illo vero qui in cælis thesaurizat quid dicetur? *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sęculi, cornu eius exaltabitur in gloria* Et Dominus ad diuitem. *Si vis perfectus esse vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaures in cęlo.* Qui autem suos thesauros sic reponit securus est,eosque amittere non timet. Quicunque igitur es,qui cupis animam tuam in cęlo habitare,& esse ibi tuos thesauros repone: *Vbi enim est thesaurus tuus ibi est, & cor tuum.* Si in cęlo est thesaurus, ibi erit & anima,si in terra est,in terra erit: in terra vtique de qua B. Iob ad Dominum dicit. *Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam,& apertam mortis caligine,terram miseriæ, & tenebrarum vbi vmbra mortis,& nullus ordo,sed sempiternus horror inhabitat.* Denique vbi est thesaurus,ibi & est cor, quia vnusquisque illuc peruenire desiderat, vbi suas diuitias cognoscit esse reconditas. Beatus igitur qui diuitias suas in cęlo reposuit, vt semper ibi mentem habeat,semperque illuc omnibus viribus,& desiderio tendat.

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *cum intrasset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens Domine puer meus.* Et reliqua. Eiusdem Dominicę quartę post Epiphaniam.

FERIA SESTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Audistis quia dictum est antiquis diliges proximum tuum,& odio habebis inimicum tuum.* Et reliqua.

DOmino Nostro Iesu Christo docente didicimus quia maximum, & primum mandatum est: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo: Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quod autem hic dicitur, & odio habebis inimicum tuum, illud esse puto quod Dominus filijs Israel præcepit, vt Ammanitas, & Moabitas interfecerunt,& nunquam cum eis pacem haberent Similiter autem præcepit de Iebusęis, & Eueis, & chananęis, alijsque terræ illius habitatoribus vt non illis parcerent, sed in ore gladij omnes consumerent. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Cętera enim quæ superius dicta sunt non contraria legi,sed quoddã eius supplementum esse videtur secundum hoc quod dixerat: *Non veni legem soluere, sed adimplere.* Quæ vero modo dicuntur,contraria sibi videntur esse. Opposita enim sunt sibi odio habebis inimicum tuum, & diligite inimicos vestros. Dicit lex non diligas inimicum tuum, dicit Christus diligite inimicos vestros. Quomodo ergo intelligemus verba veritatis,vt non sint cõtraria legi? Quis est iste inimicus,quem odio habere,& diligere præcipit? Inimicus iste homo est. Inimicus quia peccator, amicus, quia homo. Duo enim audisti nomen.

tem,& peccatorem. Dilige naturam, non vitium odientium, non naturam. Hoc enim modo,& Christus legi,& lex Christo conueniet. Vnus enim idemque homo,& amicus, & inimicus est tibi. Vnus idemque homo te persequitur, & non persequitur. Quod enim Deus in homine fecit, amicũ tibi est, & non insidiabitur tibi; quod vero diabolus in homine fecit inimicum tibi est, tibique insidiatur. In vno eodemque ergo homine,& amicum diligimus, & inimicũ odio habemus. Quod ergo lex dicit *diliges proximum tuum*, naturam hominis intellige, quę ideo tibi proxima est, quia de eadem massa facti estis. Quod vero sequitur, *& odio habebis inimicum tuum*, vitium intellige, quod est causa omnium inimicitiarum. Nullæ enim inter homines inimicitiæ essent, si hoc solum de eis sublatum fuisset; Sequitur: *benefacite his, qui oderunt vos.* Hoc enim ipse Dominus,& docuit,& fecit sicut Iudęis loquẽs ait. *Multa bona opera operatus sum vobis, propter quod horum vultis me occidere? Et orate pro persequẽtib. et calũniãtib. vobis,* & hoc quidẽ ipse cõpleuit, quando pro suis persequutorib. orauit dicens. *Pater ignosce illis, non enim sciunt, quid faciunt. Vt sitis filij patris vestri qui in cælis est*, Quod sic intelligitur, vt sicut estis filij Dei per creationem, sic etiam sitis eius filij per imitationem. Ipse enim non solum amicis, verum etiam inimicis benefacit. Et hoc est quod ait, *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos*, sic enim inimicos nutrit vt amicos,& hos & illos sui solis splendore illuminat, & suarum pluuiarum inundatione vtriusque possessiones fecundat. Sed parua sunt hæc, audi maiora, qui solem suum filium suum solem iustitiæ lucem, quæ illuminat omnem venientem in hunc mundum, nunc oriri, nunc videri, nunc in tenebris lucere, nunc super bonos, & malos splendescere facit, & pluit super iustos, & iniustos. Prius enim per prophetas, deinde per filium postea vero per Apostolos,& doctores fidei,& doctrinę pluuias omnipotens Dominus pluit. Magnæ sunt istę nubes, his Ecclesia fecundatur, his bonorum semina nutriuntur, his qui infusus non fuerit, totus aridus igne cremabitur. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis. Nonne, & publicani hoc faciunt? et si salutaueritis fratres vestros tantum quid amplius facitis? Nonne Ethnici hoc faciunt?* Non enim hoc intelligere debemus, vt eos, qui nos diligunt, diligere non debeamus, alioquin nec Deum, nec proximum diligeremus, quę sunt duo maxima legis mandata. Quid igitur nisi vt diligamus non eos tantum, qui nos diligunt, sed etiam eos qui nos nõ diligunt: & nõ propter hoc tantum quia nos diligunt, hoc est enim vicem reddere, sed quia eiusdem corporis membra sumus,& eiusdem patris filij sumus. Talis enim amor spiritualis est,& ideo indeficiens: carnalis enim amor cito dilabitur sicut,& ipsa caro. Quali videlicet amore publicani, atque Ethnici se vicissim diligunt. Hos igitur omnes diligere omnium salutem quærere, omnibus charitatis affectum ostendere debemus. Quid enim est aliud salutare, nisi charitatis,& dilectionis affectum ostendere? sic igitur augetur amor & concordia crescit. *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester celestis perfectus est.* Non enim dicit, vt simus tantum perfecti, quantum pater noster celestis perfectus est: hoc enim impossibile est, sed dicit vt simus perfecti, sicut ipse est. Sic enim puer aliquis homo est, sicut & iuuenis quamuis viribus, & scientia non sit perfectus homo sicut iuuenis. Simus igitur perfecti pro modulo nostro, quoniam perfectus Dominus bonos,& perfectos vult habere fideles. Quæ sit ista perfectio audi quid ipse Dominus dicat. Si vis inquit *perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, et da pauperibus.* Hæc autem specialiter Apostolis dicũtur eorumque successoribus per eos mandantur. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cælis est. Si enim iustitiam nostram non debemus facere coram hominib. quid est quod superius ait, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes vestra bona opera glorificẽt patrem vestrum, qui in cælis est.* Quomodo enim videbunt bona opera nostra, quę coram eis, ipsisque videntibus facere nõ audemus. Si enim fecerimus mercedem non habebimus. Videamus igitur quid significet, vt videamini ab eis, in hoc enim tota quæstio soluitur. Non enim perdit mercedem sicut dicere videtur, qui iustitiam suam facit coram hominibus, sed qui ideo facit vt videatur ab hominibus, non iustitiæ mercedem quęrit, sed hominum laudem,& vanam gloriam, populiq; fauorem, ideoque non habet mercedem apud Deum, quoniã vanam mercedem laudis suscipit apud homines. *Cum ergo facis eleemosinam noli tuba canere ante te sicuti hipocritæ faciunt in Synagogis, et in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Nunquid ideo quia pauperes tubę sonitu colligebant, quos fortasse aliter tam facile adunare non poterant, aut quia in Synagogis, & in vicis hoc faciebant, vbi quia locus spatiosior erat, melius fieri videbatur. Non ideo quidem. Quare ergo? Vis audire quare? quia ideo faciebant, hoc non vt a Deo mercedem reciperent, sed vt honorificarentur ab hominibus. Tantum igitur eis amor laudis,& gloriæ contulit, vt eleemosinas darent, & mercedem non haberent. Quomodo ergo eleemosynas facere debemus? Sequitur. *Te enim faciente eleemosynam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosina tua in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid enim per dexteram, vel quid per sinistram intelligamus? si enim manus nostras in his intelligere velimus, nescio quomodo alterius opera, altera intelligat: non enim in manibus, sed in mente est intellectus. Denique cur dextera opus suum sinistrę abscondat, quæ tam concordans ei est, tamque fideliter in omnibus ei auxiliatur? Aliud igitur per dexteram,& sinistram oportet intelligere. Dextera enim nostra amor Dei est, sinistra vero amor laudis: hęc et im duxit ad agnos, illa ducit ad hędos. Recordare igitur Euangelij, in quo agni constituuntur a dexteris, hedi vero a sinistris. Si ergo facis eleemosynam fac amore Dei, quia hoc præcepit vt faceres, hæc est enim dextera tua. Nesciat hoc sinistra idem amor laudis. Non quæras inde fauorem vulgi vnde quęris placere Deo: vtrumque enim simul, & si habere possis, non habebis tamẽ,& si habere desideras. Si igitur in omni opere nostro nescit sinistra, quid faciat dextra, si non amore laudis, sed amore Dei,& iustitiæ illud agamus. Vnde & hic dicitur vt *sit eleemosina tua in abscondito.* Siue enim in Synagogis, siue in vicis, & plateis eleemosinam facias, in abscondito tamen facis quicumque hoc faciens non ab hominibus, sed a Deo videri desideras. E contra vero qui in abscondito facit, quoniam absconditum non vult esse quod facit, tantumque ei valet, ac si in publico faceret. Deus autem qui videt in abscondito,& cui in abscondito nihil est absconditum, qui,& corda scrutatur,& videt cogitationes, reddet vnicuique secundum opera sua & cum oratis, non eritis sicut Hipochritæ, qui amant in sinagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso hostio ora patrem tuum in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Omnes enim hę similitudines penè idem significant, atque vno modo absolui,& intelligi possunt. Neque enim peccat aliquis quia in Sinagoga orat, *quę est domus orationis*. In plateis quoque orare non est peccatum, quare ergo interdicitur: Audi quid sequitur,& intelliges, *vt videantur ab hominibus.* Quid enim significet velle videri ab hominibus, iam superius dictum est. Hęc est autem causa, quare oratio tua non suscipitur, quia vis videri ab hominibus. Vbicumq. enim ores, si ideo oras, vt videaris ab hominibus, non suscipitur oratio tua, sed si vis bene orare *intra in cubiculum tuum*, redi ad cor. hoc est enim cubiculum, in quo oratio conficitur, hoc est cubiculum, in quo Deus ipse quiescit. Ibi igitur ora, ibi loquere, ibi & quod dicis,& cui dicis præsto sunt, claude ostium, non indiget sono oris, non indiget clamore vocis ille cui, oras, ad cor enim respicit, in abscondito videt, nõ verborum compositionẽ, sed cordis compunctionem attendit. Vnde psalmista. *Cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.*

SABBATO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Marcum.

IN illo tempore. *Cum sero esset factum, erat nauis in medio maris, & ipse solus in terra.* Et reliqua.

DE hoc autem Matthæus Euangelista sic ait, quia postquam Dominus ex quinque panibus quinque millia hominum satiauit, *iussit discipulos suos ascendere in naniculã, & præcedere eum transfretum, donec dimitteret turbas. Vespere autem facto solus erat ibi, nauicula vero in medio mari iactabatur magnis fluctibus. erat enim contrarius ventus.* Ex eo autem tempore Iudæorum populo vesperum fuit, ex quo Christus sol iustitiæ de hoc mundo recessit. Eo enim nascente *lux orta est eis*, eo verò moriẽte *tenebræ factæ sunt eis.* Quod autem *nauicula in medio mari fluctibus iactabatur*, hoc significabat, quod post Christi passionem, & ascensionem Sancta Ecclesia in hoc mundo multa aduersa esset passura. Vnde & bene dicitur, quia *ventus erat ei contrarius*. Quid enim ventus contrarius nisi tyrannorum sæuiens persecutio. *Quarta enim vigilia noctis uenit ad eos ambulans supra mare:* Quarta enim vigilia ex eo tempore agitur, quo Saluator noster in mundum venit. Prima enim vigilia fuit ad Adam vsque ad Moysen, Secunda a Moyse vsque ad Dauid. Tertia a Dauid. vsque ad Christum. Prima enim vigilia nimio somno grauata sine lege fuit. Secunda legem habuit. Tertia Prophetas. Quarta Euangelium. Quarta igitur vigilia venit ad eos, quia magis in hac, quam in alijs omnibus seruos suos Dominus visitare dignatur. Ambulat autem super mare, quia totus ei subiectus est mundus. *Et uidentes eum super mare ambulantẽ turbati sunt dicentes quia phantasma est, & præ timore clamauerunt.* Clamor enim confusus & inordinatus eos timore nimio indicat fuisse turbatos. *Statimque Iesus locutus est eis dicens habete fiduciam, Ego sum, nolite timere.* Sic enim, & Moisi Dominus ait. *Ego sum, qui sum. sic dices filijs Israel: Qui est misit me ad uos.* Vel ideo fortasse dixit, *ego sum*, vt eum quis esset agnoscerent audita voce, quam cognitam habebant: sæpe enim alicuius vocem à longe audientes quid sit confestim agnoscimus, etsi eum non videamus. *Respondens autem Petrus dixit. Domine si tu es, iube me uenire ad te super aquas. At ipse ait: ueni.* Vbique enim B. Petrus feruentissimæ fidei fuisse monstratur; neque enim profundissimo pelago sese crederet, nisi fidem certissimam de Domino haberet: sciebat enim Saluatorem nostrum omnia posse, & nihil minus in mari, quam in terra potestatem eum habere credebat. Veruntamen quod Petrus super mare graditur, non solum magistro, verum etiam discipulis mundus iste subiectus esse monstratur. Quamuis etiam propter hæreticos ita fieri oportebat, qui Christum Dominum, eo quod super mare ambulauerat, non verum, sed phantasticũ corpus habuisse postea dicebant. Vincuntur enim isti, dum B. quoque Petrum super mare ambulasse audiunt, quem vtique verum corpus habuisse non dubitant. *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum, videns vero ventum validum timuit, & cum cœpisset mergi, clamauit dicens. Domine saluum me fac. Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi, Modicæ fidei quare dubitasti:* Hoc enim facto Beatus Petrus ea, quę sibi ipsi ventura erant, iam ex tunc significabat. In Christi namque passione quasi super aquas confidenter ambulabat cum diceret. *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor.* Videns vero ventum validum timuit, quia cum Dominus à Iudæis teneretur, ipse quoque cum alijs discipulis fugit. Mersus est autem, quando negauit: deinde vero clamauit dicens: *Domine saluum me fac*, quando egressus foras fleuit amare. Ipsum enim flere fuit, Sed *continuo Iesus extendens manum apprehendit eum*, quando voce angelica eum consolando, & quodanimodo ad se trahendo dictum est mulieribus. *Ite, dicite Discipulis eius, & Petro, quia præcedet uos in Galilæam.* In eo enim quod eum proprio nomine vocauit, quasi manu apprehensum tremebundum, & tam perire timentem ad spem gratiæ eum eleuauit. In his autem Ecclesiæ quoque prospera, & aduersa significari possunt, quæ quidem aliquando mergi, aliquando vero exurgere videntur. *Et cum ascendisset in nauiculam cessauit ventus:* Non est autem intelligendum, vt tunc Iesus nauiculam ascendisset. Prius enim venit Capharnaum, vbique multa in Synagoga locutus est, quæ Ioãnes quidem scribit, Matthæus vero, & Marcus prætermittunt. Dicit enim Ioannes quia noluerunt eum discipuli in nauiculam suscipere, sed statim fuit nauis ad terram, ad quam ibant, idest Capharnaum. Vnde manifestum est eum tunc in nauiculam non ascendisse. Iusserat enim Dominus, vt superius dictum est, vt discipuli sui eum præcederent; qui cum venissent Capharnaum, ibique eum non inuenissent, flectentes iter, ad eum reuertebantur, & tunc quidem apparuit ei Dominus ambulans super mare, & expletis omnibus, quę modo in hoc Euangelio dicta sunt, postquam ea locutus est, quæ Ioannes narrat vsque ad illum locum in quo dicitur: *Hæc autem locutus est Iesus in Synagoga docens in Capharnaum*, redierunt ad nauem, & cũ ascendisset in nauiculam cessauit ventus; nondum enim ventus cessauerat, nec mare à suo feruore quieuerat, sed sicut in nocte, ita & in die eisdem adhuc fluctibus agitabatur; vt autem Iesus ascendit in nauiculam, mox ventus cessauit. *Qui autem in nauicula erant, viso tanto miraculo, stupentes venerunt, & adorauerunt eum: dicentes: Vere filius Dei es.* Marcus vero eos redarguit, & oblitos, & excæcatos dicit, quod ex hoc stupentes admirarentur, qui præterita die iam magnum miraculum in quinque panibus Dominum fecisse cognouerant. Vnde & ait. *Non enim intellexerant de panibus* Si enim de panum miraculo recordarentur, iam non erat, vt de maris sedati miraculo mirarentur. *Et cum transfretassent, uenerunt in terram Genesaret, et applicuerunt. Cumque egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum.* Hoc autem Matthæus manifestius dicit. Videtur enim Marcus dicere, quod discipuli eum non cognouerint, donec de naui egrederentur: sed non est ita: non enim hoc de discipulis dicitur, sed de hominibus regionis illius. Qui statim vt eum cognouerunt, & vndique infirmos suos ei ad sanandum obtulerunt. Et hoc est quod Matthæus ait. *Et cum cognouissent eum uiri loci illius miserunt in uniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, vt uel fimbriam uestimenti tangerent: & quicunque tetigerunt salui facti sunt.* Oremus autem & nos Dominum, vt in nauiculam pectoris nostri ascendere dignetur, & superbiæ ventositatem, & vitiorum insurgentium procellas quiescere faciat. Ascendat etiam in nauiculam suam, scilicet in Sanctam Ecclesiam, & se ibi manifestet, qui ibi quodammodo non esse videtur, dum tanto eam persecutionum turbine patitur agitari: & imperet ventis, & mari, & fiet tranquillitas magna. Quod autem ait. *Et cum cognouissent eum uiri loci illius, miserunt in uniuersam regionẽ illam & obtulerunt ei omnes male habentes, ut eos sanaret*, Quid aliud significat, nisi quia viri sancti, qui Deum agnoscere meruerunt, pro aliorum peccatis orare, & alios Deo commendare, & offerre debent? Sed quid est Christi vestimenti fimbriam tangere: Aliud enim est tangere Christum, aliud vestimenta Christi, Thomas enim Christum tangẽs dicebat: *Dominus meus, & Deus meus.* Philippus vestimenta tangebat, & non Christum, cum diceret. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Propinquiùs igitur Thomas Christum tangebat, quàm Philippus. Vnde & illi dicitur. *Quia uidisti me Thoma credidisti*; huic autem. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Qui uidet me, uidet & Patrem.* Ille igitur iam vidisse, & credidisse; iste vero nondum bene vidisse, vel credidisse dicitur. Illi igitur tangunt Christum, qui in eũ perfecte credentes, Catholicæ fidei veritatem cognoscunt. Illi vero tangunt vestimenta Christi, qui quamuis intelligere non valeant, credunt tamẽ, quod eis a veris Catholicis prædicatur. Tantò igitur vnusquisque longiùs tangit Christum, quantò minus intelligit, & cognoscit Christum. Omnes tamen sanantur, qui vel fimbriam vestimenti eius tangunt

quo-

quoniam omnis, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE

Lectio Sancti Euangelii secundum Matthęum.

IN illo tempore *Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, vt tentaretur a Diabolo*. Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

B*Aptizatus Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cęli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se: & ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Quid est enim quod baptizato Domino cęli aperiuntur? Magnum est hoc mysterium, magnamque his, qui baptizantur, lætitiam præfigurat. Clausum erat prius, nemo illuc ante baptismum ingrediebatur: nunc autem apertum est, sed baptizatis est apertum. Sic enim Dominus ait. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnũ cælorũ*. Et nunc quidem, *ductus est Iesus in desertum a Spiritu, vt tentaretur a Diabolo: & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*. Præcipui Ecclesiæ Sanctę Doctores Dominum Iesum in desertum a suo spiritu ductum esse exponunt, quem si ab alio quoque spiritu ductum fuisse exposuissent, non esset inconueniens. Cum Lucas Euangelista eum in Hierusalem, & in montem excelsum valde a diabolo non assumptum, sed ductum apertissime scribat dicens: *Et duxit illum Diabolus in montem altissimum, & ostēdit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis*; Et paulò post. *Et duxit eum in Hierusalem, & statuit illum supra pinnam templi*. Quod si ibi, & ibi ab alio spiritu ductum esse: non est inconueniens, quare in desertum quoque ab alio spiritu eum ductum fuisse inconueniens videatur. Sed siue a suo, siue ab alio ductus fuerit, considerandum est, quare se a diabolo tentari permiserit. Nihil enim sine vtilitate, & ratione fecit Saluator noster, & ibi maxime rationem quęrere debemus, vbi ipse aliquid agat: si tamen tale aliquid agat, quod sua maiestate videatur esse indignum. Quis enim audire non horreat quod tanta Virtus a diabolo vel ducatur, vel tentetur? Verumtamen, quia sua sponte ducitur, immo se iubente ducitur. Eius enim velle iubere est. Non est hoc tantum horrendum, quantum, quid significet, mirandum, & quęrendum. Quis enim nesciat Pilatum, & Iudæos, qui eum occiderunt, non solum membra Diaboli, sed eius quoque seruos fuisse? & quidem maior nobis iniuria videtur esse ea, quam à seruis alicuius patimur hominis, quam si ab ipso eorum Domino ea pateremur. Vnde non magis horrendum est quod Saluator noster à diabolo ducitur, & tentatur, quam quod à Iudęis occiditur, & flagellatur. Sicut enim Christus occiditur non sibi, sed nobis; ita etiam tentatur non sibi, sed nobis. Nobis enim mortuus est; quia eius mors nobis necessaria erat. Nisi enim ipse moreretur, nos nō viueremus. Mortuus est igitur, vt nos viuamus. Similiter autem nobis tentatus est, quia eius tentatio duplex nobis beneficium prętat: alterum quidem, vt sciamus quomodo tentatoribus nostris, & his, qui nobis iniuriam faciunt, respondere debeamus, alterum vero, vt in nulla nostra virtute, vel sapientia confidamus, quoniam *inimicus noster diabolus*, qui ipsum Dominum nostrum tentare præsumpsit *tanquam Leo rugiens circuit quęrens quem deuoret*. Reddita igitur causa tentationis, videamus, & mysterium significationis. Cum enim multis modis diabolus hominem tentet, maxime tamen his tribus eos tentando aggreditur; id est, aut ciborum appetitu, aut vanagloria, aut honoris, & diuitiarum sublimitate. Nititur autem eos, quos tentat ad excelsa ducere, & in altum eleuare: vt sicut ipse leuatus cecidit, sic & alios exaltando ruere faciat. Ipse est enim, qui ait; *In cęlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, & similis ero Altissimo*. Alios itaque in desertum ducit, alios super templi pinnaculum ponit, alios vero in montem excelsum exaltat. Et in desertum quidem ducit, quando ab amore cælestium rerum, & à diuina contemplatione mentes hominum auertit, & terrena quęque, & transitoria cogitare facit. Desertum enim est quicquid a Deo longe est. Sed quia cogitare non magnum peccatum est, nisi cogitationi delectatio succedat, apponit menti diuersas ciborum delicias, vt sicut primum hominem decepit per gulæ intemperantiam, sic cęteros quoque decipiat. In pane enim omnia genera significantur secundum illud. *Intrauit Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem*. Quando igitur hęc tibi in mentem venerint, & oblitus eorum, quæ animæ sunt, sola ex quibus caro delectatur, impinguatur & superbit, cogitare cęperis; recordare, quia in deserto es, tentat te inimicus, & panes suos tibi apponit. Non vult, vt ieiunes, non vult vt abstineas, non vult, vt Sāctorum obseruationes custodias, Inuitat te ad carnis voluptatem, inuitat te ad crapulam, & ebrietatem. Scit enim quātum caro his superbit, & eleuatur; scit quantū anima his premitur, & superatur. Responde itaque sicut Dominus tuus respondit, quando ipse quoque ab eo tentabatur: *Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Pane enim nutritur corpus, verbo Dei reficitur anima. Vtrumq; ergo bonum est. Alterum tamen nimium appetere, multumque delectabile quęrere, & in suscipiendo temperantiam nō habere malum est. Ex hoc enim luxuria, omnisque carnis petulantia nascitur. Propter hoc & *diues ille, qui epulabatur quotidie splendide, quia susceperat bona in vita sua, omnia mala nunc patitur post mortem suam*. Videamus modo de illis quos supra pinnaculū templi Diabolus statuit; in quibus mihi Clericorum ordo maxime significari videtur. Illi enim à diabolo supra pinnaculum templi eleuantur, qui dum se idoneos esse putant, qui Ecclesiam Dei tegere possint, & pretio, & precibus, & quibuscunque modis possunt Ecclesiæ Prælati, & Episcopi fieri nituntur. Neque enim aliter se Christus illuc a diabolo duci pateretur, nisi quia tales Christianos suo nomine presignitos in hoc facto significare volebat. Et benè quidem tunc omnium personas, bonorum scilicet, & malorum in se significando suscepit, quando se à diabolo tentari permisit. Nō est autem inconueniens quod malos Christianos in se Dominus significare voluerit, qui per Baptismi Sacramentum eius corpori vniti sunt. Cum ipse alibi dicat. *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est, omnē palmitē in me nō ferentem fructum tollet eum*. Nota quod ait *in me*. Omnes enim palmites etiam infructuosi per Baptismi Sacramentum in ipso sunt, quamuis de ipso aliquando tollendi sunt. Quod autem ait: *Si filius Dei es mitte te deorsum*; quid aliud nisi hoc dicere videtur: iam inter filios Dei computatus es, iam Episcopus ordinatus es, iam ab his, qui te non cognoscunt videris esse, quod nō es: fac igitur aliquid, vnde lauderis, vnde gloriosus habearis, vnde magnus ab hominibus videaris. Mitte te deorsum, semper enim ij tales se deorsum mittunt, quia solas diuitias, gloriam, & dignitates quærentes quotidie deteriores fiunt. Et hos tamen benignissimus Dominus docere non dedignatur quomodo suo tentatori respondere debeant: si tamen non diabolum tentantem, sed se salutaria consilia dantem audire velint. Ait enim. *Rursus scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*. Hoc enim Dominus respondit quando diabolus eum duxit supra pinnaculum templi, & quando ei dixit *Si filius Dei es mitte te deorsum*. Similiter igitur & tu, quando intelligis te supra Ecclesiam Dei male ordinatum, & nō à Deo, sed à Diabolo ibi positum, cęterisque prælatum, qui te etiam quotidie præcipitare, & perdere nititur: Recordare huius testimonij quod non a diabolo, sed tibi, & omnibus hominibus a Domino dicitur. Responde igitur: Non tibi credam, non me deorsum mittam, sed obediam scripturę mihi dicenti: *Non tētabis Dominum Deum tuum*. Quomodo enim Deum non tētat, qui Ecclesiā, quā furtim per latrociniū inuasit, cōtra Canonū instituta, & Dei volūtatē tenet, & possidet? Multū.n. Deū tentat, qui in eo peccato perseuerat, quo se perire nō dubitat. His aūt dispositis, nūc de illis quoq; videamus, qui supra mōtē excelsum valde a diabolo ducūtur, quibus ēt omnia Regna

mundi, & eorum gloriam ostendit, & ostensa promittit, si eũ procidentes adorent. Quos enim alios per istos intelligamus, nisi Imperatores, Reges, Duces, Principes, cęterosque sęculi potentes, quos in montem excelsus scilicet in ipsarum dignitatum sublimitatem, per homicidia, penuria, furta, rapinas, proditiones, fraudes, & cætera huiusmodi diabolus ducit, & exaltat? & isti quidem eum adorant, eum colunt, & venerantur, eum quasi Deum sequuntur, et post eum in tenebras demerguntur. Neque enim audiunt hoc quod dicit Dominus Iesus, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Isti eum imitantur, ei seruiunt, & obediunt, Isti sunt milites, et consiliarij, Isti eius faciunt voluntatem. Miseri, qui non intelligunt cui seruiunt, quem sequuntur, & cuius se seruituti subijciunt. Quanto enim amplius ei seruierint, tanto maiora tormenta ab eo suscipient.

Quia igitur dictũ est de his qui in desertum ducũtur, & de his, qui supra pinnaculũ templi constituuntur, & de illis, qui supra montem excelsum valde exaltantur, nunc ad principiũ redeamus, & quare Saluator noster quadraginta dieb. & quadraginta noctib. ieiunauerit exponamus. Quæri enim potest quare, neque plus, neq; minus ieiunauerit, & quare hoc sibi dierum numero ieiunare placuerit. Tantũ enim Moysen, tantum, & Eliã ieiunasse legimus. Quadragenarius enim numerus ex quatuor constat, & decem. Quater enim decem, vel decies quatuor quadraginta fiunt. Per quatuor autem Nouum testamentum significatur, quoniã in quatuor Euangelijs cõsistit. Per decẽ vero significatur Vetus, quia in decem mandatis legis continetur. Quadraginta ergo diebus ieiunare est vtriusque testamenti Pręcepta seruare. Quadraginta enim diebus ieiunat, qui ab illis omnibus se immunẽ, & ieiunum custodit, quæ vtrumque testamentũ facere interdicit, vt sicut caro exterius ieiunat a cibis, ita & mens interius ieiunet a vitijs. Dicit enim scriptura: *non occides, non mechaberis, non furtum facies, non falsum testimoniũ dices, non concupisces rem proximi tui*, & similia: Hi sunt illi cibi, a quibus vtrumque testamentum præcipit abstinere. Qui ergo carnẽ ieiunijs, macerat, nisi interius ab istis cibis se ieiunũ custodiat, non benè ieiunat. Ieiunemus igitur carne, ieiunemus, & mẽte. Noti nobis sint illi cibi, a quibus abstinere debeamus. *Ieiunauit*, itaque Dominus, *Iesus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*: quatenus in ciborum ieiunio significaret nobis ieiunium corporis, & in dierum numero demonstraret ieiunium cordis.

F E R I A S E C V N D A.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius* &c. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DOminus enim, qui prius humilis venit, & in forma serui, iterum excelsus, & sublimis venturus est in maiestate sua, & in gloria patris. Venient autem, & omnes Angeli cũ eo, vt ex ipsa sui exercitus multitudine eius virtus, & omnis potentia manifestetur. Et tunc quidem. *Sedebit in sede maiestatis suæ*. Quoniam tunc Patri coęterno ęqualis, & similis reuelabitur. Nusquam enim melius regia dignitas, quam in sede regis manifestatur. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes*, secundum illud; *Viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* Non autem erit ei difficile omnes gentes congregare, cui difficile non fuit creare, & resuscitare. Et ipse quidem, Pastor bonus, qui oues suas bene cognoscit, bonos a malis separabit, ouesque statuet à dextris, hedos autem a sinistris. Oues enim dicuntur boni propter simplicitatem, & innocentiam, hedi verò dicuntur mali propter vanitatem, & petulantiam. In ipsa autem positione dextræ, & sinistræ iam ex tunc vtraque pars cognoscere poterit cui pręmia, & cui pœna immineat. *Tunc dicet his Rex, qui a dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Quare hoc? Vultis audire quare? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me: Nudus, & operuistis me, in carcere eram, & venistis ad me.* Si enim ante mundi constitutionem regnum eis erat paratum, constat, quia antequam fierent, ad vitam erant prædestinati. Qui vero ad vitam pędestinati sunt, illi nullatenus perire possunt. Fit autem conditionaliter Prædestinatio Dei, nihilque sine aliqua conditione pędestinatum est. Prædestinatum est enim, vt saluaretur mundus, sed per aquam Baptismatis, mortem filij Dei. Prædestinati sunt omnes boni ad gloriam, ea tamen conditione, si fidem tenuerint, si charitatem, si humilitatem, si patientiam, si misericordiam, & pietatem, & his similia habuerint. Tales enim eos futuros præuidit, quos Deus ad vitam pędestinauit, & quasi prædestinando eis diceret. Ego quidem ad vitam vos prædestino, si enim tales, & tales fueritis. si mea mandata custodieritis, si fidem, & misericordiam habueritis, & si in bono ĩdem inuenti fueritis. Qui igitur talis esse non vult, qui Dei mandata custodire non nititur, ideo non venit ad prædestinationem, quia non seruat conditionem. Noli ergo attendere ad prædestinationem Dei, quam ignoras, attende ad verba quę audis, & intelligis. Sicut enim in pędestinatione sua vera, est Deus, & mutari non potest: ita, & verba eius vera sunt & mutari non possunt. Vnde, & in Euangelio Dominus ait. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Sed audiamus quę sint hæc verba. *Peccator* inquit, *quacunque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.* Itemque *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, quod si nolueritis, gladius deuorabit vos.* Et in Euangelio. *qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Et iterum, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra, si vero non dimiseritis hominibus peccata eorum nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ne quæras aliam pędestinationem, in his enim verbis omnis & vitę, & mortis prædestinatio consistit. Si hæc feceris esto securus, & crede indubitanter, quia ad vitam ęternam destinatus es. Quod si indurato corde hæc facere nolueris, & in hac malitia perseueraueris, pro certo scias te ad mortem esse pędestinatum: Quamuis enim nullus homo ad peccatum sit prædestinatus, omnis tamen homo aut ad gloriam, aut ad supplicium prædestinatus est Sequitur. *Tunc respondebunt ei Iusti dicentes. Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?* Stupescũt enim admiratione, dum eum esurientem, & sitientem dũ hospitem, infirmum, aut in carcere aliquando fuisse audiunt, quem nunc in tanta gloria, tantaque sublimitate conspiciunt. Vnde & non immeritò eum interrogant, quando, vel sic eum viderint, vel sic ei ministrauerint. *Et respondens Rex dicet illis. Amen dico vobis quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*: In membris suis suscipitur Christus; membra enim sua sunt omnes Christiani, ideo enim Christiani dicuntur, quia membra sunt Christi. Vnde, & Apostolus ait. *Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* Christus enim in esurientibus esurit, in sitientibus sitit, in infirmis ęgrotat, & in alijs similiter patitur. Magna ergo reuerentia suscipiendi sunt pauperes Christi, cum magna veneratione seruiendum est eis, siquidem Christus in eis suscipitur, & honoratur in eis. *Tunc dicet, & his, qui a sinistris eius erunt. Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo, et Angelis eius.* Quare autem hoc præcipiat, subiungit causam. *Esuriui enim, et non dedistis mihi manducare, sitiui, et non dedistis mihi bibere, hospes eram, et non collegistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me.* Si igitur ignis æternus paratus est diabolo, & Angelis eius, manifestum est, quoniam sic prædestinati sunt mali ad mortẽ propter malitiam suam, sicut boni ad vitam pro bonitate sua. Sed quæ tormenta patiuntur, qui aliena rapiunt, cum isti talia patiuntur, quia sua non tribuunt? si talia sust ne-

bunt

bunt immisericordes, qualia passurus putamus crudeles? *Et ibunt isti in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.*

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Mattheum.

IN illo tempore. *Cum intrasset Iesus Hierosolimam commota est vniuersa ciuitas dicens. Quis est hic? Populus autem dicebat. Hic est Iesus Propheta a Nazareth Galileę.* Et reliqua.

IN proximo enim bella acturus, & de hostibus triumphaturus cum triumpho, & gloria ad impiam ciuitatem, & ad locum certaminis Dominus venit. Certus enim de victoria ante bellum quod fieri non solum triumphum suscepit. Ingressus igitur ciuitatem cum hac tanta gloria commota est, vniuersa ciuitas dicens. Quis est hic? Omnes ei obuiam ruunt, omnes eum videre desiderant, & ipsa facie cognoscere cupiunt, quem iam in miraculorum fama cognouerant. Suscitauerat enim Dominus Lazarum illis diebus, ad cuius miraculi magnitudinem omnes stupebant *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas euertit.* Audite hæc Simoniaci, audite nefandi negotiatores, aut cessate a negotijs, aut exite de templo. Non enim vnum, vel duos, sed indifferenter omnes, & vendentes, & ementes, Dominus templi eiecit de templo. Ipse, & *mensas nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas euertit:* Vos nummularij estis, vos columbas venditis, vos sine nummo, & pretio nihil agitis. Columbas enim vendunt qui, vel Ecclesias, vel Sancti Spiritus gratias pretio largiuntur. Horum Dominus Cathedras euertit, vt per hoc eos non esse Episcopos intelligamus: Et dicit eis. *Scriptum est Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Latrones enim vos estis. *Qui enim non intrat per ostium in ouile ouium fur est, & latro.* Ostium enim Christus, est, qui quoniam per eum nō intrastis vestras, cathedras euertit. Per hoc enim ostium illi intrant, qui secundum canonum instituta constituuntur. Exite igitur de domo orationis, quę quoniam vos in ea habitatis, facta est spelunca latronum. *Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos.* Qui igitur cæcus est, & veritatem non intelligit, qui claudus est, & recto itinere non incedit, festinet ad templum, ibi inueniet Iesum, ibi illuminabitur, & sanabitur. *Videntes autem Principes Sacerdotum, & scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei. Audis quid isti dicunt. Iesus autem dixit eis,* vtique. Nunquam legistis quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Quod enim Principes Sacerdotum, & scribæ indignantur, inuidia est. Qui vero pueri Deum laudant, prophetiæ adimpletio est. Sic enim prophetauerat ipse Dauid, quod ex ore infantium, & lactentium prædicandus, & laudandus Dominus esset. *Et relictis illis abijt extra foras ciuitatem, & in Bethaniam, ibiq. mansit,* Manet enim Dominus vsque nunc in Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur, quia relicta Synagoga in Ecclesia habitat, quæ eius est obediens voluntati. *Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit, & videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam, et nihil inuenit in ea nisi folia tantum & ait illi. Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Dominus enim, qui numquam sine ratione aliquid agit, quando sine ratione aliquid agere videtur, alicuius rei magnæ significatio est. Cui enim rationabile videatur, vt eo tempore in arbore fructum quærat, quo sine fructu arbores sunt. Nunquid enim fructuum tempus ignorat fructuum, & arborum, omniumque Creator? Esuriit igitur Dominus, non ficus, sed fidem. Neque fructus arboris quęrit, sed fructus operis: Hæc enim ficus Synagoga est, quæ secus viam plantata nullum transeuntibus solatium præstat. Venit Dominus ad eū, & nihil, nisi folia inuenit in ea, folia enim verba sunt folia literæ sunt, hæc habet Synagaga: bene enim loquitur, sed nō agit quod loquitur. Omnia autem hęc de illa parte Synagogæ intelligi debent, quæ in sua infidelitate perdurat loquacitatis folijs obumbrata, spiritualis intelligentiæ fructum non reddit, huic enim maledixit Dominus. Pro alia vero Synagogæ parte orauit dicens. *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt,* Isti igitur, quę maledicuntur, & qui in æternum fructum non reddunt, scribæ, & Pharisęi sunt, qui in Saluatoris nostri morte nimia inuidia exercerunt. *Et arefacta est continuo ficulnea, & videntes discipuli mirati sunt dicentes Quomodo continuo aruit?* Altera vero die, vt Marcus ait, cum mane inde transirent, *dixit Petrus ad Iesum. Rabbi ecce ficus, cui maledixisti, aruit* Quotidie Dominus infructuosis arboribus, & hominibus iniquis maledicit, & quotidie aridi fiunt, & igni traduntur quibus maledicit. Maledicit autem et ipse, & seruos suos. Vnde et subditur, *Respondens autem Iesus ait eis. Amen dico vobis si habueritis fidem, & non hęsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle te, & iacta te in mare fiet.* Hanc enim fidem Christi discipuli postea habuerunt, quia cæcos illuminantes, Leprosos mundantes, mortuos suscitantes, & alia miracula facientes verum esse, quod Dominus promiserat, ipso experimento didicerunt.

FERIA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, *Accesserunt ad Iesum scribæ, et Pharisęi dicentes. Magister volumus a te Signum videre.* Et reliqua.

QVanta est superbia scribarum, & Pharisęorum, quanta est stultitia, & infidelitas eorum. Non rogant, non humiliter postulant, sed inflato stomacho, & erecta ceruice dicūt *Volumus a te signum videre.* Signa videre volunt, credere autem nolunt. Sed quare signa quærunt, qui iam tot signa viderunt? Numquid enim signa non sunt quod mortui resurgunt, quod cęci illuminantur, leprosi mundantur, paralitici curantur, & dæmones eijciuntur? Omnia enim hæc signa sunt. Vnde & puerum centurionis sanaturus Dominus ait. *Nisi signa, et prodigia videritis non creditis. Qui respondens ait illis Generatio mala, et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetę.* Dum enim signa Pharisæi videre volunt, audiunt non immerito, quod audire nolunt, *Generatio mala, et adultera.* quæ toties cum Idolis fornicata, & Deos gentium est secuta, signum quęrit. Iudęi enim signa petunt, & Gręci sapientiam quærunt, *Et signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.* Magnum est enim signum Ionę Prophetę, in quo Christi mors, sepultura, & Resurrectio, in quo Iudęorum perditio, & salus Gentium significatur. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.* Quid est autem in corde terræ, nisi in affectu, & desiderio Iudæorum? Et tale est, ac si diceret. Magnum sit vobis hoc, & mirabile signū, quod tribus diebus, & tribus noctibus ita me vestræ potestati subijciam, vt in me faciatis quicquid facere desideratis. Terra autem dicuntur Iudæi, quia cælestium obliti, sola terrena, & transitoria quærunt. Hæc autem est illa terra petrosa, & spinosa, in qua verbi Dei semen crescere, & fructificare non potest. Multoties enim Iudæi voluerunt capere, & tenere Iesum, & non potuerunt: sed quid mirum? numquam enim in eum, si voluissent, potestatem habuissent. Vnde, & Pilato ait. *Non haberes in me potestatem, nisi datum fuisset tibi desuper.* Itemque. *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Tribus igitur diebus, & tribus noctibus fuit Dominus in corde terrę, idest in voluntate, & potestate Iudæorum.

deorum. Quia & illa nocte, in qua captus est, & tota nocte diei Sabathi in eorum potestate fuit, similiter autem, & tota die, in qua passus est, & tota die Sabbathi, & principio diei dominici in illorum fuit potestate, quia & viuum crucifixerunt, & mortuum sepelierunt, & sepultum in custodia habuerunt. Visitatissimum etenim est, non solum in scripturis, verum etiam in vulgata locutione partem pro toto ponere: sic enim à longe prospicientes dicere solemus, video hominem, cum non totum hominem, sed aliquam eius partem videamus. Similiter autem dicimus ille homo benè videt, benè audit, & benè loquitur, cum soli oculi videant, solæ aures audiant, & sola lingua loquatur. Similiter etiam dicimus ille homo vulneratus est, cum solus pes, vel sola manus vulnerata sit, Fuit igitur Dominus tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ, quamuis non integris tribus diebus, & tribus noctibus, Hæc autem sententia omnibus alijs planior mihi, & verior esse videtur. Sequitur. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionę. Et ecce plusquam Ionas hic.* Benè quidem dicit cum generatione ista, quia sicut Apostolus ait. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* omnes enim, siue boni, siue mali adstabimus ante tribunal Christi, Condemnabunt autem Niniuitæ Iudæos, quia eorum exemplo damnabuntur, quoniam non egerunt pœnitentiam in prædicatione Christi sicut illi in prædicatione Ionæ, qui non solum minor, verum etiam seruus est Christi. Similiter autem, *& Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plus quam Salomon hic.* Regina Austri Ecclesiam Gentium significat, quæ ex omnibus mundi partibus Christi fidem, & sapientiam audire, & recipere venit. *Cum immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiē, & non inuenit. Tunc dicit, reuertar ad domum meam, vnde exiui, & veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit generationi huic pessimæ.* Hanc autē similitudinem ideo Dominus dedit, vt ad Iudæorum generationem malam, & adulteram propter duritiam suam, & cor impœnitens non solum a Niniuitis, verum etiam ab aliis Gentilibus merito damnandam, & iudicandam esse ostenderet. Quoniam hæc impia generatio pœnitere nescit, sed quotidie seipsa deterior fit, cuius nouissima peiora prioribus fient. Hoc enim ipsi significabant, cum de Saluatore nostro dicerent *Sāguis eius super nos, & super filios nostros.* Sic igitur erit generationi huic pessimæ, sicut illi homini, qui ab immundo spiritu possidetur. *Cum enim immundus spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiem, et non inuenit:* facile enim malignus spiritus, & intrat in hominem, & exit ab homine: quoties enim homo, vel cogitatione, vel operatione nefandum aliquid agit, diabolus adest; Si vero ex corde pœnitere incipiat, diabolus exit, exiens autem ambulat per loca arida, & inaquosa, eos videlicet tentando, qui malitiæ voluptatis humorem non habent. In quibus requiem non inuenit, quoniam fluxa, & humida quærit. Vnde, & de eo dicitur. *Sub vmbra dormit in secreto calami in locis humectibus,* quibus loca genitalia significantur. Tunc dicit *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Quia enim in bonis requiem habere non potest, quoniam nunc eorum orationibus, nunc eorum fletibus, nunc eorum eleemosynis, alijsque similibus sollicitatur, mouetur, & pellitur, veniens autem in domum suam, inuenit eam vacantem, vacantem quidem, quia non inuenit ibi Charitatem, nec fidem rectam, nec Humilitatem, nec Patientiam, nec Iustitiam, nec Misericordiam, nec cætera, quibus Sanctorum animę muniuntur. Qualem igitur eam inuenit? *Scopis mundatam, et ornatam.* Talem eam inuenit, qualem inuenire desiderat. Inuenit enim eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ, quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Malæ scopæ, quæ pauimenta dissipant, & puluerem non eiiciunt. Luxuria vero fornicatio, Voluptas, Superbia, Auaritia, Discordia, omnisque immunditia ornamenta diaboli sunt. His autem ornamentis inuenit eam ornatam. Tunc igitur, *Vadit, & assumit septem alios Spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi.* Non sufficit ei, vt solus talem domum possideat socios quærit, spatiosus est locus, multis indiget habitatoribus. Sed qui sunt isti septem spiritus? Quia enim sunt septem Spiritus Sancti gratiæ, quibus omnis anima ad fidem conuertitur, & conuersa defenditur: ideo iniquus iste septem illis contrarios secum assumpsit, quibus aduersum eos domum suam tueatur, opponens videlicet Spiritum stultitiæ contra Spiritum Sapientiæ, & contra Spiritum intellectus, Spiritum vertiginis, & insanię, contra Spiritum consilii, Spiritum temeritatis, contra Spiritum fortitudinis, spiritum inconstantiæ, & timoris, contra Spiritum Scientiæ, Spiritum insipiētiæ, contra Spiritū Pietatis, Spiritum impietatis, contra Spiritum Timoris Domini. Spiritum contemptus, & odii. Infelix illa anima, in qua isti Spiritus regnant, & cui isti dominantur. Isti enim quodam modo nequiores illo sunt, qui eos conduxit, quia isti in hac vita animam corrumpunt, ille vero post hāc vitā animam cruciat, ille tentat, isti occidunt. Ille ianuas aperit, illi intromissi cuncta perdunt, & dissipant. Ille hominem tentare, & vexare potest, animam vero, nisi per istos occidere non potest. Sic isti sunt nequiores illo, quia plus nocent isti, quam ille: ille enim consiliando, & tentando est nequior, isti agendo, & corrumpendo sunt nequiores. De illo Apostolus *hominem tradidit in interitū carnis*, de istis vero dicit. *non regnet peccatum in vestra mortali carne.* Non est igitur mirum si fiant nouissima hominis illius peiora prioribus, cum prius vno, & postea septem premātur dæmonibus. *Adhuc eo loquente ad turbas ecce mater eius, et fratres stabant foris quærentes loqui ei.* Fratres enim eius Beatæ Mariæ Nepotes dicit Iacobum scilicet, & Ioseph, & Iudam, & Simonem: mos est enim diuinæ scripturæ quoscunque propinquos fratres vocare. *Dicit autem ei quidam. Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quęrentes te, at ipse respondens dicenti subiecit. Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? et extendens manus in discipulos suos dixit. Ecce mater mea, et fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatē Patris mei, qui in cęlis est, ipse meus frater, soror, et mater est.* Cum extraneis loquitur Iesus. Ecce mater eius, & fratres foris stant. Isti cum eo in domo Sedent, illi eum foris expectāt. Non vacat hoc a mysterio, alicuius rei significatio est. Vsque hodie namque videmus Iesum cum extraneis loqui, cum extraneis enim loquitur Iesus quando Gentium populo hoc Euangeliū legitur. Mater autem eius Synagoga, & fratres eius Iudæi foris stant. Foris quidem, quia in Ecclesia non sunt, expectant eum tamen, & cum eo loqui desiderant. Vt enim Apostolus ait: *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Veruntamen non loquitur cum eis, neque videbūt eum, nisi prius domum intrauerint, & in Ecclesia Baptizati fuerint. Nullū autē sibi Dominus alium dicit esse propinquū, nisi eos, qui Patris eius voluntatem faciunt. Eos autem, & matrem, & fratres vocat, quoniam, quasi matrem, & fratres eos diligit. Et his quidem verbis aptissime monstratur quod carnali amori spiritualis amor præferri debet. Eo enim amore, & matrem, & fratres, omnesq. propinquos nostros diligere debemus, quo matrem, & fratres suos Christus dilexit. Diligebat enim eos, non quia magis secundum carnem propinqui erant, sed quia Patris eius voluntatem magis faciebant. Ille igitur est Christo propinquior, qui melior.

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, *Egressus Iesus secessit in partes Tyri, et Sidonis, et ecce mulier Chananęa a finibus illis egressa clamauit dicens. Miserere mei Domine fili Dauid. Filia mea male a Dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbū. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes. Dimitte eam, quia clamat post nos.* Et reliqua.

HÆc est igitur causa, cur clamantem mulierem Deus non exaudit, hæc est causa, cur misericordia non miseretur,

hæc

hæc est causa cur ille, qui *In principio erat verbum*, quamuis multa verba mulier multiplicet, non tamen respondet ei verbum. Non sum, inquit, missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Quid est ergo quod Propheta ait. *Erit radix Iesse, qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt.* Si non es missus nisi ad oues, quę perierunt domus Israel, quid est, quod a Patre dicitur. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę?* Itemque si non es missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, quid est quod in Isaia Pater loquitur dicens. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & ad fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Hoc enim testimonio magis ad gentes, quam ad Israel missus esse videris. Parum enim videtur Patri, & merito quidem parum, vt qui ei æqualis es, propterea in pretio eius seruus sis, homo fias, seruilem formam suscipias, si tantum tribus Iacob, & fæces Israel conuertere, & vocare venisti. Pater dicit, *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terrę*, Et tu dicis, *Non sum missus nisi ad oues, quę perierunt domus Israel.* Contraria hęc esse videntur, contraria tamen non sunt. Missus est enim Dominus ad oues, quæ perierant domus Israel, vt eas vocaret, eas sanaret, eis pręedicaret, & ad fidem eas conuerteret, & hoc per se. Missus est etiam ad Gentes vocandas, sanandas, prædicandas, ad fidem conuertendas, sed hoc per discipulos suos, & non per se. Missus est denique prius prædicare Iudæis, deinde Gentilibus. Vnde, & eisdem Iudæis Apostolus ait, *Vobis primum oportuerat prædicari verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis, ecce conuertimur ad Gentes.* Sic igitur, & missus, & non missus est Dominus. Audiuimus autē quid mulier Canança dixerit. Audiuimus quid discipulis suis pro ea interpellantibus in itinere Christus responderit. Nunc audiamus quid etiam domum veniens egerit. Marcus enim Euangelista, qui omnia hæc, quæ in itinere dicta sunt, prætermittit, cętera quę sequuntur non in via, sed in domo facta fuisse describit. Ait enim: *Et surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis, & ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier autem statim vt audiuit de eo, cuius habebat filia spiritum immundum intrauit, & procidit ad pedes eius.* Erat *enim mulier gentilis Syrophenissa Genere.* Quia enim non erat missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, ideo clamanti mulieri nihil in via respondit. Insuper & domum ingressus neminem scire voluit. Quia omnes illi Gentiles erant. Gentilibus autem nondum reuelari volebat. Quare ergo latere non potuit? inconueniens enim esse videtur, vt ille qui omnia potest, latere velit, & latere non possit. Non igitur sic est accipiendum, quasi latere voluisset, & latere non potuisset. Simplici enim sermone hoc in loco vtitur Euangelista. Quid est enim neminem voluit scire, nisi quia præcepit discipulis, vt eum ibi esse nemini dicerent? Neque enim hoc aliter discipuli intelligerent, nisi ipse eis, ne eum manifestarent, pręciperet, Sciri igitur voluit, & quia voluit latere non potuit, similiter autem de eodem ipso alibi quoque dicitur, quia ipse se finxit lōgius ire, cum vnque ire longius noluisset. Latere ergo nolebat, domum tamen ingressus se latere nolle ostendebat, quia nondum tempus aduenerat, tempus, quo Gentili populo prædicandus erat. Mulier autem qui post eum in via clamauerat, postquam eum inter discipulos non inuenit, interrogans vbi esset, vt audiuit de eo, statim *domum intrauit, & procedit ad pedes eius.* Sed quid dixit? *Domine adiuua me. Qui respondens ait. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Misera misericordiam sequitur, repulsa non erubescit, domum ingreditur, importunè clamat, Saluatorem adorat, & iā tandē responsum audire meretur. Probat eam Dominus, an patientiam habeat, an humilitatem teneat, canem eam vocat, canem se esse fatetur. Non est inquit *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Dicit illa, etiam Domine.* Canis ego sum de populo gentili, de genere Canança, non sum Digna pane filiorum, non sum digna beneficio Sanctorum. Videlicet quia canis sum porrige mihi micas. *Nam, et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Docet nos mulier ista qualiter orare debeamus. Euangelium non legerat, sicut euangelium pręcipit, sic orat. Scriptum est enim *Petite, & accipietis, quærite, et inuenietis, pulsate, et aperietur vobis. Tunc respondens Iesus ait illi. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Cum improbitate panem petisti, propter improbitatem tuam dabuntur tibi quoquot habes necessarios. Vade sana est filia tua. *et sanata est filia eius in illa hora.* Oremus igitur, & nos Dominum, vt lauet filias nostras, oremus vt lauet, & à peccatis liberet animas nostras. Illa enim anima vexatur a dæmonio, quæ peccare non cessat, & in crimine perseuerat. Quæ si bene conuersa fuerit, & de Christi misericordia non desperauerit, dicetur ei a piissimo Domino. Fiat tibi sicut vis, & sanabitur ex illa hora, quia *Peccator quacumque hora conuersus fuerit, et ingemuerit, vita viuet, et non morietur.*

FERIA SESTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *erat dies festus Iudæorum, & ascendit Dominus Hierosolymam.* Et reliqua.

AD dies festos Iudæorum Dominus ascendit vt populis vndique conuenientibus fidei doctrinam annunciet, salutis mysteria pandat, & veritatis lumen ostendat. *Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.* Hæc piscina baptismans aquas significabat. Vnde non immerito probatica scilicet ouina dicebatur, quoniam oues Dei fiunt, qui in baptismate lauantur. De quibus in Canticis Canticorum Ecclesię dicitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Hæc autem piscina quinque porticus habet, quia quinque sunt libri Moysis, in quibus Baptismi Sacramentum plenissimè continetur, eorumq; auctoritate munitur, & doctrina declaratur. *In his iacebat multitudo languentium, cęcorum, claudorum, & aridorum expectantium aquæ motum.* Hi autem languentes, qui in prædictis porticibus iacebant, Iudæi intelliguntur, qui sub lege erant, legisq; fræno, & moderamine arctabantur, legis tamen medicamine non iustificabantur. Vnde Apostolus ait. *Si enim data esset lex, quæ posset iustificare, vere ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccato.* Lex igitur, & scriptura sunt illi porticus, qui languentes continent, quia sub peccato omnia claudunt. Nemo in porticibus sanabatur: quia non erat data lex, quæ posset iustificare: unde tamen languentes videbant piscinam, descendebant in eam, & sanabantur, vt promissio ex fide Iesu Christi per Baptismum daretur credentibus. *Angelus enim Domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Angelus enim Domini secundum tempus in piscinam descendit, quādo tempore præfinito Saluator noster ad Baptismum venit. Ipse est enim ille *magni consilij Angelus, de quo scriptum est. Et statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Et ipse quidem aquam commouit, ipse Baptismatis aquam sanctificauit, omnemque inimici latentis infestationē suo tactu ab eis remouit. Post cuius commotionem, tantam in se virtutem suscepit aqua, vt omnes omnium in eam descendentium sanet languores, pellat ęgritudines, & soluat peccata. Sed notandum quia solus ille sanatur, qui prior post aquæ motionem in piscinam descendit: per quem totus populus Christianus intelligitur, qui solus, & vnicus prior, & vltimus, vnus, & inseparabilis in aquis Baptismi, & lauatur, & sanatur. Sed quis est, qui post eum descendit: nisi ille, qui huic corpori Ecclesiastico non inhęreat. Si enim huius corporis esset, non post eum, sed cum eo descendere diceretur; post eum namque Hæretici descendunt, & descendentes nil sibi proficiunt.

ciunt. *Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua: hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine hominem non habeo, vt cum mota fuerit aqua mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit*. Homo enim iste eos designat, qui post Baptismum peccata criminalia committunt, pro quibus graui, longęque pęnitentiæ subijciuntur, qua nimirum corpus ęgrotat, sed anima sanatur, vt autem ipsius iniquitatibus hunc ægrotasse intelligas, ipse Dominus ostendit dicens. *Ecce sanus factus es iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Tales autem, quia non benè pęnitent, & si longo tempore languere, & pęnitere, & carnem macerare videantur, valde tamen difficile curantur: si enim bene pęnituissent, non triginta, & octo annos, sed quadraginta ex integro in hac tali infirmitate habuissent. Imperfecta est enim omnis pęnitentia, quæ de hoc numero designetur: attende. Hic enim numerus ex quatuor constat, & decem: quatuor enim decem, vel decies quatuor quadraginta fiunt: In quatuor autem Nouum testamentum, in decem vero Vetus figuratur; quoniam hoc in quatuor Euangelijs, & illud in decem verbis consistit: nulla autem penitentia proficit ad salutem, quæ noui, veterisque testamenti auctoritate non agitur; hoc enim ipse Dominus significat, cum quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit. Similiter autem & Moyses, similiter & Elias. Hoc igitur numero pęnitentiam agat, idest secundum vtriusque testamenti doctrinam, disciplinamq. pęniteat, quicunque sibi suam pænitentiam vult esse fructuosã. *Declinet* igitur homo *a malo, & faciat bonum, inquirat pacẽ, & sequatur eam*. Hæc est enim vera pęnitẽtia. Sed nota quia misericors Dominus etiam non benè, & legaliter pęnitentes, bonam tamen voluntatem habentes, & salutis remedia expectantes visitare, sanare, & illuminare dignatur. Vnde & hunc languido dicit. *Vis sanus fieri?* Ac si diceret sanari quidẽ vis, ideo enim hic iaces, ideo ægrotas, ideo carnem maceras, & hanc qualemcunque pænitentiam agis. *Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cum mota fuerit aqua mittat me in piscinam:* Quid enim his verbis, quid aliud significat, nisi quandam baptizandi, & in illam piscinam descendendi impossibilitatem? impossibile est enim eos, qui semel baptizati sunt iterum per Baptismum renouari, & a peccatorum contagione mundari. Vnde & iste quamuis sanetur, nõ tamen mergitur in piscinam, quia eos significat, qui post Baptismum sola pænitentia sanantur. Quod autem ait: *Dum enim ego venio, alius ante me descendit*. De seipso adhuc Gentili, & cathecumeno dicere videtur: ipse enim, cum adhuc Gẽtilis & cathecumenus esset, in piscinam descendit: modo vero, quia Christianus est, in eam descendere non potest. Idem igitur ipse alius est, & ipse qui descendit ante ipsum. Dicit ei Iesus. *Surge tolle grabatum tuum, & ambula:* Noli inquit iam vlterius hominem quærere, qui te mittat in piscinam, surge tantummodo, erige mentem, cõtemplare cælum, *quæ sursum sunt quære, non quæ sunt super terram*: hac enim via illi, qui baptizati sunt, recuperant sanitatem, si eos ęgrotare contingat. *Tolle grabatum tuum*, porta, & contine, & in seruitutem redige carnem tuam. Lectus namque animæ corpus est, in quo si vitiosum fuerit, tota infirma, & languida anima iacet. Vnde scriptum est. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Et ambula*. Non sis otiosus. Otiositas enim animæ inimica est, quæ & vitia nutrit, & virtutes necat. *Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat*. Facilè igitur est Deo, & sanare hominem, & peccata soluere. *Erat autem Sabathum in illo die. Dicebant ergo Iudei illi, qui sanus fuerat. Sabathum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum, & ambula*. Maioris inquit auctoritatis est, quam vos sitis, ille qui me sanum fecit. *Illi igitur, & non vobis me obedire oportet. Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo, qui dixit tibi tolle grabatum tuum, & ambula. Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset*. Non mirum si iste nesciebat quis esset. Neque enim facile est cognoscere Iesũ. Vnde & ipse Dominus ait: *Nemo nouit filium nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*. Iesus ergo declinauit à turba constituta in loco. *Postea inuenit eum Iesus in templo*. Vbique est Iesus, sed non vbique cognoscitur. Non cognoscitur in turba, cognoscitur autem in templo. Fugiamus igitur turbam, & simul cum Iesu declinemus à turba. Eamus in templum, ibi nos inueniat, ibique nobis inueniatur. Ideo enim ipse ab hominum turba discessit, vt & nos à vitiorum turba discedere doceat. *Et dixit illi Iesus: Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Hoc inquit contigit tibi, quia peccasti: iam noli peccare, non sit tibi voluntas peccandi. Et non peccare enim valde difficile & pene impossibile est. Multi enim peccant, qui peccare nolunt. Vnde Apostolus; *Non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo illud facio*. Magnum igitur peccatum est voluntas peccandi: *Voluntariè enim*, vt ait Apostolus, *peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hostia pro peccato*. Quod de illis quidem intelligitur, qui vsque in finem sua sponte in peccatis perseuerant. *Abijt ille homo, et nuntiauit Iudęis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum*.

SABBATO.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Matthęum.

IN illo tempore, *Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius, et duxit in montem excęlsum seorsum*. Et reliqua.

DOminus, & saluator noster sicut legitur paulo superius promiserat discipulis suis dicens. *Amen dico vobis sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*. Si enim de illo regno, & de illa gloria hoc intelligamus, in qua modo cum Angelis suis se iudicaturũ venire promisit, stare non potest. Nemo enim ibi erat, vbi Dominus ista dicebat, qui mortem iã non gustauerit, ipse tamen ad iudicium nondum venit. Qualiter autem hæc intelligi debeant, sequentia manifestant. Ait enim Euangelista. *Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos*. Isti igitur sunt, de quibus modo dixerat. *Qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, Scilicet apparentem in virtute, & gloria regni sui. Transfiguratus enim Dominus talis in monte. Tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit. Sed quare Saluator noster in illam suæ claritatis speciem transfigurare se voluit, nisi vt illius gloriæ, quam prædicabat, nos redderet certiores? Vnde, & tres suos discipulos, qui Ecclesiæ Columnę alibi vocantur, adesse voluit, qui huius tantę visionis testes existerent. Sufficiunt enim isti tres ad hoc testificandum, quia sicut scriptũ est. *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*. Quis enim non credat quod Petrus, Iacobus, & Ioannes testantur? Rectè autem in excelso monte ista fiebant, quæ postmodum in cælis fieri debebant. Fiunt vero post dies sex, quia vt apostolus ait. *Huius vitę labore finito qui in sex diebus agitur, relinquitur Sabbatismus, & requies populo Dei*. Multum igitur desiderare debemus, vt hi sex dies transeant, quatenus regem nostrum in suo decore, suęque maiestatis gloria videamus. Scimus enim, ait Ioannes, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*. Nihil Euangelista sole splẽdidius, nihil niue candidius inuenire poterat, cui Christi faciem, & vestimenta assimilaret. Nos tamen sole splendidiorem eum esse non dubitamus: non enim creatura creatori ad plenum similis esse potest. *Et ecce apparuit illis Moyses, & Elias cum eo loquentes*. Sed quare Moyses, & Elias? In moyse namque legem, in Elia Prophetas videmus. Vident igitur Apostoli Moysen, & Eliam cum Christo loquentes; vident legem, &

Pro-

Prophetas ei testimonium dantes. Vnde & Abacuc Prophetæ ait. *In medio duorum animalium cognosceris*. Vsque hodie namque in medio duorum animalium, in medio Moyse, & Elia, scilicet in lege, & prophetis Christus cognoscitur, & videtur. Lege libros Moysi, lege Prophetarum libros, ibi Christum inuenies, ibi eum cognosces, et videbis; ibi enim transfiguratur, ibi suis fidelibus eius maiestatis gloria reuelatur. Loquebantur isti duo viri, vt Lucas ait simul cum Iesu de morte eius, quam in proximo passurus erat in Hierusalem. Et fortasse lęti, quia videbant suæ redemptionis, totiusque humani generis diem appropinquare. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*. Cognouit igitur Petrus, & Moysen, & Eliam, quos nunquam amplius viderat, quamuis vt alij Euangelistę dicunt, quid diceret, ignoraret: Ignorabat quidem, quia non a se ipso non loquebatur, Alius enim erat, qui loquebatur in eo, plura tabernacula facere non est necesse, tria sufficiunt. De tribus enim tabernaculis Apostolus scribens ait. *Tabernaculum factum est primum, in quo erat candelabrum, & mensa & propositio panum, quod dicitur Sancta*. De secundo sic ait. *Post velamentum autem secundum tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondueras, & tabulæ testamenti*. De tertio vero sic. *Christus inquit, assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, scilicet non huius creationis, neq. per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta*. Primum igitur tabernaculum est Sinagoga, Secundum Ecclesia. Tertium cælum. Et primum quidem fuit Moysi, qui illius populi princeps fuit. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*. Tertium vero Christi, de quo Apostolus ait: *Non enim in manufactis Sanctis introiuit Iesus, sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis*. Primum in vmbra fuit, & figura: secundum in figura est, & veritate: tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur. Non enim Sacramēta Ecclesię, sicut Sacramēta Synagogę medicinam docent, & ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina, & remissio peccatorum. Et primum quidem tabernaculum habuit candelabrum, Patriarchas, videlicet, & prophetas habuit, et mensam, legem scilicet iuxta literam, in qua mensa erant panes, idest cibi spirituales, qui in ea litera continebantur. Sed quid illis candelabrum mensam, & panes habuisse profuit? Apostolus enim dicit. *Cæcitas ex parte contigit in Israel*. Et Propheta. *Quis cæcus nisi populus meus?* Itemque *Excęca cor populi huius*. Et Psalmista. *Fiat inquit mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum*. Et alibi. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Sic igitur Iudæi habentes non habuerunt, & legem tenentes nescierunt. Secundum autem tabernaculum thuribulum aureum habuit, ipsos videlicet Apostolos qui odorem notitiæ Dei manifestantes in omni loco, alijs erant odor vitæ ad vitam, & alijs odor mortis ad mortem. Arca vero & Ecclesia idem significant. Quæ bene auro circumtecta dicitur, quia & interius per scientiam, & sanctitatem, & externus per predicationem, & operationē refulget. In hac autem est vrna aurea habens manna, Christus videlicet Dominus noster, ut per vrnam humanitatem, & per mannā diuinitatem intelligamus. In hac est, & Virga Aaron, quæ fronduerat, per quam Beatam Mariam Virginem intelligimus, quæ contra naturam floruit, contra naturam concepit, & peperit. Sicut, & illa Virga cum esset sicca contra naturam, & flores, & frondes, & nuces germinauit. Tabulę vero testamenti quæ ibi erant vtriusque testamenti scientiam Sanctam Ecclesiam, & habere, & possidere significabant. De tertio vero tabernaculo nihil tale dicitur. Non candelabrum, non mensa, non arca, vel vrna ibi ponitur, nihil est ibi in figura, omnia sunt ibi in veritate. Vnde Apostolus ait. *Videmus nunc per speculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*. Hæc sunt igitur tria tabernacula quę Beatus Petrus in extasi positus facere voluisse narratur, Sequitur. Adhuc eo loquente, *ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipsum audite*. In nube enim Deus apparuit, quia in sua maiestate ab hominibus videri non potest, sicut ipse ait. *Non me videbit homo, & viuet* Possumus autem per hanc nubem diuinam scripturam significare, quæ aquæ sapientiæ plena intelligentibus lucida, non intelligentibus obscura apparet. In hac quidem nube omnipotens Deus audiri quidem potest, videri autem, & intelligi sicut est omnino non potest, vbique enim eum loquentem audiuimus, nusquam autem, nisi per speculum, & in enigmate eum videmus: ipse enim in Prophetis, ipse in Apostolis loquitur. Vnde ipse Dominus ait. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui in vobis loquitur*. Nubem igitur videre possumus, ipsum autem qui in nube loquitur videre non possumus. Nam & modo in hac nube Sacri Euangelij eum loquentem audiuimus, eum tamen non videmus. Cuius enim nisi illius vox est hoc quod istę literæ sonant. *Hic est filius meus in quo mihi bene complacui*. Benè enim in filio suo sibi complacuit, qui in hominis creatione sibi displicuit. Vnde ipse ait: *Panitet me fecisse hominem*. Hunc autem audire, huic et credere, & obedire nos admonet. Cui enim, nisi Sapientiæ, veritati, & iustitiæ credere debemus: ipse enim est Dei virtus, & Dei Sapientia, ipse est via, veritas, & vita. *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde*. Quid enim si speciem eius vidissent, qui eius vocem ferre non potuerunt. *Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis Surgite, et nolite timere* Beati illi, quos tangit Iesus: Beati illi quos salus tangit, & vita: illi enim surgunt illi sine timore, & securi fiunt. Rogemus igitur eum, vt et nos tangat, & a somno stuporis, & insipientię excitet, atque ad se videndum oculos nobis aperiat. *Leuantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Iesum*. Sufficit enim videre Iesum, sufficit videre illam lucem, quam *Qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et descendentibus illis de monte præcepit Iesus dicens. Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis resurgat a mortuis*. Conueniens enim erat, vt hęc tanta gloria eius, tunc primum prædicaretur, quando carnis mortalitate exutus nouæ resurrectionis gloria, & decore indueretur.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Matthæum.

IN illo tempore, *Assumpsit Iesum Petrum, & Iacobum, et Ioannem fratrem eius, et duxit in montem excelsum seorsū*. Et reliqua, vt supra in Sabbato præcedenti.

F E R I A S E C V N D A.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus turbis Iudæorum. Ego vado, & quęritis me, et in peccato vestro moriemini*. Et reliqua.

EGo inquit, vado. Ego ad Patrem redeo: Vos autem quęretis me, non vt in me credatis, sed vt me occidatis, & idcirco *in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire*. Quia non creditis, quia me occidere quæritis quia ad vitam prędestinati non estis. Nemo enim venit ad Patrem, nisi per me. *Dicebant ergo Iudæi. Numquid interficiet semetipsum, quia dicit. Quo ego vado vos non potestis venire*. Non ipse interficiet semetipsum, sed vos quia interficietis ipsum, interficietis etiam vosmetipsos, & idcirco non venietis

nietis

nietis ad ipsum. *Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego autem de supernis sum.* Vos inquit de deorsum estis, de terra estis, terram diligitis, & terrena sapitis. *Ego vero de supernis sum*, de cœlis de Patre, qui cunctis superioribus superior est. *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de mundo hoc.* Quantum enim ad humanitatem sicut cæteri homines; ita, & Christus de mundo est. Quantum ad diuinitatem non ipse est de mundo, sed mundus de ipso, quia non ipse de mundo cæpit, sed mundus ab ipso. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Vnde, & superius dicitur. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum nõ cognouit.* Dixi igitur vobis quia moriemini in peccatis vestris. Nunc autem ante rationem quare in peccatis vestris moriemini. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Quid est ego sum? Numquid enim cum Iudæi esse non credebant, quem et videbant, & audiebãt. Numquid ipse solus est, & alia non sunt, qui dicit *Nisi credideritis quia ego sum.* Ille enim solus est, qui semper est, qui immutabilis est, qui idem ipse est, qui nunquam cæpit esse, nunquam desinit esse, qui omnibus dat esse, qui de proprio esse non mutatur in esse, vel non esse, de quo per Moisen dicitur filijs Israel. *Qui est misit me ad vos.* Qui igitur eum sic esse non crediderit, morietur in peccato suo. *Dicebant ergo ei. Tu quis es? Dicit eis Iesus. Principium, qui et loquor vobis.* Ego inquit sum principium, qui propter vos secũdum humanitatem, & factus, & creatus, & appareo vobis, & loquor vobis. Quidã autẽ Codices habent *Quia, & loquor vobis.* Et tale est, ac si diceret. Ego sum Principium, principiũ me esse credite, quia vt vos me credatis esse Principium, homo factus sum, & loquor vobis, & loquendo viam veritatis, & salutis ostendo vobis. Sine me principium esse credite, quia ego mentiri non possum hoc loquor atque testificor. *Multa habeo vobis dicere, & iudicare, sed qui misit me verax est.* Non modo, inquit, vos iudico, & si iudicio digni estis. Quare? quia non venit modo filius hominis, vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus per ipsum; iudicabit tamen quandoque, & vero iudicio iudicabit, quia veracis Patris verax filius est. Et hoc est quod ait: *Qui me misit verax est.* & ego qui audiui ab eo, hæc loquor in mundo, si ergo pater est, & filius quæ a Patre audiuit, hęc loquitur, veritatem vtique loquitur. Verax igitur Pater verax, & filius. Quod autem ait, *quæ audiui ab eo*, non sic est accipiendum quasi alter, alteri loquatur, sed audiui, hoc est cognoui. Ab eo enim habet filius cognitionem, a quo & esse habet. Sic enim dicitur Verbum, & Sapientia Dei, sic dicitur, & cognitio Dei. Et non cognouerunt, quia Patrem eis dicebat habere Deum. *Dixit ergo eis Iesus. Cum exaltaueritis filium hominis, tunc, cognoscetis, quia ego sum, & a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Non omnibus, qui ibi aderant, sed quibusdam hæc loquitur Iesus. Videbat aliquos ibi, qui post eius passionem credituri erant: multi enim ex his, qui eum crucifixerunt, postea corde compuncti ad fidem conuersi in eum crediderunt, & eum veraciter cognoscentes sicut Dei filium coluerunt, & adorauerunt. In eo vero quod ait. *Sicut docuit me pater, hæc loquor.* Patris, doctrinam se esse ostendit. Quid est enim doctrina Patris, nisi sapientia Patris? dicat ergo *Et a me ipso facio nihil.* Non secundum humanitatem loquor, hęc doctrina non est hominis, hæc doctrina diuinitatis est. Sicut docuit me pater, hæc loquor et secundum scientiam, & doctrinam diuinitatis loquor, ipsum enim genuisse docuisse fuit. *Et qui me misit mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quę placita sunt ei facio semper.* Quamuis enim filius à Patre missus est, quamuis incarnatus, & homo factus est, hoc est enim missio quod incarnatio, semper tamen in filio Pater, & semper in Patre filius est. *Hic est enim filius dilectus, in quo ipse sibi bene complacuit. Hæc eo loquente multi crediderunt in eum.*

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, *locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos dicens. Super cathedram Moysis sederunt Scribe, et Pharisęi.* Et reliqua.

QVid est enim sedere super cathedram Moysis doctrinã & legem prædicare, & popolum regere, & admonere. Hoc autem erat officium Scribarum, & Phariseorum. Vnde, & super cathedram Moysis sedere dicitur. Sed quid est quod Dominus alibi præcipit dicens. *Cauete a fermento Pharisęorum quod est hypocrisis.* Hic autem dicit. *Omnia quæcumque dixerit vobis, seruate, et facite.* Pharisæorum enim doctrina fermentum dicitur, sed non illa, quam docent, quãdo sedent super cathedram Moysis Sedent enim super cathedram Moysis, quando nihil aliud prædicant, nisi ea quæ Præcipit Moyses. Hæc autem, & seruanda & faciẽda sunt. Quãdo vero per fraudem, et hypocrisim, non legis verba, sed suas traditiones docent, tunc eis obedire. & credere non oportet, quoniam in Moysis cathedra non sedent, qualiscunque igitur sit Prædicator, si tamen non sua, sed Dei verba enuntiat, populus ei, & obedire, & credere debet. Sequatur eum in his, quæ dicit, non sequatur eum in his quæ agit, quod enim dicit, Dei est, quod autem agit suum est. *Alligant autem onera grauia, & importabilia, et imponũt in humeros hominum digito autem suo nolunt ea mouere.* His autem verbis clementissimus Dominus nos admonire videtur in peccatoribus ad pænitentiam conuersis, pietatem, & misericordiam habeamus eorumque onera potius cum eis portemus, quam supra vires eos oneremus. Vnde & Sacerdotes in lege iniquitatem sanctuarii portare iubentur. Vnde, & per Moysen Dominus ait. *Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus suis, criminis reus erit.* Fit enim multoties, vt pastor Ecclesiæ peccantem seruum, vel ancillam idest masculum, vel fęminam, sibi subiectos, eorum facinora exaggerando, & tormenta futura minando, duramque canonum pœnitentiam minitando, nimis aspere virga correctionis percutiat. Qui si in manibus eius mortui fuerint idest si eos propter immanitatem sceleris, & importabile onus pænitentiæ veniam desperare senserit, eosque verbis mitioribus, & antidoto pietatis non confortauerit, quasi qui malè medendo ægrum occiderit, reus erit. Habeat igitur pœnitentia modum, & vnicuique rationabiliter onera imponantur: magis enim ad cordis contritionem, quam ad ieiunia, & carnis maceratione respicit Deus. Magna enim misericordia ei fieri potest, qui iam ex corde pænitet, & peccare cessat. Qui vero aliter agit, & si multum ieiunet, tamen nihil agit. *Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Ideo enim Scribæ, & Pharisæi nullam de operibus suis mercedem suscipiunt, quia omnia opera sua faciunt non pro Iustitia, vel animarum salute, sed pro vanagloria, vt videantur, & laudentur ab hominibus. *Dilatant enim philacteria sua, et magnificant fimbrias.* Philacteria enim chartulas quasdam in manibus, vel circa collum appensas ferebant, in quibus verba legis scripta erant, vt semper ad ea respicientes a Iustitia non declinarent. Hanc autem consuetudinem ex eo loco sumpsisse videntur, vbi dicitur. *Erit igitur hoc quasi signum in manu tua, et quasi appẽsum quod, ob recordationem ante oculos tuos.* Quod quidem si bono, & simplici animo fecissent, non valde reprehensibile esse videbatur. De fimbriarum quoque vsu Moysi a Domino dicitur. *Loquere filijs Israel, et dices ad eos, vt faciant tibi fimbrias per angulos palliorum: ponentes in eis uittas hiacynthinas, quas cum uiderint, recordabuntur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas, et oculos per res varias fornicantes, sed magis memores Præcepta, cum domini faciant ea.* Hoc autem quod significet, nõ multa indigent expositione, si quidem ipse, qui scripsit, exposuit:

fac ad hoc.n. vitias hiacynthinas in fimbrijs ponere iussit, vt signum quoddam eis esset, quo cœlestium mandatorum memores, vana, & inutilia non cogitarent. Sunt igitur fimbriæ legis mandata, vittæ vero hiacynthinę, Sanctæ cogitationes, quæ simul iunctę si fuerint, ab omni vanitate oculos auertēt & totam mentem ad cælestia dirigant: videntes enim hiacynthum, cęli recordamur quoniam vnius coloris sunt cęlum, & hiacynthus. Hæc autem in Pharisæis Dominus non reprehendisset, nisi quia omnia opera sua faciebant, vt viderentur ab hominibus, de quibus adhuc subditur. *Amant autem primos recubitus in cænis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, Rabbi.* His autē verbis Scribæ, & Pharisæi de vanagloria, superbia, & ambitione notantur. His et nos admonemur, ne eos in talibus imitemur. Primæ quidem cathedræ ad ambitionem, cætera vero ad superbiam, & vanamgloriam spectant. *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester.* Quia enim omnis vanagloria peccatum est: peccat vtique qui pro vanagloria sic vocari desiderat. Discipulus quoque non effugiet culpam, qui magistri nomen vsurpat. *Omnes autem vos fratres estis, & Patrem nolite vocare vobis super terram vnus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Vnus est Pater, vnus est, & magister. Vnde & Iacobus ait. Nolite plures magistri fieri fratres mei. *Vbi enim plures magistri, ibi et plures sententiæ, vbi plures sententię, ibi schisma.* Vnde Apostolus admonet, *vt ad ipsum dicamus omnes.* Bonum habemus magistrum, ipsum sequamur, ipsius sententia vna sit, & omnis. Patrem vero in terram querere non debemus, quia omnes fratres sumus, & vnum in cælis Patrem habemus, illi credere, illi obedire oportet, cuius amore patres, & matres fratres, & sorores, magistros, & doctores, & quæcumque in mundo sunt, & in terra versantur abijcere, & abnegare debemus. *Qui maior est vestrum erit minister vester.* Hoc enim de seipso Dominus ait, qui vsque ad lauandos pedes discipulorum se humiliare dignatus est, præbens nobis humilitatis exemplum. Vnde et subditur. *Qui autem se exaltauerit, humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Deposuit enim potentes de sede & exaltauit humiles.*

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide.* Et reliqua.

HAEc verba, & diuitibus, & pauperibus valde necessaria sunt; quia & illis dant timorem, & istis consolationem. Audiunt hic diuites pęnas suas, audiunt, & pauperes gaudia sua. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuā eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* Sanctorum enim nomina scripta sunt in cęlis, malorum vero nomina non sunt scripta in libro Vitæ. Vnde & hoc loco diuitis nomen nō dicitur, mendici vero dicitur. Hic Lazarus vocatur, ille quomodo vocetur nescimus. Talibus enim dicturus est Dominus. *Amen dico vobis nescio vos.* Quid igitur mirum si illum nescimus, quem ille nescit, qui omnia scit. Sed vicissim vterque videt, vt illius impietas manifestetur, & huius patientia crescat. Videt iste diuitem delicijs affluentem; videt ille pauperem inopia tabescentem: Ille epulatur, iste cruciatur. Neque ille tantum peccaret, si hunc non vidisset; neque iste tantum cruciaretur, si illius delicias non aspexisset. Vterque igitur erat alteri materia mali, ille temporalis, iste ęterni. Habebat tamen pauper hanc vnam consolationem, quod canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Canum etenim lingua medicamentum quoddam est, & lingendo vulnera curat. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ: mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.* Nam & Abraham, sicut & cæteri Patriarchæ, & Prophetæ in inferno erat, Inferni tamen pęnas non patiebatur. Sinus igitur Abrahæ ille locus intelligitur, in quo simul collecti Sancti quiescebant. Infernus autem pęnarum locus est, in quo iniquorum animæ cruciantur. *Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu eius.* Hoc est enim quod Dominus ait: *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Maiora tamen sunt tormenta diuitis, quam fuissent vlcera Lazari. Ecce diues iam videre incipit Lazarum superiorem, & iam superiorem, vt nisi eleuatis oculis eum videre non possit. Videt Abraham, videt & Lazarum in sinu Abrahæ, & quamuis lōge positus, videt tamen omnes delicias illis antepositas. Videt, & concupiscit, cruciatur, & non est qui eius misereatur. Et tanto quidem amplius cruciatur, quanto maiores delicias contemplatur. Visus enim multoties parit appetitum, & ea, quæ non videmus, minus appetere solemus. Vnde & ait. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua,* & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Micas panis de mensa diuitis Lazarus concupiscit, guttam aquæ de digito Lazari diues quæsiuit. Sed quare de digito Lazari? Fortasse, quia timebat ne eum accusaret, & vt eum quem offenderat, vel talibus verbis ad misericordiam inclinaret? Aut quia non alium ei videre concedebatur, nisi eundem ipsum, pro quo cruciabatur. Non enim licet malis videre quod volunt, quamuis liceat bonis videre, & audire, & habere quæcunque volunt. Frustra autē misericordiam petit, qui misericordiam non fecit. Vnde & subditur. *Et dixit illi Abraham. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Hinc est enim quod Dominus ait: *Væ vobis diuites, quia habetis consolationem vestram:* Et *Beati Pauperes quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Diuitiæ igitur ad inficiam, paupertas ad beatitudinem perducit. Pauperibus cęlum, diuitibus infernus aperitur. Diuitibus vtique, qui his diuitijs male vtuntur. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Magnum enim chaos Dei dispositio est, quæ tam firma, & stabilis est, vt contra Dei voluntatem penitus immutari non possit. Igitur neque boni miserando possunt transire ad malos, neque mali ad bonos transmeare valent. Volunt tamen boni compatiendo transire ad eos si Deus velit, sed quia Deus hoc non vult, ipsa talis compassio deficit in eis; quoniam omnis eorum voluntas in Dei voluntate consistit. *Et ait. Rogo ergo te Pater, vt mittas illum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Hæc autem collocutio Abrahæ, & diuitis non sono vocis, sed sola mentis cogitatione facta est. Et boni quidem omnia cognoscunt; malis vero ea tantum scire datur, in quibus eorum pęna magis crescat, & augeatur. Vnde et diues iste pro fratribus sollicitus magis torquetur, timens ne ipsi quoque similia patiantur: si enim illorum penitus oblitus fuisset, minus aliquid tormenti habuisset. *Et ait illi Abraham. Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. Sufficit enim hos audire si his credere voluerint.* Omnibus enim ad salutem sufficiunt soli Moysi & Prophetarum libri; si tamen benè intelligantur. *Et ille dixit: Non Pater Abraham sed si quis ex mortuis ierit ad illos pęnitentiam agent. Ait autem illi. Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis è mortuis resurrexerit, credent ei.* Ideo enim Christo Domino resurgenti vsque hodie Iudæi credere nolunt, quia Moysen, & Prophetas non audiunt. Vnde ipse Dominus: *Si crederetis,* inquit, *Moysi, crederetis vtique, & mihi: de me enim ipse scripsit.* Hæc autem si allegoricè intelligantur. *Diues* iste Iudaicum populum significat: solus enim Iudæorum populus legis, & prophetarum diuitijs, & delicijs locupletatus, omnes alios despiciebat, nullique in cibis spiritualibus, quibus abundabat communicare volebat. Hoc enim vitio vsque nunc laborat populus ille, & sic omnia celat, ac si reuelādo perdere debuis-

set. *Qui purpura* quidem in Regibus, in Sacerdotibus autem *bisso induebatur*. Cuius *quinque fratres*, quinque templi partes intelliguntur, Reges scilicet, & Sacerdotes, Scribæ, & Pharisei, & cætera populi multitudo. *Mendicus* vero *Lazarus*, qui adiutus interpretatur, quem Dominus adiuuit, & a mortis periculo liberauit, Gentilis populus est, qui prius quidem cęlestium bonorum egenus, & pauper veritatem cognoscere, & Deum intelligere cupiebat; *sed nemo illi dabat*, nemo illi arcana veritatis reuelabat. Sed tandem *canes*, tandem Christi Apostoli venientes, *eius vlcera linxerunt*, & lingendo curauerunt, sicut enim canes, ita & Apostoli, & Doctores medicamentum in lingua ferunt, quia prædicando sanant. Videamus quod sequitur. *Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinu Abrahę; mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno*. Quotidie namque Iudæi, & Gentiles moriuntur: quotidie Christiani in cælum feruntur, quotidie Iudęi in inferno sepeliuntur, ibique sua tormenta sentientes, dum secum recogitant in quibus peccauerint, quam stulti, & increduli fuerint, quantum à fide & iustitia patris sui Abrahæ declinauerint, & dum à Gentili templo si fieri possit adiuuari concupiscunt, dumque Abraham eorũ vana, & inutilia desideria, & seram pęnitentiam considerat, quodammodo Abraham loquitur cum eis, rogatur ab eis, & respondet eis: sola enim cognitio sufficit eis ad colloquendũ quæcunque volunt. Quoniam autem de sua salute desperãt, pro fratribus timent, & orant, ne & ipsi decipiantur, & similia patiantur.

FERIA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelii secundum Matthęum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis, & turbis Iudæorum parabolam hanc. Homo erat pater familias qui plantauit vineam & sepe circumdedit ei*. Et reliqua.

IN figura huius hominis patrisfamilias Deum Patrem significat, qui vineam Sorech ex Aegypto transtulit, & in montibus Israel eam plantauit. Vnde Psalmista. *Vineam*, inquit, *ex Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam*. De qua & Propheta ait. *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei*. Et paulò post *Vinea enim Dei Sabaoth domus Israel est*. Huic autem *sepe circumdedit*, quia suæ virtutis præsidio eam muniuit, *& fodit in ea torcular*, per quod altare intelligitur, in quo quasi vinum in torculari hostiarum sanguis quotidie fundebatur. *Aedificauit autem turrim in medio eius*, templum videlicet, in quo Iudæorum populus maximè confidebat, *& locauit eam Agricolis*, quia terram illam lacte, & melle manantem Iudæis tradidit ad inhabitandum. *Et peregrè profectus est*, quia longe est a peccatoribus salus. *Cum autem tempus fructuum appropinquasset misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis suis aliũ ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt*. Hoc est enim quod propheta ait. *Et expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas*. Isti enim serui, Viri Sancti, & Prophetæ fuerunt, quos ad illum populum corrigendum, & ad suum seruitium inuitandum Dominus misit. *Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter*. Vnde & B. Stephanus ait. *Quem enim prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui pronuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuistis. Nouissimè autem misit ad eos filium dicens: Verebuntur filium meum Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se, hic est hęres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius*. Manifesta sunt hæc in quibus passionem suam Dominus prophetabat. Nos autem omnia iam completa videmus, & credimus. Agricolæ enim idest Principes Sacerdotum, nisi Christum interficerent, & locum, & gentem se amittere timuerunt. Ideoque dederunt consilium populo, vt eum interficerent. *Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt*. Quid est extra vineam, nisi extra ciuitatem: hoc est enim quod Apostolus ait. *Quorum enim animalium sanguis infertur in Sancta Sanctorum per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*. Ita & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est. Compleuerunt igitur in malo suo, quod illi significabant in sacrificio suo. *Cum venerit Dominus vineæ quid faciet agricolis illis?* Interrogat eos Dominus sententiam Iudicij, vt ipsimet suo Iudicio se damnent. *Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*. Quid est Principes Sacerdotum, quomodo non respondistis nescimus, sicut superius cum de baptismo Ioannis vos Dominus interrogaret, nisi quia hanc parabolam nondum intelligitis: Si enim intelligeretis eam, aut nullum, aut aliud daretis responsum. Lucas tamen dicit quod *Pharisei audito verbo responderint absit*, quod fuit ac si dicerent. Absit, vt te occidamus, & ideo pereamus. *Dicit illis Iesus. Nunquam legistis in scripturis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris*. Hæc enim & superior parabola idem significant, Principes enim Sacerdotum, & Scribæ, & Pharisæi, qui legem exponentes, & populum docentes Synagogam ædificabant, Christum Dominum Nostrum, lapidem videlicet angularem, non solum reprobauerunt, verum etiam morte turpissima occiderunt. Hic autem factus est in caput anguli iungens duos parietes, vnum ex circumcisione, alterum ex præputio venientem. Et hoc quidem *a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris*. Cui enim non videatur esse mirabile quod ille, qui modo cum latronibus suspensus fuit, nunc ab vtroque populo caput, & Dominus habeatur, & vbique regnans ab omnibus adoretur. *Ideo dico vobis quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus eius*. Quia enim hæc, & illa fecerunt, quia hunc lapidem reprobauerunt, & Dei filium occiderunt, ideo regnum Dei auferetur ab eis, & dabitur Gentili populo, qui est melior eis. Vnde & per prophetam Dominus ait. *Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum*. Illi enim super istum lapidem cadunt, qui male de Christo intelligentes, & à fide Catholica aberrantes offendunt in eum. Vnde Apostolus ait. Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est. *Ecce pono in Syon lapidem offensionis, & petram scandali, & Omnis, qui crediderit in illum, non confundetur*. Ipse quoque Dominus ait. *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me: Super quem vero ceciderit, conteret eum*. Super quem enim cadit Dominus, nisi super eos quibus irascitur, & indignatur. Ipse est enim ille lapis, qui in Daniele, *abscissus de monte sine manibus*, totam illam famosissimam *statuam comminuit*, per quam omnis iniquorum multitudo figuratur. *Et cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolam eius, cognouerunt quod de ipsis diceret, & quærentes eum tenere timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant*. Apparet igitur quod eius verba prius non intellexerunt; atque ideo sua se responsione damnauerunt. Multoties enim Iudæi eum tenere voluerunt, & non potuerunt, vt adimpleretur quod ipse dixerat. *Generatio praua, & peruersa signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*. Tribus quidem, & non amplius. Hæc igitur causa quod eum tenere volentes, eum tenere non poterant.

SABBATO.

Lectio Sancti Euangelij Secundum Lucam.

IN illo tempore, *Dixit Iesus discipulis suis. Homo quidam habuit duos filios.* Et reliqua.

HOmo iste Deus ipse hoc in loco intelligitur. Qui, quoniam ad eius imaginem, & similitudinem factus est homo, non dedignatur vocari homo. Huius duo filij duo populi sunt: Iudeus scilicet, & Gentilis. Horum autem adolescentior Gentilis est, non tamen ætate, sed scientia. Inde enim puer centum annorum maledicitur. Inde Apostolus ait: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Dicuntur igitur pueri, & adolescentes non solum ætate, sed & sciētia, & malitia, in senibus enim maturior est sapientia. Senior igitur erat Iudaicus populus, si quidem sapientior, & senior. Hęc autem substantia quam filio adolescenti, & stulto idest Populo Gentili omnium rerum Creator, & Pater Deus diuisit, intellectus est, memoria, ratio, sensus, scientia, omnisque animæ virtus, & possessio. Nulla substantia talis, nullæ diuitiæ his diuitijs comparari possunt. Has, & bonis, & malis filijs Pater diuisit. *Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose.* Omnis enim regio longinqua est, quæ a Deo longe est. Longe autem a Deo, qui longe a fide, a pietate, a misericordia, & iustitia. Ab his enim lōge fit, qui vitijs appropinquant. Cito igitur, & post dies multos in longinquam regionem vnusquisque proficisci potest. Ibi autem miser homo dissipat substantiam suam, ibi perdit diuitias animæ inter vitia, & peccata viuendo luxuriose. *Et postquam omnia cōsumasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cæpit egere.* Virtutib. enim fugatis eget anima, & fame perit. De hac enim fame per Prophetam dicitur. *Inmittam in vobis non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbi Dei.* Magna igitur fames est in regione illa, magna egestas est in pectore illo, vbi verbi Dei memoria nulla habetur. Quod quidem postquam fit, totus iam homo Diabolo traditur, totusque ab eo possidetur. Vnde, & hic subditur. *Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Iste enim ciuis omnium iniquorum princeps, & caput intelligitur diabolus. Possumus autem per hunc ciuem errorem specialiter intelligere, cui ille populus non solū adhęsit, verum etiam ex toto subditus fuit. Error enim hoc fecit, vt a Deo recederet, animęque substantiam cum meretricibus dissiparet. Error illum in villam immundorum spirituum misit, qui modo per porcos significantur, vt illos pasceret, illos sequeretur, illis seruiret, & obediret. Multi enim sunt maligni spiritus, magna est eorum ciuitas, & cōgregatio, vbicumque autem maligni Spiritus habitant, ibi est villa diaboli. Porci autem ipsi quoque maligni Spiritus sunt qui semper in fœtore, & stercore vitiorum delectantur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt. eorum desiderium complent. Quicumque igitur adulterantur, fornicantur, furantur, & alia iniquitatis opera operantur, magnam his porcis refectionem parant. *Et cupiebant implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Superbia enim luxuria, auaritia, & similia siliquæ sunt, quibus maligni Spiritus nutriuntur, vt autem peccatores ventrem suum implere cupiunt; quia præ nimio peccandi desiderio his satiari non possunt. Quanto enim amplius peccant, tanto amplius peccare desiderant. Hoc enim in fornicatoribus, auaris, & raptoribus probari potest, quorū iniqua desideria numquam ad satietatem perueniunt. Vnde & hic dicitur. Et nemo illi dabat. Quia enim non tantū eis datur, quantum sibi dari appetunt, ideo neminem eis dedisse dicit. Datur igitur eis quod volunt, sed non quantum volunt: fit enim multoties, vt omnes iniqui sua desideria Domino prohibente, adimplere non valeant. Sequitur. *Ipse autem in se reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Nisi enim fuisset extra se, non diceretur reuersus in se. Tunc enim in se reuersus est, quando memoriam recuperauit, vt domus patris sui recordaretur Mercenarij autem hoc in loco Scribæ, & Pharisęi dicuntur, qui magis decimarum, et oblationū mercede, quam ex charitate Domino seruiebant. Et isti quidem iam nunc, & Spiritualibus, & carnalibus panibus abundabant in domo Domini, cum adhuc Gentilis populus extra positus, spirituali alimonia periret. Qui tandem in se reuersus et pęnitentia ductus ait. *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cælum, & coram te, & iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenarijs tuis. Et surgens uenit ad patrem suum.* Apostolus enim dicit. *Surge qui dormis, et Surge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Sic igitur surrexit iste, qui prius mortuus in peccatis iacebat, *Et uenit ad Patrem suum.* Sed quomodò venit nisi pænitentia, & corde contrito, & spiritu contribulato? Hac enim via redeunt peccatores ad Dominum; *Et cū adhuc longe esset, uidit illum pater ipsius, et misericordia motus est.* Clementissimus pater, qui statim, vt filius compungitur, & pænitere incipit, quamuis adhuc longe sit, quamuis adhuc in peccatis sit, misericordia mouetur, & pænitentem filium læto vultu respicere dignatur. *Et accurrens cecidit supra collum eius, et osculatus est eum.* In hoc enim quid aliud, nisi pax, & perfecta reconciliatio significantur? *Dixitque ei filius, Pater peccaui in cælum*, plus diligens terram, quam cælum, & coram te. Qui vbique es, & omnia vides, iam non sum dignus vocari filius tuus, tanto tempore conuersatus cum inimicis tuis, *fac me sicut unum ex mercenarijs tuis.* Non Prophetarum sedes, non Sanctorum Coronas, nō Virginum gloriam peto, liceat mihi tantummodo esse in familia tua, vt sim vel minimus in regno tuo, Quia nihil deest mercenarijs tuis. De his enim mercenarijs Beato Iob loquitur dicens? *Sicut Ceruus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic, et ego habui menses uacuos, et noctes laboriosas numeraui mihi. Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam induite illum, et date anulum in manu eius, et calceamenta in pedes eius.* Prima enim stola immortalitas est, quam primus homo peccando amisit, & amissa mox nudum se esse intellexit: hęc autem vestis per Baptismum, & Pænitentiā recuperatur. Et tunc quidem datur homini anulus, & fidei arra Signum videlicet, quo in Dei exercitu connumeretur. Deinde vero dantur calceamenta scilicet virtus, & potestas, vt secure possit calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et sic demum accedit ad patris conuiuium, vt Christi carnem, & sanguinem recipere mereatur. Vnde & subditur. Et adducite vitulum saginatum, & occidite illum, vt manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Hic enim vitulus saginatus Christus est omni virtute, & gratia plenus, de Patriarcharum, & Prophetarum armento susceptus. Qui quamuis *semel pro nobis*, vt ait Apostolus *mortuus sit, et iam non moritur.* & mors vltra illi non dominetur, toties tamen occiditur, & a fidelibus comeditur, quoties in hoc altaris Sacramento immolatur. Nunc vitulum, et corpore manducamus, & mente. Mente quidem audiendo, eiusque passionem commemorando. Per hunc a morte redempti, per hunc Deo quotidie reconciliamur. Sequitur. *Erat autem filius senior in agro, et cum ueniret, et appropinquaret domui, audiuit symphoniam, et chorum, et uocauit vnum de seruis, et interrogauit, quę hæc essent. Isque dixit illi: frater tuus uenit, et occidit, illi Pater tuus uitulum Saginatum, quia saluum illum recepit.* Ab agro enim à labore, & a legis seruitio Iudaicus populus rediens, cum iam domui, & Ecclesiæ per fidem appropinquaret, Apostolorum symphoniā chorū, & prædicationem audiuit. Cumque interrogaret quid hæc essent, dictum est ei quod Gentilis populus cognita veritate Christi sanguine redemptus ad fidem conuersus esset, & iam *non Iudæorum Deus tantum imò, et Gentium* In gna-

rus ergo nolebat introire. Hoc est enim quod in Actibus Apostolorum legitur. *Quia cum uenisset Petrus Hierosolymam disceptabant aduersus eum, qui erant ex Circumcisione dicentes, quare introisti ad uiros preputium habentes, et manducasti cum illis? Quibus Petrus narrauit omnia, quę ei acciderunt, et quomodo Gentes credidissent,* Senior igitur frater illam Iudæorum partem significat, quæ in primitiua Ecclesia, de Gentilis populi conuersione contra Apostolos scandalizata est. De quibus in Actibus Apostolorum, & in Epistolis Pauli multa inueniuntur. Pater ergo illius egressus cępit rogare illum, omnes enim rationes, quas de Gentium conuersione Iudeis Apostoli reddebant, quid aliud nisi quædam Omnipotentis Dei placationes, & preces erant: Quale est illud Apostoli. *Non enim est distinctio Iudei, & Greci, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei: nā idem Dominus omnium, diues in omnibus, qui inuocant illum. At ille respondit Patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum preterini, & nunquam dedisti mihi hędum, ut cum amicis epularem: Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricib. venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Ex parte enim mentitur, & ex parte verum dicit Senior filius. In eo enim, quod ait, quia reuertenti filio vitulum saginatum pater occiderit, verum dicit, mentitur autem, dum Dei pręceptum nunquam se prętergisse iactat: insuper, & ingratus esse videtur, dum tauorum, quibus quotidie mundabatur sacrificiorum oblitus, numquam vnum hedum se suscepisse conqueritur, Hæc autem quia Iudaicus populus ad fidem conuersus cogitare poterat, dum Iudæos reprobari, & Gentiles eligi vidisset, sic posita sunt ac si ea locutus fuisset. Quis enim non miretur tantam immutationem esse factam, vt Iudæos quos tantum dilexerat in sua ciuitate Dominus perire permitteret, & pro Gentili populo, quem odio habebat, Vnigenitum filium morti traderet? Sed hæc cogitando simul cum filio iuniore quasi indignati contra Dei dispositionem quodammodo loquitur. Hæc valde quidem mirandum est, si Iudei nouiter ad fidem conuersi Gentibus communicare voluissent, cum hanc talem communionem lex eis per omnia interdixisset. Vnde iste neque pro hac indignatione hic reprehenditur, sed potius reddita ratione Pater eum placare conatur, dicēs: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem oportebat, & gaudere, quia hic frater tuus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Semper enim ille populus, secundum quosdam cum Deo fuit, & secundum quosdam cum Deo non fuit. Vnde Apostolus ait. *Cecitas ex parte contigit in Israel.* Elias quoque cum diceret. *Domine Prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & relictus sum ego solus, & quęrunt animam meam. Ait ei Dominus reliquit mihi septem millia virorum qui non curauerunt genua ante Baal.* De his igitur, & similibus Dominus ait: *fili tu semper mecum es*. Pro qualibus, & de Ecclesia dicitur, *quę non habeat maculam neque rugam.* Si enim ad vniuersitatē spectas, multas maculas habet Ecclesia. Et tales quidem filii hæredes sunt, talibusque omnis patris possessio debetur eis ad beatitudinem sufficiens, & necessaria. Denique omnia quæ Dei sunt, quodammodo nostra sunt; & taliter ea habeamus, vt aliter ea habere nolimus.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam,

IN illo tempore, *Erat Iesus eijciens Demonium*. Et reliqua,

BEatus Matthæus Euangelista hominem istum non solum mutum, sed etiam cæcum fuisse narrat. Cęcus est enim omnis homo, qui eam lucem non sequitur, quæ ait, *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitę.* Mutus vero, qui peccatum suum confiteri, & in Dei laudibus labia sua aperire nescit. Dæmonium autem ille habet, qui in aliquo magno peccato perseuerat, ideoque Apostolus nos admonet dicens. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Quandiu enim peccatum in homine regnat, tandiu victus, & captus a diabolo possidetur. Hic igitur cæcus, & mutus si Domino offeratur, si ad pęnitentiam conuertatur, mox Iesus curabit eum; ita vt eiecto demonio loquatur, & videat. Loquatur autem non vana, & inutilia vt prius, sed sancta, & religiosa, qualia quem conuenit Christianum, Videat vero non vanitates oculis cordis, sed lumen vitæ, & veritatis oculis mentis. *Quidam autem ex eis dixerunt In Belzebub principe demoniorum, eijcit demonia.* De his autem Matthęus Euangelista [illegible] *Pharisei autem hec audientes dixerunt: Hic non eijcit demones nisi in Beelzebub Principe demoniorum.* Quanto enim Pharisei cęteris meliores, & sapientiores esse videbantur, tanto multoties maiori inuidia contra Dominum mouebantur. Sed quid Pharisæi vos ista docuit? nisi enim Beelzebub discipuli essetis, hæc talia in eius preconio non diceretis. Videtis Iesum mortuos suscitare, cęcos illuminare, leprosos mūdare, omnes languores, omnesque infirmitates curare, & dicitis quia in Beelzebub eijcit demonia? Numquid enim Beelzebub Deus muscarum hæc aliquando facere potuit? *Alij autem tentantes signum de celo quærebant ab eo.* Quibus quid Dominus responderit, alius Euangelista exponit dicens: *Generatio hęc praua, & peruersa signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionę Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita [...] filius hominis in corde terrę tribus diebus, & tribus noctibus.* Sufficiat vobis hoc signum, neque de terra, neque de cælo dabitur vobis aliud signum. Magnum enim, & admirabile signum est, quod ille, qui omnia in potestate habet trib. diebus, & tribus noctibus se ipsum in hominum potestate esse permisit. Quid est enim in corde terræ, nisi in affectu, in potestate, & in desiderio peccatorum. Vnde ipse quoque Dominus Pilato dicebat. *Non haberes in me potestatem nisi datum fuisset tibi desuper.* Sicut autem cælum significat iustos ita & terra, significat peccatores. Hęc autem iam superius exposita sunt. Sequitur,

Ipse autem vt vidit cogitationes ipsorum dixit; Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: si autem & Satanas in se ipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub eijcere me demonia? Euidenti sylogismo eos concludit, qui eum in Beelzebub demonia eijcere dicunt. Si enim ita esset vt illi dicunt, iam quidem Beelzebub vires principatus, & regnum penitus amisisset. Si enim contra se dæmonia bellum gererent, aut paruas, aut nullas contra homines vires haberent. Sed quod peius est, vix inueniuntur aliqui homines qui tantam concordiam habeant in bono, quantam maligni spiritus habent in malo. Cum enim sint infiniti, & innumerabiles, omnes tamen in eo concordant, quod nihil, nisi malū facere desiderant. Si igitur hanc iniquitatis concordiam nō habuissent, & ad pęnitentiam conuerti voluissent, et potuissent, iam quidem regnum Beelzebub desolatum fuisset: hoc enim in aliis regnis fieri videmus. Non est igitur, vt illi [...]cunt, neque Satanas Satanan eijcit, quin potius omnes in omnibus sibi inuicem auxiliantur. Vnde etiam per Beatum Iob a Domino diabolo dicitur. *Corpus illius quasi scuta fusilia, et compactum squamis se prementibus vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adherebant, & tenentes se nequaquam separabantur.* His enim verbis malignos spiritus tantam inter se concordiam habere designat, vt nullatenus ab inuicem separari queant. Corpus enim diaboli totus ille malignorum spirituum exercitus intelligitur. Dicuntur autem scuta fusilia maligni Spiritus propter fortitudinem, dicuntur, & squamæ se prementes, seque mutuo tenentes, sibiq. inuicem adhærentes propter nimiam concordiam, & vnitatem, quam habent in omni malitia, & nocendi cupiditate. Vtinam si fieri possit hæc tanta illorum pax, & concordia rumperetur, et regnum illud iniquitatis solueretur. Sequitur, *Et si ego in Beelzebub eijcio*

demonia

dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt? Si inquit de me talia cogitatis, quod dicitis etiam de discipulis meis? Scio enim non bene intelligitis de Discipulis, qui tam nefanda de magistro cogitatis. Hoc est enim, quod superius dixerat: *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Dicuntur autem Apostoli filii Phariseorum, quoniam & ipsi, & ceteri omnes, qui credebant resurrectionem, quam Pharisei prædicabant quasi Patres, & magistros Pharisæos habebant. Vnde etiam illius sectæ eos fuisse intelligi potest, hæc enim secta ceteris melior erat, quamuis, & ipsa, in pluribus bona non erat. Ideoque in actibus Apostolorum Paulus quoque Apostolus clamasse legitur *Phariseus sum de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor*, Hæc est igitur causa, quare Christi Discipuli Phariseorum filii dicantur. Sequitur. *Ideo ipsi Iudices vestri erunt, Ipsi enim sedebunt super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Porro si in digito Dei eiicio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Hoc autem quid significet alius Euangelista ostendit dicens *Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmones*. Quod vtique verum est, & dubitari non debet, igitur, *peruenit in vos regnum Dei*. Vbi enim est Spiritus Dei, ibi est regnum Dei. Vocatur autem digitus Dei Spiritus Sanctus propter multiplicem gratiarum diuisionem. In nulla enim corporis parte tanta diuisio, quanta in digitis inuenitur. Et tale est, ac si diceret, Ego quidem in Spiritu Dei, & virtute diuinitatis dæmones eiicio, quoniam mihi subditi sunt, quoniam in mea potestate sunt, quoniam mihi resistere non possunt, quoniam ligatos eos teneo, & vinctos habeo. Et hoc est quod ait. *Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit eum; vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet*. Fortis enim erat diabolus, sed fortior ego sum. Intraui in domum eius, veni in hunc mundum, quem ipse, vt domum propriam possidebat: *sed prope est vt Princeps mundi huius eiciatur foras*. Ligaui eum, vasa eius diripui, & miseros homines, quos inuaserat, de eius seruitute liberaui. Non est igitur ipse mecum, neque congregat mecum, neque Dæmones eiicit mecum, non sanat homines vt ego, non liberat vt ego, non congregat oues, neque ad vitæ pascua ducit, sicut ego. Quid igitur facit? Vis audire quid? Spargit, dissipat, occidit, & quoscumque potest ad mortem, & æternam damnationem secum trahit. Non est enim quod dicit. *Qui non est mecum aduersum me est, & qui non colligit mecum dispergit, Cum immundus Spiritus exierit de homine ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inueniens dicit, reuertar ad domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem scopis mundatam, & ornatam. Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, et fiunt nouissima hominis illius peiora priorib. sic erit et generationi huic pessimæ.* Hanc autem similitudinem ideo Dominus dedit, vt Iudeorum generationem malam, & adulteram propter duritiam suam, & cor impænitens, non solum a Niniuitis, sed etiam ab aliis gentibus meritò damnandam, & iudicandam esse ostenderet. Quoniam hæc impia generatio pænitere nescit, sed quotidie se ipsa deterior fit, cuius *nouissima peiora prioribus fiunt*. Hoc enim ipsi significabant, cum de Saluatore nostro dicerent? *Sanguis eius super nos, et super filios nostros. Sic erit generationi huic pessimæ.* Sicut illi homini qui ab immundo Spiritu possidetur. *Cum enim immundus Spiritus exierit ab homine ambulat per loca arida quærens requiem, et non inuenit*, Facile enim maligni Spiritus, et intrant in hominem, & exeunt ab homine: Quoties enim homo, vel cogitatione, vel operatione nefandum aliquid agit, diabolus adest. Si vero ex corde pænitere incipiat, diabolus exit. Exiens autem ambulat per loca arida & inaquosa, eos videlicet tentando, qui malitiæ, & voluptatis humorem non habent, in quibus requiem non inuenit, quoniam obscura, & humida quærit. Vnde & de eo dicitur sub vmbra dormit in secreto calami in locis humentibus, quibus loca genitalia significantur. *Tunc dicit reuertar ad domum meam vnde exiui* Quia enim in bonis requiem habere non potest, ad malos redit. Tētare nãq; bonos diabolus potest, requiē autem in eis habere non potest. Quoniā nūc eorū orationib. nūc eorū fletibus, nūc eorum eleemosinis, aliisque similibus, sollicitatur, mouetur, & pellitur. Veniens autem in domum suā, *inuenit eam vacantem*, vacantem quidem, quia non inuenit ibi Charitatem, nec fidem rectam, nec humilitatem, nec patientiam, nec iustitiam, nec misericordiam, nec cetera, quibus Sanctorum animæ muniuntur. Qualem igitur eam inuenit? scopis mundatam, & ornatam, talem eam inuenit, qualem inuenire desiderat. Inuenit eam malis scopis mundatam, & malis ornamentis ornatam. Malæ scopæ quæ virtutes pellunt, & vitia relinquunt. Malæ scopæ quæ pauimenta dissipant, & puluerem non eiiciunt. Luxuria vero fornicatio, voluptas, superbia, auaritia, discordia, omnisque immunditia, ornamenta diaboli sunt. His autem ornamentis inuenit eam ornatam. Tunc igitur vadit, *& assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi*. Non sufficit ei vt solus talem domum possideat, socios quærit, spaciosus est locus multis indiget habitantibus. Sed qui sunt isti septem spiritus? Quare etiam septem? Quare nequiores? Quia enim septem sunt gratiæ Spiritus Sancti, quibus anima omnis ad Christi fidem conuertitur, & conuersa defenditur. Ideo iniquus iste septem Spiritus illis contrarios secum assumpsit, quibus aduersus eas domum suam tueatur, opponens videlicet Spiritum stultitiæ cōtra spiritum sapientiæ. Et contra spiritum intellectus spiritum vertiginis, & insaniæ. Contra spiritum consilii, spiritum temeritatis. Contra spiritum fortitudinis, spiritum inconstantiæ, & timoris. Contra spiritum scientiæ spiritum inscitiæ. Contra spiritum pietatis spiritum impietatis. Contra spiritum timoris Domini, spiritum contemptus, & odii. Infelix illa anima, in qua spiritus isti regnant, & cui isti dominantur: Isti enim quodammodo nequiores illo sunt, qui eos conduxit: quoniam in hac vita animā corrumpunt, ille vero post hanc vitam animam cruciat. Ille tentat, isti occidunt. Ille ianuas aperit, isti intromissi cuncta perdunt, & dissipant. Ille hominem tentando vexare potest, animam vero, nisi per istos occidere non potest. Sic igitur isti sunt nequiores illo, quia plus nocent isti, quam ille. Ille enim consiliando, & tentando est nequior, Isti agendo, et corrumpendo sunt nequiores. Illi Apostolus hominem tradidit in interitum carnis, de istis vero dicit *non regnet peccatum in vestra mortali carne*. Non est igitur mirum si sunt *nouissima hominis illius peiora prioribus*: cum prius vno, & postea septem aliis prematur dæmonibus. *Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit illi, quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Hoc autem tale est, ac si diceret. Beata quidem est mater mea, felix est venter qui me portauit, sed non ideo Beata, quia Mater mea, neque ideo felix, quia me portauit. Sed ideo felix, atque Beata, quia verbum Dei audiuit, audiendo credidit, credendo custodiuit: hoc enim nisi fecisset, neq. felix, neque Mater mea esse potuisset.

FERIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelii secundum Lucam.

IN illo tempore *dixerunt Pharisæi ad Iesum: Quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua*. Et reliqua.

LEgitur superius in hoc Euangelio quod cum Dominus venisset in patriam suam, & secundum consuetudinem Synagogam introisset, traditus est ei liber Isaiæ Prophetæ, in quo cum legisset, & sicut voluit exposuisset, omnes ei testimonium dabant & admirantes dicebant: *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Et paulò post mente mutata inuidia quadam, & indignatione dicere cœperunt. *Nonne hic*

est filius Ioseph? Hoc igitur solum minus habere videbatur quod extraneus non erat, quod eius parentes nouerant, & quod ibi nutritus fuerat: Si enim aliunde venisset eisq; omnino incognitus esset, tunc eis per omnia venerabilis, omnique reuerentia dignus haberetur. *Et ait illis vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua.* Hoc enim derogando dicebant, & ea quæ de ipso audierant non credebant, & tale est, acsi dicerent, si medicus es, si infirmos curare, & languores pellere potes, quod nos non credimus, cura prius teipsum, cura carnem tuam, parentes scilicet, vicinos, propinquos, & patriam tuam. Et ea, quæ in Capharnaum, & alijs ciuitatibus te fecisse audiuimus, fac etiam hic in patria tua, vt nos videamus: *Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Ideo inquit non curo patriam meam, quia ei acceptus non sum, quia fidem in ea non inuenio, & quia mihi sicut cæteri non credit patria mea. Delectatur in verbis meis, & admiratur in sermonibus meis, & scandalizatur in parentibus meis, tantoque me minus cognoscit, quanto plus præ cęteris me notum habuit. *In veritate dico vobis: multa viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta etiam fames in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Salephtan Sidoniæ ad mulierem viduam.* Non ad vos inquit missus sum, non vos curare, & sanare veni, quia non ad omnes viduas missus est Elias: hoc enim ille significabat, & quod ego in veritate, hoc ille in vmbra faciebat. Illam ergo viduam curare, illam cibis spiritualibus satiare, & ab omni fame, & penuria eripere veni, de qua scriptum est. *Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus.* Hæc enim vidua est Sancta Ecclesia vniuersaliter, & vnaquæque fidelis anima singulariter intelligi potest. Venit enim Dominus vocare omnes, prędicare omnibus; sed non venit sanare, & à fame eripere omnes. *Nisi enim venisset, & locutus eis fuisset peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccatis suis.* Prædicante itaque Domino cęlum aperitur, fames tollitur, & fideles animę cælesti nectare inebriantur: è contra autem infidelibus, & iniquis minatur dicens: *Ecce ego mittam in vos non famem panis, neque sitim aquę, sed audiendi verbum Dei.* Sequitur. *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Similitudo eadem est quę superior: Multi enim leprosi, multi sunt peccatores. Vnus Naaman, vnus populus Gentium siue vnusquisque fidelis intelligitur. Hic autem ad Dominum veniens, & eius tandem sermonibus credens, Baptizatus, sanatus, & mundatus est. Et repleti sunt omnes ira in Synagoga hęc audientes. Ira repleti sunt, quoniam hæc ad versum se dicta fuisse intellexerunt, seque indignos æstimari cognouerunt, quos ille talis tantusq. Propheta visitare debuisset. *Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ędificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Sæuiant homines quantum velint, fremant, & irascantur, securus est Dominus: nihil timet, omnia in potestate habet: & nisi ipse velit teneri, non potest. Non tamen resistit, sed per medium inimicorum transiens, canes contemnit hinc inde latrantes.

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *respiciens discipulos suos Iesus dixit Simoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus,* Et reliqua.

HAec autem Apostolis, eorumque successoribus, Episcopis videlicet, & Sacerdotibus Dominum specialiter dixisse; ex eo maxime intelligi potest, quod ipse in sequentibus ait, *Amen dico vobis quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo* Vnde & bene dicitur. *Si peccauerit in te frater tuus.* Peccat in pastorem, qui oues affligit. Peccat in Episcopum, qui populo sibi commisso iniuriam facit: ad hos enim pertinet corripere: ad hos enim pertinet excommunicare, & ab Ecclesia pellere: Hoc autem quo ordine faciamus ipse Dominus nos docuit dicens: *Vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Si enim hoc faciamus non est vnde frater noster met to scandalizari debeat; præsertim cum bon[illegible] suade[illegible], veritatem ei dicamus. Qui si nos audierit, nostra humi[illegible] catione Domino reconciliabitur: *Si autem non audierit adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Paucos adhuc Dominus adhibere iubet, ne ille, qui corrigitur multorum redargutione scandalizatus, deterior fiat. Sufficiunt tamen isti ad testimonium, si vel de iniusta conuentione, vel se non ita vt dicitur esse respondisse contra Episcopum, vel Sacerdotem [illegible] quando ge[illegible]re voluerit. *Quod si non audierit dic Ecclesiæ.* Quatenus, vel omnium obiurgatione erubescat, qui paucorum h[illegible] locutione satisfacere noluit. Vnde & Apostolus ait. *Sufficit illi qui eiusmodi est obiurgatio quæ fit a pluribus. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus* & excommunicatus, vt ab Ecclesia separatus. Nullus Eccl[illegible] lius ei communicet, quod Ecclesiæ credere noluit, eiu[illegible] filijs obedire contempsit. Et cęteri hoc audientes [illegible] que vnius exemplo corrigantur multi. *Amen dico vobis quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata & in cęl[illegible] quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo* H[illegible] Episcopi audiant, & hunc ligandi, & soluendi ordinem te[illegible]. Prius singulariter, aut per se, aut per alium peccantes conueniant: deinde cum paucis, postmodum vero cum tota Ecclesia, quam si audire contempserit iam tunc eos ligare non dubitent. Qui enim sic ligantur, & in cęlo, & in terra ligati sunt. *Iterum dico vobis; quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quodcunque petierint fiet illis a Patre meo, qui in cælis est: vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Qualiter enim intelligere debeamus hoc quod ait *de omni re,* determinatur, dum dicitur *in nomine meo.* Non enim malam petitionem facere possunt, qui in eius nomine congregantur, & in quorum medio ipse est, scilicet in quorum corde ipse præsidet: quia ideo ibi est, vt corda regat, consilia dirigat, petitiones disponat, eosque sibi inuicem in bono consentire faciat. Videtur autem huic loco illud conuenire quod alibi dicitur. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis.* Illi enim sibi in bono consentiunt; illi in nomine Iesu congregantur, & petunt, qui ea postulant, quæ ad salutem pertinent. Quid enim nisi salus Saluatoris nomine quæritur. Iesus enim Saluator interpretatur. Qui igitur salutem non petit quamuis vocet Iesum, non tamen petit in nomine Iesu, quia hoc non petit quod interpretatur Iesus. Dicatur ergo *si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quodcunque* cum fide & sine hæsitatione *petierint in nomine meo fiet eis.* Vnde hoc: Quia *vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum.* Quod si duo, vel tres sibi in bono consentientes, in Christi nomine petentes sic exaudiuntur, quanto magis plures, quanto magis totam Ecclesiam Deus exaudit. Sed dicis. Quid si in nomine Iesu pro damnatorum salute petant: Nunquid exaudiuntur? Nam & pro Iudæis, & Schismaticis, & Hæreticis quotidie Ecclesia orat, & non exauditur. Orauit Dominus, & pro Iudæis dicens. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciant.* Sic igitur pro multorum salute orant Sancti, & non exaudiuntur. Determinandum est igitur istud, vt sic dicamus si *duo ex vobis* in bono *consenserint super terram de omni re quodcunque petierint in nomine meo.* Si tamen tale sit quod Dei ordini, & dispositioni conueniat *fiet eis a Patre meo qui in cælis est.* Aliter enim non exaudiuntur, quamuis sibi consentiant, quamuis petant in nomine Iesu. Quoties igitur oramus, & non exaudimur: ideo fit, quia aut in nomine Iesu non petimus, aut quia contra eius ordinem, & dispositionem petimus:

...us. Ipse enim scit quos elegerit; ipse scit quid nobis opus sit antequam petamus. *Tunc accedens ad eum Petrus dixit. Domine quoties peccauerit in me frater meus dimittam ei vsque septies? Dicit illi Iesus: non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Quod tale est, ac si diceret. Quoties peccauerit, toties dimitte, si septies septies, si decies decies, si centies centies, si millies millies: vt non ille plus in te peccare, quam tu illi dimittere possis: alter enim non dimittetur tibi. Vnde superius dixit. *Nisi dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ecce lex homini a Domino posita est. Si dimiseris dimittetur tibi; si non dimiseris non dimittetur tibi. Quoties enim peccaueris, & indulgentiam quæsieris, dimittetur tibi, si & tu fratri tuo dimiseris non tantum septies, sed vsque septuagies septies. Neque enim frustra Psalmista ait. *Viam iniquitatis amoue a me, & de lege tua miserere mei.* De lege inquit tua miserere mei, vt quoties peccauero mihi dimittas, sicut me iubes fratri meo in me septies peccanti dimittere. Semper quidem, quia non tantum septies, sed vsque septuagies septies. Putabat autem B. Petrus sibi sufficere, si septies dimitteret, quoniam Scribæ, & Pharisæi legem, & prophetas exponentes, & non intelligentes, multum in suis sermonibus hunc numerum commendabat, quem satisfactioni, & emendationi sufficere posse putabant. Vnde septem diebus azima commedunt. Vnde & Leprosus quando mundatur, & vir qui fluxum seminis patitur, septem dies separatur. Separatur autem et septē diebus mulier menstruata. Similiter quando pariebat septem diebus immunda erat. Naaman quoque ex præcepto Elisæi septies mergitur in Iordane, & Sacerdos offerens Sacrificium tingens digitum in sanguine, septies illum contra Dominum spargit. Psalmista quoque sic ait. *Septies in die laudem dixi tibi.* Propter hæc igitur, & alia multa quę de hoc numero secundum literam Iudæi intelligebant. Dixit Beatus Petrus *vsque septies.* Legis vero, & Prophetarum magister altius omnia intelligens addidit super hęc *vsque septuagies septies.* Verum tamen si bene intelligatur septies nihil minus est *septies, quam septuagies septies.* De hoc in Leuitico sufficiē ter diximus.

F E R I A   Q V A R T A.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, *Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis scribę, & Pharisęi dicentes: Quare discipuli tui.* Et reliqua.

SEniorum namque traditiones non prophetarum dicta, sed maiorum consuetudines vocantur. Quibus docentur, & vrceos, & calices, & omnia vasa frequenter lauare, semperq. munda, & nitida habere. His autem Iudæi, magis, quam legi, & prophetis obedientes erant: Habebant autem, & multas alias traditiones, et consuetudines, quæ etiam legi, & Prophetis contrariæ erant, de quibus Dominus subtequenter eos redarguens ait. *Quare, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam Deus dixit honora patrem tuum, & matrem tuam, et qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur: Vos autem dicitis. Quicumque dixerit patri, vel matri munus quodcumque est ex me, proderit tibi, & non honorificabit patrem suum, vel matrem suam. Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Hoc autem Marcus Euangelista aliquanto planius dicere videtur. Ait enim, *Vos autem dicitis. Si dixerit homo patri, aut matri donum quodcunque est ex me, tibi profuerit, & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo, aut matri rescindentes verbum Dei.* Quod tale est, ac si diceret. Deus parentes honorare præcipit; vos autem honorem male interpretantes parentes suos filios inhonorare docetis. Dicitis enim hoc parentibus ad honorem sufficere, si verbis et ratione a filiis honorentur, quoniam Moises eos quidem Honorare præcipit, sed quomodo honorentur non pręcipit. Et hoc agentes non dimittitis eos quicquam vltra facere parentibus suis, quoniam male a vobis instructi vanis verbis eos consolantur, vt sic eos honorare videantur. Honor enim in diuina scriptura magis in obsequiis, quam in verbis intelligitur, secundum illud. *Honora Dominum de tua substantia.* Et Apostolus. *Honora viduas quę viduæ verę sunt.* Vnde, & homines dicere solent, ille, & ille bene me honorauit, si illum in domum suam suscepit, & libenter ei seruiuit, & affluenter necessaria ministrauit. Tali igitur honore parentes nostros honorare debemus. Per hoc autem intelligere datur, quod scribę, & Pharisęi suis vtilitatibus prouidentes a parentum seruitio filios retraherent, & ad templi seruitia, & munera, & sacrificia offerenda eos inuitarent. Quibus cum ille se id minime facere posse responderent, quoniam pauperes suos parentes de suis facultatibus eos sustentare opporteret: dicebant magis Deo obtemperandum esse, quam hominibus, Et ille e contra. *Cur igitur Deus parentes honorare Pręcipit.* quibus illis; *Nemo melius parentes suos honoret, quam ille, qui pro se, & pro illis munera Domino offert.* Qui igitur bene parentes suos cupit honorare, dicat patri, & matri suæ, *Munus quodcunque est ex me, non mihi tantum, sed et tibi proderit. Sicut pro me, ita et pro te munera offero. Omnis mea oblatio, non mea tantum, sed & tua est.* Hoc autem parentes cum audirent, magis volebant fame torqueri, quam talia munera impedire. Hoc igitur ingenio Scribę, & Pharisæi, & parentes fame cruciabant. Et hoc est, quod ait. *Et vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo, aut matri rescindentes verbum Dei.* Verbum enim Dei rescindunt, qui illud tam male interpretantur. Mala interpretatio, qua homo decipitur misericordia tollitur, & auaritia nutritur. Nihil vltra parentibus faciunt. Omnia eis offerunt, quæ parentibus dare debuerant. Peccant equidem illi, qui sic parentes suos honorant, sed plus illi peccant, qui sic eos honorare docent. Hipocritę bene de vobis prophetauit Esaias dicens: *Populus hic labijs me honorat, os autem eorum longe est a me sine causa autem colunt me dicentes doctrinam, & mandata hominum.* Isti enim sunt, de quibus dicitur; *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum.* Sine causa autem Deum colunt, quia nullam de seruitio suo retributionem suscipient. Deus enim non verba, sed corda attendit, redarguit autem eos, quia legis, et prophętarum pręcepta relinquentes hominum doctrinas, & mandata docebant. Et conuocatis ad se turbis dixit eis. *Audite, et intelligite, non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Vos, inquit, audite, & intelligite, quoniam isti quidem audire volunt, sed intelligere nolunt: excęcauit enim eos malitia eorum. Tunc accedentes discipuli dixerunt ei. *Scis, quia Pharisæi audito verbo scandalizati sunt?* At ille respondens ait. *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Omnis igitur plantatio philosophorum quęcumque contra Deum est, contra veritatem est, contra iustitiam est, eradicabitur. Quæ enim plantatio contra hęc non est, etiam si ab illis fiat, illorum tamen non est. Plantat enim Deus plantationem suam nō solum per bonos, verum etiam per malos. Vnde etiam eorundem scribarum, & Pharisęorum plantationem Dominus alibi commendat dicens. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribę, & Pharisęi, quęcumque dixerint vobis facite,* non tamen simpliciter quæcuoque, sed illa tantum omnia, quæ Moisis Cathedræ, doctrinæque conueniant. Talis enim doctrina, & plantatio, & illorum est, quia per eos fit, & illorum non est, quia illorum traditio non est: omnis enim doctrina si bona est, a quocunque fiat, Dei est. *Sinite eos cęci sunt, & duces cæcorum.* Cæcus enim, si cæco ducatum pręstet: ambo in foueam cadunt. Hæc autem cęcitas non corporis, sed cordis est: cæcus enim est, qui errorem sequitur, & veritatem non intelligit, quoniam lumen mentis intellectus est. In foueam autem caduit, qui in infernum descendunt. Respondens autem Petrus dixit ei. *Edissere nobis parabolam istam.* At ille dixit. *Adhuc et vos sine intellectu estis?* erant enim Apostoli sine intellectu, dum ea in parabolis dicta esse putabant,

que

quæ non in parabolis, sed plano sermone Dominus dixerat. Vnde, & illi merito redarguuntur, qui ea, quę ad literam intelligi debent, allegorice exponere conantur. *Nonne intelligitis quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* Manifestum est enim, quod cibus in ventre digeritur, eiusque pars ad corpus nutriendum per membra diffunditur. Alia verò pars, quæ corpori necessaria non est, in secessum emittitur. Vnde etiam vigilanter dictum est, omne, & non totum: si enim totum dixisset, non esset verum. Non enim totum, quod in ventrem vadit in secessum emittitur? aliud est enim totum, & aliud omne. Si enim dicas omnis homo corporeus est, verum dicis: Si verò dicas totus homo corporeus est, verum non dicis quoniam anima cum sit pars hominis, incorporea est. Si igitur omne, quod in ventrē vadit, in secessum immittitur. Omnia igitur, quæ ad corpus nutriendum in ventrem vadunt, & iam si nimia sunt, & digestionem, & egestionem suscipiunt, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant homines. Taceant igitur Philosophi, qui mentem, & rationem, memoriam, & intellectum in cerebro esse confirmant. Qui enim fecit hominem, ipse scit, quid in vnaquaque parte hominis posuerit, ipse enim scrutatur renes, & corda. Sed dicunt si hæc in corde, & non in capite sunt, quare capitis ęgritudine amittuntur, & eiusdem bona valetudine recuperantur? Cur in sanis & freneticis, vt ad mentem redeant, capiti, & non cordi medicamen apponitur eis enim, qui tali patiuntur per cōmunis cura non cordi, sed capiti adhibetur. Sciant autem isti mentem, & rationem, memoriam, & intellectum principaliter, & proprie in corde sedem habere, quę sicut capitis infirmitate aliquando impediuntur, & eiusdem Sanitate conualescunt. Scimus enim visū in oculo esse, cui si manū apponas, mox visum tollitur, si manum tollas, visum recipitur. Sed numquid idcirco non in oculo, sed in manu visum esse dicis, quia eius impedimento visus tollitur. Sic igitur ratio quamuis capitis impedimento tollatur, non in capite tamen, sed in corde esse credatur. Calor enim naturalis, qui pulsuum vehiculo per totum corpus ex corde diffunditur, in infirmo capite aliqua re nobis incognita aliquando corrumpitur, cuius corruptione postquam cor tāgitur, & mens, & ratio in eo obscuratur. Vnde fit vt sanato capite corruptio tollatur, & mens, & ratio reuertatur. Sequitur, *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, & adulteria fornicationes furta, falsa testimonia blasphemię*. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem, de corde enim exeunt, quia in corde generantur, ibique sedem habent, Siue enim hominis adinuentione, siue diabolica persuasione ibi fiant: de corde tamen ea exire non dubium est. Hęc autem coinquinant hominem. Hæc hominem a Deo separant, & abominabilem faciunt. *Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem*: Manducare enim non lotis manibus rusticitas est, non peccatum.

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Surgens Iesus de Synagoga intrauit in domum Simonis*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

SCire enim oportet, quæ sit vxor Petri, vt possimus scire, quæ sit socrus eius. Petri namque vxor Ecclesia est. quoniam ei a Domino specialiter tradita est dicente Domino. *Si diligis me, pasce oues meas*. Eius igitur socrus est Synagoga, quia ipsa est mater Ecclesiæ. Vnde eidem in canticis canticorum ait Dominus: *Sub arbore mala suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi uiolata est genitrix tua*: hæc autem iacet in domo Petri, & febricitat, quoniam vsque hodie inter Christianos Synagoga infirma moratur, & habitat. Vbicunque enim est Ecclesia, ibi est & domus Petri. Huius autem manum circa mundi finem Dominus tanget, & tunc febre fugata surget, & ministrabit Domino. Tunc enim eius manum t[illegible] quando ipsius opera approbabit. Vespere autem f[illegible] obtulerunt ei multos dęmonia habentes, & eijciebat spiritus [illegible] bo, & omnes male habentes curauit. Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ęgrotationes portauit*; verbo enim spi[illegible] eiecit ille, de quo scriptum est. *In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum*. Verbo quidem, quia propria virtute. Sed quare facto vespere, nisi quia hac vltima ætate, hac extrema hora ad sanandum, ad [illegible] dum, & ad pellendum dęmonia venerat. Neque enim [illegible] buerat populus ille curari, nisi facto vespere, qui ad me[illegible] non redit vsque ad vesperam. Vnde psalmista ait: *Conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem*: tunc enim venient, tunc conuertentur, tunc [illegible] tios, tunc animas suas multo languore confectas Iud[illegible] Dominum afferent, & sanabit eos, & eijciet dęmonia ab eis. Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc Israel [illegible] fiet. Et si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena [illegible] reliquiæ conuertentur ad Dominum. Videns autem Iesus turbas multas circum se iussit ire transfretum. Pu[illegible] quod Iesus ideo transfretum propter turbas ire iussit, quia ni[illegible] per aquas baptismatis transeuntes vitiorum turbas, [illegible] rum spirituum exercitus euadere non poteramus. E[illegible] vnus scriba ait illi. *Magister sequar te quocunque ieris*. Dicit Iesus: *vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. Nihil Deum latet, nulla simulatio eius oculis absconditur, [illegible] videt, cogitationi respondet. Dicit Scriba *magister sequar te quocunque* [illegible] Dicit Iesus non est ita, non vis me sequi, non vis mea pr[illegible] seruare, non video in te, vbi caput meum reclinem. Ca[illegible] Christi Deus est: Deus autem in humili habitat, & quieto & timente sermones eius. In te autem quare dicat, vulpes foueas habent, & id ea cum calliditate & simulatione loqueris: vulpes enim propter astutiam maligni spiritus dicuntur. Dicuntur autem & volucres cęli, quoniam in hoc aere [illegible] nent principatum: & isti quidem in peccatoribus, & m[illegible] hominibus nidos, & foueas faciunt, in eorum cordibus [illegible] cogitationes, & iniquitatum germina pariūt. Alius autem de discipulis eius ait illi: *Magister sequar te*: Ait illi: *sequere* At ille ait: *Domine permitte me primum ire, & sepelire mortuos meos*. Iesus ait illi: *Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Alio enim Spiritu loquebatur iste. Vnde & meritò non scriba, sed discipulus dicitur, neque sequi Dominum prohibetur, immo verò sequi, & imitari iubetur. Volebat tamen primum ire, & sepelire patrem suum. Opus quidem pietatis facere volebat, pietatis tamen patri & Domino non placebat. Quare hoc? Quia aliud significabat, nobisque in hoc facto exempla dabat, & tale erat, ac si diceret. *Venisti ad vitam, vis redire ad mortem. Ego sum vita, ego sum creator, & pater tuus, me sequere, & demitte mortuos sepelire mortuos suos*: mortui enim sepeliunt mortuos, quando peccatores q[illegible] dam mortui sunt: mortui quidem, quia vita, de qua diximus, in eis non est, mortalia opera & criminalia peccata in se abscondunt, & celant. Et non solum hæc, verum etiam & p[illegible] suum diabolum, de quo Iudæis Dominus ait: *Vos ex patre Diabolo estis*, in sepulchro pectoris sui sepeliunt, & quasi numen aliquod seruant, & occultant. Talem igitur patrem sepelire, & sic sepelire Dominus prohibet.

FERIA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Venit Dominus Iesus in ciuitatem, quæ dicitur Sichar*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOc est enim illud prædium, de quo Iacob filium suum Ioseph benedicens ait. *Do tibi partem vnam extra fratres*.

tres unos, quam tuli de manu Ammorei in gladio, & arcu meo. Ibi autem erat fons Iacob: si enim Iacob erat ille fons, bonam aquam habebat: cum scriptum sit: *in Ecclesijs benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Fons iste profunda patriarcharum fides, & doctrina esse videtur: Vnde non solum fons, sed & Puteus vocatur. Fons quidem propter aquam viuam, puteus autem propter profunditatem. Valde enim profunda est legis, & prophetarum scientia. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super puteum, hora erat quasi sexta: fatigatur enim Iesus, sed secundum carnem: nisi enim fatigaretur, nisi esuriret, & sitiret, homo esse non crederetur. Sic igitur Iesus fatigatus sedebat super puteum. Qui ergo sunt fatigati, qui requiescere volunt, veniant ad puteum, veniant ad scripturas prophetarum, ibi inuenient Iesum, ibi eum dicentem audiẽt, *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ideo enim Iesus super puteum fatigatus quieuit, vt nobis, vbi quietem quæramus, ostenderet. Erat autem hora quasi sexta, quia ætas seculi sexta. Prima enim ætas ab Adam vsque ad Noe. Secunda vsque ad Abraham. Tertia ad Dauid. Quarta vsque ad transmigrationem Babilonis. Quinta vsque ad Christum. Sexta vsque ad finem seculi: *venit mulier de Samaria haurire aquam*: hæc enim mulier tota illa plebs Israelitica mihi esse videtur, quæ ad puteum Iacob, ad fontes Israel, ad scripturas Patriarcharum, & Prophetarum quotidie venit, sed quia virum non habet, bibendo satiari non potest. Hæc autem in sequentibus exponentur. Dicit ei Iesus: *Da mihi bibere.* Sitit Iesus, sitit fons vitæ, de quo scriptum est, *quoniam apud te est fons vitæ.* Sed si fons viuus est, quomodo sitire potest? Non aquam, sed fidem nostram sitit Iesus. Vnde in sequentibus ait. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Patris autem voluntas erat, vt populum saluaret, & ad fidem cõuerteret. Hoc igitur erat, quod sitiebat Iesus. Discipuli autem eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier Samaritana. *Quomodo tu, cum sis Iudæus, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana:* Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Quamuis enim Samaritani Israelitæ erant, tamen secuti Ieroboam, qui eos idola colere docuit. In tantum erant à lege alienati, vt quasi gentiles à Iudæis haberentur. Respondit Iesus, & dixit ei. *Si scires donum Dei, & quis est, qui tibi dicit, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Si me, inquit, cognosceres & Spiritu Sancto illuminata esses: donum namque Dei est Spiritus Sanctus, tu forsitan petijsses à me, sicut ego modo peto a te, et dedissem tibi aquam viuam, aquã indeficientem, aquam in vitam æternam sufficientem. Dicit ei mulier: *Domine neque in quo haurias, habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius:* Tu, inquit, mihi viuam aquam promittis, viua autem hæc est: sed neque hauritorium habes, neque vas, neque funem te habere conspicio, insuper & puteus altus, ad cuius profunditatem manibus attingere non vales. Vnde ergo tibi aqua viua? Aut si hic aliã promittis, ad cuius comparationem hanc aquam non viuam, sed mortuam intelligas, quare pater noster Iacob eam nobis non dedit. Nũquid tu maior illo es? Hoc autem mulier illa dicebat, quia nondum Christi verba intelligebat. Respondit Iesus & dixit ei: *Omnis, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Paulatim separat eam Dominus à suo intellectu, vt ad meliorem intelligentiam eam trahat. Hæc autem aqua illa est, de qua alibi ait; *qui sitit, veniat, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quod quid significet, mox Euangelista exposuit dicens: *hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Dicit ad eum mulier: *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.* Separata iam mulier aliquantulum à priori intelligentia, non illius putei aquam intelligit: aliam aquam petit, qua hauriendi amplius eam illuc venire non sit necesse. Sed quia iste eius intellectus carnalis est, ad alium intellectum Dominus inuitat dicens: *vade voca virum tuum, & veni huc.* Voca, inquit, virum tuum, adhibe intellectum tuũ, & veni huc, esto præsens, noli iam per diuersa fluctuare. Vir enim animæ intellectus est, quo & regitur, & gubernatur. Respondit mulier, & dixit: *non habeo virum.* Dicit ei Iesus: *benedixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & hunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.* Quãuis enim aliud ista significent, credendum tamen est quinque hanc fœminam habuisse: nunc autem alicui in fornicationem consensisse. Quod vtique Dominum non latebat. Spiritualiter quinque viri, quinque scilicet libri morsi, quibus plebs illa Israelitica, quæ per hanc mulierem significatur ad tempus coniuncta, quasi vxor à maritis regebatur, docebatur, & gubernabatur. A quibus tanto tempore diuisa erat, quanto tempore Dei sui oblita, eis inobediens erat. Sæpe enim alios amatores secuta, & cum idolis fornicata hos viros legitimos fugiens, errori consensit. Hic est igitur, de quo hic dicitur, *& quem habes, non est tuus vir.* Error est, non maritus, deceptor est, non amator. Dicit ei mulier: *Domine, vt video propheta es tu.* Hoc enim mulier non dixisset, nisi virum suum vocasset. Iam igitur error fugit, iam fornicator abscessit. Sequitur: *patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Video, inquit, quia propheta es tu. Responde igitur mihi, quid interrogo, & discere concupio. Quid est hoc, quod dicitis vos Iudæi, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet, cum certum sit, quia patres nostri in monte hoc adorauerunt? Dicit ei Iesus: *mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus, quod scimus, quia ex Iudæis est. Sed veniet hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate.* Veniet, inquit, hora, & nunc est, quando veri adoratores, & spirituales non in monte, vel in ciuitate, sed in spiritu, & veritate Deum adorabunt. Quamuis enim alicubi eos orare oporteat, non tamen ad montem, vel ad ciuitatem, sed potius ad cor respicit Deus. Nec montẽ altiorem, nec ciuitatem nobiliorem attendit, sed *cor contritũ, & humiliatum Deus non spernit.* Intra igitur in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Ora non labijs tantũ, sed spiritu, & veritate. Soli autem Iudæi, soli confessores, soli legis obseruatores adorant, quod sciunt, cæteri verò adorant, quod nesciunt. Quare? quia salus ex Iudæis est. Ex quibus Iudæis? Audi Apostolum. *Non enim qui in manifesto Iudæus, neque in manifesto in carne circumcisio. Sed qui in abscondito Iudæus, & circumcisio cordis in spiritu, non littera.* Nos igitur sumus illi Iudæi, nos christiani, nos membra Christi, pro quibus omnibus caput nostrum modò dicit: *vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus quod scimus.* Sequitur: *nam & pater tales conuersis, qui adorent eum*, subauditur in spiritu, & veritate. Sed quare hoc? Quia spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Si enim corporeus, & localis esset, in monte, vel in ciuitate quærendus esset. Sed quia spiritus est, in spiritu adorandus est. Dicit ei mulier: *scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus. Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia.* Ac si diceret, obscure loqueris, & ea, quæ dicis, non intelligo. Scio tamen, quia Messias veniet, qui dicitur Christus, ille cum venerit, omnia nobis annunciabit. Ille & tua, & aliorum prophetarum obscura mysteria nobis reuelabit. Dicit ei Iesus: *ego sum, qui loquor tecum. Et continuo venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.* Quare mirabantur? Quia fortasse hoc in vsu non habebat. Nemo tamen dixit, *quid quæris, aut quid loqueris cum ea*, nullam malam suspicionem habentes in eo de ea. Illis autem venientibus siluit mulier multum, fortassè nisi illi venissent, adhuc locuta. Reliquit ergo hydriam suam. Reliquit prauam intelligentiam suam, cum qua de fontibus Israel carnaliter, & non spiritualiter bibere solebat. Et abijt in ciuitatem, abijt ad Ecclesiam gentium, iuit in vniuersum mũdum prædicare Euangelium omni creaturæ, & dicit illis hominibus: *venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus?* Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum; significantes eos, qui relicta gentilitate vsque hodie conuertuntur ad eum. Interea rogabant

eum

eum discipuli dicentes: *Rabbi manduca.* Ille autem dixit eis: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Dicebant ergo discipuli adinuicem: *nunquid attulit ei manducare?* Ecce discipuli non intelligunt de quo cibo Dominus loquebatur. Dicit eis Iesus: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui me misit, vt perficiam opus eius.* Hoc cibo delector, hoc reficior, quem quia adhuc carnales estis, nondum ad plenum intelligitis. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: leuate oculos vestros, & videte regiones quia albę sunt ad messem.* Videns enim Iesus totam ciuitatē illam ad se confluentem. Nam ad credendum maturam, & paratam sub messionis figura, de ea loquitur, discipulos ad videndum inuitat, & oculos eleuare pręcipit, vt verbi Dei falcem arripientes metere incipiant, dum messes iam albas, & ad colligendum vident esse idoneas. Et ne labor ipse grauis, & asper videatur, operis mercedem eis promittit dicens, *& qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* Seminatores enim Prophetæ fuerunt, qui fidei, & doctrinæ semina primi in illo populo seminarunt. Messores vero Apostoli, qui populos iam pene instructos, & credulos in Ecclesię arca collegerunt, pro quibus ninurum fructum suscipient vitam æternam, quatenus seminatores, & messores simul gaudeant, simulque æterna beatitudine perfruantur. In hoc enim est verbum verum, *quia alius est qui seminat, & alius est, qui metit. Ego misi vos metere quid non seminastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Nisi enim prophetę seminassent, & Christi aduentum, & cetera, quæ de eo scripta sunt, prænuntiassent, tantam fidelium messem in illo populo Apostoli non collegissent. Et in hoc est verbum verum, *quia alius est qui seminat, & alius est, qui metit.* In hoc enim Euangelio verbum verum, & indubitabile esse probatur. Quia hoc, quod Apostoli affirmant, Prophetæ prædixerunt, quod isti dicunt factum, illi dixerunt esse futurū. Vnde non tantum sua, quantum Prophetarum testimonia confirmantes, non sua, sed aliena semina metunt. Credant ergo prophetis, qui Apostolis credere nolunt, & in ore tantorum testium stet omne verbum. Nemo illud verbum verum esse dubitet, quod vtriusque testamenti testimonio roboratur. *Ex Ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris, testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia: quęcumque feci. Cum venissent ergo Samaritani ad eum, rogauerunt illum, vt ibi maneret, & mansit ibi duos dies.* Rogemus igitur eum, & nos, vt & nobiscum maneat duos dies, quatenus duo pręcepta charitatis, duorumque testamentorum fidem nos, & amare, & tenere doceat, Hæc enim sufficiunt nobis ad illuminationem, sufficiunt, & ad vitæ plenitudinem, quia Charitas numquam excidit: Charitas finem non habet. Magni igitur sunt isti dies, qui finem non habent. Sequitur, *Et multo plures crediderunt propter sermonem eius, quam propter sermonem mulieris.* Instabat mulier, & prædicabat. per quem omnia facta sunt, prout poterat verbis adiuuabat. Dicebant igitur ei, iam despicientes audire eam. Quia iam non propter loquelam tuam credimus, non tua prædicatione indigemus. Ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est vere Saluator mūdi. Sciebat enim dominus Iesus, quales isti erant, quando eos messes maturas vocabat dicens; *Videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem?* Hoc enim testimonium eis non dedisset, nisi eos ad audiendum, & credendum voluntarios pręuidisset.

SABBATO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Perrexit Iesus in Montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos,* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

QVod enim Iesus in Montē Oliueti ire, & orare, & pernoctare solebat, Sanctam Ecclesiam oliuarum [illegible] continuam se diligere, semperq. inhabitare significabat. De his enim oliuis ille erat, qui dicebat, *ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei sperabo in misericordia Dei mei in æternum, & in sæculum sæculi.* Tales oliuę sunt, qui [illegible] pacem, & misericordiam diligunt. Sed cum iterum Iesus veniret in templum, & sedens doceret populum, ecce [illegible] eius Scribæ, & Pharisæi, qui semper ei insidiantes, iniquo odio cū persequebantur, & adducunt mulierem quandam in adulterio deprehensam, & statuunt eam in medio, & dicunt ei: *Magister hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit huiusmodi lapidari. Tu ergo quid dicis?* Sciebant autem misericordem, & pium esse, Vnde potius eum ad misericordiam, & pietatem, quam ad legis verba attendere sperabant. Quod si fecisset, illico eum de [illegible] transgressione accusare volebant. Vnde & subditur: *hoc autem dicebant tentantes vt possent accusare eum.* Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis; *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Quod enim Iesus digito scribebat in terra tale erat ac si diceret: vos legis mihi testimonia affertis, vos legis verba mihi narratis, qui legem ipsam non intelligitis: hic est digitus, qui eam scripsit, hoc digito illæ tabulæ exaratę sunt, de quibus dicitur: descendit Moyses de monte ferēs duas tabulas lapideas in manibus suis, scriptas vtrasque digito Dei. Ego igitur legem composui, & vos legis exemplis me irretire nitimini. Stulti estis, si meis argumentis me capere, & superare speratis. Pręcipit enim lex mulierem huiusmodi lapidari, non sicut vos intelligitis, neque a talibus, quales vos estis. Ego enim sū finis legis, in me legis littera completa est, ecce nous facio omnia: spiritualiter intelligantur, quæ hactenus ad litteram intelligebantur. Qui igitur sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Quis enim sine peccato? Si enim dixerimus, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Potest enim aliquis sine crimine esse, sed sine peccato quis erit? Peccatum igitur hoc in loco pro crimine ponitur. Alioquin impossibilia iuberet Iesus. Et Apostolus quidem tales ad episcopatum eligi pręcipit, qui sine crimine sint. Isti igitur sunt, qui in huiusmodi mulierem primi lapidem mittere debent. Dicendum est itaque, quod [illegible] lier adultera, & quid lapides isti significent. Est enim mulier adultera omnis anima, hæretica prauitate corrupta. Hæc autem tunc lapidatur, quando ad Episcoporum, & Sacerdotum concilium ducta, & de sua iniquitate conuicta a toto conuentu excommunicatur. Sed primus in illam lapidem mittit qui sine peccato est, per quem Episcopum intelligimus, quem Apostolus sine crimine esse pręcepit. Deinde autem [illegible] que illi sunt, qui excommunicationem confirmant, omnes in illam lapidem mittunt. Hoc igitur significauit Moyses, quando mulierem adulteram lapidare pręcepit, hoc & Dominus exposuit, quando eum, qui sine peccato esset, primum in illam lapidem mittere iussit. Sed hoc Iudęi non intelligebant, & quid contra dicere non habebant. Sic enim suam [illegible] nem temperauit Iesus, vt legi non contradiceret, & pietatem non amitteret. *Audientes autem vnus post vnum exibant incipientes a senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Quare exibant? Quia omnes se peccatores esse sciebant. Ille autem solus remansit, quia solus erat sine peccato.

cato. Adhuc mulier timebat, adhuc mulier in medio stabat, hinc misericordiam, & inde iuditium expectabat. Quid est enim in medio, nisi inter misericordiam, & iuditium. Bene igitur Psalmista ait. *Misericordiam, & iuditium cantabo tibi Domine.* Erigens autem se Iesus dixit ei. *Mulier vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit?* Quare dixit: *nemo Domine*. Non igitur condemnauit eam Iesus in eo, quod ait: qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat. Si enim eam condemnasset, nequaquã ei dixisset, *nemo te condemnauit*. Dixit autem ei Iesus, *nec ego te condemnabo*, noli timere, esto secura, crede tantummodo consilijs meis. Non abijcio peccatores, pœnitentes suscipio, vade, & amplius noli peccare: *Sic igitur liberata est mitra iubente misericordia.*

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *Abijt Iesus trans mare Galilea, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quę faciebat super his, qui infirmabantur.* Et reliqua.

MAgna miracula Dominus facturus, et noui, mirabilisq. panis delicias populus daturus montem ascendit, quatenus et nos quotiescumque spiritualibus, nouisque epulis saciari cupimus, non montis, sed mentis altitudinem, & ingenij sublimitatem ascendamus. Quoniam autem talibus delicijs refecti festiuitatem agere, & Christi carnem, & sanguinem suscipere digni sunt, merito hic dicitur, quia proximum erat pascha dies festus Iudæorum. Securi enim ad hanc festiuitatem veniunt, qui talibus epulis sunt repleti. *Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum dixit ad Philippum. Vnde ememus panes, vt manducẽt hi? Hoc autem dicebat tentans eum Ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Sciebat enim Dominus quid facturus erat, sed tentando Philippum audire volebat, quid de eius omnipotentia sentiebat, simulq. nouum illud miraculum discipuli responsione extollebat. Cum ex quinque panibus tot homines reficeret, quibus secundum illius testimonium *ducentorum denariorum panes non sufficerent, vt vnusquisque modicum quid acciperet.* Sic enim Philippus respondit dicens: *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis: vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri, *est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos?* Puer iste populus Iudæus est, sensus adhuc, & intelligentiæ puerilis. Quinque vero panes, quinque libri Moysis intelliguntur. Quos panes populus ille vbique secum portat, & non comedit, quia legit tantum scripturas, & non intelligit. De his autem B. Matthæus Euangelista sic ait: *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes; desertus est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Iesus autem dixit eis: *non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Vespere enim Dominus reficit turbas, quia nouissima hora, & vltima ętate prędicare cœpit. Vnde Ioannes ait. *Filioli nouissima hora est.* Et Apostolus: *Nos scimus, in quos fines sæculorum deuenerũt*, hoc autem agit in deserto, id est in populo syluestri, indomito, indisciplinato, & indocto. De quo Psalmista ait: *in terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* In hoc deserto & Ioannes Baptista prædicabat dicens: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domino.* Si autem discipuli eius scirẽt quod Dominus facturus erat, sicut sciebat mater eius ad nuptias inuitata, nequaquam eis dixissent: *dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas.* Illa enim Spiritu Dei plena iam futura prænoscens dicebat, *vinum non habent*, quoniam sciebat filium suum nouum vinum ibi esse daturum. Sed quid ait Dominus? *Date vos illis manducare.* Responderunt ei, *Non habemus hic, nisi quinque panes, & duos pisces.* Vides igitur, quia nondum Christi discipuli intelligebant quid duo pisces, & quinque panes significarent, ideoq. tantę turbæ putabant non posse sufficere, quod vniuerso mundo sufficiebat. Quinque enim panes quinque libri sunt Moysis, in quibus si spiritualiter intelligantur, totum nouum, & verus testamentum plenissime continetur. Quorum quidem diuitię cũctis hominibus ad manducandum sufficiunt. Semper enim crescunt, sicut, & isti panes, & qui plus comedit, plus abũdat. Duo vero pisces, intellectus, & memoria sunt: sine his enim panes isti, neque comedi, neque in ventre animæ retineri valent. Talis enim cibus intellectu comeditur, & memoria retinetur. Igitur nec panes sine piscibus, nec pisces sine panibus saporem habent. Quid enim legere prodest, si non intelligas? Quid vero intelligere, si id quod intelligis, memorię nõ commendes? Comedamus igitur panes, comedamus, & pisces. Legimus, & intelligamus, & ea, quæ intelligimus, memoria retineamus. Qui autem aliter agunt, venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Iussit igitur Dominus, panes illos sibi afferri, et cum fecisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Ecce Saluator noster supra fœnum turbam discumbere facit, quatenus hoc cibo ille se intelligat esse indignum, qui nondum supra fœnum discubuit. Propheta enim dicit: *Vere fœnum est populus. Siccatum est fœnum, & cecidit flos.* Quicumque igitur es, qui vis saturari de panibus Christi, discumbe prius super fœnum, immo prius te ipsum fœnum esse cognosce. Non iam luxuriet in te viriditas carnis. Audi Apostolum dicentem. *Mortificate membra vestra, quę sunt super terram.* Intellige quia flos, & pulchritudo huius vitæ cito arescit. Accipiens autem Dominus quinque panes, & duos pisces, aspiciẽs in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis. Magna munera discipulis daturus, prius in cęlum Dominus aspicit, vt et nos intelligamus, *Quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Omnis enim sapientia a domino Deo est, & cum eo fuit semper, & est ante æuum. Vnde et de seipso Dominus ait; *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi.* Illuc igitur Dominus aspicit, vnde veniunt omnia bona. Benedicit autem panes, vt sua benedictione multiplicentur: Sic enim & primis seminibus a principio Dominus benedixit, cuius benedictione semel accepta vsque hodie fructificare nõ cessant. *Et fregit*, quod valde necessarium erat. Quid est enim panes frangere, nisi scripturarum mysteria reuelare? Ipse enim discipulis sensum aperuit, vt scripturas intelligerent. Ipse eos panes frangere, & scripturas exponere docuit. Hoc est enim, quod ait, *& dedit discipulis suis. Discipuli autem dederunt turbis.* Ipse enim discipulos suos, discipuli vero nos docuerunt. Vnde Apostolus ait. *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis:* Nos quoque panes alijs frãgimus, quos a Christi discipulis fractos accepimus, eosq. quotidie turbis apponimus; dum hæc sacri Euangelij verba exponimus. *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.* Non sunt panes, nisi quinque, manducantibus autem plus millibus quinque. Illi manducant, panes crescunt, certamen fit inter panes & homines. Vincunt panes, superantur homines. Illi sufficiunt, isti deficiunt. Nisi enim manducare homines cessassent, fortasse in infinitũ panes creuissent. Sic igitur, & cibus spiritualis, sic panis vtriusq. testamenti, quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Nonne vides, quomodo panis iste mihi quoque in faucibus crescit? Pauca enim verba sunt, quę exponuntur, quę si quis comedendi auidus, & ruminandi validus, qui, & dentes fortiores, & stomachum saniorem haberet, ruminare adhuc, & plus frãgere voluisset, multas adhuc delicias ex his parare sibi potuisset. Sequitur, *Et sustulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Valde enim plures sunt reliquię panibus

num, quam fuissent ipsi panes. Duodecim enim sunt cophini reliquiarum, panes verò omnes antequam manducarentur, Infra vnum cophinum poni potuissent. Si quis autem ista miratur, miretur & cętera omnia, quæ Dominus operatur. Quid enim fecit Deus, quod mirabile non sit? Cęlum, & terram fecit mirabile est. Homines, & cuncta animalia creauit, & hoc mirabile. Sed numquid illud mirabile non est quod ex pauco semine per singulos annos tanta nobis horrea replet? Quid cum terrę humor cum idem sit in vnaquaque arbore, vel herba mutat saporem? Et cum secundum se neque dulcis, neque amarus sentiatur, in alijs tamen dulcis, & in alijs amarus inuenitur. Sic igitur quære per singula, & nihil inuenies, quod non sit mirabile. Noli autem ista mirari, sed potius illum mirare, qui hæc, & alia omnia tam admiranda creauit. Illud quoque considerandum est, quia tot sunt cophini, quot & apostoli. Vnusquisque enim Apostolorum ex istorum quinque panum fragmentis cophinum suæ mentis repleuit, vt haberet, vnde sibi commissum populum reficere posset. Vide modo in hoc vno cophino B. Matthæi Euangelistæ, quem ante nostræ mentis oculos effudit, quantæ deliciæ contineantur. Quem de piscibus quoque multum suscepisse dubitare non possumus, cum tam bene hæc omnia intellexerit, & intellecta memoriæ commendauerit. Similiter autem & B. Ioannes cophinum suum ex his panibus impleuit, qui eos hordeaceos fuisse describit. Vere itaque hordeacei erant, & ad comedendum insuaues, & difficiles, ideoq; Dominus eos fregit, & pisces eis addit, cum quibus facilius comedi potuissent.

FERIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Prope erat pascha Iudeorum, & ascendit Hierosolymam Iesus, & inuenit in templo vendentes boues, & oues*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HAec quidem in Matthæo exposita sunt, quæ alij Euangelistæ Dominum tunc fecisse narrant, quando super pullum asini sedens, Hierosolymam venit. Vnde manifestum est B. Ioannem historiæ ordinem non vbique tenere. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: *quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?* Respondit Iesus, & dixit eis: *soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc autem Iudæi non intelligẽtes, & de templo lapideo, & manufacto eũ loqui putantes, dixerunt: *quadraginta, & sex annis ędificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Ille autem, inquit Euangelista, dicebat de templo corporis sui, quod Iudæi per crucis tormentum illis diebus erant soluturi. Non maius tamen miraculum erat templum illud in tribus diebus reædificare, quàm se ipsum post mortem die tertia resuscitare. Qui enim vna die, vt Moyses scribit cælum, & terram creauit, Facile ei erat vnam domum in tribus diebus reædificare. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat. In quo apparet ipsos quoque Christi discipulos hoc verbum non intellexisse. Et crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Crediderunt, inquit, scripturæ prophetarum, de Christi resurrectione loquenti, crediderunt & huic sermoni Iesu de sua resurrectione prophetanti. Christi ergo resurrectio fuit causa, quod scripturæ prophetarum, & sermoni Iesu Apostoli crediderunt. Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo multi crediderunt in nomine eius videntes signa, quæ faciebat. Ecce iterum Euangelista loquendi ordinem mutare videtur, vt non de illo pascha loquatur, de quo vsque modo locutus est. Illo enim pascha, quo Dominus crucifixus est, nec multa signa eum fecisse, nec multos in eum credidisse, sed ipsos quoque Apostolos dubitasse legimus. Constat igitur, quia aut de alio pascha loquitur, aut non semel tantum vendentes, & ementes de templo Dominus eiecit. Sequitur: *ipse autem Iesus non credebat se ipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.* Et quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse autem sciebat quid esset in homine. Si enim de illis intelligitur, qui crediderunt in nomine eius, inconueniens esse videtur, vt Iesus non credebat semetipsum eis. De alijs igitur hoc intelligatur. Quodammodo seipsum Iesus, & credebat eis, & non credebat eis. Credebat enim semetipsum eis, quia cum eis conuersabatur, & eos quotidie, & in Synagogis, & in templo prædicabat. Sed non credebat semetipsum eis, & non credebat se ipsum secure, & absque illorum insidijs esse apud eos. Quare hoc? Eo quod ipse nosset omnes, & quia sciebat quid fraudis & iniquitatis esset in vnoquoque homine.

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Iam die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DIximus superius hanc festiuitatem septem diebus celebrari. Quod igitur, ait, *iam die festo mediante* tale est, ac si diceret, cum adhuc media pars dierum superesset de tota festiuitate, ascendit Iesus in templum, & docebat. Mirabantur autem Iudæi, eum audiẽtes, quoniam mira loquendi suauitate de lege, & prophetis eum scholastice disputare audiebant, quem numquam in scholis litteras didicisse cognouerant. Quia solum hominem videbant, nihil nisi hominem eum esse credebant. Sed latet diuinitas omnis huius doctrinæ informatrix, atque magistra. Vnde etiam ipse Dominus subinferens, ait: *mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Sed si sua erat, quomodo sua non erat? Ipse vtrumque dicit. suam, & non suam. Sed sua erat, quia diuinitatis erat & sua non erat, quia humanitatis non erat. Sic igitur & sua erat, & sua non erat. Similiter enim & illud intelligitur, quod superius ait, *quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me.* Et quidem vnum sunt, & pater, & filius. Hoc enim ipse ait: *ego & pater vnum sumus.* Vna igitur voluntas vtriusque. Si igitur facit voluntatem patris, facit & voluntatem suam. Facit igitur voluntatem suam, & non facit voluntatem suam. Facit enim voluntatem suam secundum diuinitatem, sed non facit voluntatem suam secundum naturam humanitatis. Dicebat igitur Dominus Iudæis admirantibus in doctrina eius: *mea doctrina non est mea*, mea doctrina non est hominis, mea doctrina non est humanæ sapientiæ, neque ego ab homine didici eam. Nolite mirari, diuinitatis est: intus magister est, qui me talia docuit. De quo suo magistro per Isaiam sic ait: *erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Idem igitur ipse, & magister, & discipulus est. Magister secundum diuinitatem, discipulus secundum humanitatem. Planum est itaque quod ait: *mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* Tale quid etiam discipulis ait: *non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.* Soli igitur illi hanc doctrinam intelligere, & cognoscere possunt, qui patris voluntatem faciunt. Est autem voluntas patris, vt credamus in eum, quem ipse misit. *[Nisi] credideritis, non intelligitis.* Fides igitur nobis est necessaria, vt ad hãc doctrinam peruenire valeamus. Sed quid est quod ait, *vtrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar*, nisi vtrum secundum diuinitatem, an secundum humanitatem loquar? Loquitur enim Dominus à seipso, sed secundum alteram partem sui ipsius. Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo non est. Non generaliter de omnibus sed specialiter de seipso, & de Antichristo hoc dicit Iesus. Ille enim non à spiritu Sancto loquetur, sed à semetipso: ille non Dei, sed suam gloriam quæret, qui supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, se exaltabit, ita vt in templo Dei

sedeat,

sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. E contra vero Christus, qui verax est, imo qui veritas est, & in quo iniustitia nulla est, vbique patris, qui misit illum, & non suam gloriam quærit. Vnde ipse ait: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Hoc autem quare dixerit, subiungens ostendit: *quid me quæritis interficere?* Si enim legem fecissent, si legis mandata custodissent, nunquam innocentem, & iustum interficere quæsissent. Respondit turba, & dixit: *dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Sic enim respondit turba, sicut sordida, & turbata, sicut turbulenta, & turbida. Respondit Iesus, & dixit eis: *vnum opus feci, & omnes miramini.* Non eorum responsione mouetur, non conuitijs conuitia reddit: *vnum*, inquit, *opus feci, & omnes miramini.* Miramini quidem, non quia magnum aliquid feci (talis enim admiratio bona esset,) sed quia in sabbato feci. Quare ergo & vobis ipsis non indignamini, qui in sabbato circumciditis hominem? Si circumcisionem accepit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, videlicet, vt vos ab infirmitate sanaret. Non quia ex Moyse est circumcisio, sed ex patribus. Prius enim quam de circumcisione aliquid diceret Moyses, circumcisi sunt Abraham, Isaac, & Iacob, & multi alij. Omni ergo die fieri licet quidquid ad salutem pertinet. Et ideirco in sabbato circumciditis hominem. Iniustum est igitur, vt mihi indignemini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Si enim mihi non licet, nec vobis licet. Licet autem. Si enim non licuisset, Moyses non iussisset. Præcepit enim Moyses, vt octaua die circumcidatur infantulus, siue ipsum sabbatum, siue alius dies occurrat. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Aut simul meum Moysem reprehendite, aut me quoque simul cum Moyse iustificate. Ambo enim idem facimus, ambo in sabbato salutem operamur: sed illum non reprehenditis, quia timetis. Hoc etenim est secundum faciem iudicare. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: *nonne hic est, quem quærunt Iudæi interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt.* Numquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus? *Sed hunc scimus, vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit.* Hoc autem tale est, ac si dicerent: decepti sunt principes nostri, si Christum hunc esse putant, cuius nos & natiuitatis locum, & parentes cognouimus. Quod enim dicunt: *Christus autem cum venerit, nemo scit, vnde sit*, ex eo loco hoc testimonium sumpsisse videntur, vbi dicitur: *generationem eius quis enarrabit?* Sciebant tamen Iudæi in Bethlehem Iuda Christum dominum nasciturum esse, secundum illud: *Et tu Bethlehem terra Iuda non eris minima in principibus Iuda; ex te enim exiet dux, qui reget populum meum Israel.* Clamabat ergo docens in templo Iesus, & dicens: *& me scitis, & vnde sim scitis, & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.* Quid aliud his verbis significatur, nisi quia & me scitis, & me nescitis? Cum enim vnum sit & pater, & filius, qui patrem nescit, & filium nescit. Sciebant igitur eum, quia hominem eum esse credebant, & nesciebant eum, quia Deum esse ignorabant. Sciebāt quoque eum esse de Nazareth, sed non sciebant eum esse ex patre. Dicat igitur *& me scitis, & a me ipso non veni*, sicut ille, de quo supra dixi: alius veniet in nomine suo, & illum accipietis. *Sed est verus qui misit me pater*; verus igitur & ego. Ego enim, & pater vnum sumus, quem vos nescitis, ego scio eum, & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Ego enim eum scio, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Ab ipso enim est, quia Deus de Deo, lumen de lumine, eiusdem cū patre substantiæ est. Pater enim de nullo, filius de patre, spiritus vero sanctus ab vtroque procedit. Quid est autem quod ait: *qui misit me*, nisi qui hominem me fieri, & carnem suscipere voluit. hæc autem operatio totius trinitatis, & non patris solum modo est. Notandum igitur, quod vbique quomodo patrem honorat, atque glorificat. Quærebant igitur eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius, illa videlicet, qua tradendus, & crucifigendus erat, hæc autem hora nisi Deo volente venire non poterat. Potestatem enim habebat, sicut ipse ait, ponendi animam suam, & iterum sumendi eam. De turba autem multi crediderunt in eum. Hoc est enim, quod ipse alibi ait: *confiteor tibi Domine pater cœli, & terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et dicebant: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit?* optimum argumentum, & huic assertioni valde idoneum. Sic enim & ipse Dominus ait: *opera, quæ ego facio in nomine patris mei, ipsa testimonium perhibent de me.*

FERIA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum a Natiuitate sua, & interrogauerunt discipuli sui: Rabbi quid peccauit hic, aut parētes eius vt cæcus nasceretur.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

IPse Saluator noster apertissime ostendit, quod eius miracula aliquid significent, dū ea faciendo aliquid agit, quod ratione carere videatur. Nisi enim aliquid significaret, quid necessarium fuit in huius cæci illuminatione, vt lutum faceret quo eius oculos liniret, cui solum dicere sufficiens erat: *ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, et creata sunt omnia.* Quæramus igitur significationē, & videamus quid cæcus iste significet. Cæcus iste, & a natiuitate cæcus, genus humanū esse videtur. Sed quare a Natiuitate; nisi quia a primo homine? Cum enim primo homini lignum vetitum comedere diabolus suaderet dicens: *comedite, et aperientur oculi vestri.* Nonne cæcum eum esse monstrabat? Cæcus tamen adhuc nō erat, sed comedendo cæcus factus est. Ab hoc igitur vno cæco omnes homines nascuntur cæci. Hæc autem cæcitas non corporis, sed animæ est. Hæc cæcitas facit, vt homines non cognoscant creatorem suum. Sed audiamus quid discipulis interrogantibus Dominus responderit. *Neque hic peccauit*, inquit, *neque parentes eius, vt propter hos cæcus nasceretur.* Quare ergo cæcus natus est? Vt manifestentur opera Dei in illo. Peccauerat enim & ille, & parentes eius, sed non propter sua, vel illorum peccata cæcus natus est; sed potius, vt manifestentur opera Dei in illo. Sequitur:

Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est; veniet nox, quando nemo potest operari? Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi. Adhuc igitur operatur Dominus, quia adhuc dies est. Operatus est enim per se, operatus est, & per discipulos suos: operatur nunc quoque, & operabitur vsque ad sæculi consumationem per fideles suos. Postea verò sequetur nox, in qua nemo poterit operari. Igitur dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Et ne putes hunc diem cito finiri audi quid ipse Dominus dicat: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi.* Sed quamdiu in mundo est, lux est mundi, est igitur & modo lux mundi, quia modo est in mundo. Si enim nobiscum est, & in mundo est, quia nos in mundo sumus. *Hæc cum dixisset expuit in terram, et linuit lutum super oculos eius, et dixit ei, vade, et laua in natatoria Siloe.* Quod autem interpretetur Siloe Euangelista subdidit, dicens, *quod interpretatur missus.* Diximus iam quid cæcus iste significet, nunc autem quomodo, & quo medicamine cæci illuminentur, videmus: Sputum enim, quod naturaliter ex capite descendit, Christi diuinitas est. *Cuius caput*, vt ait Apostolus, *Deus est.* Hæc autem in terram cecidit, in virginem venit, & factum est lutum, quia *Verbum caro factū est, et habitauit in nobis.* Hoc est igitur illud medicamen, id est incarnatio filij Dei, quo cæci illuminantur. Cæci enim sūt illi oculi, qui hoc luto non tanguntur. Hoc enim luto illi tāguntur, qui Deum, & hominem Christum esse credunt. Non sufficit tangere terram, non sufficit tangere sputum: sufficit autem tangere, & credere lutum, quod ex vtroque factum est. Si tamen si ille, qui lutum tetigit, & Deum, & hominem Chri-

stum esse credidi, vadat ad natatoria Siloe, festinet ad Baptismum, ibique lauetur, et regeneretur. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Vtrumque enim necessarium est, & credere, & baptizari: neque alterum sine altero valet. Non autem vacat a mysterio, quod Siloe interpretatur missus. In Iordane enim cœpit Baptismus, qui per Apostolos regenerandis hominibus vbique gentium missus est. *Abijt ergo, et lauit, et venit videns. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant? nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat? Alij dicebant quia hic est, alij autem, nequaquam, sed similis eius est. Ille verò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & liniuit oculos meos.* Quid est enim lutum fecit, nisi Verbum caro factum est? Tengit autem oculos mentis nostræ, vt eum videamus, & veritatem intelligamus. Et dixit mihi: *vade ad natatoria Siloe, & laua. Et abij, & laui, & vidi.* Considera modo quanta lætitia hæc verba plena sint, quanta exultatione redundent. Dixerunt illi, vbi est ille? Ait nescio. De homine illi interrogabant, De homine ille respondit. Nõ est igitur inconueniens, quod ait, nescio, quia & si iam Christianus erat, propheta tamen non erat. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Qui igitur illuminari volunt, sabbatizent a peccato, & a seruili opere requiem habeant. Tale namque sabbatum colit Ecclesia, ex quo Dominum cognouit, & vidit. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, *quomodo vidisset.* Ille autem dixit eis. *Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & video.* Dicebant ergo ex pharisæis quidam: *non est hic homo ex Deo, qui Sabbatum non custodit.* Nondum enim isti illuminati erant, qui sabbati obseruantiam sic intelligebant. Nondum enim tetigerant lutum, nondum venerant ad lauacrum. Alij dicebant: *quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Isti enim iam quodammodo propinquabant ad lucem, & videre incipiebant. *Et schisma erat inter eos.* Dicunt cæco iterum: *tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos?* Ille autem dixit, *quia propheta est.* Bene quidem dixit, sed melius dicere poterat, nisi timuisset. Nam ipse quoque Dominus prophetam se esse ostendit, dicens, *non est propheta sine honore, nisi in patria sua.* Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset, et vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderant, & interrogauerunt eos dicentes: *hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt?* Responderunt eis parentes eius, & dixerunt, *scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est, quomodo autem nunc videat, nescimus, & quis eius aperuit oculos nos nescimus. Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.* Hæc autem quare illi dixerint Euangelista exponens ait: hæc dicebant parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: ætatem habet ipsum interrogate: Vocauerunt ergo rursum hominem, qui cæcus fuerat, & dixerunt ei: *da gloriam Deo.* Quid est, da gloriam Deo? Nega hunc esse Christum, nega te esse Christianum. Hoc autem non est dare, sed auferre gloriam Deo. *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Dixit ergo ille: *Si peccator est, nescio, vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video.* Ego inquit, eius peccata ignoro, ego eum de peccatis non accuso, vnum scio, illud dico, & prædico, cæcus eram, & eo iubente modo video. Dixerunt ergo illi? *quid fecit tibi, quomodo aperuit tibi oculos?* At ille indignatus, quia toties eadem verba dicebat, ait: *dixi vobis iam, & audistis quid iterum vultis audire,* quid toties eadem repetere iuuat? *Numquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Si scirē vos quoque eius discipuli fieri velle, sicut & ego sū, iterū atq; iterum, & adhuc multoties eadē dicere non recusarē. Maledixerunt ergo illi, & dixerunt: *tu discipulus illius sis, nos autem Moysis discipuli sumus.* Beati illi, super quos talis maledictio cadit. Vtinam & super nos ista maledictio veniat. Sequitur: *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.* Respondit ille homo, & dixit eis: *in hoc mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit meos oculos.* Vbi ergo sapientia vestra? vbi est doctrina? quam prædicatis? Cur legem legitis si non intelligitis? Dicitis peccatorem hunc esse, inauditum & inusitatum est, vt peccatores talia operentur. Scimus enim quia peccatores Deus non audit. Sed si quis Dei cultor est & voluntatem eius facit, tunc exaudit. Non est mirandum si rudis adhuc, nondumque illuminatus contra Ecclesię doctrinam aliquid ignoranter loquatur. Neque enim verum est, vt peccatores Deus non audiat. A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quid quam. Responderunt, & dixerunt *in peccatis natus es totus, et tu doces nos?* Quia enim cæcus fuerat, plus cæteris eum peccatorem esse putabant. Quod et ipsos quoque Christi discipulos sensisse intelligi potest, qui Dominum interrogantes dixerunt: *quid peccauit hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Et eiecerunt eum foras. Multum ei profuit, quod foras eiecerunt eum: quia foras eiectus, Iesum videre, & cognoscere meruit. Non enim Iudæi possunt videre Iesum, nisi prius de synagoga exeant. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum dixit ei: *Tu credis in filium Dei?* Respondit ille, & dixit: *quis est Domine, vt credam in eum?* Non de essentia dubitat, sed de persona interrogat. Nondum personaliter eum cognoscebat, quem tamen Dei filium esse credebat. Dixit ei Iesus. *Et vidisti eum, et qui loquitur tecum ipse est. At ille ait, credo Domine, et procidens adorauit eum. Dixit ei Iesus: in iuditium ego in hunc mundum ego veni, vt qui non vident, videant, et qui vident cæci fiant.* His enim verbis quid hæc illius cæci illuminatio significaret ostendit. In iuditium, inquit, ego veni in hunc mundum. In quod iuditium? Iustificationis, & damnationis. Iustificantur enim insipientes, damnantur sapientes. Isti illuminantur. Illi excæcantur. Isti lucem sequuntur, & illi in tenebras demerguntur. Et audierunt quidam ex pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei. *Numquid, et nos cæci sumus?* Si illi inquiunt, *qui vident, cæci fiunt numquid et nos, quia videmus cæcos esse dicis?* Dicit eis Iesus, *Si cæci essetis, peccatum non haberetis, nunc autem dicitis, quia videmus peccatum vestrum manet.* Ideo, inquit, manet peccatum vestrum, quia cum vos videre putatis, non quæritis, vt videatis. Si enim apud vos cæci essetis, id est, si vos cæcos esse intelligeretis, peccatum non haberetis, quia lucem quæreretis.

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. *Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim & ibant cū eo discipuli eius, et turba copiosa.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HÆc autem vidua, quam turba multa sequitur, Sancta ecclesia est, de qua dicitur: viduam eius benedicam benedicens. Vidua quidem est, non quod virum non habeat sed quia eum videre non potest, quem adhuc post multa tēpora venturum expectat. Dicitur enim vidua, quasi a viro diuisa. Id ipsum autem, & per viduam mulierem, & per hāc ciuitatem significatur. Huic autem ciuitati Dominus appropinquat, quia quotidie ecclesiam suam visitare non cessat. De hac autem ciuitate toties defunctus offertur, quoties aliquis in peccato mortuus ab ea separatur. Quem tamen pia mater lacrymis prosequitur, quia nec fugientis filij Ecclesia obliuiscitur. Luget enim, vt Apostolus ait, quotidie de omnibus illis, qui peccauerunt, & pœnitentiam nō egerunt de peccatis suis. Quā cū vidisset Dominus motus misericordia super illā, dixit ei: noli flere, & accessit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt, & ait illi: *adolescens tibi dico surge, et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit illum matri suę.* Mœrentium consolator Deus, illorum maxime lachrymas

...mas intuetur, qui aliorum deflent peccata. Tangit loculum, sistit portitores, & mortuum suscitat, dum suæ visitationis attactu ad pœnitentiam homines reducit. Mali isti portitores, qui ad sepeliendum hominem ferunt. Boni illi, qui a ...tis ad vitam hominem reducunt. Isti enim portitores ..., & maligni spiritus, hæretici, & seductores intelliguntur. ... enim nisi Dominus sisteret, quoscunque semel arripe... sepulturę, & æternę damnationi traderent. Suscitatus ... adolescens sedet, loquitur, & matri redditur: quia ad ...entiam peccator conuersus, iam non ad flagitia, & mortuus, sed in ecclesiæ pace quiescit. Dei magnalia loquitur ... peccata confitetur, & Deo, & ecclesię reconciliatur. ... autem vacat a mysterio, quod cum plures mortuos ...nus suscitauerit, tres tantum Euangelistę eum suscitasse ...nipserunt: Suscitauit enim filiam Archisynagogę adhuc ... domum manentem, & in abditis penetralibus iacentem. ...tauit autem, & hunc viduæ mulieris filium, iam quidem extra portas ciuitatis elatum, sed nondum humatum. Suscitauit præterea lazarum non solum sepultum, verum etiam fœtentem quatriduanum. Isti igitur tres mortui tria mortuis genera significant. Moritur enim cogitatione, moritur operatione moritur, & peccati consuetudine. Sed hæc tertia mors ill... lijs duabus peior est, sicut & secunda prima ...de deterior est. Peccat enim homo male cogitando, sed ...s peccat male operando, & eo amplius in peccato perse...ndo. Quj enim cogitando illicita, & nefaria concupiscit mortuus est, sed adhuc in domo manens, & peccatum inte... celans, nondum ad sepulchrum effertur. Et iste quidem ...tur, si enim visitauerit vocauerit, & tetigerit Iesus. Ta... enim animam, quia facile excitatur, non penitus mortua ... quasi dormientem Dominus reputat dicens: *non est enim mortua puella, sed dormit*. Si vero malum, quod intus ...tauit, foris ostendat, & in effectum perducat, non solum ...s est, verum etiam extra domum, imo extra ciuitatem ...tus, longe ab ecclesia factus, iam sepulchro, & perditioni ...mus est. Pro hoc igitur necesse est, vt ploret, lacrimetur, & oret mater Ecclesia, quatenus ei ad perditionem ruen... ...rit Iesus, suscitet eum, ad vitam reducat, portitores ...at, matri reddat, & ecclesiæ reconciliet. At vero si cogi... ... operatione, & longa peccandi consuetudine mortuus est, h... qua... Lazarus qu... ... ...is fœtet: suscitatur tamen, & iste, sed non tam f...ile ... : Quato enim amplius in pe... ...quis perseuerat, tanto ... ...us ... eo separatur ... ... ex eo ostenditur, quod in morte Lazari lacrymatus est Iesus: & non qualicumque, sed magna voce vocauit eum, dicens: *Lazare veni foras*. Qui quasi longis prauæ consuetudinis funibus irretitus, manibus, pedibusq. ligatus prodisse refertur.

FERIA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Erat quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ, & Marthę sororis eius*. Et reliqua.

Homilia B. Brunonis Episcopi.

IN magnis laudibus Marię scripsit hæc Euangelista, quæ Dominum vngere, eiusq. pedes tangere meruit. Beatæ illæ animæ, quę ad similitudinem huius Mariæ cum aromatibus, cum vnguento, & bono odore ad Dominum accedunt. Hæc est illa, quæ in canticis canticorum loquitur dicens: *cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Tres mortuos Dominum suscitasse legimus: filiam scilicet principis Synagogæ in domo, filium mulieris viduæ extra portam ciuitatis, & hunc Lazarum in sepulchro quatriduanum. Per hos enim tres mortuos, tria mortis genera significantur. Moritur enim homo prauæ, & illicita cogitando, moritur male operando, moritur in peccatis perseuerando. Cogitas aliquid agere, quod non licet. Mortua est anima tua, sed in domo adhuc, & in occulto mortua iacet, quia latet peccatum, & nondum diuulgatum est. Si verò cogitationem ad effectum perducas, non solum mortua est, sed iam etiam extra ciuitatis portam elata, & per peccatum ab ecclesia separata, sepulchro, & perditioni proxima est? At verò qui peccatum aliquod magnum commisit, & multo tempore in eo perseuerat nō solū mortuus est, & sepultus, verum etiam iam fętet, quia eius turpissimam famam omnes circunquaque audire abhorrent. Omnes tamen hos suscitat Iesus, si a peccato cessent, & ex corde pœniteant, & pro eis parentes, & sorores, & mater vidua deprecetur. Vnde scriptum est; *confitemini alterutrū peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini*. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Sed quid per quattuor dies, quib. Lazarus in sepulchro mortuus iacuit, nisi quattuor ætates intelligimus? Quatuor enim ætatibus, quasi quattuor diebus fœtens in peccati sepulchro mortuus iacet ille, qui in pueritia, & adolescentia, in iuuentute, & senectute, in malo, quod ceperat, perseuerat. Infantia enim, quia ignorantiæ plena est, his diebus non annumeratur. Considera igitur quanta sit benignitas Saluatoris nostri, qui post tantam perseuerantiam in malo putridum, & fętentem resuscitare non dedignatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes. *Domine ecce quem amas, infirmatur*. Audis igitur, quia Dominus amat peccatores, peccatores vtique iam pœnitentes. Tales enim significat Lazarus, de qualibus ipse Dominus ait. *Gaudeo super vno peccatore pęnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pænitentia. Audiens autem Iesus dixit eis infirmitas hęc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eā*. Nō ideo, inquit, moritur Lazarus, vt in morte maneat, sed vt pro gloria Dei a mortuis resurgat. Diligebat Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Diligit enim Dominus, & Actiuam, & contemplatiuam, & peccatores ad pœnitentiam conuersos. De his autem alias disputabitur. *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hęc dicit discipulis suis, eamus in Iudęam. Iterum dicunt ei discipuli: Rabbi nunc quærebant te lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus nonne duodecim horæ sunt diei, si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo*. Quid est, inquit, quod dicitis? Me sequimini, post me venite, ego sum lux mundi, ego sum dies, vos horæ. Nonne duodecim horę sunt diei, quia igitur horæ estis, diem sequimini, hoc enim horarum proprium est, si quis autem hunc diem sequitur, si quis in eo ambulauerit, si quis mihi crediderit, non offendet. Quare? Quia lucem huius mundi videt. Ego sum lux mundi, si vero in nocte ambulauerit, si errorem, & tenebrarū principē secutus fuerit, hoc est in nocte ambulare, offendet, & cadet. Quare? quia lux nō est in eo, quia erroris tenebræ obcęcauerunt oculos eius. Hæc ait, & post hæc dicit eis: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine si dormit saluus erit*. Assolet infirmis somnus esse signum salutis. Dixerat autem, ait Euangelista, de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Dormit Lazarus, sed mihi: Alijs autem mortuus est, facilius de morte eum resuscitare possum, quam aliquis homo eum de somno excitare valeat. Vado igitur, vt a somno excitem eum. Tunc ergo dixit eis Iesus manifeste. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. Gaudeo, inquit, quoniam non eram ibi, si enim ibi Iesus esset, ille mortuus non esset. Vbi est Vita, mors esse non potest. Ego inquit Dominus, *sum resurrectio, & vita*. *Gaudeo igitur, sed propter vos*. Quare propter vos? Vt credatis, vt illius resurrectione fides vestra roboretur, cuius mortem ego absens vobis annuncio. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didimus ad condiscipulos, eamus, & nos, & moriamur cum eo*. Hoc enim dicit Thomas, quia tanto odio

aduersus Iesum, & discipulos eius Iudæos inflammatos esse sciebat, vt nihil nisi mortem, & penam ab eo expectaret. *Venit itaque Iesus, et inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Quid autem quatuor dies significent, superius diximus. *Erat autem Betthania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim.* Non erat igitur valde difficile ad Martham et Mariam consolandam inde Iudæos Bethaniam aduenisse. De quibus dicitur: *multi autem venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo, vt audiuit, quia Iesus venit occurrit illi, Maria autẽ domi sedebat.* Quare autẽ vbiq. Marta solicita sit, & Maria quieta, illi sciũt, qui per eas actiuam, & contemplatiuam Vitam significari intelligunt. *Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus.* Quomodo enim mori posset, si vita ibi fuisset? De se enim Dominus ait; *Ego sum via, veritas, & vita: sed & nunc scio, quia quęcumq. poposceris a Deo dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. At illa, scio, inquit, quia resurget in resurrectione in nouissimo Die.* De illa resurrectione certa sum, hanc autem te facere posse non dubito, sed vtrum facias certa non sum. *Dixit ei Iesus. Ego sũ resurrectio, & vita:* per me resurgunt, et viuunt quicunque viuunt, & resurgunt. *Qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet:* qui igitur non credit, non viuet. Viuet autem, sed in pęnis. Talis autẽ vita mors est potius dicenda, quam vita. Vera enim vita mortis amaritudinem non habet. Qui igitur credit in Christũ, quãuis tẽporaliter moriatur, viuet tamẽ in æternũ; Similiter autẽ ille, & qui viuit, & credit in eũ (Credere enim viuere est, quia vita animæ fides est) nũquã morietur? *Credis hoc? Ait illi: utiq. Domine ego credidi, quia tu es Christus filius Dei uiui qui in hunc mũdũ uenisti. Et cum hęc dixisset abijt, et vocauit Mariã sororẽ suam silentio dicens: magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit surrexit cito, & uenit ad eum. Nondum enim uenerat Iesus in Castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha, Iudæi igitur, qui erãt cũ ea, cõsolabantur eam, cũ uidissent Mariã, quia cito surrexit, & exijt, secuti sunt eã dicentes, quia uadit ad monumentũ, ut ploret ibi; Maria ergo cum uenisset ubi erat Iesus, uidens eum cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ambæ sorores idẽ dicũt idẽ intelligũt, & verã vitã Christũ esse credũt, quo pręsẽte, & volẽte nemo moriatur. *Iesus ergo uidẽs eã plorãtẽ, et Iudæos, qui uenerant cũ illa plorãtes, Infremuit spiritu, et turbauit se ipsum.* Nõ aliunde turbatus est, sed ipse turbauit se ipsũ, & magnũ aliquid significauit nobis per hoc ipsũ. Iste enim fremitus, & hæc turbatio nos docet, quid nos quoq. in tali re agere debeamus, quãdo vel pro nobis, vel pro alijs in peccatis turpiter degẽtib. & fetẽtib. Deũ oramus. Nos enim ait Apostolus, *quid oremus nescimus, sed spiritus Sãctus orat p nobis gemitib. inenarrabilib.* vnde & psalmista *sacrificiũ Deo spiritus cõtribulatus, cor cõtribulatũ, et humiliatũ Deus nõ spernit.* Et dixit Iesus: vbi posuistis eũ? Sequitur. Sic enim & primo Homini à Deo dicitur: Adã vbi es? quod quidem tale fuit, ac si diceret: cõsidera modo de quãta gloria in quãtã miseriã deuolutus es. Et taliter quidem illi ponũtur, qui per lazarũ significãtur, sed a quib. ponũtur, nisi a mulierib. Mulierũ nãq. cõsilio factũ est, vt omnis homo moriatur, & in Sepulchro ponatur. *Et lacrymatus est Iesus.* Lacrimemur igitur, & nos pro omnib. illis, quos in fœtore vitiorũ iacere scimus si forte nostris lacrymis eos dominus resuscitare dignetur, *dixerunt ergo Iudæi: ecce quomodo amabat eũ. Quidã autẽ dixerũt, ex ipsis nõ poterat hic, qui aperuit oculos cæci facere, vt & hic nõ moreretur.* *Iesus ergo rursũ fremẽs in semetipso uenit ad monumẽtũ (erat autẽ spelunca, & lapis superpositus erat ei) ait Iesus tollite lapidẽ.* Non enim potsut resurgere, qui lapide premũtur, et claudũtur. Lapis iste littera legis est, quoniam in lapide scripta, et data est. Littera enim occidit, spiritus autem viuificat. *Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat. Domine iã fœtet, quatriduanus enim est.* Quid enim fœtor, et quid dies quatuor significẽt, superius diximus. *Dicit ei Iesus nõne dixi tibi quoniã si credideris, videbis gloriã Dei: Tulerũt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebã, quia semper me audis.* Iesus enim secũdũ eã partem, qua homo est, fremit, turbatur, lacrimatur, orat, exauditur, & gratias agit. Hæc [illegible] quare dixerit, quare orauerit, & gratias egerit, [illegible] causã dicens; *Propter Populum: qui circumstat, dixi, ut [illegible] quia tu me misisti.* Hoc est enim quod [illegible] alibi ait, *ego a me ipso non ueni, sed pater meus misit me. Hæc cum dixisset, uoce magna clamauit, lazare ueni foras.* Qui magno [illegible] opprimitur, magna voce clamandus est. Magno enim [illegible] grauatur, qui in peccato sepultus neque in pueritia, neq. in adolescentia, neque in Iuuentute, neq. in senectute ex[illegible] enim significãt illi quatuor dies, quib. lazarus iã fœt[illegible] in sepulchro. *Et statim prodijt, qui erat mortuus, ligatus [illegible] et manus institis, et facies illius sudario erat ligata.* N[illegible] sperationi datur occasio cũ lazarus iam fœtens, & q[illegible] nus a mortuis resurgat. Et valde quidem mirabile non [illegible] quia mortuus resurrexit, verũ etiã quia pedib. m[an]ibu[s] [ligatus] foras processit. Et hoc fortasse significatio est, vt inte[lligamus], quia peccator quacũq. hora cõuersus fuerit, et in[...] rit, vita viuet, & nõ morietur. Ligatus tamen adhuc esse vi[detur], donec ab Episcopis solutus ecclesię sacramẽtis recõcil[ietur] iste enim talis quãuis foris ligatus appareat, intus tamẽ l[igatus] non est, quia peccatorũ vinculis solutus, iã deo per pœnitẽ[tiam] vinctus est. Vnde & lazarus, ac si penitus ligatus nõ esset, [de] sepulcro libere exiret: Quẽ tamẽ Dominus soluere iussit [...] tenus, & nos eos ostendamus esse solutos, qui audita voce [E]uãgelij in anima per pœnitẽtiã suscitari meruerũt. Mul[ti] ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, et Marthã, et viderã[t] [quæ] fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis [abie]rũt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Hoc autem vtrum gloria eius prædicando, an eum accusando dixerint, dubitari non potest.

S A B B A T O.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore; *dicebat Iesus turbis iudæorum ego sum lux mundi.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi

EGo, Inquit, sum lux mundi, ego sum illa lux, qu[æ] il[luminat] omnem hominem venientem in hũc mundũ. Ego sum [il]la lux, quæ soli splendorem, oculis visum, & menti in[tellectum]. per me sol splẽdet, oculi vident, & anima inte[lligit]. Ego sum vera lux per quẽ illuminãtur cũcta, & sine quo tenebrescũt omnia. Hac luce illuminãtur cæci resurgũt mortui, & [ad] vidẽdũ Deũ mentis oculi aperiũtur. Meritò itaq. hac luce obeunte tenebræ factæ sunt in vniuersa terra. *Qui sequitur me nõ ambulat in tenebris.* In quibus tenebris? Sunt enim tenebræ noctis, sunt & tenebræ ignorantiæ, & erroris. Si enim de noctis tenebris intelligamus, nemo in nocte sequitur lucẽ. Qui verò hãc lucẽ nõ sequitur, nõ est Christianus. Nũquid igitur in nocte Christiani nõ sumus, quia in nocte ambulamus in tenebris, & nemo, qui Christũ sequitur, ambulat in tenebris? Non igitur hoc intelligendũ de tenebris noctis, sed potius de tenebris ignorantiæ, & erroris. Christus enim, & sapiẽtia, & veritas est. Vbi autẽ sapientia, & veritas, ibi error, & ignotãtia [e]sse nõ potest. Nõ ambulat igitur in tenebris ignorantiæ, & [er]roris, qui Christũ sequitur. In his autẽ tenebris totus m[undus] sedebat, quãdo lux mundi Christus apparuit, vnde scriptu[m est]: *Populus, qui sedebat in tenebris, uidit lucem magnam.* D[icit] ergo Saluator noster, *qui sequitur me, non ambulat in ten[ebris] sed habebit lumen uitæ.* Sequi autem imitari est. At vero [lumen] vitæ illud est, quod vitam præstet æternam. Per quod [...] tum doctrinam fidei, & cognitionem veritatis intelli[gimus]. *dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est uerum.* Miseri Pharisæi, qui testimonium veritatis verum non esse dicunt. Veritas enim mentiri non potest. Sed fortasse hoc ideo dicebant, quia scriptum est. *Laudet te os alienum, & non tuum.* Non enim ad laudem sui, neque pro vana gloria talia dominus loquebatur, sed vt eos instrueret, qui credere debuissent. Vnde, & ipse Dominus ait, *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Sequitur. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, uerum est testimo-*

testimonium meum. Vnde hoc? Quia scio, vnde venio, & quo vado. Mirabilis argumentatio. Ideo igitur verum est testimonium tuum domine, quia scis vnde venis, & quo vadis. Dic igitur nobis, vnde venis, & quo vadis. *Exiui inquit, a patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Si enim a patre venis, & ad patrem vadis, filius Dei es. Si filius Dei es, mentiri non potes, Verum est igitur testimonium tuum, quia scis, vnde venis, & quo vadis, idest quia filius Dei es. *Vos autem nescitis, vnde venio, & quo vado.* Quare nescitis? *Quia non creditis me esse filium Dei.* Illi enim soli hoc sciunt, qui Dei filiũ me esse credunt. Scimus igitur nos quia a Patre exiuit, & ad Patrẽ vadit, qualiter tamẽ a Patre exiuit, et qualiter ad patrem iuit nescimus. Quomodo enim vadit, vel venit, qui vbique est? Qui enim vadit, illuc vadit, vbi nõ est. Aut quomodo exit a patre, & redit ad patrẽ, qui semper est in patre, & in quo semper est pater? Hoc enim ipse ait. *Ego sum in patre, & pater in me est: Vos secundum carnem Iudicatis, ego non Iudico quemquam.* Quid est ergo quod alibi dicit, *pater non Iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, si filius quoque non Iudicat quemquam? Iudicat igitur filius, sed non sicut Pharisæi, non secundum carnem. Vnde, & subditur, *& si indico ego, iudicium meum iustum est*, vnde hoc? *Quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Eadẽ argumentatione Iudicium suum verum esse probat, quo testimoniũ suum verum esse probauit. Videlicet quia Dei filius est. Ideo inquit, *verum est Iudicium meũ, quia solus non sum*, quia homo solummodo non sum, omnis enim homo mendax, sed Deus, & homo sum, & cum patre simul vnum idemq. sum, quamuis in persona alius sum, Et in lege vestra scriptum est *quia duorum hominum testimonium verum est*: Hoc enim nõ semper fit, vt duorum hominum testimoniũ verum sit, alioquin iniuste damnati sunt illi duo senes, quos Daniel occidere Iussit. Quid igitur? Mentitur lex, quę duorum hominum testimonium verum esse dicit? Absit si enim tales fuerunt testes, quales leges, & canones quęrunt, duorum hominũ testimoniũ verũ est: quod si spiritualiter intelligatur, per duos homines duorum testamentum viri catholici figurantur, quorum itaq. testimoniũ verum esse: Si vero duorum hominum testimonium verũ est, quis cõtradicere audeat, quod pater testatur, & filius? hoc est enim quod ait. *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me pater.* Perhibet enim Pater de filio testimonium vbi ait. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui.* Dicebãt ergo ei, *vbi est pater tuus? Respondit, neque me scitis neque patrem meum.* De patre, inquit, me interrogatis quasi iam notitiã habeatis. Prius me, quem videtis, agnoscite, & sic postea potestis ad patris notitiam peruenire. *Nemo enim nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Si me sciretis, forsitan, & patrem meũ sciretis. Quod enim forsitan dicit, non dubitando, sed increpando dicit. Malus enim seruus dominum suum nõ cognoscit, nisi enim iratum videat. Verum est igitur, quod dicitur, *cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Sic enim proteruo discipulo magister dicere solet; si enim quæ tibi parantur, scires, tu forsitan legeres. Hæc verba *locutus est Iesus in gazophilatio docens in templo.* Reponamus igitur hæc in gazophilatio pectoris nostri, seruemus hũc thesaurum in secretario cordis nostri, quatenus cum Apostolo dicere possimus: habemus thesaurum istum in vasis fictilibus Ideo enim in gazophilatio hæc verba dicta sunt, quia valde custodienda, seruanda, & memoriæ commendanda sunt; & nemo apprehendit eũ, quia nondũ venerat hora eius Quare non venerat? Quia ipse nolebat. Non igitur ipse horam, sed hora ipsum expectabat. Omnia enim in eius potestate posita sunt. Erat igitur et hora eius in eius potestate, vt tunc antea veniret, quam ipse iuberet.

DOMINICA PASSIONIS

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *dicebat Iesus turbis Iudęorũ, & Principib. Sacerdotum, quis ex vobis arguet me de peccato. Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

PRæceperat Dominus per Moysẽ sacerdotib. iudæorũ, vt ad nullũ omnino mortuum accederent, nisi ad patrẽ, & matrem, ad fratres, & sororem, quæ virum non haberet. Præceperat præterea de sũmo sacerdote, vt neq ad patrẽ neq. ad matrẽ, neq. ad aliquẽ omnino mortuũ accederet. Sed quid per mortuũ nisi peccatũ? Peccatũ enim mortis causa fuit, quoniã nisi prius homo peccasset, nemo vnquã hominũ moreretur. Accedere igitur ad mortuũ hoc est accedere ad peccatũ, & est effectus pro causa. Pręcipit igitur Dominus, vt sacerdotes ad mortuũ non accedãt, idest vt peccata mortalia nõ cõmittant. Quamuis sine peccato nemo esse possit, sine crimine tamen sacerdotẽ esse oportet. Sed quia sine originali peccato nullus esse valet, ad parẽtũ et proximorũ mortẽ, sacerdotes accedere nõ prohibẽtur. Omniũ enim cõe est, originale peccatũ: omnes igitur ad illud accedere nõ dubiũ est. Sed quid per sororẽ, quæ virũ nõ habet intelligere debemus, nisi illas animas, quę a patris domo & ab ecclesia separãtur: Iudęi nobis, & hęretici sint in exẽplũ, qui suas sequẽtes voluptates extra Ecclesiã pereũt: isti sunt igitur illæ sorores mortuę, ad quas accedere nõ licet, hoc audiãt nostri sacerdotes, & ab omni opere mortuo, ab omni peccati contagione se immunes custodiãt, Omnia enim in figura cõtingebãt illis. Scripta sũt autẽ ad correptionẽ nostrã. Nũc autẽ de sũmo sacerdote videamus, per quẽ dominũ, & saluatorẽ nostrũ intelligimus, sacerdotũ omniũ maximũ. Ipse enim ad nullũ mortuũ accessit, quia neq. originale peccatũ a parẽtib. traxit, neq. a se peccatũ aliqd cõmisit. Ipse est enim, de quo scriptum est, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Ipse igitur solus est, qui ad patris, & matris mortem, & peccatũ non accessit. Dicat igitur, & confidenter dicat. *Quis ex uobis arguet me de peccato?* Hoc enim significat illa Vacca rufa, quę sine macula describitur fuisse, de qua modo in Apostolo cũ legeretur, audiuimus. Sic enim dixerat Dominus Moysi. Pręcipe, inquit, *populo vt adducat ad te vaccam rufam non habentem maculam ætatis integræ, & quę nũquam portauerit iugum*, & quæ sequuntur. Sed quid vacca rufa, nisi caro nostri Saluatoris de armento Patriarcharũ, & prophetarum assumpta intelligitur? Sed quare rufa, nisi quia proprio sanguine cruentata? Cur autẽ ætatis integrę, nisi quia in iuuẽtute passus est Dominus, Iugũ autẽ nõ traxit, quia peccatum non fecit. Nolite, inquit Apostolus, *iugum ducere cũ infidelibus*, vnde & immaculata dicitur, vnde & modo dominus ait. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatẽ dico, quare vos non creditis mihi?* Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato? Quid vidistis in me, quod merito reprehendere debeatis? Si veritatẽ dico, quare vos non creditis mihi, nisi quia ex Deo non estis? *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit, & propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Si enim omnia ex Deo sunt, quomodo isti ex Deo nõ sũt? Vnde & de Saluatore nostro superius dicitur. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* sunt igitur isti ex Deo secundum naturã, sed non sunt ex Deo secundũ malitiam. Sunt ex Deo secundum creationem, sed non sunt ex Deo secundũ corruptionem. Quicquid ex Deo est, bonum est. Sic igitur mali ex Deo sunt, & ex Deo non sunt. Respõderũt ergo Iudęi, & dixerũt ei. *Nonne bene diximus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmoniũ habes:* Miseri Iudęi vos ipsi verũ esse probatis id, quod modo Dominus ait, *quia ex Deo non estis*, si enim ex Deo essetis, hæc Dei filio nõ diceretis. Ideo enim hęc dicitis, quia ex patre diabolo estis. Resp. Iesus. *Ego dæmoniũ nõ habeo, sed honorifico patrẽ meũ, & vos inhonorastis me*, vbiq. Dominus ad patiẽtiæ, & mãsuetudinis exẽplũ nos prouocat Accepta iniuria nõ irascit neq. cõuitiis cõuitia reddit, dæmoniũ se nõ habere respõdit, se

tamen Samaritanum esse non negat. Si enim Samaritanum se esse negasset, ipsemet suis verbis contradixisset, qui alibi se ipsũ Samaritanum vocat. Recordare illius euangelij verba Samaritanus sanat hominem vulneratum à latronibus, qui descendebant ab Hierusalem in Hyerico. Et quia samaritanus interpretatur custos, merito Dominus samaritanus vocatur, de quo scriptum est. *Custos quid de nocte, custos quid de nocte?* Et Psalmista: *nisi Dominus custodierit Ciuitatem in uanũ laborauerunt, qui custodiunt eam. Ego non quero gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.* Non enim quærebat Dominus gloriã suã, qui de tanta sublimitate se humiliando factus est obbrobrium hominum, & abiectio plebis, sed est pater, qui quærat, & iudicet. Quærebat enim pater gloriam filij, ipsumque iudicabat, quando dicebat: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Hæc enim gloria super omnẽ gloriã est. Sequitur. *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit mortem non gustabit in æternũ.* Quare, inquit, non creditis mihi: Quare sermonẽ meũ nõ seruatis? *Amen amẽ dico vobis, si quis mihi crediderit, & sermonẽ meũ seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Quid est mortem non gustabit? Mortis dolores, & amaritudinem non sentiet. Mortis vtiq. non temporalis, sed ęternæ. Quod enim dixit in æternum, tale fuit, ac si diceret, mortem non gustabit æternã. Dixerunt ergo Iudæi. *Nunc cognouimus, quia Dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Propheta, & tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternũ. Numquid tu maior es patre nostro Abrahã qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?* Ac si dicant. Talis homo numquam fuit, qualis, tu es, si verum quod tu dicis, si verum est, vt illi non moriantur, qui seruauerint. Maior es tu, quam Abraham, & omnibus prophetis maior es tu. Illi enim mortui sunt, tu verò non solum immortalis es, sed eos etiam immortales facis, qui tibi credunt, & obediunt. Nimium te exaltas, nimium te glorificas. Respondit Iesus. *Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est. Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum. Et si dixero, quia non noui eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.* Sed dicit aliquis quomodo ipse non glorificat se ipsum, si Pater glorificat ipsum, cum idem sit et Pater & ipse? Christus enim dicit, *ego et Pater vnum sumus*. Si enim vnum sunt, quẽ pater glorificat, & filius glorificat. Glorificat igitur & ipse filius se ipsum. Quid ergo quod ait, si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Quia enim Saluator noster, & Deus, & homo est, si secundum diuinitatem glorificat se ipsũ magna est gloria eius. Magna quippe gloria est paraliticos curare, cæcos illuminare, leprosos mundare, Ventis imperare, super mare siccis pedib. ambulare, & mortuos suscitare, sed omnis ista gloria diuinitatis est. Si vero secundũ humanitatem glorificat se ipsum, gloria eius nihil est. Glorificantur enim homines, nõ quia homines sunt, sed quia sapientia, & fortitudine, alijsq virtutib. præditi sunt, hæc autem vbicumque sunt non homines, sed dij sunt. Ideoque Apostolus ait. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est, et ego mũdo. Itemq. Gloria nostra hec est testimoniũ conscientiæ nostrę.* Sequitur. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* Omnes enim Patriarchę, & Prophetę Christi natiuitatis diem cum magno desiderio expectabant. per quem ad supernæ Beatitudinis gloriã se venturos esse sciebant. Potest tamẽ per hunc diem illius temporis dies intelligi, quo dũ staret Abraham ad Ilicem Mambræ vidit tres viros, in quib. per spiritum Sanctũ Christum cognoscẽs vnũ adorauit. Sed quid mirum si priusquã Christus homo fieret Abraham eum vidit, cum ipsum quoque Nabuchodonosor in fornace ignis eum se vidisse testetur? Dixerunt ergo Iudei ad eum. *Quinquaginta annos nõdũ habes, et Abraham vidisti? Dixit ei Iesus. Amẽ dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* Secundũ diuinitatẽ loquitur, sed illi hoc non intelligunt. quia non Deum, sed hominem vident. Hominem vtiq. paruę ætatis, & longe a temporibus Abrahæ. Et cum verborum rationem quęrere ab eo debuissẽt, cuius verba nõ vana, & otiosa esse sciebant, vt quia ipsi per se eum intelligere nõ poterant, ipse eis verba sua exposuisset, ad lapides currũt, & occidere volunt. Vnde & subditur. *Tulerunt ergo lapides, vt iacerẽt in eum, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Absconditur se Iesus, & exiuit de templo, non secundũ quod est antequam Abraham, sed secundum hoc, quod filius est Abrahæ. Facile itaq. est duas naturas in Christo cognoscere, vnam secundum carnem, quia omnis creatura ei obedit. Alteram super quia turba iniquorum impia fecit. Quod autem Iesus se abscondit non timor est, sed significatio, figura est, non trepidatio. Abscondit se Iesus, sed malis occultatur veritas, sed iniquis. Vsq hodie nãq. quærunt Iudæi Iesũ, & nõ inueniũt, legũt in lege, & prophetę veritatem tantum inuenire non possunt. Quare hoc? Quia Iesus abscondit se, & exiuit de templo. Vnde ipse ait. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, voces quoque Angelorum, vt Iosephus refert, in templo auditæ sunt dicentium relinquamus has sedes. Beati igitur Christiani, quibus soli veritas reuelatur, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

EFRIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *Miserunt principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum. Dixit ergo eis Iesus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

IN vanum inquit, *laboratis vos, & principes vestri. Adhuc missi estis, vt me apprehendatis. Hoc autem non in vestra sed in mea est potestate. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, expectate, dum tempus adueniat, vt suo ordine omnia compleantur. Cito vos relinquam, non diutius vobiscum morabor, prope est, vt ad eum reuertar, qui misit me. Quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire.* Quærebant enim Iudęi Iesũ, & male quærebant, & quia male quærebant, non inueniebant. Quærunt enim adhuc, & non inueniunt, scripturas legunt, & non intelligunt. Ibi quærunt Iesum, sed quia carnaliter quærunt non inueniunt. Vis inuenire Iesum, vade ad templum, vade ad Ecclesiam, ibi sedet in medio doctorum, in conuentu Episcoporum, & Sacerdotum. Sed quid est quod ait *vbi ego sum vos non potestis venire?* Vbi enim tunc erat Iesus? Nonne inter eos? Quomodo ergo venire non poterant, vbi ipse erat. Erat enim in cęlis Iesus secundum diuinitatem, quo vtique venire non possunt quicumque in eum credere nolunt. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos. *Quo hic iturus, & docturus est, quis est hic sermo, quem dicit quæretis me, & non inuenietis? Et vbi ego sum vos non potestis venire?* Non possunt Iudæi verba Christi intelligere: quia animalis homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. Putant enim corporaliter ad Gentilem Populum pergere velle, quasi illuc eum non potuissent si illuc ire Dominus voluisset. *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens, si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credidit in me* sic dicit scriptura: *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Inuitat ecce Dominus ad bibendum, quia fons est. De quo Psalmista ad Dominum, *quoniam apud te est fons vitę, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inuitat vtique, sed sitientes, & bibere, & credere cupientes. Quod autem ait flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ Euangelista exposuit dicens. *Hoc autem dixi de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Viua igitur aqua Spiritus Sanctus est, hac enim aqua, & lauamini, & viuificamini proxima sibi sunt spetiæ, & aqua, Vnde & spetie dei ferebant super aquas, hinc est etiam quod dicitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* Meritò igitur Spiritus Sanctus aqua vocatur,

catur, & non qualiscunque, sed viua aqua. Hac autem aqua plenus est, qui in Christum credit, hac Apostoli abundabant, huius flumina de ventre eorum fluebant. Vide modò, quàm magnum flumen de istius, qui hic loquitur, pectore fluit? *Cuius fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Omnia igitur flumina, omnia sacrarum scripturarum volumina ex hac aqua fluunt. Sed quare dixit, quem accepturi erant credentes in eum; vis audire quare? Quoniam nundum erat Spiritus datus, quia Iesus nundum fuerat glorificatus. Post Christi namque glorificationem, & ascensionem visibiliter in linguis igneis Spiritus Sanctus Apostolis datus est, quod nunquam antea factum est. Vnde & Saluator noster eisdem suis discipulis dicebat. Nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Oportebat igitur prius glorificare Iesum, vt Spiritus Sanctus daretur credentibus, ex illa ergo turba cum audissent hos sermones, dicebant, *hic est vere Propheta.* Alij dicebant, *hic est Christus.* Et illi benedicebant. Sed melius illi, qui dicebant, eum esse Christum, & ideo quia melius plusquam prophetam eum esse credebant. Quidam autem dicebant, nunquid à Galilęa Christus venit. Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleem Castello vbi erat Dauid, venit Christus? Vides ergo quam necessarium fuit, vt Christus nasceretur in Bethleem? Puto enim istos ignorasse, Saluatorem nostrum in Bethleem natum fuisse. Dissensio itaque facta est in turba, propter eum. Hoc est enim, quod Dominus ait. *Nolite putare, quia veni mittere pacem in terram. Non enim veni pacem mittere, sed gladium.* Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo misit super illum manus. Oblatus est igitur, quia ipse voluit. Vnde ipse quoque ait. *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam.* Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos, & dixerunt eis. Quare non adduxistis eum? Responderunt ministri. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Ac si dicerent vtinam & vos præsentes fuissetis, vtinam & vos eius verba audissetis, nunquam fortasse vlterius aduersus eum aliquid ageretis. Nunquam enim sic locutus est homo, sicut hic homo, qui magis videtur esse, quàm homo: ipse enim est Deus & homo. Responderunt ergo eis Pharisæi. *Nunquid & vos seducti estis?* Seducti itaque, sed bene; bene enim seducuntur, qui de malo ad bonum ducuntur. Ait illi. *Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis.* Sed turba hæc quæ non nouit legem maledicta sunt. Non enim isti maledicti sunt, sed vos potius maledicti estis, qui in eum credere noluistis, per quem à legis maledictione solui debuistis. Excęcantur igitur sapientes, illuminantur insipientes, sicut ipse Dominus ait. *In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Dicit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis. *Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi audierit ab ipso prius, & cognouerit, quid faciat.* Nemo enim secundum legem damnatur, nisi à se ipso confessus, vel ab alijs conuinctus. Responderunt, & dixerunt ei *Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide, quia propheta à Galilæa non surgit.* Quid est, quod dicunt. Nusquã enim legitur, quod propheta à Galilęa nõ surgat, hoc igitur de Christo intelligunt, quem in Bethleem, & nõ alibi nasciturũ Prophetæ prædixerant. *Et reuersi sunt vnusquisque in domum suã, valde dolentes, quia facere non potuerunt voluntatem suam.*

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *ambulabat Iesus in Galilęam, non enim volebat ambulare in Iudæam, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOc enim faciebat Iesus, non quod mortem, vel Iudæos timeret, sed vt fidelibus suis exemplum præberet, Vnde & alibi ait. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Senophegia. Senophegia namque festiuitas erat tabernaculorum, & habitabant filij Israel in vmbraculis septem diebus. Sed sicut Apostolus ait, *omnia hæc in figura contingebant illis.* Illa enim festiuitas hanc nostram festiuitatem significabat, in qua viri sancti, a Christi resurrectione, vsque ad sæculi consumationem, a seruili & iniquo opere quiescentes in bono opere perseuerant. Bene autem fiebat diebus septem, per quos ex tunc omnis isti dies significantur, siquidem non sunt dies nisi septem. Sed quare in vmbraculis habitabant? nisi quia vmbracula cito deficiunt, vt pote non habentia fundamentum, paruoq. tempore in eis habitatur. Vnde Apostolus ait. *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Et psalmista. *Quoniam ego incola sum apud te in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis, nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palam esse.* Qui sunt autem isti fratres, sępe iam diximus. Isti enim sunt, qui eius propinqui erant secundum carnem, consanguinei videlicet Virginis Mariæ. Mos etenim est sanctarum scripturarum, quoslibet valde propinquos fratres vocare, carnales igitur fratres carnale consilium dabant, quo Saluator noster mundi gloriam acquireret, & suum nomen longiùs dilataret. Ideoque non in occulto, sed palam, & in conuentu multorum miracula Christum Dominum facere admonebant. Ostendunt autem plures discipulos in Iudęa eum habuisse, qualis fuit Nicodemus, & multi alij, qui eius opera videre cupiebant, in eo quod dicunt, *vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.* Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Hoc autem tale est, ac si dicerent. Aut cessa à miraculis, aut si ea facis, ita fac, vt mundo per miracula manifesteris. Neque fratres eius credebant in eum; quamuis enim credebant eum esse Prophetam, non Deum tamen Dei filium esse credebant. Dicit ergo eis Iesus. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Dicitis, inquit, vt me mundo manifestem, dicitis vt laudem, & gloriam quæram, sed tempus gloriæ meæ nondũ aduenit. Veniet autem in Iudicio, quando mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua. Tempus autem vestrum semper est paratum, quo & mundi laude, hominumque fauor, & vanagloria decipiamini. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Quid est enim quod ait, *non potest mundus odisse vos,* cum ipsos mundi amatores, qui per istos significantur, tam multa per odium inter se bella, lites, & contentiones habere videamus? Quod igitur ait *non potest mundus odisse vos,* tale est ac si diceret. Non potest mundus odisse mores vestros, opera vestra, & malitiam vestram. Si enim odisset, non fecisset. Ac per hoc de hoc mundo mundus non esset. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Hæc est maxima, & principalis causa, quare omnes iniquam & ipsum Christum, & membra Christi odio habent. Hinc est, quod Tyranni, Sacrilegi, & Adulteri, Periuri, omnesque facinorosi in Ecclesiam coniurant. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletũ est.* Vos, inquit, qui hominum laudem quæritis, qui Populi fauorem concupiscitis, qui mundi gloriam desiderans, vos ascendite ad diem festum hunc. Vbi non misericordia, nõ Dei gratia, non peccatorum remissio, sed laus sola, & inanis gloria quæritur. Ego enim qui talibus non delector, & huiusmodi gloriam non appeto, non ascendo ad diem festum istum. Quare? *quia tempus meum nondum aduenit.* Prius enim plenitudo gentium intrabit, prius omnis Israel saluus fiet, prius ad Iudicium veniam, quia huius tantæ gloriæ adueniat. *Hæc cum dixisset ipse mansit in Galilęa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc ipse ascendit ad diem festum.* Ascendit vtique ad diem festum, sed non ad illum, ad quem fratres eius ascẽderunt. Alioquin verum non esset, quod ipse ait. *Ego non ascendo ad diem festum istum.* Dies festus Domini non externus, sed internus, non in facie, sed in mente agitur. De quo

Psalmista.

Psalmista. *Quia cogitatio, inquit, hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi.* Sic igitur ages diem festum si ad tuam festiuitatem vis venire Iesum. Noli hoc agere in manifesto, neque vt ab hominibus videaris. Qui enim hoc agunt, *receperunt mercedem suam.* Non ne audis, quia ipse Dominus, non in manifesto, sed quasi in occulto venit ad diem festum, quia quamuis tota illa festiuitas in eius honore, & gloria agebatur, ipse tamen à paucis, vel à nullis intelligebatur. Erat igitur in die festo, sed occultus. Miseri Iudæi, in quorum festiuitatibus semper Christus manet occultus. Hoc enim significabat Isaac, qui Iacobo filio suo benedicebat, & eum non agnoscebat. Iudæi ergo quærebant eum in die festo & dicebant. *Vbi est ille?* Vsque hodie namque in omni sabbatho, & in omni sua festiuitate legunt Iudæi, & quærunt Iesum. Non tamen inueniunt, quia non bene quærunt. Quærunt enim cum inuidia, & murmuratione, vnde & subditur. *Et murmur multum erat de eo in turba.* Quidam enim dicebant, quia bonus est. Alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Quid igitur mirum si de viris sanctis, & religiosis iniqui homines aliquando male loquuntur, cum de ipso Dei filio talia loquerentur? Nemo tam palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Idem igitur ipsi, qui bonum eum esse dicebant, palam hoc dicere non audebant, quia magis homines, quàm Deum timebant.

F E R I A   Q V A R T A.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem,

IN illo tempore *facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

ENcænia dicebant Iudæi illam festiuitatem, quam celebrabant pro templi edificatione, siue innouatione, in hac autem festiuitate ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. ostendens se illam sapientiam esse, quæ laudatur in libris sapientiæ Salomonis, sed quia hyems erat, & quia inuidiæ gelu Iudæi congelati erant, & charitatis ignem non habebant, regem, & Dominum suum occidere cupiebant. Proxima enim sibi sunt frigus, & mors. Circumdederunt ergo eũ Iudæi, non vt in eum crederent, sed vt eum prenderent. Et dicebant ei. *Quo vsque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Quem nos regem dicimus, Iudæi Christum appellant. Dolo igitur loquebantur, vt si se Christum esse responderet Dominus, quasi qui Cæsari contradixisset, mox Romanorum ministris occidendus traderetur. Hinc est enim quòd Pilato dicunt. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Respondit ei Iesus. *loquor vobis, & non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Cur me, inquit, interrogatis, cum verbis meis non credatis? Loquor vobiscum, & non creditis. Sed quia verbis meis non creditis, vel operibus credite. Opera non mentiuntur. Sed vos non creditis verbis meis, neque operibus meis, quia non estis ex ouibus meis. Manifestum est igitur quod ex ouibus Christi non sunt, quicunque verbis euangelicis credere nolunt. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et de his quidem satis superius diximus. Probat autem quod non rapiet eas quisquam, de manu sua, dum dicit *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei.* Sed ne aliquis diceret, quia non inde consequitur, vt de eius manu rapi non possit, addidit dicens. *Ego, & pater vnum sumus.* Si enim ipse & pater vnum sunt, cum eas nemo rapere possit de manu patris, nemo potest rapere eas de manu filij. Sed vnde vel ipse pater, vel iste filius esse probantur? Ex eo vtriq. quod ait. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ipsum enim dedisse genuisse fuit. Non enim prius fuit ille, qui dedit, quàm ille cui dedit, quia non prius fuit ille, qui genuit, quàm ille quem genuit. Neque enim aliquando Pater sine filio fuit, quia sine verbo, sine virtute, & sapientia, sine veritate nunquam esse potuit. Hoc enim totum est filius Dei. Ipse enim est veritas, & vita. Ipse est verbum, virtus, & sapientia Patris. Sapientia vtique, quia ipse se genuit, non quæ sapientem eum fecerit. Est igitur pater sapiens, quia sapientiam genuit, est verax, quia veritatem genuit. Sed quia nunquam fuit, non sapiens, non verax, & nunquam fuit ante sapientiam, & veritatem. Nunquam enim sine sapientia sapiens esse potest. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.* Respondit eis Iesus. *Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* An quia ad veritatis viam vos reuoco? An ideo fortasse, quia infirmos vestros sanaui, cęcos illuminaui, leprosos mundaui, paraliticos curaui, & mortuos suscitaui? Hęc enim opera non lapidatione, sed honore digna sunt. Responderunt ei Iudæi. *De bono opere nõ lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Stulti Iudæi, interrogabant eum, quis sit, & palam eum respondere rogant, & quia veritatem eis respondet, eum occidere volunt. Respondit eis Iesus. *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi dij estis,* legem hoc in loco psalmos vocat, quia & ipsi iudicant Deũ, & nocentes damnant, & bonos iustificant. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, *quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat, quia dixi, Dei filius sum?* Si, inquit, adoptiui filij Dij dicuntur, quare naturalis filius Deus non dicatur? Si illi dicuntur Dei, ad quos Dei sermo factus est, & ideo quidem dicuntur, quia sermonem Dei custodiunt, quare non magis ipse sermo Dei dicatur Deus? Nõ enim potest solui scriptura, *quia non præteribit ex ea iota vnum, neque vnus apex, donec tota compleantur.* Quod autem ait, *quem pater sanctificauit,* tale est, ac si diceret, quem pater sanctum genuit. Idem enim fuit, & sanctificasse, & genuisse. Si enim facio opera patris mei, nolite credere mihi. Mirabilia sunt opera patris, mirabilia sunt & opera filij, facit ille quod vult, facit & iste quicquid vult. Sequitur. *Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia in me est pater, & ego in patre,* quia enim vnum sunt pater & filius, & filius est in patre, & pater in filio. *Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.* Quæramus igitur & nos, sed non sicut illi. Quæramus fide, & pietate, & non effugiet de manibus nostris. His enim manibus apprehenditur, & tenetur Iesus. *Et abijt iterum trans Iordanem in eum locum, vbi fuerat Ioannes baptizans primum, & mansit illic, & multi venerunt ad eum, & dicebant, quia Ioannes signum fecit nullum.* Omnia autem quæcunque dixit Iesus de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum, fortasse ad hoc iuerat Dominus illuc, vt isti ad eum venirent, eum viderent, & in eum crederent.

F E R I A   Q V I N T A.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Rogauit Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo, & ingressus domum pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quę erat in Ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset in domo pharisæi, attulit alabastrum vnguenti & stans retro secus pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

IN hoc Euangelio Pharisæi superbia reprimitur, & peccatricis mulieris humilitas commendatur. Pharisæus iste Iudæorum populus est, hæc mulier peccatrix gentilitas intelligitur. Illum Dominus à lepra curauit, huic multa peccata dimisit *Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Omnes enim,* vt ait Apostolus, *peccauerunt, & egent gloria Dei.* Venit Iesus in domum Pharisæi, venit ad Populum Iudæorum, vnde ipse ait *non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt*

domus

domus Israel. Sed quare venit? Vt manducaret cum illo, vt carnalibus, & spiritualibus cibis frueretur, & patris voluntatem operaretur in illo. Ipse enim dixit. *Meus cibus est, vt faciam* voluntatem patris mei, qui in cęlis est. Ad tempus enim conuersatus cum Iudæis legis, & Prophetarum cibum suscipiebat cum eis, & annonam diuini eloquij ministrabat eis. Hoc autem cognouit mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, hoc gentilitas intellexit, quæ in huiusmodi mundi amplissima ciuitate conuersabatur. Et quid egit? Vis audire quid? Attulit alabastrum vnguenti. Per quod nihil melius, quàm pectus, & cordis secretarium plenum fide, & charitate intelligere possumus. Tale enim alabastrum huiusmodi vnguentum seruare consueuit, id ipsum enim significauit, & Regina Austri, quæ veniens à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, pretiosissima ei aromata secum attulit. Nullum autem vnguentum, nulla aromata sic Domino reddent, sicut fides, & charitas, cęteræque virtutes, & stans retro secus pedes eius lacrymis cępit rigare pedes eius. In eo enim, quod retro mulier stat, deuotio, & humilitas agnoscitur. In eo verò quod lacrymis pedes rigat, vera sapientia, & cordis compunctio demonstratur. Et quoniam easdem lacrymas capillis tersit, & tergendo ne videantur, abscondit, & delet, sese vtique de illis non esse ostendit, *qui omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus.* De quibus Dominus ait, *quia receperunt mercedem suam.* Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. In osculo enim pacem, amorem, & dilectionem monstrabat, in vnguento verò cordis intima blandimenta, & deuoti obsequij affectionem significabat. Huic autem vnguento illud oleum contrarium est, de quo dicitur. *Oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum.* Quam similis est iste Pharisæus illi alij, de quo alibi dicitur. *Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus pharisæus, & alius publicanus.* Qui in sua iustitia confidens superbè stãs hæc apud se orabat. *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cęteri homines. Raptores, Iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* Sicut enim ille illum publicanum, ita & iste istam peccatricem mulierẽ horrebat, & despiciebat; vnde & subditur. *Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens, hic si esset propheta sciret vtique quę & qualis esset mulier, quæ tãgit eum, quia peccatrix est.* Nescis pharisæe stulte, nescis. Nuper te mundauit lepra, quem modo non credis esse prophetam. Et propheta quidem est, & optime scit, quæ, & qualis sit mulier, quæ eum tangit, & quia peccatrix est. Ad hoc enim ipse venit, ad hoc ipse descendit. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hoc ipse testatur. Eius verba sunt hæc. Non horret igitur peccatores, qui pro peccatoribus factus est homo. Et respondens Iesus, dixit ad illum. *Simon habeo tibi aliquid dicere.* At ille ait. *Magister dic. Duo debitores erant cuidam feneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta. Non habentibus illis, vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit, æstimo quia hic, cui plus donauit. At ille dixit ei, rectè iudicasti.* Valde enim iustum & rationabile est, vt ille plus diligat, cui plus donat. Illud quoque æquum esse videtur, vt quis plus diligit, magis ametur. Meritò igitur hanc peccatricem mulierem Dominus diligebat, a qua se multum diligi sciebat. Ideo enim dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Vide ergo quàm pulchra similitudo de eo, qui plus, & de eo, qui minus debebat, in qua pharisæus secundum suam responsionem intelligere poterat, quia minus ipse, quàm Maria Christum diligebat, si quidem se nec tantum debere, nec tantum sibi, quantum illi dimissum esse credebat. Vnde & subditur. *Et conuersus ad mulierem dixit Simoni. Vides hanc mulierẽ? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propterea quod, dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ad mulierem conuersus est Dominus, quia de muliere locutus erat. Sed quid ait. Vides, inquit, mulierem hanc? Non talis est, qualis eam arbitraris. Aliter videtur à me, & aliter videtur à te. Tu exterius, ego interius, tu in facie, & ego in corde video, mihi eius fides, eius amor non est occultus. *Intraui in domum tuã, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos.* Quantum igitur interest inter aquam & lacrymas, tantum interest inter tuum, & illius amorem. Sed hæc propter litteram aliud significare videntur; neque enim credibile est, eum, qui Christum ad conuiuium inuitauerat, eius pedibus aquam dare noluisse. Diximus enim per pharisæum Iudæos, per mulierem Gentiles significari. Christi verò pedes eius humanitatem, sicut eius caput ipsius diuinitatem significat. Hoc enim Apostolus ait. *Omnis viri caput Christus, Christi caput Deus.* Christi igitur Iudæi pedibus aquam non dant, neque eos lauant, immo verò quantum possunt, sordidant, & deturpant, quia Saluatorem nostrum cum iniquis deputantes vitiorum puluere, & terrena contagione iudicant esse pollutum. At verò Apostolus Petrus Christi pedes lauabat, cum de eo diceret, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Nemo enim sic lotus, nemo sic mundus, sicut ille, qui sine peccato est. Vnde & Ecclesia iam baptizata, & à peccatis mundata dicit. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Nos autem non solum aquam, sed & lacrymas Christi pedibus damus, quia eius humanitati nos humiliter inclinamus, & inde peccatorum veniam expectamus, eamque adoramus, & veneramur, & cum lacrymis deprecamur. Sequitur, *Osculum mihi non dedisti, hæc ex quo intraui non cessit osculari pedes meos.* Osculum enim pacis, & dilectionis signum est. Osculum igitur Iudæi Christo Domino nostro non dederunt, quẽ gratis, & sine causa odio habentes vsque ad mortem persecuti sunt. Vnde ipse ait, *quia odio habuerunt me gratis.* Gentiles verò eius pedes osculari non cessant, quia ab eius amore non separantur, & in ipsius nominis confessione mori non timẽt. Quodammodo enim Christi martyres osculabantur cum Deum eum confitentes, & bene de eo loquentes moriebantur pro eo. *Oleo caput meum non vnxisti; hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Maiorem igitur reuerentiam Christi humanitati ferunt Gentiles, quàm eius diuinitati aliquando Iudæi exhibuissent. Ipsi eum neque Deum esse, neque Sancti Spiritus gratia innixum credunt, nos autem secundum humanitatem omni virtute, & gratia plenum esse confitemur. Dicentes cum Psalmista. *Dilexisti Iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. In ipso enim,* vt Apostolus ait, *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Hoc enim Apostolus dicens, eius vtique corpus eius humanitatem, & pedes vngebat. Audiamus igitur quid illi beatissimæ mulieri, audiamus quid in eius figura gentium Ecclesiæ pro huius tantæ seruitutis obsequio Dominus dicat. Dixit autem ad illam. *Mulier remittuntur tibi peccata.* Vide ergo quid lachrymæ possint, vide quid fides, & dilectio operetur; Paruo temporis spacio iustificata est mulier, & ab omni peccato mundata, quæ tam peccatrix fuerat, vt eam videre pharisæus dedignaretur. Nemo igitur desperet, nemo de Domini misericordia diffidat. Clemens est Dominus, qui ex corde conuersis tam facilè miseretur.

FERIA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium, & dicebant, quid facimus? Quia hic homo multa signa facit.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

AVdierant Pontifices, & Pharisæi, Saluatorem nostrum Lazarum quatriduanum resuscitasse, cuius miraculi magnitudine territi inter se consiliantes dicebant. *Quid facimus, occidamus Iesum.* Quare? *Quia multa signa facit. Si enim dimittimus eum sic, omnes credent in eum videntes signa, & virtutes, quæ fiunt per eum. Quod si fecerint, venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Timebant enim, ne regem eum constituerent, & ob hoc contra se Romanorũ

exer-

exercitum concitarent, quorum Imperio sicut cæteræ gentes Iudæi quoque subditi erant. Sed sicut Psalmista ait: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Si enim Christo obedissent, si Iesum non occidissent, nec locum, nec gentes amisissent. Sed quia Christum occidere, non timuerunt, & locum, & gentem perdiderunt. *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine cum esset Pontifex anni illius dixit illis. Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hoc autem ait Euangelista, a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, Prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Vos, inquit, *nescitis quicquam, neque cogitatis ea quæ necessaria sunt. Ego autem scio, & cognoui, quid necesse est, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Hæc autem non dixit a semetipso, sed a Spiritu Sancto, qui aliter, quem ipse intelligebat, verba illius dirigebat in ipso, aliud Caiphas se dicere putabat, atque aliter sua verba intelligebat. Tota enim intentio erat ? vt Iudæi Christum occiderent, Prophetabat tamen, quod Iesus moriturus erat pro Iudæorum gente, & non tantum pro illa gente, sed vt filios Dei. qui vbique gentium dispersi erant, in vnam fidem, & Ecclesiam congregaret, vt fieret vnum ouile, & vnus pastor. Ab illo itaque die cogitauerunt, vt interficerent eum. Quasi enim vtili accepto consilio, ex quo Caiphas hæc locutus est, tota illa Phariseorum multitudo, quomodo Christum interficerent, cogitabat. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum in Ciuitate, quę dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Hoc enim non timore fecit Iesus, qui vbique securus erat, qui ipsos suos inimicos in potestate habebat, qui nec videri, nec teneri, nec occidi posset, si nollet. Quare ergo? Vt nos doceret, vt prouidos redderet, vt nos quoq. iniquorum hominum furori, et iræ cedamus, si eos fortasse nostra præsentia, & allocutione non corrigi, sed deteriores fieri videamus. *Proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hyerosolimam de regione ante pascha, vt sanctificarent se ipsos.* Hoc pascha miseri Iudæi cruentum habuerunt, hoc regem, & Dominum suum interfecerunt, hoc multi Hierosolymam confluxerunt. Et qui se ipsos sanctificare venerant, Christo Domino interfecto valde deteriores ad propria remearunt. Quęrebant ergo Iesum, & colloquebantur in templo stantes. Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Quærebant, inquit, Iesum, & ideo quærebant, quia eum occidere volebant. In templo stabant, non orabant, Sed de Saluatoris morte tractabant. Mirabantur, quia non venerat ad diem festum, qui eos docere solebat in diebus festis, & eum perdidisse timebant, quem occidere quærebant. Dederant autem pharisei pontifices mandatum, vt si quis cognouerit, vbi sit, indicant, vt apprehendant eum. Qui enim ita quærunt Iesum non possunt scire, vbi sit, neque inueniunt eum. Si vultis scire Iudei, & inuenire, venite ad ecclesiam, venite ad nos, & indicabimus eum vobis, non prendendo sed credendo, non vt eum occidatis, sed vt nobiscum in eum credatis.

SABBATO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum,* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

STulti Iudęi, eum occidere volebãt, quem nuper Dominus suscitauerat, ac si eum iterum resuscitare non posset. *In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum cum audissent, quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei.* Rami palmarum victoriam significant, quam Dominus illis diebus de hoste triumphans suscepturus erat. Palma enim scripturis sæpissimè pro victoria ponitur, & clamabant *Osanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Osanna, interiectio est, nihilq. aliud significat, nisi quendam populi affectum congratulantis, & Deum laudantis. Venit autem Dominus in nomine Domini, secundum quod ipse ait, *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, alius veniet in nomine suo, & illum accipietis. Et inuenit Iesus asellum, [illegible] super eum,* sicut scriptum est. *Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ:* hæc autem in me[illegible] exposuimus. De hac enim asina, & pullo Iacob patriarcha [illegible]quitur dicens, *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua [illegible] ceruicibus inimicorum tuorum catulus leonis iuda, ad prędam fili mi ascendisti. Accubuisti vt leo & quasi leæna, quis [illegible] sabit eum?* Et paulò post ligans ad vineam pullum [illegible] ad vitem, *o fili mi asinam suam*, Hec enim asina [illegible] est, quæ alio nomine vocatur vinea. Pullus verò popul[illegible] tium indomitus, & lasciuus. Vitis autem Christus qu[illegible], ego sum vitis vera. Ligauit ergo ad vineam pullum suum, quia gentilem populum sinagogæ coniunxit, vt fieret vnu[m] ouile, et vnus pastor. Sed quia prius secundum quand[am] partem sinagogam sibi coniunxerat, asinamque ligau[it] ad vitem. Per se enim sinagogam, & per sinagogam nos pr[æuen]it, & prædicando nos sinagogæ, sibique ligauit. Sequitur. *Hęc cognouerunt discipuli eius primum,* Sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei, quid hæc significarent, non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est, idem [post]quam cælos ascendit, post quam eorum sensum aperuit, [vt] scripturas intelligerent, tunc recordati sunt, quia hec [erant] scripta de eo, & quia hec fecerũt ei nõ alio modo, nisi eo [quod] ante per Prophetã fuerãt pronũtiata de eo. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum a mortuis. Propterea & obuiam ei venit turba, quia audierant eum fecisse hoc signum. Miraculis igitur trahebantur, qui verbis non m[oue]bantur. Pharisæi ergo dixerunt inter se, & ad semetipsos *Videtis, quia nihil proficimus. Totus mundus post eum abit.* [Nihil pro]ficimus, inquiunt, & non proficimus. Totus mundus post eũ vadit, cuius nomen delere cogitamus. Quæ sunt enim iste voces, quæ in eius gloria resonant? Quid est hosanna filio D[au]id? Quid est quod populus dicit, *benedictus, qui venit in nomine Domini.* Proximum est, vt rex ab omni Populo constituatur, & Romanis venientibus locus iste funditus destruatur. Erant autem gentiles quidam ex his, qui ascenderant, vt adorarent in die festo. De talibus enim fuit centurio, de quo ipse Dominus ait, *Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel*, hi ergo accesserũt ad Philippum: qui erat a Beth[saida] Galileę, *& rogabant eum dicentes. Domine volumus [Iesum] videre.* Et Iudæi, & Gentiles quęrunt Iesum. Iudæi vt perdant, gentiles vt credant. Venit Philippus, & dicit Andr[eæ] Andręas rursum, & Philippus dixerũt Iesu. Iesus autem re[spondit] eis dicens. *Venit hora, vt clarificetur filius hominis.* [Mo]do, inquit, occideris filius hominis, modò eum, inquit, [occide]bitur, modò sol Iustitiæ obscurabitur, sed venit hora post [quam] vt clarificetur, & non tantum ab his, sed à cunctis gentibus adoretur. Hoc autem factum est, post Christi resurrectionem vbique Apostolis prædicantibus Christi nomen in signis, & miraculis declarantibus *Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hoc enim illud granum frumenti, quod virgo inarata terra produxit, de quo Psalmista ait. *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Huius autem grani immensa multiplicatione, omnia ecclesię horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipse Dominus ait, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi:* cõstat autem hoc ad

literam

Iterum verum esse, quod frumenti granum, si in Area seruatur, non crescit, si autem seminetur, si in terra soluatur, & moriatur, multum fructum affert. *Qui amat animam suam perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Hoc enim Dominus non dixisset, si animas nostras, & bene, & male odisse non possemus. Ipse enim exponit, quid sit male amare, & ipse exponit quid sit bene odisse. Malè enim amat animam suam, qui in hoc mundo, qui propter hunc mundum, & propter hanc vitam præsenté eam amat. Iste enim perdet eá, quia sic amando æternæ morti, & perditioni tradet eam. Qui enim bene animam suam sic eam amat, vt in æternum viuat, non vt breui tempore delicijs viuat. Vnde & in vitam æternam eam custodit, qui sic in hoc mundo animam suam odit. Ille enim animam suam, & vitam suam odisse videtur, qui mori non timet, qui Ieiunijs, & vigilijs, qui paupertate, & nuditate, alijsque similibus eam affligit. Ille denique, qui sic animam suam amat, vt eam si necesse sit pro Christi fide ponere nolit, perdet eam. Qui verò sic odit, vt eam in tali necessitate ponere non recuset, in vitam æternam custodit eam. *Siquis mihi ministrat, me sequatur*, vt sicut ego pro ipso, ita & ipse si necesse fuerit, pro me moriatur. Sequi enim imitari est. Ministrant enim Domino non solum Episcopi, & Sacerdotes, cæterique illius ordinis verum etiam qui facit eleemosynas, vestit nudos, visitat infirmos aliosque his similia misericordiæ, & pietatis opera facit, Domino ministrat. Vnde ipse quoque Dominus ait. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, ostendens eos ministrare sibi, qui ipsius membris ministrant. Sed quid eis sibi ministrasse proderit? Sequitur, *& vbi ego sum, illic, & minister meus erit*. Dicit fortasse non hoc tibi sufficit, audi quod sequitur, *si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus*: magna gratia, immensæ diuitiæ. Beatus ille, quẽ Deus honorificabit, ille enim ditabitur illis bonis, *quæ oculus non vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*, denique ibi erit, vbi ipse est, quo melius vnquam habere potest? Hoc enim psalmista desiderans ait: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæculũ sæculi laudabunt te*: Itemque, *vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: Et Apostolus. Cupio, inquit, *dissolui, & esse cum Christo*. Sequitur. *Nunc anima mea turbata est: & quid dicã? Pater saluum me fac ex hac hora. Sed propterea veni in horã hanc. Pater clarifica nomen tuum*. Dixit superius, venit hora vt clarificetur filius hominis. Nunc autem dicit, quod anima eius turbata est. Sed vnde turbata, nisi quia ex ipsa sua clarificatione multos vbique terrarum non solum turbari, verũ etiam flagellari, & occidi, cunctisque tormentorum generib. affligi videbit? Quis enim in eum credidisset, si clarificatus non fuisset? Nisi cum a mortuis resurrexisset, Cælos ascendisset, tantaque fidelis sui in ipsius nomine miracula fecissẽt, nemo in eum credidisset. Dicat ergo nunc anima mea turbata est, non meæ mortis timore, sed meorum fidelium compassione. Homo enim sum, & humanis affectionibus moueor. Et quid dicam, cum pro meo nomine fideles meos sic affligi & cruciari videam? Pater saluum me fac, salua membra mea salua, & custodi fideles meos, ex hac hora, ex hoc tempore meæ passionis, & illorum perturbationis. Simul enim & passio Christi, & Ecclesiæ persecutio cœpit, quia dum ipse capitur Apostoli fugiunt, Petrus negat, & scandalum patiuntur ... nes. Sed propterea veni in horam hanc, vt ex hac hora fideles mei saluentur, & meo sanguine mundentur. Tu verò ... clarifica nomen tuum. Vt me die tertia resurgente cla... & manifestum fiat, quod tu Pater, & ego filius vocor. Si ... cognouerint nomen meum, cognoscent & nomen tuũ. ... scent, & nomen meum, quia pater sine filio esse non ... st. Venit ergo vox de cœlo, & clarificaui, & iterum clarificabo. Clarificaui per miracula, iterum clarificabo per ... ctioné, & ascensioné clarificabi paucis, clarificabo multis, ... eum clarificabo omnibus. Pauci enim fuerunt illi, qui ... dicentem audierunt, *hic est filius meus dilectus*. Multi ... sunt, qui Dei filium eum esse credunt. Sed hoc in iudicio plenius declarabitur, quando omnis lingua confitebitur, *quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris*. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat, *tonitruum factum esse*. Alij dicebant. *Angelus ei locutus est* Illi igitur, & illi vocem audierunt, sed neque illi, neque illi eam intellexerunt. Respondit Iesus, & dixit. *Non propter me vox hæc venit, sed propter vos*, Nulla enim tali collocutione indigebat, qui patris voluntatem per omnia sciebat. *Linguæ enim*, vt ait Apostolus. *in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eicietur foras*. Hoc enim in iudicio agitur, vt bonum à malo, & iustum ab iniusto discernatur, Ex eo igitur tempore mundus iudicari, & iudicare cœpit, ex quo Christi doctrinam suscepit, quia tunc primum veritaté a mendacio discernere nouit. Ex tunc princeps mũdi huius, idest Diabolus rex, & Dominus iniquorum eiectus est foras, non vtique de mundo, sed foras de populo Baptismate mundo. Quem Christus suo sanguine lauit, & Baptismatis aqua mundauit. *Et ego si exaltatus fuero a terra omnia trahã ad me ipsum* ille inquit, eiectus foras amittet principatũ, ego autem exaltatus ad meipsum omnia traham. Omnia videlicet, quæ trahenda sunt. Hoc autem dicebat, ait Euangelista, *significans qua morte erat moriturus*. Respondit ei turba. *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hominis?* Videntur Iudæi hoc in loco intellexisse, quid hac tali exaltatione Dominus significauerit, dum intelligunt eum, qui sic exaltatur, non posse manere in æternum. Dixit ergo eis Iesus: *Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, credite in lucem vt filij lucis sitis*. Adhuc, inquit, modicum lumen intelligentiæ in vobis est, dum nescitis, quis sit iste filius Hominis. Illi enim soli illuminati sunt, qui eum cognoscunt, & qui eum esse credunt filium Dei, & filium hominis. Ambulate, & festinate, currite ad lucem, dum potestis, dum proxima est, dum eam videtis, & ante oculos eam habetis, vt non tenebræ erroris, & mortis vos comprehendant, qui enim ambulat in tenebris ignorantiæ, & erroris, nescit, quo vadat. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. Ergo dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis, hæc locutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis*. Et hoc quidem significatio est. Ideo enim Dominus tũc ab eis se abscondit, quia vsque hodie ab eis nó inuenitur. Quotidie enim in lege, & Prophetis loquitur eis, & tamen non inuenitur ab eis, & hoc erat, ꝙ significabat, quãdo se abscõdit ab eis.

DOMINICA IN PALMIS.

Passio D. N. Iesu Christi secundum Matthæum.

IN illo tempore *Cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos dicens eis, ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite, & adducite mihi*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DVos discipulos suos ante se Dominus mittit, per quos duo testamenta intelligimus, hos enim discipulos ipse docuit. Hæc duo testamenta ipse edidit, omnisque sapientiæ, & scientiæ plenitudine ea repleuit. Sapientes sunt isti discipuli, & à sapientissimo Magistro instructi, sine quibus diuina nemo sapiens inuenitur. Hos ante se Dominus mandat, isti pullum, & asinam soluunt, eosque solutos ad eum ducunt. Sed quid per asinam, nisi Synagoga? Quid per pullum, nisi gentilis populus figuratur? Illa enim à Prophetis domita, & legis pondere onerata erat Hic autem lasciuus erat, & indomitus, supra quem nullum hominum sederat vnquam, vterque autem ligatus erat, vnusquisque solutione indigebat, non poterat solui ab vno, soluitur à duobus, nemo enim nisi vtriusque testamenti fide, & doctrina à peccatorum vinculis liberatur. Sequitur. *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus*

Iesus

Iesus opus habet, & confestim dimittet vos. Dicitur, inquit, Iesus opus habet, non qualiscunque Dominus, sed horum quoque, & omnium Dominus, vnde & sine adiectione dicitur, Dominus, in eo quod Dominus dicitur, & non additur, cuius omnium Dominus esse ostendit, quis igitur tenere audeat, quos omnium Dominus soluere iubet. Hoc autem factum est, vt adimpleantur, quæ scripta sunt per Prophetam dicentem. *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Exposuit Euangelista, cur Dominus omnia hæc facere voluerit, ne forte inconueniens, & indecens hos alicui esse videretur, vt in illo tam paruo itineris spatio, quasi fatigatus super asinum Dominus sederet. Alij enim Euangelistæ non super asinam, & pullum, sed super pullum solum Dominum Christum sedisse narrant. Matthæus autem suo more non rem ipsam significatione consequens, simul cum Propheta, eumq. super vtrumque sedisse dicit. Corporaliter enim super pullum, spiritualiter autem super vtrunque Dominus sedit. Qui enim intelligit quid vtrq. significet, intelligit etiam quomodo in vtroque Dominus sedeat: anima enim Iusti sedes est sapientiæ. *Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Iesus, & adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Si enim vt superius dictũ est duo isti discipuli duo testamenta intelliguntur, quæ erunt eorum vestimenta, nisi singulæ sententiæ, quibus ornantur, & vestiuntur? Si igitur Christum portare, & eius asinus esse velis, necesse erit, vt his sententijs vestiaris, & hac doctrina, & fide orneris. His enim vestibus induitur anima, his ornatur, & decoratur. Nuda enim & paupercula est, quæ his inducta, & ornata non est. *Plurima autem turba, strauerunt vestimenta sua in via.* Testamenta quidem duo sunt, testamentorum verò libri plures sunt. *Plurima igitur turba*, idest omnis Patriarcharum, & Prophetarum multitudo vestimenta sua in via strauerunt, viam Domino parauerũt, & fidem suam alios docuerunt. *Alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* Isti enim alij Apostoli sunt, & doctores. Isti de singulis prophetarum libris, quasi de quibusdam arboribus ramos cædunt, sententias exponunt, & viam parant, & sternunt, per quam Christi animalia incedere debeant; & bene isti ramos de arboribus cædere dicuntur, quia non suam sed aliorum doctrinam exponunt, & prædicant. *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes. Hosanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini Hosanna in altissimis.* Turbæ enim præcedentes, & sequentes vtriusque testamenti populi sunt. Ambæ igitur clamant, quia vterq. populus Christum prædicat, & benedicit. Quid enim aliud significat hosanna filio Dauid, nisi gloria, laus, & honor filio Dauid? Siue etiam salus sit nobis à filio Dauid. Quamuis enim hæc vox certam significationem non habeat, laudem tamen potius significare videtur, quæ in ore totius populi ad Christi laudem, & gloriam personabat.

Passio D. N. Iesu Christi secundum Matthæum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

NVnciat Dominus pasca, post biduum, nunciat, & passionem suam, vt in pasca occidatur, qui per pasca significabantur: tota enim illa festiuitas per tot annos antea celebrata nihil aliud nisi Christi passionem significabat. Meritò igitur simul eueniunt, & significatio, & significatum. Meritò illa, & non alia die iam tandem morti traditur, qui per singulos annos in huius facti significatione illa die immolabatur. Pasca enim, siue phase transitus dicitur, siue quia Dominus transiens per Castra Ægyptiorum, omnia eorum primogeniti interfecit, siue etiam quia tunc Saluator noster trãsiuit ex hoc mundo ad patrem. Vnde Ioannes ait. *Sciens Iesus, quia venit eius hora, vt transeat de hoc mundo ad patrẽ, cum dilexisset suos in finem dilexit eos.* Hæc autem solemnitas septem diebus celebrabatur, de qua in Exodo sufficienter diximus: *tunc congregati sunt principes Sacerdotum & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.* Sic enim per singulos annos omnes Iudæi conuenire solebant, vt in hac solemnitate vnum hædum immolarent, ita & nunc omnes colliguntur in vnum, vt Christum dolo teneant, & occidant, quẽ ille hædus significabat, de quo scriptum est. *Iuxta quem ritum tolletis hædum, & immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel ad vesperum.* Cui enim non videretur esse ridiculum, vt sexcenta millia hominum, & eo amplius, in vnum conuenirent, vt vnum hædum [illegible] ficerent? numquia hoc tam magnum Sacramentum in illo facto significabatur? *Dicebant autem non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Timebant enim, ne populi seditione de illorum manibus Christus tolleretur, qui illuc ad diem festum vndique conuenerat. *Cum autem esset Iesus in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Simon iste leprosus fuerat, quem iam antea sanauerat Dominus. Hæc autem mulier vtrum eadem sit, quæ lacrymis pedes eius rigauit, an alia non contendo. Mihi tamen non videtur inconueniens, si ad Christi caput vngendum accessit, cui iam Dominus peccata dimiserat, dicens. *Mulier remittuntur tibi peccata tua.* Hoc autem vnguentum alius Euangelista spicatum, alius pisticum vocat. Et spicatum quidem dicitur ab ea specie, quæ spica nardi vocatur. Pisticum autem, fidele interpretatur. Cui illud contrarium est, de quo dicitur. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Manifestum est igitur, quod vtrumque significet. *Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes. Vt quid perditio hæc? Poterat enim hoc venundari multa, & dari pauperibus.* Hoc autem solum Iudam dixisse Ioannes Euangelista narrat. Et hoc fortasse quia plus cæteris locutus est, quamuis, & cæteris hoc idem displicuisset. Et cæteri quidem propter pauperes, Iudæ verò, quia fur erat, & loculos habebat. Quia enim huius rei significatum non intelligebant, inutilitatem eis fieri videbatur. *Sciens autem Iesus ait illis? Opus enim bonum operata est in me.* Sciens enim Iesus, quid hoc significaret, defendit, & laudat mulierem de opere bono. *Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Hoc de præsentia sui corporis dicit, quia illi modicum secum habitaturus erãt. *Mittens enim hoc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Significatio est non perditio. In proximo enim passurus sum, ideoque hæc mulier hoc vnguentum mihi obtulit ad sepeliendum. Mos enim antiquitus fuit, vt nobilium corpora sepelienda vnguentis pretiosissimis vngerentur, vt cum aromatibus sepelirentur. *Amen dico vobis vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Vos, inquit, insipientes pro eo facto eam reprehenderitis, pro quo ipsa laudanda est in vniuerso mundo. *Tunc abijt vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Scarioth ad Principes sacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerant ei triginta argenteos. Exinde quærebant opportunitatem, vt eum traderet.* Hoc enim totum a prophetis pronunciatum fuerat, & quod à discipulo traderetur, & quod triginta argenteis venderetur. Vnde Psalmista. *Homo pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem,* Et Alibi. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, decorum pretium, quod appretiatus sum a filijs Israel.* Decorum autem pretium ironicè dixit, quia indecor, & inconueniens erat, vt mundi Saluator tam vili pretio venderetur. *Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere Pasca?* Pasca enim hoc in loco agnum illum vocant, qui in pasca immolabatur, quem nocte illa comedebant in azimis, & lactucis agrestibus, At Iesus dixit. *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei. Magister dicit, tempus meum prope est apud te facio pasca cum discipulis meis.* Iste enim quidam non parui meriti fuisse credendus est, apud quem nõ

solum Pascha Dominus facit, verum etiam suæ passionis reuelat archanum. Dicens ei *tempus meum prope est. Et fecerunt discipuli sicut præceperat illis, & parauerunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum illis duodecim discipulis suis, & edentibus illis, dixit. Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati sunt valde, & cęperũt singuli dicere. Numquid ego sum Domine? At ille respondens ait. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Prius dixit vnus vestrum me tradet. Deinde dubitantibus omnibus, & vno quoque timente pro se: sciebant enim eum mentiri non posse, manifestans ostendit eum dicens. Qui intingit mecum manum in parapside hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur*, & illi essel per quem traderur. Vtique enim præuideat Deus, & mortem suam, & iniquitatem proditoris sui. Vtrumque ergo prædicare voluit, vt eo Apostoli sui quisque caueret, & perditionem facere timeret. *Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille*. Simplici sermone et vulgari locutione loquitur, non quod bonum, vel malum illi sit, quod omnino non est. Nisi forte quos subtilius intelligere velit, vt formato corpore, & suscepta anima si Iudas in matris vtero priusquam nasceretur, moreretur, melius illi esset, quam vt ad hoc tantum scelus peruenisset, quoniam, & si beatitudinis gloriam non haberet, pęnam tamen perditionis non sustineret. Credimus enim omnes homines etiam non natos resurgere, quibuscũque concessum est, vel ad horam viuere. *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum dixit, numquid ego sum Rabbi?* Ait illi, tu dixisti. Ecce miser vides Dominum omnia scire, nec tuam conscientiam eum latere: cessa igitur, & confitere. *Cænantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit, deditq. discipulis suis, & ait. Accipite, & comedite hoc est corpus meum*: Exponit Dominus hoc in loco quod figurauit cum alibi diceret: *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ecce sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Panem, & vinum virtute ineffabili in sui corporis, & sanguinis substantiã conuertit. Sic enim tunc viuebat, & loquebatur, & tam a discipulis comedebatur, & bibebatur, ita & mundo integer, & incorruptibilis manet, & a fidelib. suis in panis, & vini sacramento quotidie bibitur, & manducatur. Nisi enim panis, & vinum in eius carnem, & sanguinem verteretur, nũquã ipse corporaliter mãducaretur, & biberetur mutatur enim ista, & illa comeduntur illa, & istis quilibet fiat ipse solus nouit, qui omnia potest, & omnia nouit. Dixit enim tũc ipse per se, dicit & modo per suos ministros *Hoc est corpus meũ*, & tãta est eius verbi virtus, & efficacia, vt statim fiat, quod dicitur. Similiter autẽ dũ dicit, *hic est sãguis meus*, mox in eius Sãguinem vinum conuertitur. *Et accipiẽs calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui, & eterni testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic inquit, est sanguis meus, qui effundendus est, non alius iste, & alius ille, sed vnus, idemque iste, & ille. Cras igitur fundetur ex hoc meo latere, quem vos modò bibitis, & videtis in calice. Aliter enim testamentum nouum confirmari non potest. Et hoc est quod Apostolus ait. *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Sanguine igitur vetus testamentum, sanguine dedicatur, & nouũ. Sed illud quidem sanguine hircorum. Hoc autem sanguine Christi. *Dico autem vobis. Non bibam amodo de hoc geniminе vitis vsque ad diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei*. Regnum Dei ecclesia est, in qua vinum vetus nõ bibitur, nec vetus doctrina suscipitur. Quia non ad litteram, sed spiritualiter scriptura intelligitur. In hac igitur Christus vinum nouum bibit nobiscum, quia in nobis manens, in nobis esurit, & sitit, in nobis cibatur, atque potatur. Sic enim ipse ait. *Esuriui, & dedistis mihi bibere*. Ipse enim secundum se iam nunc, neque esurit, neque sitit, neque manducat, neque bibit. Spreto igitur vino veteri, vinum nobiscum in Ecclesia bibit, qua repulsa Iudæorum fide, atque doctrina, nostram fidem, & doctrinam recipit. Quasi enim de vno vino bibimus, dum vnam fidem, & doctrinam tenemus. Lucas antẽ duos Calices ponit; duo significant testamenta, & de primo quidem calice dicitur, *non bibam amodo de hoc geniminе vitis*, vt intelligamus, verum testamentum iuxta litteram esse completum. Vnde et mox subditur, *donec bibam illud vobiscum, in regno Dei. Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti*. Meritò enim post talem refectionem hymnum dicunt, & in montem Oliueti ascendunt, quoniam qui Christi carne, & sanguine reficiuntur, Deum laudare, & montem pacis ascendere digni sunt. Tunc dicit illis Iesus, *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Scandalum enim dubitationis passi sunt, dum eum quasi impotentem teneri, ligari, & flagellari viderũt. Scriptum est enim *percutiã pastorẽ, & dispergentur oues gregis*, Scripturæ testimonium probãt, quod dixerat Nã & Psalmista ait. *Quoniã quẽ tu percusisti persecuti sunt*. Percussit enim pater filium, quia sic ipse ait, *non haberent in me potestatem, nisi hoc eis esset datum desuper. Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam*. Hæc enim prophetia consolatione plena est. In Galilæam eos præcedit, idest in patriam eorum, omnes enim Galilæi erant, significans se tandem illos ad meliorem patriam ducere. Respondens autem Petrus ait illis, *Et si omnes scandalizati fuerint in te ego numquã scandalizabor.* Non enim putabat Beatus Petrus, vt alicuius persecutionis timore suæ fidei, & dilectionis flammam extingui potuisset. *Ait illi Iesus. Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabit. Ait illi Petrus. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Similiter, & omnes discipuli dixerunt Nemo igitur in se, nemo in virib. suis cõfidere potest. Omnis constantia omnis virtus, & fortitudo non hominis, sed Dei est. *Tunc venit Iesus cum illis in villa, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis; Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Ista enim Gethsemani vallis pinguium interpretabatur, illuc Dominus oraturus venit, vt ex ipsa loci appellatione ostenderet, quanta pietatis, & misericordiæ pinguedine abundaret, qui pro suis inimicis patrem oraret. *Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedei cępit contristari, & mæstus esse*. Quod enim Dominus orat, quod contristatur, & mæstus fit, omnia ad hominem referenda sunt. Hoc autem tribulatio discipulis testibus agit, siue vt nos doceret pro inimicis orare, siue etiam vt se ostenderet eos Iudæos velle saluare, si voluissent Vnde, & rursum loquitur, dicens. *Quoties volui congregare filios tuos sicut Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* nemo enim saluabitur qui saluari non vult. Tunc ait illis. *Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic, & vigilate mecum*. Tristis est enim Dominus de perditione Iudæorum. Sed hæc tristitia, cito finitur, quoniam mors proxima est. Vsque ad mortem itaque tristis est, quia post mortem nulli tali subiacet passioni. Vt enim de Domino taceamus, nemo istorum post resurrectionem tristitiæ, & dolori subiacebit. Alioquin beati non essent. Qui enim aliquo indiget, vel sui voti compos nõ est, beatus dici non potest. Tristis vero lętitia indiget, & tristitia carere desiderat, non est igitur tristis Beatus. *Sustinete hic, et vigilate mecum*. Mecum vigilate, mecum hoc onus sustinete, & quid me pro meis inimicis facere videns, hoc & vos facite pro inimicis vestris. Aliter enim non eritis hic idẽ in villa Gethsemani, in loco pinguedinis, & misericordiæ. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans & dicens. Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste*. Separatur a discipulis, pusillum progreditur, in faciem procidit, quatenus nos doceat, quid in nostris orationibus agere debeamus. Nemo autem putet timore mortis eum orare, vt calix passionis ab eo transferatur, cum Petro de passione dissuadenti dicat, *vade retrò Satana, scandalum es mihi, quia non sapis, quę Dei sunt*. Non enim absolutè orat vt calix ab eo transferatur, sed calix iste, quia & si pro salute mundi mori venerat, a Iudæis tamen, si fieri posset, occidi nolebat. Pater verò è contra ab illis eum occidi volebat, qui alijs omnibus nequiores erant. Quatenus ad suæ damnationis

cumulum hoc addidissent, qui vtique damnandi erant, etiã Christum non occidissent. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* His autem verbis aperte ostendit, se non diuinitatis, sed humanitatis affectu, omnia illa fuisse locutum, quoniam vna, eademque voluntas est ei cum patre, secundum diuinitatem. *Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dixit Petro. Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* Sic itaque agitis, sic mei memores estis, sic mecum vigilatis? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Ille enim intrat in tentationem, qui iam quasi victus ipsa tentatione tenetur illaqueatus. Aliud igitur est tentari, aliud in tentationem intrare. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Quamuis enim anima tentationibus patenter resistit, caro tamen, quæ illam grauat, infirma, & fragilis est, nisi oratione, & attenta sollicitudine roboretur. *Iterum secundo abijt, & orauit, dicens. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Si enim potest, inquit, fieri, vt me Iudæi non occidant, & sic in tua positum est voluntate, fiat voluntas tua. Voluntas igitur patris fuit, vt Christum Iudæi interficerent. Quia enim pro salute mundi moriturus erat, aliqua gens eum occideret, oportebat. Oportebat enim pati Christum, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriã suam. Sed quæ alia gens Christum occidere debuit, nisi illa, quæ iniquior erat, & quæ plus ceteris eius sitiebat sanguinẽ. Deus enim neminem cogit ad peccandum, eos tamen peccare permittit, qui vehementer peccare desiderant. Vult igitur Deus, vt hi tales, quorum tota voluntas praua est ad malum, sanctos suos interficiant, quatenus & his maior pęna, & illis abundantior gloria crescat. Fit itaque in morte martyrum duplex bonum, quoniam & mali, qui etiam si eos non occiderent, tamen perituri erant, in eorum morte maiorem sibi pœnam acquirunt, & boni, dum pro Christi fide occiduntur, maiori gloria cumulãtur. Ac pro hoc voluit Deus pati, vt filium suum Iudæi interficerent, & quia iniquissimi erant, maximum scelus perpetrentur, quatenus nullam habeant excusationem, & maiori pęnę subijciantur, vt veniat super eos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram. *Et venit iterum, & inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati.* Somnus iste discipulorum Ecclesiæ somnum, & torporem significabat, quæ in magnis tentationibus sępe tabescit, & deficit, nisi Christi frequenti visitatione excitetur. *Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio, eundem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos, & dixit illis. Dormite iam, & requiescite. Ecce appropinquatur hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus, ecce appropinquat, qui me tradet.* Hæc enim non præcipiendo, sed redarguendo dicit. Non enim dormiendum, vel quiescendum, sed potius vigilandum est, & orationibus instandum magnis perturbationibus. Ideo que protinus eos excitans ait. *Surgite eamus.* Quod vtique non dixisset, si eos dormire, & quiescere voluisset. *Adhuc ipso loquente, Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladijs, & fustibus, missi a principibus sacerdotum, & senioribus populi.* Vbi enim ille, qui impetitur se defendere non vult, fustes & gladij necessarij non sunt, si enim Dominus se defendere voluisset, neque fustes, neque gladij ei resistere potuissent. Hoc enim ipse monstrauit, cum ad vnam responsionem eos prostrauit, vt enim dixit. *Ego sum. Abierunt retrorsum & ceciderunt in faciem suam. Qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens. Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum, dixit, aue Rabbi. Et osculatus est eum.* Hoc enim signum propter Romanorum milites, qui Christum non cognoscebant, proditor Iudas dedisse videtur. *Dixitq; illis Iesus. Amice ad quid venisti?* Amicum eum per contrarium vocat, qui ei inimicus erat. Sic & beatus Iob, benedicendo pro maledicendo posuit dicens. *(Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.) Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum, & ecce vnus ex his, qui erat cum Iesu, exemit gladium suum, & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Ille vnus Petrus Apostolus fuit, qui postquam Dominum suum teneri vidit, dolore commotus, se vlterius cohibere non potuit. Amputauit igitur auriculam serui principis sacerdotum, quæ nondum circumcisa fuerat, idcirco malis consilijs obedierat, vocabatur autem Mal[chus] seruus iste, qui regnaturus interpretatur. Soli enim illi [regna]buut, & viuent, qui aures circumcisas habebunt. Vnde & [cu]ius autem Dominus tetigisse, & sanasse ab alio Eu[angelista] dicitur. Quæ enim aures ab Apostolis, & doctoribus c[æ]duntur, illas Dominus tangit, & sanat. *Tunc ait illi Iesus. Co[n]uerte gladium tuum in locum suum, omnis enim, qui [acceperint] gladium, gladio peribunt.* Displicet Domino factum [Pe]tri, quoniam etsi bonum significabat, non tamen bono mo fiebat. Omnes enim qui acceperint gladium, idest qui iusta animi commotione aliquem interfecerunt, nisi [pœ]nituerint, gladio peribũt. Gladio vtiq; perpetuæ vltionis. O[m]nis enim pęna gladius vocatur. Beatus autem Petrus causam habebat, sed neque iuste neq; iniuste Dominus defendi volebat. Vnde & subditur. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Vos inquit duodecim [homines] estis, qui pro me vtcunque pugnare contenditis, ego autem volo plusquam duodecim legiones Angelorum subito h[abe]re possum. Quia igitur me non defendo, non est impoten[tia] sed voluntas. Si enim me defendero, nihil poterit aduer[sus] me. Quid nihil poterit, quomodo ergo implebuntur scriptu[ræ], quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus. *Tam[quam] ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere [me], quotidie sedebam apud vos docens in templo, & non me te[nui]stis.* Quod quidem non sine ratione, & Dei nutu eueni[sse E]uangelista exponit dicens. *Hoc autem totum factum est, vt adimpleantur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Et illi tenentes Iesum duxerunt illum ad Caipham Principem Sacerdotum, quo Scribę, & Pharisæi venerant. Petrus autem sequebatur a longe, vsque in atrium Principis Sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris, vt videret finem.* Adhuc, inquit, Petrus sequebatur Dominum, sed iam a longe, proximus enim erat negatione. Vnde & non immerito cum ministris sedebat, finem rei videre desiderans. Vbi enim sedet, qui Christum negat, nisi intra Iudæos, Iudæorumque ministros? *Principes autem Sacerdotum & omne consilium quęrebant falsum testimonium, contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.* Secundum legem Christum damnare volunt, & falsa testimonia quærunt, cum lex ipsa falsa testimonia non suscipiat. Qua in re maxima Iudęorum iniquitas, & odium crudele, & execrabile comprobatur. *Nouissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt. Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud.* Hoc enim Christus non dixerat, quod si dixisset facere potuisset. Dixerat enim *Soluite templum hoc, & in triduũ reedificabo illud.* Id quod significet, Euangelista exponens ait, *hoc autem dicebat de templo corporis sui. Et surgens Princeps Sacerdotum ait illi. Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testantur? Iesus autem tacebat.* Tacet Iesus, & respondere [non] vult, tum quia vana, & inutilia audit, tum quia scriptum est *ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala.* Et Princeps Sacerdotum ait illi *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei viui.* Dicit illi Iesus. *Tu dixisti.* Ad ea enim respondit Dominus, quæ videt esse digna responsione. Si enim a Principe Sacerdotum, qui pro sui officij dignitate ab omnibus venerabatur, sic adiuratus non respondisset, Deum non timere, & parui pendere videretur. Sequitur. *Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis, & venientem in nubibus cæli.* Hoc autem erit in iudicio, quando omnis oculus videbit eum. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens, blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam? Quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Vestimenta sua scidit Princeps Sacerdotum se ipsum maximam, & principalem causam esse significans, cur Iudæorum sacerdotium scindatur, & destruatur. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* Sic enim blasphematum fuerat. *Alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes prophetiza nobis Christe, quis est qui te*

per-

ſi Nuſquam reſpondet Dominus, niſi vbi eius reſpon- ... & vulſis eſt. *Petrus verò ſedebat foris in atrio, ... ad eum vna ancilla dicens. Et tu cum Ieſu Galilæo ... At ille negauit coram omnibus dicens. Neſcio quid dicis.* ... ius, vt magiſtri Prophetia impleatur. *Exeunte autem ... ianuam vidit alia ancilla, & ait his qui erant ibi, & ... erat cum Ieſu Nazareno. Et iterum negauit cum iura- ... quia non nouiſſet hominem. Et poſt puſillum acceſſe- ... qui ſtabant, & dixerunt Petro. Vere & tu ex illis es, nam ... -ela tua te manifeſtum facit. Tunc cœpit deteſtari & ... quia non nouiſſet hominem.* Ecce Paſtor Eccleſiæ non ... a viris, verum etiam à mulieribus compellitur negare ... um, hoc autem non ſolum ſemel, ſed bis, & ter. ... re & illi ad indulgen- ... um regula datur, vt in ſe ip- ... onim fragilitatem cognoſcens aliis miſereatur, & ... etiam in maximis exceſſibus delictorum veniam ... e concedit. *Et continuo gallus cantauit. Et recor- ... eſt Petrus verbum Ieſu, quod dixerat priuſquam ... lus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit a- ... mare.* In alio verò Euangeliſta legitur, *quia reſpexit ... Dominus Petrum.* Tenebatur Dominus à Turbis, trahe- ... tur, & flagellabatur, & tamen diſcipuli memor, quem ... ibis, ne proderetur & caperetur conſolari timebat ſolo ... pectu conſolatur, & ſanat, & ſui vultus illuminatio- ... ad ſpem veniæ inuitat. Cognoſcit igitur Petrus pecca- ... ſuum, cognoſcit & voluntatem Domini ſui, dolet, ... pęnitet, egreditur foras, relinquit concilium mali- ... ium, locum petit ſecretum lacrymis, & pęnitentię ... , flet amare, certiſſime intelligens, quia ſa- ... Deo eſt ſpiritus contribulatus, cor contritum & ... humiliatum Deus non ſpernit. Is eſt pęnitentiæ modus. ... , quieſce, dole, & lacrimare, & diſce cum ... Apoſtolo flere amarè. *Mane autem facto, conſilium ... omnes Principes Sacerdotum, & ſeniores populi, aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* In vnum Iudæi conueniunt, & conſilium faciunt, concur- ... unt aduerſum Ieſum, timent, ne aliquis bonus, & ... iuſtitiæ defenſor iterum eos inueniatur. Vinctum Ieſum Pilato tradunt, vt ex hoc reus mortis & venia indignus eſſe credatur. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pęnitentia ductus retulit triginta argenteos, Principibus Sacerdotum, & ſenioribus dicens. Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Cognoſcit Iudas ſe peccaſſe, argenteos reddit, quaſi eodem pretio, quo eum vendi- ... dit Chriſtum Dominum redimere poſſit. At illi dixerunt, *quid ad nos? tu videris.* Tu, inquiunt, videas quid egeris, quia ad vos non pertinet, ſi tu peccaſti, & ſi iuſtum ſanguinem tradidiſti. *Et proiectis argenteis in tem- plo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Infelix Iuda ad viam ſalutis redire cępiſti, ſed Diabolus, qui te ad tradendum magiſtrum, & Dominum incitauit, ipſe tibi vt te ipſum occideres, conſilium dedit, hoc enim ſuffi- ciebat tibi ad perditionem, etiam ſi Dominum non tradi- diſſes. Quanto tibi melius fuerat, ſi Chriſti pedibus te humiliares, & ab eo indulgentiam peteres, qui nemi- nem ad ſe venientem repellit. *Principes autem Sacerdo- tum acceptis argenteis dixerunt. Non licet mittere eos in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.* Dico ergo, ſi non licet mittere eos in corbonam, quia pretium ſangui- nis eſt, neque licuit eos trahere de corbona, vt pretium ſanguinis fierent. *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.* Iſte figulus ... finximus huius vaſa fictilia, omnes nos ſumus huius a- ... Chriſti pretio emitur, in quo eius peregrini ſepeliun- tur, & requieſcunt. *Propter hoc vocatus eſt ager ille Acel dema, hoc eſt ager ſanguinis vſque in hodiernum diem.* Meritò enim ager ſanguinis vocatur, quia ſanguine emi- tur. Ager enim iſte, terra viuentium eſt, in qua qui ſe- peliuntur, non moriuntur. *Tunc impletum eſt, quod di- ctum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem. Et accepe- runt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretia- uerunt a filiis Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſi- cut conſtituit mihi Dominus.* Audis, quia Dominus hoc conſtituit, hoc ante tempora diſpoſuit, quod triginta argenteis Chriſtus Dominus venderetur, ex quibus ager figuli emeretur. Hoc autem exemplum non in Hieremia, ſed in Zacharia inuenitur. Dicitur tamen in quibuſdam Ieremiæ exemplariis, hoc inueniri, quibus nos non vti- mur. Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eum præſes, dicens. *Tu es Rex Iudæorum? Dicit ei Ie- ſus. Tu dixiſti.* Tu dicis. Quod præſes interrogatiue dixit, Chriſtus affirmatiue ſuſcepit. *Et cum accuſaretur a Principibus Sacerdotum, & ſenioribus nihil reſpondit,* quoniam ille ſimpliciter eum interrogauit, iſti verò mali- tioſe contra eum loquebantur. Per omnia enim ad contra- dicendum parati indigni erant, quibus Dominus reſpon- deret. Tunc dicit illi Pilatus. *Non audis quanta aduer- ſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei verbum ad vllum, ita vt miraretur Præſes vehementer.* Non enim conueniens erat vt tunc Pilato Dominus reſponderet, quo- niam eum ad litigandum contra falſos, & iniuſtos prouo- cabat. Nihil enim eſt niſi labor eis reſpondere, quia ve- ritatem audire nolunt. Per diem autem ſolemnem conſue- uerat præſes dimittere populo vnum vinctum, quem vo- luiſſet. Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui di- cebatur Barrabas. Congregatis ergo illis dicit Pilatus. *Quem vultis dimittam vobis, Barrabam an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſ- ſent eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius dicens. Nihil tibi, & iuſto illi. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Quamuis enim & mali in viſione multa præuideant, ego tamen hanc mulie- rem boni ſpiritus fuiſſe crediderim. *Principes autem Sa- cerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barrabam, Ieſum vero perderent.* Vult Pilatus dimitte- re Chriſtum, inſtant Iudæi, ne dimittatur: Vnde & ip- ſi meritò eum crucifixiſſe dicunt, quamuis non ab ipſis, ſed a gentibus ſit crucifixus. *Reſpondens autem Præſes ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti.* At illi dixe- runt. *Barrabam. Dicit illis Pilatus. Quid igitur fa- ciam de Ieſu qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes crucifiga- tur.* Occidunt Iudæi Dominum ſuum, damnant, cru- cifigi præcipiunt Saluatorem ſuum, petunt ſolui Bar- rabam, qui filius magiſtri interpretatur. Magiſter nam- que eorum Diabolus eſt, qui eos ſic clamare, & hanc adoptionem facere docuit, vt filium Diaboli ſibi eligerent, & Dei filium crucifigerent. *Ait illis præſes. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant. Crucifigatur.* Iam non ac- cuſatione, ſed clamore, non iudicio, ſed violentia Chriſtum Iudæi occidere contendunt. Interrogat Pilatus, quid mali fecerit, nihil huic interrogationi reſpondent, quoniam quod reſpondeant, non habent. Clamant igitur, fremunt, & inſaniunt, vt ſcriptura impleatur, quæ ait. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſti- terunt reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Videns autem Pilatus, *quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo dicens. In- nocens ego ſum a ſanguine iuſti huius, vos videritis.* Lauat Pilatus manus ſuas, vt ſicut manus habet mundas a ſor- dibus, ita ſe à Chriſti morte innocentem eſſe oſtendat. Sed non eſt ita. Quamuis enim ipſe eum non iudicauerit, vel damnauerit, reus tamen eſt, quia aliis eum adiudican- dum tradidit, quem ſine cauſa, & pro inuidia damnari ſciebat: *Et Reſpondens vniuerſus populus dixit. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Hanc hæreditariam maledictionem in poſteros ſuos Iudæi tranſmiſerunt, cui ſubiacent omnes, qui illos imitantur, & quibus hoc illorum factum non diſplicet. *Tunc dimiſit illis Barrabam. Ieſum autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur.* Flagellauit Pilatus Ieſum, ſiue vt illa tali ſatisfatione Iudæi ſatiati quieſcerent, & ſic eum emendatum dimitterent, ſiue etiam,

quia leges Romanæ eum qui crucifigendus erat, prius flagellare iubebant. *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætoria congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exuentes eum clamidem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dexteram eius, & genuflexo ante eum illudebant dicentes. Aue rex Iudæorum.* Illi enim, sicut hic dicitur, omnia hæc illudentes fecerunt, nobis autem magni Sacramenti significationes sunt: neque pro ludo, sed in veritate hæc omnia suscipiamus, & veneremur. Quod autem corona spinea est regnum ex peccatoribus colligendum significat. Sceptrum ei ex arundine datur, vt iustos in Cęlis, & peccatores scribat in terra secundum illud. *Domine omnes qui te oderunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur.* Bonis autem Dominus ait. *Quia nomina vestra scripta sunt in cęlis.* Iudęi enim cum arundine scribere consueuerant. In veste vero coccinea siue purpurea, qua & cæteri reges vtebantur quocunque animo illud faciebant, regem tamen eum esse prædicabant. *Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Vt enim Apostolus ait. *Caput Christus Deus.* Caput igitur Christi arũdine percutitur, qui contra eius diuinitatem scripturam componit, vel ipsum Deum non esse alicuius scripturæ auctoritate defendit. *Et post quam illuserunt ei, exuerunt eum clamide, & induerunt eum vestimentis suis, et duxerunt eum, vt crucifigerent.* Neque enim conueniebat, vt cum regio apparatu crucifigeretur, sed humilis appareret in habitu, qui se humiliauerat maiestate. *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cirenæum nomine Simonem, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Cirenæum hæres, Simon obediens interpretatur. Gentilis igitur homo patrię cęlestis hæres, & Deo obediens Christo Crucem portat, de quo ipse Dominus alibi ait, *qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucẽ suã, & sequatur me, & venerunt in locum qui dicitur golgotha quod est caluariæ locus.* Locus autem ille sic vocatus est, quia ibi condemnati decollabantur, ibiq. capitis caluarias immittebãtur, Fuerunt tamen qui hunc locum a caluaria primi hominis sic nominatum fuisse putarent. *Et dederunt ei vinum bibere cum aceto felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere.* Vnde Psalmista, *& dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Gustauit autem, sed bibere noluit, quia mortis amaritudinem, quam gustaturus erat, momentaneã, & cito in dulcem finem conuertendã significabat. *Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt sibi vestimenta eius sortem mittentes. Vt adimpleretur quod scriptum est per Prophetam dicentem. Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Hæc autem melior vestis, quæ non scinditur, nec diuiditur, sed sorte datur, Sanctam Ecclesiam significat non habentem maculam, neque rugam, vel aliquid huiusmodi. *Et sedentes seruabant eum, & posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* Hunc autem titulum Hębraicè, Gręcè, & latinè alius Euangelista scriptum narrat, vt omnis lingua, vel legendo confiteatur quod Iudæi credere, & confiteri noluerunt. *Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum a dextris, & vnum a sinistris*, in hoc quoque illud completum esse videmus, & inter iniquos deputatus est. Vt in medio duorum animalium enotescerit. *Et prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes, vah qui destruis templum Dei & in triduo illud reædificas.* Quasi insani capita mouẽt, Christo illudunt, & motu, & voce ei insultant, dicentes. *Salua temetipsum si filius dei es descende de Cruce.* Si enim, & magister eorum diabolus dicebat, *si filius Dei es, mitte te deorsum*, non enim maius est de cruce descendere, quam mortuos suscitare. Non maius est dicere descende, quam a mortuis resurge? hoc autem fecit Iesus. Cur ergo non credunt Iudæi eum esse filium Dei? Hæc enim verba non ex se, sed diaboli afflatu dicebant iudæi. Iam enim se diabolus vinci sentiebat, & Crucis veritatem ferre non poterat, & idcircò Christi passionem impedire conabatur. *Similiter & Principes Sacerdotũ, illudentes eum scribis, & senioribus dicebant. Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluũ facere, Si rex Israel est descendat nunc de cruce & credimus ei. Confidit in Deum* [illegible] *eum nunc si vult. Dixit enim Dei filius sum* [illegible] *tem, & Latrones qui crucifixi erãt cum eo, improper*[illegible] Idem dicunt omnes, quia eodem spiritu loqũntur [illegible] mittunt se credere, si de cruce descendisset. E[illegible] si descendisset, nos, a morte non liberasset. Vnde [illegible] Per lignum mors venit, per lignum vita redi[illegible] Id[illegible] minus de cęlis descendere voluit quia mundum per [illegible] redimere voluit. *A sexta autem hora tenebræ fa*[illegible] *vniuersam terram vsque ad horam nonam.* Vbique [illegible] fiunt sole iustitiæ obeunte. Sicut enim eo nasce[illegible] tus est mundus, & populus qui sedebat in tenebris, vi[illegible] magnam, ita eo moriente obscuratus est, & ignoranę [illegible] bris in tormentis obuolutus est, qui cęcitas ex parte [illegible] in Israel. Quo viso imitando alter latronum credi[illegible] prius eum cum socio despexisset, postea illum defendere [illegible] pit. Dicens alteri, vt alius Euangelista refert, *neque t*[illegible] *Deum, qui in eadem damnatione es.* Sic igitur p[illegible] postea alter, & non ambo improbrabant ei: *Et c*[illegible] *ca nonam clamauit Iesus voce magna dicens. Heli, he*[illegible] *bathani. Hoc est deus meus, Deus meus, vt quid dere*[illegible] Homo est qui loquitur, & quod se derelictum dic[illegible] suum, quod est ecclesia, secundum quosdam, Deo de[illegible] dolet. Ipse enim secundum se numquam a Deo der[illegible] tur, Nemo enim derelinquitur a Deo, nisi ille qui peccat [illegible] ties enim peccamus, toties a Domino derelinquimur [illegible] enim Dominus ipse significat cum mox in code[illegible] subinferens ait. *Longe a salute mea*, subauditur sunt [illegible] ba. Cuius ergo sunt? Vis audire cuius? *Verba del*[illegible] *rum.* Ac si dicat. Hæc verba ego non dixissem nisi [illegible] meorum fidelium doluissem. Doleo autem quia quos dura & amara morte deo reconcilio propter peccata, [illegible] ideo a Deo derelinquitur, & ad mortem tendere [illegible] *dam autem illic stantes, & audientes dicebant. Heliam iste.* Non omnes, sed quidam hoc dicebãt; Illi scilicet, qui verba non intelligebant. *Et continuo currens vnus ex ei*[illegible] *ceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini dabat ei bibere.* Continuo, inquit, vt Dominus dixit. S[illegible] Sicut Ioannes Euangelista scribit, *currens vnus ex eis im*[illegible] *uit spongiam aceto & dabat ei bibere.* Non enim acetum, fidem Christus sitiebat, sinagoga tamen hoc dabat, quod [illegible] bebat. Quid enim acetum, nisi eorum doctrina Amara[illegible] tosa, erronea, & venenosa? Quid verò spongia nisi eorum [illegible] da fraudolenta & latebrosa? At vero arundo cum qua [illegible] tur, ipsa scriptura intelligitur. Quid illud factum significauit, nisi quod sinagogam prauam doctrinam, & hereticam [illegible] nem vsque hodie cogitare, & scribere contra Christum loqui & effundere non cessant. *Alij vero dicebant. Sine videamus an veniat Helias liberans eum.* Hoc illi dicebant qui non intellexerant, quid Christi verba significarent, quibus modo superius dixerat Heli heli. *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum.* In potestate enim babebat & vi[illegible] re, & mori sicut volebat. Vnde & alibi ait. *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam, & iterum sumo eam. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo vsque deorsum & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerũt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius* [illegible] *nerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* V[illegible] Christi mouentur elementa, & simul cum eo vid[illegible] dissolui atque finiri omnis creatura. Velum templi scinditur, apparent Sancta Sanctorum, & sublato velamine litteræ reuelantur fundamenta scripturarum. Mouetur terra. Scindũtur petræ, vt quia Iudæi in sua infidelitate [illegible] perstitere, gentiles ab infidelitate moueantur, & ad fidem currant, & ad doctrinæ Euangelicæ pluuiã hauriendam [illegible] da prius dura, & lapidea aperiant: Corpora verò, quæ resurgunt, veram Christi resurrectionem testãtur. *Centurio aut*[illegible] *& qui cum eo erant custodientes Iesum viso terræmotu,* [illegible] *quæ fiebant timuerunt valde dicentes. Verè Dei filius e*[illegible] *mo iste.* Gentiles credunt, & Iudæi pereunt. Dicunt Iudæi *Secundum legem debet mori quia filius Dei se fecit.* Dicunt

Gentiles

Dicunt Gentiles *vere Dei filius erat iste*. Magnus homo iste, qui Iesum morientem custodit. *Erant autem ibi mulieres multæ a longè, quæ secutę erant Iesum a galilæa ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi, & Ioseph Mater, & Mater filiorum Zebedæi.* Iste enim mulieres, quę Christum pro amore secutæ fuerant, etiam in morte eum non relinquebãt. Hæc est illa Maria Magdalena de qua Dominus eiecerat septem dæmonia. Illa vero altera maria Matertera eius fuit, ac soror matris eius. *Cum sero autem factum esset, venit quidam homo diues ab arimathia nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, tunc Pilatus iussit reddi corpus.* Quia enim iste Ioseph diues, & nobilis erat, ideo Christi corpus tam facile a Pilato potuit impetrare. *Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in Sindone munda, et imposuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, et abijt.* Docet nos Ioseph, qualiter Christi corpus suscipere debeamus, docet nos mundo corde, & pura conscientia illud suscipere, quod ipse in sindone munda inuoluit, & in nouo monumento ponit. *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera sedentes contra sepulchrum.* Merito eis Dominus post resurrectionem suam prius apparuit, quia sic eum custodiebant, sic eum videre cupiebant, & quia eum iam videre non poterant, ante ipsius sepulchrum sedebant. Notabant locum, quem frequentare volebant, & a quo si fieri posset recedere nolebant. Tædet iam iudæorum audire blasphemias, conuenerunt iterum, rogant Pilatum, vt sepulchrum custodiat, quasi in sepulchro teneri valeat, qui vbique est, & omnia continet. Ite, inquit, *vos, & custodite sicut scitis.* Vadunt illi, sepulchrum muniunt, custodes ponunt, lapidem signant, & tam diligenter omnia faciunt, vt ipsi quamuis nolentes, sibi tamen testes sint, Dominum resurrexisse, & nullo modo sic positus furari potuisse.

EFRIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *Ante sex dies paschę venit Iesus Bethaniã vbi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam Iesu, & Martha ministrabat.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

MIrum si Euangelista omnia hæc sine aliqua significatione tam ociose narrare voluit. Bethania enim Domus obedientiæ interpretatur. Esto igitur Bethania. Sis Deo obediens, quoties ad te Dominus veniens in domo pectoris tui hospitari dignetur. Prępara ei cęnam, crede in eum, obserua mandata eius, tali enim cęna delectatur Dominus. Vnde ipse ait. *Ego sto in ostium, & pulso si quis aperuerit mihi intrabo, & cenabo cum ipso, & ipse mecum.* Noli ista quęrere extra te. Tu enim ipse, & Bethania, & Martha, & Lazarus, & Maria esse potes. Si bene ministraueris, si eleemosinam dederis, nudos vestieris, infirmos visitaueris, aliaque his similia feceris, eris Martha. Omnia enim hęc ad actiuam vitam pertinent, quæ per Martham significantur. Vis esse Lazarus? fuge mortem, veni ad vitam, age pænitentiam, & resuscitaberis, & inter Christi conuiuas cõnumeraberis. Ideo enim hic dicitur, *quia lazarus vnus erat ex discumbentibus cum eo* Peccator enim quacumq hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vitam viuet, & non morietur. Quod si hoc fortasse non sufficit, sed altius ascendere volens vis esse Maria, *vade, vende omnia quę habes, & da pauperibus*, & spretis omnibus quę mundi sunt soli lectioni, & orationi, & diuinę contemplationi vacare studeas. Hãc enim optimam partem elegit sibi Maria, quę nõ auferetur ab ea. Sequitur, *Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit capilis suis pedes eius, & domus impleta est ex odore vnguenti.* Hoc enim vnguentum fidem significat. Vnde, & merito pisticum vocatur, quoniam pistis fides interpretatur. Nullo vnguento magis, quam hoc delectatur Iesus. Sine hoc vnguento ad eum accedere, & eum tangere non licet; impossibile est enim sine fide placere Deo. Hoc vnguento impletur domus. Hoc tota ecclesia redolet. Fętent igitur Domino infideles, quia hoc vnguentum non ferunt. Quod autem pedes vnxit, & capillis tersit, principium, & finem Deum & hominem eum esse intelligit. Caput enim pedibus quodammodo iungit, qui Deum & hominem eum credit. Vnde non solum pedes, sed etiam caput saluatori nostro hæc mulier vnxisse narratur. *Dicit ergo vnus ex discipulis suis Iudas Simonis Iscariotes, qui erat eũ traditurus. Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?* Hoc autem ne pietatis affectu, & misericordiæ studio dixisse putaretur, Euangelista subdidit dicẽs *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur, et loculos habens ea, quę mittebantur portabat* Nemo igitur nos reprehendat, si iniquos homines toleramus, & cito ab ecclesiæ communione non separamus, cum ipse Saluator noster Iudam pateretur, quem nõ solum perditorem, sed furem quoque, & sacrilegum esse sciebat. Dixit ergo Iesus. *Sine illam vt in diem sepulturę meę seruet illud*, hoc autem tale est ac si diceret. Misterium est quod agitur in quo mors, & sepultura mea citò fiet, significatur. Vnde & alius euangelista dicit, *preuenit vngere corpus meum in sepultura.* Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Quid est igitur quod alibi ait, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi?* Si enim omnibus diebus cum eis est, quomodo eum non semper habebunt? facilis est solutio, si duarum in Christo naturarum memores simus. Quod enim ait *me autem non habebitis*, de pręsentia carnis intelligere debemus, quę post resurrectionẽ die quadragesimo cælos ascendit. *Cognouit ergo turba multa ex iudæis quia illic esset, & venerunt, non propter Iesum tantũ, sed vt lazarum viderent quem suscitauit a mortuis.* Isti enim non amore, sed admiratione ducebantur, & sicut se habet cupiditas hominum, noua videre et audire cupiebant.

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, *Dixit Iesus discipulis suis, Amen amen dico vobis, non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior eo, qui misit eum. Si hęc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

SI inquit scitis, & intelligitis quæ fecerim vobis, & hoc exemplum secuti fueritis similiter alijs quemadmodum ego feci vobis, beati eritis. Sed quare vestris æqualibus non faciatis, quod me vobis meis seruis et discipulis facere videtis? Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. Dixi inquit vobis beati eritis, sed non omnibus dixi Illis dixi, qui facturi sunt ea illis dixi, quos elegi non tantum ad Apostolatum, verum etiam ad beatitudinem. Ad Apostolatum enim & Iudas electus est. Vnde & superius Dominus ait. *Nonne ego vos duodecim elegi & vnus ex vobis diabolus est?* Sed vt adimpleatur scriptura, *qui manducat meum panem, leuabit cõtra me calcaneum suũ* Sic enim scriptum est, *homo pacis meæ in quo sperabam qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem. Amodo dico vobis priusquam fiat vt credatis cum factum fuerit quia ego sum*, ille subauditur, de quo illa scriptura hæc dixit. *Amen amen dico vobis, qui accipit, si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Quamuis enim aliter sit pater in filio, & aliter filius in Apostolis, tamen quia Christus Iesus est, qui cũque Apostolos accipit, accipit, & Christum. *Cum hec dixisset Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit. Amen amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me.* Spiritu enim turbatur, qui spiritualiter turbatur. Spiritualis enim turbatio ad pietatem, & misericordiam spectat. Carnalis autem tribulatio irã excitat, & furorem. Spiritu igitur turbatur Iesus, siue

quia discipulus eum tradit, & tradendo perit, siue vt nos doceat, quid agere debeamus quando in magnum facinus, & scelus aliquē hominem ruere videmus. Erat autem Iudas vnus ex eis, quia carnaliter conuersabatur cum eis, quāuis mēte, & fide iam recessisset ab eis. Inter eos ad Apostolatum electus fuerat, sed cum eis ad vitam ęternam prædestinatus non fuerat. *Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli hęsitantes de quo diceret.* Vnusquisque sibi timebat quod in conscientia nō habebat, quia eum mentiri non posse sciebat. *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.* Quis est enim iste discipulus, nisi idem ipse qui hæc scripsit Beatus Ioannes? Qui secundum consuetudinem Sanctarum scripturarum, sic de se quasi de alio loquitur. Sic enim Moyses frequēter dicit, locutus est Dominus ad Moysē & alij Prophetę similiter. Recumbebat autem discipulus iste in sinu, idest in pectore Iesu, & super illum fontem sapientiæ, & scientiæ, de quo omnia hęc haurire promeruit, quæ per totūm hoc euāgelium tam affluenter nobis eructat. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei. Quis est de quo dicit?* Innuit, inquit, idest secrete admonuit, vt de quo diceret, interrogaret. *Itaque cū recubuisset super pectus Iesu, dicit ei, Domine quis est? Respōdit Iesus. Ille est, cui ego intinctum panem porexero, & cum intinxisset panem, dedit Iudę Simonis Iscariothę.* In eo fortasse quod panem intinctum ei dabat, cum diabolica nigredine tinctū, et infectū significabat. *Et post bucellam tūc introiuit in illū satanas.* Introiuerat enim iam antea in eum satanas ad tentandū, & decipiendum. Sed tunc primum intrauit eum ad possidendum, & forsitan adhuc dubitabat atque timebat, ne Iudas resipisceret, & a perditione quiesceret, sed postquam per bucellam designatum vidit, quasi primum inuasit, & suæ seruituti eum subiugauit. *Dixit ei Iesus. Quod facis fac citius.* Non pręcipiendo hęc dixit, sed prædicando, quia videbat eius animū præ nimio desiderio accelerandi quod cęperat non posse quiescere, *hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidā enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus. Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festū:* aut egenis, vt aliquid daret. *Cū ergo accepisset ille bucellā exiuit cōtinuò, erat autē nox.* Bene quia nox erat, quoniam in noctem & in mortē, & in tenebris ibat. *Cum ergo exisset, dixit Iesus. Nūc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo: si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum in semetipso, & continuo clarificabit eū.* Nūc inquit quia filius noctis, & tenebrarum recessit a discipulis meis, nunc filius hominis clarificatus est in eis, nūc nihil caliginis, & tenebrarum sentit in eis, & Deus clarificatus est in eo, quia nihil tenebrarū aliquando diuinitas sensit in eo. Ipse est enim illa lux, quæ in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt. Quāuis igitur clarificetur in alijs, in se tamen clarissimus est. In alijs enim clarificatur, dum illi clarificantur, qui eius mēbra sunt, similiter autē Deus clarificatus est in eo, quia clarum fecit eū. Et hoc est quod ait. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum. In quo? In semetipso? Quādo continuo. Quid est continuo? Statim vt genitus est. Cęteri enim homines prius generantur & nascuntur, deinde per penitentiam, per baptismum, & per ministeriū sacerdotū regenerātur, & clarificātur. Filius autē hominis non prius est quā clarificatus, Diuinitas enim humanitati coniuncta statim in ipsa vnitione, siue commixtione hominē illum assumptum santificauit, & clarificauit, & ab omni corruptela primæ preuaricationis mundauit. Dicit ergo. Nunc filius hominis clarificatus est in discipulis suis, in quo filio hominis Deus clarificatus est continuo vt se humanitati coniunxit quam ipse in semetipso clarificauit: & sanctificauit. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Hoc autem de carnis præsentia dicit, quæ non post multos dies cęlos ascendit, *quæretis me, & sicut dixi Iudæis quo ego vado, vos non potestis venire: Et vobis dico modo,* quærebant enim discipuli videre Iesum, & desiderio quærebant, quia semper cum eo esse cupiebant. Vnde Apostolus ait, *cupio dissolui, & esse cum Christo.* Sed non poterant tunc venire, quo ipse ibat, quamuis illuc postea ituri erant. Vnde, & subdidit. *Et vobis dico modo.* Iudæis, inquit, absolutè dixi, quo ego vado vos nō potestis venire. Vobis autem dico, quia modo non potestis venire, quo ego vado. Prius enim oportet vos ire, & prędicare euangelium omni creaturæ. *mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Diligere namque nō est nouum mandatum, sed sic diligere, sicut ipse dilexit, nouum mandatum est, lex enim proximos diligere præcepit, sed pro eis mori non præcipit. *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus. Domine quo vadis?* Respondit ei Iesus. *Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus. Quare te non possum sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit Iesus. Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus donec me ter neges.* Solus Marcus dicit non cantabit bis Gallus. Vt igitur euangelia conueniant, sic dicatur. Non cātabit, idest non complebit cantum, donec me ter neges, huic autē simile esset si diceremus. Non prius cęnauit Iesus, quam lauit pedes discipulorum, idest non prius cęnam compleuit. Et si prius cęnare cępit.

FERIA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore, *Appropinquabat autem dies festus azimorum, qui dicitur pasca, & quærebant principes sacerdotum, & scribę, quomodo eum interficerent. Timebant vero plebem.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

V*Enit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi pasca, & misit Petrum, & Ioannem dicens. Euntes parate nobis pasca, vt manducemus.* Mittit Dominus Petrum, & Ioannem parare pascha. Quibus introeūtibus in ciuitatem occurrit homo amphoram aquę portans. Quem ipsi sequuntur in domum in quā intrat. Et ostendit eis Pater familias cęnaculum magnum stratum isti enim duo Christi discipuli, duo testamenta sunt, quæ dum diuina inspiratione mittuntur ad ciuitatem pectoris nostri, pascha ibi parant, quia quid agnus ille secūdū legem immolatus significet, et qualiter pascha nostrū immolatus est Christus, nos docent, & intelligere faciunt. Quibus homo noster interior occurrit, qui quoniam baptizatus est, amphorā aquę non immeritò portare dicitur. Nemo enim nō baptizatus hanc amphoram portat. Hunc igitur sequūtur vsque in Domum, vsque in cordis interius secretarium. Ibique inueniunt patrem familias, idest intellectum, a quo interior nostra familia regitur, & gubernatur. Et ipse eis ostendit cęnaculum magnum stratum, per quod fidem intelligimus alijs virtutibus ornatum. Ibi enim hæc cœna paratur, quia per fidem reuelatur. Vnde rectè dicitur, nisi credideritis, non intelligetis. Hoc enim cœnaculum infideles non habent. *Et cum facta esset hora discubuit, et duodecim Apostoli cum eo, et ait illis: desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Multum, inquit, hoc pascha vobiscum manducare desideraui, vt vetera complerem, & ad noua transirem. *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei,* idest donec in ecclesia spiritualiter intelligatur, & agatur. Vos estis, qui permansistis mecū in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Sic inquit, ego vobis Ecclesiæ regnum trado, & dispono, sicut & pater meus mihi illud disposuit, vt mea vice illud regatis, & super mensam meam edatis panem viuum, qui de cœlo descendit, & bibatis calicem noui testamenti. Hoc autem et de illa cœlesti mensa intelligi potest in qua sancti sola summi boni contemplatione reficiuntur. De qua Psalmista. Ego inquit *Cum iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor dum manifestabitur gloria tua. Ait autem Dominus Simoni. Simon ecce Sathanas expetiuit, vt cribaret vos sicut triticum.* Sic enim Olim Beatum Iob ita & Apostolos

postolos ex Dei permissione cribrauit, si quid forte zizaniæ & corruptionis in eis inueniret. *Et dixit eis, quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil.* Nihil enim eisdem esse poterat, quos Dominus ipse regebat. Vnde Psalmista. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.* Miserat enim eos Dominus non prædicare. Sed infirmos sanare dicens eis. Ite sanate omnes languores omnesque infirmitates. Ideoque neque sacculo, neque pera indigebant, neque calceamentis. Nondum enim calceati erant in preparatione Euangelij pacis. *Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram.* Nunc, inquit, & sacculum & peram vos ferre concedo, non ad colligendum, sed ad tribuendum, non vt aliena meis coaceruetis, sed vt non trahatis, quod alijs desit. Hæc enim duo præter hoc quod misericordiam, & largitatem significant, vtrumque etiam significant testamentum. Ex his enim quasi ex sacculo & pera cunctis diuitijs plenis trahebant Apostoli, vnde mentes famelicas & sitientes reficerent. Securi igitur sint Apostoli & nihil timeant, quia nihil deerit eis portantibus sacculum & peram, quibus nec prius aliquid defuit sine sacculo & pera, *& qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium* Spiritus quod est verbum Dei, vendat tunicam suam & emat eum, vt in omnibus exutus nudus nudum ducem sequatur. His igitur verbis aperte monstratur quod illi soli prædicare, & gladium Spiritus ferre debent, qui simul cum Apostolis dicere possunt. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Qui enim nihil possidet, merito nudus, & absque tunica dicitur. *Dico enim vobis quoniam adhuc hoc, quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.* Adhuc inquit parum quod restat, oportet impleri in me. Penè enim iam finita sunt, quæ de me secundum carnem scripta sunt, sed adhuc illud restat, vt cum iniquis me deputantes Iudęi crucifigant. Et túc tandem ego à prædicatione cessabo, vos autem omnibus vēditis, emite gladium, accingimini & ad prędicandum vos pręparate. *At illi dixerunt. Domine ecce gladij duo hic. At ille dixit eis. Satis est.* Sufficiunt enim duorum testamentorum gladij ad totius prædicationis opus peragendum. Vide quam bene omnia conueniant quamuis quod verba Domini significarent, Apostoli non intelligebant. *Apparuit autem illi Angelus Domini de cælo confortans eum, & factus est in agonia & prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Hæc enim pugna Saluatoris nostri, martyrum agones, & certamina significabat. Ille sudor sanguineus eorum sanguinem de toto eius corpore, quod est Ecclesia vbique fundendum manifestabat. Orabat autem prolixius, quatenus nobis ostenderet, quid in tali pugna agere debeamus, vt Angelorum consolationem recipere mereamur. *Cætera quæ sequuntur in Matthæo exposita sunt.*

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Ante diem festum paschæ sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

NArrat superius Euangelista quod ante diem festum paschæ Saluator noster in Bethaniam venit, vbi Lazarus à mortuis suscitauit, fecerunt autem ei cęnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus autem vnus erat ex discumbentibus. Cogitauerunt autem Iudæi, vt & Lazarum interficerent, quoniā multi credebant propter eum. Quid autem significet Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur. quid Maria & Martha, & quid Lazarus suscitatus à mortuis, iam superius exposuimus. Inde autem cum super pullum asinæ sedens Hierosolymam Dominus propinquasset, ramos palmarum accipientes omnes ei obuiam procedunt. Cum tanto igitur taliq; triumpho ciuitatem ingressus, ad templum venit, omnesq; & vendentes & ementes foras eiecit. Cum autem frequenter illis diebus iret Bethaniam, & rediret Hierosolymam, videns arborem fici accessit ad eam, quæ quia fructum non habebat maledixit eam & aruit. Hæc autem in Matthæo exposita sunt. Ante autem diem festum paschæ præmissis discipulis qui ei pascha pararent, venit ad locum passionis, & ad impiā ciuitatem, vt tandem ea compleret. quæ de eo per prophetas fuerant nunciata. *Sciens igitur Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erāt in mundo, in finem dilexit eos.* Sciens, inquit, Iesus quia venit eius hora, sciebat enim quando veniret, qui ante mundi constitutionem & tempus & annum & diem disposuit, quo veniret. Sed quæ hora? Vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Ab hoc enim transitu, pascha transitus interpretatur. Cum semper dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos, idem vsque ad finem & vsque ad mortem dilexit eos. Siue etiam in finem dilexit eos idest in fine ostendit quanto amore dilexerit eos. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet quam vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Hoc enim ipse dixit, & hanc tantam dilectionem, & dicendo significauit, & patiendo monstrauit. *Et cęna facta, cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariothes, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, et quia a Deo exiuit & ad Deum vadit, surgit a cęna, & ponit vestimenta sua.* Et cęna, inquit, facta, idest preparata, & ante posita, sed nondum finita, cum Iudas diabolica persuasione iam victus & deceptus erat, vt Dominum traderet. Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus, sciens se esse regem regum, & Dominū dominantium, neque oblitus est se esse filium Dei, & quia à Deo exiuit & ad Deum vadit, quamuis talem se esse sciret, surgit tamen à cęna, & vsque ad discipulorum pedes lauandos se ipsum humiliat. Ponit vestimenta sua, accipit linteum, pręcingit se, mittit aquam in peluim, & tam charitatiue, tam honestè, tam officiosè pręparatus venit lauare, & tergere pedes discipulorum. Et vt omnia ratione, & ordine faceret & faciendo nos instrueret, venit prius ad Simonem Petrum. Ipse enim inter alios maior erat. *Et dixit ei Petrus. Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.* Hæc mea humiliatio magni Sacramenti est significatio, quam me exponente postea scies. At ille de tanta filij Dei inclinatione perterritus Respondit. *Non lauabis mihi pedes in ęternum.* Nunquam hoc patiar, nunquam hoc feram, nunquam de manibus Domini mei hoc tale seruitium accipiam. *Respondit ei Iesus. Si non lauero te non habebis partem mecum.* Illi igitur partem habebunt cum Christo in regno suo, quos ipse dilexit, & lauit peccatis in sāguine suo. *Dicit ei Simon Petrus. Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.* Si tibi inquit sic placet, si id sedet animo, si aliter fieri non potest seruus tuus sum, totum me tuæ voluntati subijcio, & non pedes tantum, sed & manus, & caput tibi offero. *Dicit ei Iesus. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Qui enim semel lotus est indiget vt iterum lauet nisi pedes, qui quoniam semper calcant, frequenter puluere maculantur. Sed est mundus totus, subauditur præter pedes. Et ego quidem per hos pedes sensus corporis & animæ affectiones significari puto. Ipsi enim non ferunt extra nos, & ipsi frequenter puluere maculantur in nobis. Portat nos visus ad mulieris speciem contemplandam ibi maculatur, indiget lauatione. Portat auditus ad audiendū detractionem & consilium vanitatis, ibi maculatur, indiget lauatione. Portat gustus ad crapulam & ebrietatem, ibi maculatur, indiget lauatione. Isti igitur sunt illi pedes, quos etiā illos qui iam loti & baptizati sunt frequenter lauare oportet. Sed quid de animæ affectionibus dicam, cum ipsis quoque bonis actionibus, superbia & vanagloria sępe se immisceatur? Et hęc igitur lauatio necessaria est. Sequitur *& vos mundi estis sed non omnes.* Hoc autem quia Euangelista exposuit nobis aliter exponere non licet. *Sciebat enim* ait Euangelista *quis nam esset qui traderet eum, propterea dixit non estis mundi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum dixit eis. Vos vocatis me magi-*

ster

ster & Domine, et benedicitis, sum etenim. Bene, inquit, dicitis, quia me magistrum, & Dominum vocatis. Sic enim dicitis ita est. Sed quia magister sum, mea doctrina recipite, & quia dominus, meum mandatum custodite. Quod mandatum? Vultis audire quod? *Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter altersus lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quamuis enim hoc ad litteram custodire, plenum sit caritate, & humilitate, maius tamen aliquid significare videtur, sicut & cetera, quæ Saluator noster egit. Et hoc est fortasse quod Apostolus ait. Hæc est forsitan illa lex, quam nos adimplere præcepit quando dixit, *alter alterius onera portate,* & sic adimplebitis legem Christi, idest mandatum Christi. Vnde & Iacobus Apostolus ait. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini.* Deum enim per se inuicem Sancti orant, alter alterius pedes lauat.

SABBATO SANCTO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Vespare autem Sabbati quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

VEsper enim qui & hesper dicitur, stella est quæ alio nomine lucifer vocatur. Et hesperus quidem siue vesper vocatur in fine diei, lucifer verò in principio; sæpe enim quãdo oritur paruissimo interuallo solem præcedit. Quod autem Euangelista hoc de stella intellexerit, ex eo apparet quod fęminino genere dixit, quæ lucescit in prima Sabbathi. Ad quid enim nisi ad stellam, quæ pronomen referatur? Sabbathum autem vnum quemque diem Iudæi vocabant. Dicatur ergo. Vespere autem Sabbathi apparente, idest illa stella, quæ vesper & lucifer vocatur, iam diem proximam nuncianie, non autem illam dico quæ apparet in fine diei, sed illam quæ videtur in principio, idest quæ lucescit in prima Sabbathi, hoc est quę lucere incipit in prima parte primi diei, qui nunc dies Dominicus appellatur, *venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum.* Hanc enim stellam, quia cęteris clarior est, iter agentes obseruare solent. Huius igitur signo hæ Sanctæ mulieres ad sepulchrum venire cæperunt, & valde mane, cum adhuc tenebræ essent, vt Ioannes ait, sole tamẽ iam oriente, vt Marcus dicit, veniunt ad monumẽtum. Prius enim fit ortus solis, quam recessio tenebrarum. Potest autem & aliter dici, vt non de vespere dici, sed de vespere noctis intelligatur. Habet enim & nox suum vespere quod aurora, licet crepusculum dicitur. De quo vespere ait Moyses. Factũ est vespere, & mane dies vnus. Quod si de vespere dici intelligatur, nox tota relinquitur; vnde quidam expositores totum diem simul cum nocte sua vnum diem computant. Et ita fit vespere noctis cum mane diei dies vnus. Et quamuis ego in Genesi hoc aliter exposuerim, tamen hic intellectus propter hæc Euangelij verba modo mihi amplius placet. Dicatur ergo vespere autem Sabbathi venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Illa videlicet hora quæ lucescit in prima Sabbathi idest in prima parte diei. Ambæ autẽ Maria vocantur, quod stella maris interpretatur. Duæ igitur stellæ etiam sequuntur, & simul solem iustitiæ quærere veniunt. Duæ autem stellæ duæ sunt Ecclesiæ, Iudæorum scilicet & gentilium, quæ cęlitus illuminatæ mortuorum resurrectionem prædicant. *Et ecce terremotus factus est magnus.* Magnus enim terremotus fit, quando in his duabus mulieribus tanta vtriusque multitudo ad Christum concurrit. *Angelus enim Domini descendit de cœlo & accedens reuoluit lapidem & sedebat super eum.* Hic enim Angelus Ecclesiæ prædicatores significabat, ad quorum voces terremotus fiunt, quia peccatores, qui terra vocantur, eorum prędicationibus ab infidelitate ad fidem transeunt. Isti autem lapidem reuoluunt, scripturas exponunt, tabulas aperiunt, & legem quæ in eis scripta erat omnibus reuelant. Sedent autem super lapidem, quo legem intelligunt, & in potestate habent quæ in tabulis lapideis scripta continentur. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur & vestimenta eius sicut nix.* In altero igitur terrebat malos, & in altero mulcebat bonos. Hunc autem imitantur prædicatores, quando malis æternum ignem, bonis vero ęternam fęlicitatem promittunt. Vnde & *custodes territi & velut mortui facti.* Mulieribus verò dicunt, *nolite timere vos.* Illi timeant quibus ignis, & furor paratus est, vos autem cur timetis quæ vestros socios & amicos videtis? *Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est quæritis,* ideoque seruos eius timere non debetis. *Non est hic,* videlicet præsentia corporis, qui vbique est potentia diuinitatis, sed vbi credimus tunc eum fuisse? Ego quidem facilè crederem eum tunc matrem visitasse, quę plus cęteris dolore afflicta eius resurrectionem expectabat. Quid enim si hoc Euangelistæ non dicant? Non enim, vt Ioannes ait, omnia eius facta scripta sunt. Inde vero rediens primo apparuit Mariæ Magdalenæ, quam prius Apostolis hæc aliquibus alijs. Hæc autem recipiat qui vult, ad credendum autem neminem compello. Sequitur. *Surrexit enim sicut dixit, venite & videte locum vbi positus erat Dominus.* Nam & Ecclesiæ Doctores sępe nobis locum ostendunt, in quo Dominus positus fuerat, dum sanctarum scripturarum exempla disponent vbi eius natiuitas, passio, & resurrectio sit prophetata nos docent. Vis videre locum, in quo Dominus positus fuerat? lege in psalmis. *Ego dormiui & somnum cępi & resurrexi quoniam suscepit me Dominus, & cito euntes dicite discipulis eius & Petro quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.* Ecce mulier quæ fuerat ianua mortis, primum prædicat resurrectionem & ostendit ianuam vitæ. In Galilęam præcedit Dominus ibique discipulos expectat, quia tunc sancti Deum videbunt, quando in patria reuersi fuerint. Galilęa namque Apostolorum patria fuit, vnde & viri Galilęi dicuntur. *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno currentes nunciare discipulis eius.* Marcus autem dicit, quod fugientes de monumento quia terror inuaserat eas, nemini quidquam dixerunt. Per quod datur intelligi, quia prius de visione Angelorum nihil dixerunt, solum modo narrantes de monumento Dominum fuisse sublatum. Sic igitur se habet ordo. Venerunt mulieres ad monumentum, viderunt Angelum, quem tamen non Angelum, sed iuuenem esse putabant, cucurrerunt ad Apostolos, & de Angelo quidem & eius verbis quibus Dominum surrexisse audierant, nemini quicquam dixerunt, hoc solum nunciantes Dominum in monumento non esse, cucurrerunt ergo simul Petrus & Ioannes, & sola linteamina inuenerunt. Quibus recedentibus mulieres remanserunt ibi & tunc quidem Maria Magdalena inclinauit se & prospexit in monumentum & vidit duos Angelos ibi sedentes. Qui cum eam consolarentur conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, quem non Iesum, sed Hortulanum esse putabat, quem cum in voce cognouisset, accessit ad eum, & quamuis ei diceret, noli me tangere, tenuit tamen & osculata est pedes eius: Tunc & aliæ mulieres venerunt, plures enim Lucas fuisse commemorat, quas cum Dominus benigne salutasset, ipsę quoque tenuerunt pedes eius. Vnde & hic subditur & ecce Iesus occurrit illis dicens. *Auete. Illa autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, et adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus. Nolite timere. Ite nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Certæ itaque de resurrectione, non sicut prius Dominum de monumento sublatum annunciant, sed eum se vidisse & cum eo se loquutas fuisse affirmant dicunt discipulis, vt vadant in Galilæam, & ibi eum videbunt sicut prędixerat. *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, et annunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus accepto consilio, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes. Dicite quia discipuli eius nocte venerũt, et furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudęos vsque in hodiernum diem.* Ergo ne tantum potest aua-

ritia

tantum potest amor pecuniæ prius Christum vendi- nunc vero eius resurrectionem negari compellit? O miseri, qui sufficiebat vobis semel Christum occidisse, suffecisset vobis semel eum vendidisse. Iterum enim pe- iuratis, & maiori quam prius pecunia compensatis, & iterum in vobis est, & ecce iterum occiditis, dum eum resurrexisse, & viuere negatis.

IN DOMINICA SANCTAE PASCHAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Marcum.

IN illo tempore. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi, de eadem lectione.

Sabbato enim, neque videre neque emere licebat aliquid, quoniam tale aliquid in Sabbato fieri lex interdicebat. Veniunt autem hæ Sanctæ mulieres vngere Iesum. Sed quomodo veniunt? Cum aromatibus: aliter enim ad Iesum non itur. Sunt autem hæc aromata, fides, spes, charitas, pax, patientia, humilitas, & mansuetudo, & misericordia, & similia. Hæc enim Domino redolent, sicut ei e contrario vitia fœtent, vnde & psalmista, *putruerunt*, inquit, *& corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ*: Beatæ igitur illæ mulieres. Beatæ illæ animæ, quæ sicut Maria Magdalene semper cum vnguentis, semper cum aromatibus ad Dominum veniunt, hæc est enim quæ alibi ait: *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Hæc autem significabat Ecclesiā gentium, de qua septem Dæmonia Dominus eiecit. Quæ quidem quoniam dilexit multum, dimissa sunt ei peccata multa. Maria vero Iacobi quæ Christi matertera fuit, plebem Iudaicam figurabat, de qua secundum humanitatem Saluator noster originem duxit, At vero Salome quæ interpretatur pacifica, tota ex vtroque populo Sanctorum collecta multitudo intelligitur. In hac igitur tota Ecclesia, nullis vero ecclesiæ partes figurantur. Possunt tamen hæ tres mulieres, tres mundi partes significare, Asiam videlicet Africam, & Europam, in quibus tota Ecclesia consistit, & istæ quidem vngunt Iesum, istę cum delectantur, altæ eius passionem prædicant, & odorem notitiæ illius cunctis gentibus manifestant. Ecce autem mulieres quæ vsque ad hunc diem erubescebant, & se mortis ianuam introitus humani generis ruinam esse dolebant, hodie letantur, hodie prædicant, hodie originale peccatum deletū affirmāt, & ipsis quoque Apostolis resurrectioni gloriam annuntiant; *Et valde mane vna Sabbatorum orto iam sole*. Nō est autem iā sibi contrarium hoc quod ait, valde mane, & orto iam sole. Vnde & alius Euangelista dicit: *cum adhuc tenebræ essent*. Solis itaque ortum intelligere oportet, ex quo eius splendore Cœlum illustratur quamuis enim dum tristis apparet, terris adhuc tenebris existentibus. Quid est igitur valde mane dixit nisi iam rubescente aurora. Neque enim sine causa Euangelista non mane simpliciter, sed valde mane dixit. *Et dicebant ad inuicem, quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? respicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde*. Narrat enim Matthæus Euangelista, quod Christo resurgente, Angelus Domini descendit de cęlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui: & euntes in Ciuitatem nuntiauerunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. At illi dederunt eis copiosam pecuniam dicentes. Dicite quod vobis dormientibus nocte venerunt discipuli eius, et furati sunt eum, sequitur, *& introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt*. Sedet Angelus in dextris stola candida coopertus, quoniam lætitiam prosperitatem prædicat, gloriam resurrectionis, & carnis inuocationem annuntiat. Considera modo quo dilectionis igne interius ardebant, quæ feminei timoris, & fragilitatis oblitæ non solum in nocte veniunt, verum etiam confidenter in monumentum ingrediuntur. Vnde & consolationis verba audire meruerunt. Dicente Angelo. *Nolite expauescere. Iesū quæritis nazarenum Crucifixum, surrexit non est hic, Ecce locus vbi posuerunt eum*, locum inquit videre potestis, surrexit enim, & non est hic, sed expectate paulisper, & videbitis eum. Non enim erat ibi præsentia corporis, qui vbique est potentia diuinitatis, sed vbi eum tunc fuisse putamus? Ego quidem dicere timeo, quod Euangelistæ non dicunt, et fortasse ad matrem iuerat, quę eius amoris desiderio plus omnibus ardebat. Quod autem inter ipsas omnes mulieres beatissima virgo simul cum alijs ad monumentum non inuenitur. Hoc vt opinor causa fuit, quia ex quo vnigenitum suum filiū teneri, flagellari, & crucifigi vidit, delicatis manibus delicata pectora tundens, & te dolore nimio, vigilijs, ieiunijsque affligens, iā viribus pariter et spiritu extenuata alicubi sola in secreto sedebat, & de his, quæ sibi acciderant, calamitatibus lamentabatur, & flebat. Sed nos hæc verba pietate plena, & cogitatione digna interim relinquimus, & quid Angelus dixerit audiamus: Ite inquit, *dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilaam, ibi eum videbitis sicut dixi vobis*; Nisi enim Beatum Petrum ex nomine vocasset, fortasse cum cæteris venire timuisset, eo quod ter Dominum, & Magistrum negasset. Quod enim in Galilæam, quæ Apostolorum patria fuit a discipulis Dominus videtur, quid aliud significat nisi quia eum, quem nunc videmus per speculum, & in ænigmate cum nos ad antiquam patriam nostram reduxerit, tunc facie ad faciem videbimus: vt de galilæa transmigratio perpetua interpretatur. Nulla enim post illam transmigrationem alia vlterius transmigratio fiet. Sciendum est autem quod illa hora, qua Saluator noster inclinato capite spiritum emisit, Corpore in Cruce derelicto anima simul cū diuinitate ad inferna spolianda descendit, et tunc quidē illud psalmistę adimpletum est. *Attollite portas principes vestras, et eleuamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ*, quibus interrogantibus, *Quis est iste Rex gloriæ*: responsum est eis, *Dominus fortis, et potens in prælio*. Ingressus igitur dominus loca tenebrarum omnia vndiquaq. suo splendore illuminauit, fit clamor permixtus bonis pro lætitia exultantibus, malis non præ timore fugere cupientibus. Tunc primi parentes occurrunt, & videntes Creatorem suum lætis vocibus clamant. Tandem Christe venis, magnis nos soluere pœnis. Tunc Patriarchæ, & Prophetæ obuiam ruunt, tunc omnis Sanctorum exercitus eius pedibus se prosternit. O inquiunt diu desiderate, ò tanto tempore expectate, quæ te tantę tenuere moræ. Tunc citharista Dauid, hoc est inquit quod dicere solebam. *Auditui meo dabis gaudium, et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata*. Ecce nunc vident, Ecce nunc audiunt, quod & videre, & audire desiderasse Dominus ipse dicebat. Ait enim, *multi Prophetæ, et Reges voluerūt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quę auditis, et non audierunt*. Tunc Ioannes Baptista, ecce inquit de quo dicebam *vobis, videtis illū, eius aduentum nuntiabam vobis*, Sed quis per singula dicere audeat quanta ibi lætitia fuerit, cum Christus sol iustitiæ eis apparuit? Tunc alligato Diabolo magno Sanctorum exercitu comitante cum gloria, & triumpho lætus Dominus ad superos redijt dicens. *Quoniam non derelinques animā meam in inferno, nec dabo Sanctum tuum videre corruptionem*. Notas mihi fecisti vias vitę adimplebis me lætitia cum vultu tuo delectationes in dextera tua, mihi pater, vbi tecum sedeo et viuo, & regno in secula seculorum Amen.

FERIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. *Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die,* Et reliqua. Homilia Sancti Brunonis Episcopi.

VNus autem ipsorum ipse, qui hæc scripsit Beatus Lucas fuisse putatur. Mos enim fuit antiquorum, vt in suis scriptis sic de se quasi de alijs loqueretur. Vnde, & Moyses frequenter dicit: *Locutus est Dominus ad Moysen,* & Matthæus *Preteriens* inquit, *Iesus vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine,* & multa talia. *Et factum est dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Bonum est igitur loqui de Iesu, bonum est semper in mente habere, quia nec ipse eorum obliuiscitur, qui eius memores sunt. Sicut et hic, quia isti duo de eo loquebantur ipse appropinquans ibat cum illis. Beati cum quibus ambulat Iesus. Beati cum quibus ambulat salus et vita, qui quoniam cum luce vadunt, diu errare non possunt. Sequitur. Ita enim dubitabant quia nondum perfecte credebant, ita eum videntes non agnoscebant. Et ait ad illos. *Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem ambulantes, et estis tristes? et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei, Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognouisti, quæ facta sunt in his diebus.* Ac si dicat. Tantum scelus nouiter in Ierusalem perpetratum est, vt pro sua magnitudine omnino celari non possit, & quomodo tu solus ea, quæ ibi his diebus facta sunt, non cognouisti? *Quibus ille dixit, quæ? et illi dixerunt. De Iesu nazareno, qui fuit uir propheta potens in opere, et sermone coram Deo et omni populo, et quomodo tradiderunt summi Sacerdotes, et Principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.* Nos autem sperabamus, quod ipse esset redempturus Israel. Multum ęgrotabant isti, multumq. eis necesse fuerat, vt eis medicus, & saluator apparuisset. Quid enim dicunt nos sperabamus, se iam a spe quodam modo decidisse ostendunt. *Et nunc super hæc omnia tertia dies est, hodie, quod hæc facta sunt.* Hodie igitur secundum promissionem suam resurrexisse debuerat, quem tamen vtrum resurrexerit, ignoramus. *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quę ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes: se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere, & abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, vt mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenerunt.* His audi[illegible]s secretorum omnium cognitor, & videns amare, & dubitare, Eorum infidelitati respondens ait, *o stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quę locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & resurgere a mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Et incipiens a Moyse, & omnib. prophetis interpretabatur in omnibus scripturis, quæ de ipso erant;* & merito quidem amorose Dominus incepit, quoniam & inter alios prophetas erat pluribus in locis Christi passionem, & resurrectionem plenissime significat. Quale est illud de vacca rupha, quæ in libro numeri immolari iubetur, quale est illud de agno, & hædo paschali, quorum alter per domos comedebatur, alter vero ab omni populo circa vesperã immolabatur. De quibus ad Moysen, & Aaron Dominus locutus est in Ægypto dicens: *loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis, tollat vnusquisque agnum per familias et domos suas secundum numerum animarum, quę sufficere possint ad vescendum agnum, sin autem minor est numerus ad esum agni, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, erit autem agnus absq. macula masculus, anniculus. Iuxta quem ritũ tolletis, & hædũ immolabitq. eũ vniuersa multitudo filiorũ Israel ad vesperã.* Christus enim, & agnus est propter innocentiam, hędus dicitur propter similitudinem carnis peccati. De hoc enim dicitur: *ne coquas hædum in lacte matris suæ,* ad hunc autem vescendum vicinos, & propinquos inuitare debemus, in qua charitate, omnium salutem desideramus, innotescat vicinus, etenim noster Christi[illegible] quicumque ab ecclesia longe non est. Est autem [illegible] absque macula, quoniam sicut scriptum est *pec[illegible] cit nec dolus inuentus est in ore eius* Est aut[illegible] & anniculus, quia nihil habet molle, nihil fœmineum [illegible] ruptioni obnoxium nihil carnalis sentiens turbationis, [illegible] gnus quidẽ per domos comeditur, hædus vero ab [illegible] titudine immolatur, per quod apert[illegible]me de[illegible]tur [illegible] sacr[illegible]m quod modo in Eccles[illegible] d[illegible] [illegible]mitur, [illegible] quod [illegible]cidet in sacramẽtis, in ara cru[illegible] est [illegible] uis enim, & hoc & illud vnum, denique [illegible]ntum [illegible] liter fit. Vnde illum hædum occidunt [illegible] tores mundi Saluatorem deputantes, sicut scriptu[illegible] e[illegible] *ter iniquos deputatus est. Itemque nisi esset malefac[illegible]or, [illegible]bi tradidissemus eum.* Nos autem, quia innocentem sanctum & iustum, & sine omni cõtagione peccati Dei fili[illegible] e[illegible]dimus, agnum absque macula, & immolamus, & sum[illegible] Ideoque quamuis agnus, & hædus immolatur, solus tamẽ [illegible]gnus, a populo manducatur. Illud enim sacrifici[illegible] in isto sumitur, quia hoc in illud verissimè conuertitur: N[illegible] enim illud comederetur, nisi hoc in illud verteretur. F[illegible]tem mutatio hæc dexteræ excelsi: omnis autem mu[illegible] filiorum Israel hædum immolauit, sed quomodo ad vesp[illegible] quoniam proditor Iudas circa hanc horam cum Iud[illegible] tus, Christum vendidit, nummos accepit, atque altera die [illegible] ca horam vespertinam, idest post nonã Saluator noste[illegible] tum emisit. Vnde psalmista ait. *eleuatio manuum mearum [illegible] crificium vespertinum.* Sequitur. *Et sument de sanguine eius, & ponent super vtrumque postem, & insuper liminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Super vtrumque [illegible]nim postem agni sanguinem ponunt, qui & ore, & corde suscipiunt, vel etiam suscipientes Christi sanguinem esse credunt: Qui vero vt indignè suscipiunt, isti tantumodo vnum postem sanguinem ponunt. De quibus Apostolus *qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi ma[illegible] et bibit.* Nos igitur & ore sumentes, & corde Christi [illegible]guinem esse credentes, in vtrumque postem eum ponamus, & corpore & mente suscipiamus. Cum autem crucis signum quę Christi sanguine cruentata est in nostris frontibus facimus: Tunc insuper liminaribus domorum Christi sanguinẽ ponimus. Sequitur. *et edent carnes nocte illa assas igni, et azimos panes cum lactucis agrestibus.* Idem enim hoc in loco, & per carnes, & per panes azimos intelligimus, & bene vtrumque posuit, quoniam de panibus hæ carnes sunt. Has autem cum lactucis agrestibus comedunt, qui corde cõpuncto, & humiliato eas suscipiunt, et crucis amaritudinem Christi compatientes in cordis palato quodammodo sentiunt. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Non sunt enim hæ carnes crudæ, quia p[illegible] est Christus, neque in aqua coctę, quia non occultè, sed palam & cunctis videntibus est crucifixus. Latent enim carnes, quæ in aqua coquuntur, neque apparent quando coquuntur. A[illegible]parent autem, quæ assantur, neque celari possunt qua[illegible] assantur. Talis igitur fuit passio Christi, quia cunctis vid[illegible]tibus est crucifixus. Redolet caro cũ assatur, redolet, & [illegible]sio Christi. *Caput cum pedibus eius, et intestinis vorab[illegible] remanebit ex eo quicquam vsque manè.* Caput enim Christi, sicut Apostolus ait, Deus est. Pedes vero qui terram [illegible] eius carnem significant, quæ de terra assumpta est. Quid v[illegible]ro eius intestina nisi occulta omnia, & profunda mysteri[illegible] [illegible]put igitur illius cum pedibus, & intestinis vorant, qui & Deũ & hominem eum esse credunt, & quæcumque de eo [illegible] sunt dignè fideliterque suscipiunt. Non enim sufficit [illegible] Dominum, & hominem eum esse credamus, nisi intestin[illegible] quoque eius suscipientes, & de virgine natum, & circumcis[illegible] & veraciter passum, & die tertia resurrexisse, & cętera, quę de eo scripta sunt indubitanter crediderimus. Vnde et subdi[illegible]tur, nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Omnia su[illegible]mantur, omnia credantur, nihil de ho[illegible] [illegible]o remaneat quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem vitę huius fi[illegible] intelligitur, quando Christus sol iustitiæ apparebit, & fuga [illegible] tenebras nox vlterius non erit. Tunc autem non erit ten[illegible]

conuer-

conuertendi, vel agni carnes comedendi, quia qui tunc credere incipient, eum fatuis virginibus audient. *Amen dico vobis neſcio vos? Si quid reſiduum fuerit igne comburetis*. Reſidua enim ſunt quę comedi nequeunt vt eſt pellis, & oſſa, pellis etenim agni caro Chriſti eſt. Quæ quidem qualiter Deo vnita, qualiter verbum caro factum eſt, neque dici, neque intelligi poteſt. Sed quis illa oſſa comedere, vel vt ita dixerim, corrodere valeat, vt qualiter ante omnia tempora ſit a patre genitus diuitiſſime ſi licuerit, ſemperque inueſtigando intelligat: Sunt autem, & alia multa, quæ quoniam comedi, & intelligi non poſſunt, charitatis igne fideique ardore comburantur. Sufficit enim credere, ſi non datur intelligere. Plures enim credendo quam intelligendo has carnes comedunt. Comedant igitur qui poſſunt, qui vero non poſſunt, credant charitatis igne comburantur. Sequitur: *Sic comedetis illum, renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes. Eſt enim phaſe, id eſt transitus Domini*. Renes quidem accingere eſt caſtitans, & continentiæ cingulo luxuriam reſignare. Vnde ipſe Dominus ait: *ſint lumbi veſtri præcincti*. Calceamenta vero in pedibus habent, qui, quaſi alias pergere parati, peregrinos ſe in hoc mundo eſſe cognoſcunt: Et iſti quidem viam mandatorum Dei currẽtes, ſecurè, & ſine timore, vt potè bene calceati ſuper ſerpentes calcant, & ſcorpiones. Baculus autem in manibus teneant, vt ſe ab incurrentibus aduerſariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus eſt tibi: hoc enim ſuperbiam vincis. Habes caſtitatem, & hic baculus eſt, quo luxuria ſuperatur. Sed quid multa? Quot virtutes, tot baculos habes. Sic igitur præparetur, ſic muniatur, ſic armetur, qui has carnes comedere venit. Cito autem, & feſtinantes comederis eas, vt cum Dominus venerit, iam pleni, & ſaturi ſitis: ne tunc credere incipiatis, quando per fidem liberari debetis. In fide namque ſuſcipienda nulla mora debet eſſe. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horã*. Chriſti præterea paſſionem, & reſurrectionem alibi quoque ſignificans Moyſes ſcribit qualiter Iacob filium ſuum benedixerit, de cuius progenie Dominus natus eſt. Dicens ei: *Iuda te laudabunt fratres tui manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui, catulus leonis iuda: ad predã filimi aſcendiſti requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leęna quis ſuſcitabit eum?* Ad predam enim Chriſtus in crucem aſcendit, quia de Diaboli poteſtate morte ſua mundum eripuit. Sed quaſi leo accubuit, quia in ipſa morte fortitudinẽ amiſit. Quis autem ſuſcitauit eum, niſi Deus pater, & diuinitas ipſa, quæ in eo erat. Similiter autem, & Dauid Chriſti paſſionem & reſurrectionem ſignificans ait. *Ego dormiui, & ſomnum cepi, & reſurrexi quia Dominus ſuſcepit me*. Itemq. *Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia oſſa mea. Et diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Et in Iſaia: *corpus inquit meũ dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meã non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me*, Et alibi, *verè languores noſtros ipſe tulit, et dolores noſtros ipſe portauit. Propter ſcelus populi mei percuſſi eum, et dabit impios pro ſepultura, et diuitem pro morte ſua*. Quęris fortaſſe quis ſit iſte diues, & impius pro morte, quam, & ſepultura ſua Dominus dedit? Diues iſte, & impius populus iudaicus intelligitur. Diues quidequis legis, & Prophetarum diuinis ſpiritualibus abũdabat, & terram lacte, & melle fluentẽ poſſidebat. Impius autem, qui Dominũ, & creatorem ſuum damnare non timuit. Hunc autem dedit dominus pro morte ſua, quia eum occidit, & pro ſepultura, quia etiam ſepulcrum, ne reſurgeret, cuſtodiuit Sed quibus dedit: Romanis vtique, vt adimpleretur quod ſcriptum eſt. *Quod timet impius veniet ſuper eum*. His enim in perpetuam ſeruitutem, & vltimam infelicitatem propter Chriſti mortem Iudęi traditi ſunt. Dum hęc, & ſimilia eis Dominus loqueretur, & prophetarum illis teſtimonia interpretaretur, *appropinquauerunt caſtello quo ibant*. Et tunc quidem non ſolum corpus habitudine ſcilicet, & ipſa facie quam ſe longius ire voluerit, longius ſe tamen ire oſtendit. Sic enim, vt ſuperius dicitur, quod Samaritani noluerunt recipere eum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem. Hoc igitur modo probabat eos Dominus, quo affectu, & qua charitate peregrinos ſuſcipiebant. Quatenus et nos ab eis diſcamus, qualiter eos ſuſcipiamus. Si enim aliter eos tenere non poſſumus, piam eis violentiam inferre debemus. Vnde & hic dicitur: *et coegerunt illum dicentes. Mane nobiſcum quoniam aduesperaſcit, et inclinata eſt iam dies, et intrauit cum illis, et factum eſt dum recumberet cum illis. Accepit panem, & benedixit ac fregit, et porrigebat illis*. Sic facere ſolebat quando adhuc inter eos conuerſabatur. *Et aperti ſunt oculi eorum*. Aſſuetã eius conſuetudinem videntes, & *cognouerunt eum. Et ipſe euanuit ex oculis eorum*. At illi gaudio pariter, & mętore commoti, *dixerunt ad inuicem, nonne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret ſcripturas?* Quare eum non tenuimus, quare ad pedes eius non cucurrimus? Quare nobis ipſis, & cordibus noſtris non credidimus. Vbi eum quęremus? vbi inueniemus. *Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, et inuenerunt congregatos vndecim, et eos qui cum ipſis erant dicentes. Quod ſurrexit Dominus vere, et apparuit Simoni, et ipſi narrabant, quę geſta erãt in via, et quomodo cognouerunt eum in fractione panis*. Conſidera modo quanta lętitia fuerit, dum illi, & illi viciſſim ſibi ſua gaudia nuntiarent, numquam autem tam bene cognoſcitur Ieſus, ſicut in fractione panis. Panis iſte ſpiritualis eſt, non carnalis panis iſte cibus animæ eſt, hoc pane nutritur anima, & pingueſcit intelligentia. De hoc pane ſcriptum eſt: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* de hoc pane per prophetam dicitur. *Paruuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*. Miſeri Iudæi, qui panem quidem habent ſed qui panem eis frangant, non habent, Nobis autem fregit panem, nobis ſcripturas expoſuit, & ſenſum aperuit Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum Amen.

FERIA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore *ſtetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Epiſcopi.

LOquebantur Diſcipuli de Ieſu, & ea quæ viderant in commune referebant, cum ſtatim ipſe affuit, & ſua eos præſentia reddidit certiores. Semper enim in medio illorum eſt Ieſus, qui pie loquuntur de eo, qui congregantur in nomine eius. Vnde ipſe ait. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Pacem autem eis commendat, pacem eos habere perſuadet, quia ſine pace impoſſibile eſt placere Deo. In eis enim habitat Dominus, qui pacem, & concordiam diligunt. Vnde pſalmiſta: *Et factus eſt inquit in pace locus eius*: Sequitur, *ego ſum nolite timere*. Ego inquit, ſum, cognoſcite me non in ſpiritu, vt putatis, ſicut corporaliter me videtis. *Conturbati enim, et conteriti*, non ipſum Dominum quem videbant, *ſed ſpiritum ſe videre* putabant. *Et dixit eis, quid turbati eſtis, et cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* Nihil eſt quod cogitetis, quia nõ phantaſticum aliquod, ſicut veritatem videns, & protinus eis manus et pedes oſtendens ait. *Videte manus meas: et pedes meos, quia ego ſum ipſe*. Cognoſcite vel vulnerum cicatrices, ſi me nec in perſona, nec in voce cognoſcitis *Palpate et videte quia ſpiritus carnem, et oſſa non habent, ſicut me videtis habere*. Ideo enim ſuorum vulnerum cicatrices Dominus reſeruauit, vt in eis diſcipulorum corda ſanaret, & in ſe ipſo oſtendendo vulnera carnis, ſanaret vulnera mentis. Sciebat enim quod Apoſtolus Thomas aliquando dicturus eſſet. Niſi videro in manibus eius Fiſſuras clauorum, & mittam digitum meũ in locũ clauorũ, & mittã manũ meã in latus eius non credam. Propter hoc igitur cicatrices delere noluit. Quia ſi voluiſſet delere, omnino potuiſſet. Nemo autem hic argumentando nos cum omnibus noſtri corporis cicatricibus reſurgere

surgere arbitretur, quoniam nihil in Sanctorum resurgeret corporibus quod inconueniens vel indecens videatur. *Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.* Hoc igitur offeramus & nos, semper hæc oblatio inueniatur in nobis. Hoc enim cibo ipse delectatur, quia in hoc cibo fides nostra continetur, in Christi quo passio & resurrectio, in quo & vitæ nostræ perfecta forma significatur. Quia enim & de ipsius passione dolemus, & iterum de eiusdem resurrectione gaudemus, vtique offerimus ei & piscem assum pro passione, & fauum mellis pro resurrectione. Nam & Beatus Paulus piscem assum ei offerebat cum diceret; *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Itéq; *quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non vror?* Multum enim ille piscis assatur pro omnibus vritur. Omnes enim pisces sumus, quicunque in baptismo natauimus. Offerimus autem Domino & fauum mellis, quando eius amoris dulcedine pleni sumus, cum psalmista dicimus. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et fauum ori meo.* Hoc enim cibo nobiscum reficitur Iesus, quo & ipse delectatur, & mentes nostræ pinguescunt. Vnde & subditur: *et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Christi namque reliquias sumimus, si eum imitamur, & eius sermonẽ seruamus. Eius namque reliquiæ sunt hæc Euangelia, quæ ad comedendum & agendum ipse nobis reliquit. His enim mẽs nititur, reficitur anima, pinguescit intellectus; Vnde & subditur. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me.* Tunc *aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Dedit igitur eis reliquias, dedit & dentes, quibus eas comedere possent. Has enim comedere nequeunt, quibus sensus diuinitus non aperitur. *Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est*, quod vos quid quam vsq; nunc scripturas non intelligebatis, sic scriptum est nesciebaris, *et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine eius pænitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem estis testes horum*, vobis prædicantibus & testantibus vbi quæ hæc omnia firmabuntur. *Et ego mittam promissum patris mei in vos.* De quo propheta: *erit*, inquit, *in diebus illis effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt. Vos autem sedete in ciuitate quoad usque induamini ex alto.* Nemo igitur ab Ecclesia recedat. Quicunque hac virtute indui desiderat, hæc enim nulli virtus datur, qui extra hanc ciuitatem inuenitur. Vnde & sacri canones negant hæreticos dare posse Spiritum Sanctum. Ideoque a Catholicis consignari præcipiunt qui ab eis baptizati sunt.

FERIA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *manifestauit se iterum Iesus discipulis suis.* Et reliqua.

QVid est enim quod Apostolus Petrus de piscatione à Domino vocatus ad piscationem iterum redijt? similiter autem & filij Zebedæi. Ipsi enim sunt quibus dixerat. *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum.* In hoc igitur ostenditur, in his & similibus operationibus victum quærere quotidianum non esse peccatum. Vnde Apostolus proprijs manibus laborans vnde viuat, cęteros quoq; ad laborandum inuitat dicens. *Laboret vnusquisque operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Exierunt, & ascenderunt in nauem, & illa nocte nihil prendiderunt.* Quia in nocte laborabant, & nondum ad eos venerat Iesus. Insuper quia per se ad piscandum iuerant & ab alio missi non fuerant. Eos enim adhuc significabant, qui non ex præcepto canonum, sicut proprio arbitrio Ecclesiam regere, & prædicare veniunt; Tales enim pisces Dei fugiunt, & eorũ retia intrare, eorumque prædicationes dedignantur. *Mane autem iam facto, stetit Iesus in litore, non enim cognouerunt discipuli quia Iesus est.* Ecce iam aliud significare incipiunt, quia iam non in nocte laborabant, ad diem veniunt, & Dominum vident. *Dicit ergo eis Iesus. Pueri nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei. Non: dicit eis. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Ac si diceret. Ego hac vice nõ misi vos, in nocte venistis, sinistrorsum laborastis, & ideo nihil prendidistis. Nunc ergo mittite in dexteram nauigij rete, ex præcepto meo laborate, meam doctrinam prædicate, nesciat sinistra vestra, quid faciat dextera vestra, & inueni... dextera igitur piscari est, veram & Catholicam doctrinam sincero affectu ac mundo corde prædicare. Piscatores enim Apostoli sunt Episcopi & Sacerdotes. Retia vero hæc Euangelia. Pisces autem omnes fideles intelliguntur. Tales enim pisces in baptismatis flumine narant. Tales retibus Euangelij, & hamo fidei capiuntur. *Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Magnum miraculum per totam noctem laborantes nihil cęperunt, & tam subito ad Domini iussionem tanta piscium conuenit multitudo, possumus autem per hanc primam, & nocturnam piscationem eam prædicationem intelligere, quam tunc apud Iudæos Apostoli habuerunt, quando eis videre nolentibus Apostolus ait. *Vobis primum oportebat loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, & indignos vos inuenistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quid est enim ecce conuertimur ad gentes; nisi quod hic dicitur, mittite in dexteram nauigij rete? Quia enim pisces Iudaici fluminis Apostolorum retia intrare noluerunt, ad flumina gentium Apostoli missi sunt. Et tunc quidem Doctores piscatores in nocte, quando auditores interius excæcati veritatem non intelligunt. Misere ergo in dexteram nauigij rete, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Hoc est enim quod ait: *annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Quo viso miraculo Discipulus ille, quem diligebat Iesus, dixit Petro. *Dominus est: Simon Petrus* ergo *cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se: erat enim nudus, & misit se in mare.* Vbiq; Petrus feruentioris fidei, & maioris dilectionis inuenitur. *Alij autem Discipuli nauigio venerunt. Non enim longe erant à terra.* Quid enim per hanc terram nisi viuentiũ intelligimus? A qua isti longe non erant, quia corporeis vinculis resoluti, cito illuc ituri erant. *Quasi cubitis ducentis trahentes rete piscium.* Centenarius numerus perfectus est, qui tunc quid duplicatur, quando sermone & opere adimpletur. Trahunt igitur Doctores rete piscium cubitis ducentis, quando sermone, & opere per se ad ęternam vitam ducunt audiẽtes. *Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas*; hoc enim cibo Christi piscatores, & prædicatores semper recreantur, & vires suscipiunt, quotiescunque fatigati ab hoc opere redeunt. Quotiescunque enim prunas, & piscem prunis superpositum & panem vident, quotiescunque Christi passionis, & prædicationis recordantur, toties fatigationis, laboris, & omnium suarum angustiarum obliuiscuntur. Quid est enim piscis prunis assus, nisi Christus in cruce passus? Quid est enim panis nisi Euangelij prædicatio, qua eos Dominus reficere solebat dicens: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* His enim Apostoli recreantur, his animantur, & satiantur, & ad dolorem iterum incitantur. Dicit enim Iesus: *Afferte de piscib. quos prẽdidistis nunc.* Semper enim Apostoli & Doctores pisces Domino afferunt, semper exemplo, & doctrina fidelium animas ad eum ducunt. Vnde & subditur; *Ascendit ergo Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti essent, non est scissum rete.* Boni pisces erant isti, à quibus rete scissum non est. Mali pisces hæretici, & Scismatici, Euangeliorum retia quotidie scindunt. Sed quid per centum quinquaginta tres pisces, nisi omnes baptizatos, & fideles intelligimus? Hoc enim significant tres, quod centum quinquaginta. Si enim in ęquas partes centum quinquaginta diuidamus, tres & non amplius quinquagenę fiunt. Tres enim sunt mundi partes, quæ per tres pisces, & tres quinquagenas

genas significantur. Asia videlicet, Africa, & Europa. Inde est, quod mulier abscondit fermentum in tribus satis farinæ, donec fermentatum est totũ. Vnde est quod in cruce titulus hebraice, grecè, & latinè scribitur? Capiunt igitur Apostoli tres pisces, & centũ quinquaginta, quoniam eorũ exemplo, et sermone ducuntur, quicũq ex his trib. mundi partib. ad Ecclesiam veniũt: Merito deniq. cẽtũ quinquaginta, & tres pisces capti referũtur, quoniã in huius numeri sacramẽto, idest in fide Trinitatis, omnes Christi in baptismate fidei retib. capiũtur, dũ in nomine patris, & filij, & Spiritus Sãcti, & merguntur & extrahuntur. *Dicit eis Iesus: venite, prandete, & nemo audebat discumbentium interrogare eum, tu quis es? scientes quia dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter.* Quotidie Dominus nos ad prandium inuitat, quotidie nobis, & panem, & piscem apponit, quotidie nobis cibum Euangelicum, & sui corporis, & sanguinis delicias administrat. Dum enim Euangelia Iesu legimus, panis sui cibo nos internus reficit. Hic, & piscem, & assum nobis tribuit quia qualiter passus est, hic inuenimus. Hæc bene Christi retia trahere possunt, qui his cibis assidue non reficiuntur. *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cũ resurrexisset a mortuis.* De illis hic manifestationibus loquitur, quæ vel omnibus, vel pluribus in vnum collectis factæ sunt.

FERIA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore. *Maria stabat ad monumentum*, Et reliqua.

REcedunt discipuli, stat Maria & plorat. Adest Iesus mœrentium consolator, & pias mulieris lachrymas intuitur. Expectat quid mulier agat, neque ilicò se manifestat. Inclinat se illa, nec semel vidisse sufficit, nihil est satis amanti; prospicit in monumentum, & videt Angelos duos, qui nihil melius quam duo testamenta, significabant. Quibus nuntiantib. Christi natiuitatẽ, & passionẽ, & resurrectionẽ, & quecũq. de eo sũt plenissime instruimur, & docemur. Qui quoniã gaudiũ resurrectionẽ modo spetialiter nũtiare venerãt, nõ immeritò, sed digne satis in albis apparẽt, stat vnũ duorũ testamẽtorũ, quæ per Angelos figurãtur, ad caput Dominici monumẽti, & vnũ ad pedes, quia nunc de diuinitate, nunc de humanitate nobis loquuntur. Per Christi enim caput diuinitatem, & per pedes eius humanitatem intelligimus. Hoc enim significauit Moyses, qui cum de agno illo paschali, & significatiuo loqueretur ait. *Et comedentes carnes agni nocte illa cum azimis, & lactucis agrestibus. Caput, & pedes cum intestinis vorabitis.* Sed audiamus quid flenti mulieri Angeli dicant. *Mulier quid*, inquiunt, *ploras?* Non est plorandũ, sed plaudendum, hic dies lętitię est non męroris, lęta venimus nuntiare tibi. Sed potius ad illum respice quem tanto amore videre desideras. Dicit eis. *Quia tulerunt dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Magnus, inquit, dolor me flere compellit, magna tristitia coarctat viscera mea, quia tulerunt mihi dominũ meum, & nescio vbi posuerunt eum. *Hęc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nesciebat quia Iesus esset. Dicit ei Iesus, mulier quid ploras? Quem quæris?* Sciebat enim Dominus quid illa quęrebat, nec ignorando, sed consolando eam interrogabat, & ideo interrogationẽ duplicauit, vt audita voce eum cognosceret. *Illa ęstimans quia ortolanus esset, dicit ei; Domine si tu sustulisti eum dicito mihi, vbi posuisti eum, et ego eum tollam.* Quasi de cognito loquitur et quem ipsa diligebat, omnes scire cogitabat. *Dicit ei Iesus: Maria*, at illa vt se suo nomine vocari audiuit, mox eum cognouit, & a monumento, a quo prænimio amore oculos auertere non poterat, ad illum conuersa ait. *Rabboni?* Quid autem significet Rabboni, Euangelista exposuit, *quod dicitur Magister*. Statim autem vt cognouit eum, corruit ad pedes eius cui Dominus. *Noli me tangere: Nondũ enim ascendi ad patrem meum:* Ac si dicat, noli me manibus tangere, quem nondum fide tetigisti. Crede quia resurrexi, & quia inferno expoliato, iam secundum animam cęlos ascendi. Nec me quæras in monumento, qui vbique sum et loco arctari nõ possum. Nondum me credis ascendisse ad patrem, nondum me credis æqualem patri. Quid est enim ad patrem ascendere, nisi patri æqualem esse? Non altius extenditur pater, quã filius: Vbicũq. est pater, & ibi est filius. Nõ igitur eũ tãgat, neq. ad eum accedere præsumat quicumque talem, & tantum eũ esse non credit. Tenuit tamen illa pedes eius, sicut aliæ mulieres, de quibus alij Euangelistæ scribunt. *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, ad Deum meum, & ad Deum vestrum.* Nouissima verba, & quæ per se ipsum sæpe eis prædixerat: illis mandat quatenus ea audientes facilius crederent verum esse quod mulier nuntiabat. *Venit igitur Maria Magdalena annũtians discipulis quia vidi Dominum, & hęc dixit mihi.*

FERIA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *vndecim discipuli abierunt in Galilæam*. Et reliqua.

HÆc autem visio quando facta sit incertũ habeo, quoniã thomas, qui vnus erat ex istis, ante dies octo Dominum vidisse narratur. Sed non vacat a mysterio, quod de Iudæa in Galilęam discipulos suos Dominus ire præcepit, ibique se illis manifestare voluit? Narrant enim Euangelistæ mulieres ad sepulcrum Domini venisse, & Angelum eis dicentem audisse. *Nolite timere, scio enim quod Iesum quęritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Sed cito euntes dicite discipulis eius, et Petro, quia præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* Quid autem mulieres significẽt, et quare se illis post resurrectionem prius Dominus manifestare voluerit, cur etiam Petrus nomine vocetur, iam superius exposuimus: Dicendum est igitur quid per Galilęam, & quid per montem, ad quem eos venire constituit, significetur. Galilæa namque, quæ transmigratio interpretatur Ecclesiam significat: Ad quam, & de qua magna quotidie transmigratio fit. Magna quidem de peccatoribus transmigrantibus ad ipsam, magna vero, & de iustis ad cęlos transmigrantibus ab ipsa. Sed quid ad Ecclesiam venisse profuit, nisi & montem ascendamus in quo se Dominus videndum esse constituit? Mons iste, hoc euangelium mihi esse videtur, in quo Christi passio, & resurrectio nuntiatur, in quo et ipse suis fidelibus manifestatur, Sed vis audire Iesum suis discipulis in hoc mõte loquentem? audi, & intellige, *O stulti* inquit, *& tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ? Nonne sic oportuit pati Christũ, & resurgere a mortuis, & ita intrare in gloriam suam? Itaque palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet sicut me videtis habere.* Sunt autem & multa talia, quibus se Dominus in hoc monte suis discipulis manifestat. Vis etiã videre Iesũ in mõte Dauid idest in psalterio se manifestatẽ, & discipulos alloquentẽ: *Ego inquit dormiui, & somnum cępi, & resurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Et iterum. *Foderunt manus meas, & pedes meos dinumerauerunt omnia ossa mea, Ipsi vero considerauerũt, et inspexerũt me diuiserũt sibi vestimẽta mea, et super vestẽ meam miserunt sortẽ* Sed, quid dicimus? tot sunt montes, quot & prophetę. Tot sunt montes, quot & librorum volumina. De his enim montibus scriptum est: *Leuaui oculos meos ad mõtes, vnde veniet auxiliũ mihi.* Et alibi: *Vt quid suspicamini montes coagulatos, mons in quo beneplacitũ est Deo habitare?* venite igitur *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Ideo enim, & Apostoli in Galilęam abierunt, & in mõtẽ vbi constituerat illis Iesus *ascenderunt, & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt*. Ego quidem puto, quod illi, qui dubitauerunt hæreticos significabant, qui ex nobis quidem exierunt, sed non erant ex nobis. Sequitur

Et accedens Iesus locutus est eis dicens. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Qui enim secundum diuinitatem semper simul cum patre, & Spiritu Sancto omnium rerum potestatem habuit; nonne etiam secundum humanitatē omnium rerum potestatem accepit, vt homo ille, qui nuper passus est, & cœli, & terræ dominetur, neque iam solum modo Iudæorum, verum etiam omnium gentium et Deus, & Dominus esse credatur. Habet enim in cœlo potestatem coronādi quos, vult habet, & in terra potestatē eligēdi quoscunq. vult, quia & hic & ibi facit quicquid vult. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus Sancti.* Iam inquit nulla distinctio est, qui crediderit & baptizatus fuerit, omnes docete, omnes vocate, & baptizate, siue Iudæi fuerint, siue gētiles. Docete *eos seruare omnia quæcunq. mandaui vobis,* cui hoc videtur impossibile, solam charitatem teneat, & custodiat. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Magna promissio, magnus, & insuperabilis clipeus securitatis, ego inquit vobiscum sum, in vobis pugno, vos defendo, nihil timeatis, ite securi. Si enim Deus pro vobis, quis contra vos? Dicite ergo. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

SABBATO IN ALBIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Vna Sabbati Maria Magdalene venit manè.* Et reliqua.

QVantum ad litteram, magnus amor compellebat hanc mulierem, vt ante lucē ad monumētū Dominū quæreret. Quātū autē ad spiritualē intelligentiā, adhuc tenebris inuoluta erat, quia nōdū intenus illuminata Christi resurrectionē credebat. Vnde etiā illi a Domino dicitur, *Noli me tangere: nondū.n. ascendi ad patrē meū.* Sed quid mirū si resurrectionē mulier ignorabat, cum hic idē dilectus Domini discipulus de seipso dicat, quod nōdū sciebat scripturas quia oporteret eū a mortuis resurgere? *Cucurrit ergo & venit ad Simonē Petrū, & ad aliū discipulū, quē amabat Iesus, & dicit eis: tulerunt Dominū de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Quia enim in monumento Dominus nō erat, nō resuscitatū, sed sublatū eum esse credebat. Et hoc ideo quia adhuc ei tenebræ erant, & nondū mentis oculos apertos habebat. Dolebat tamen de corpore Iesu, quod iam vbi quæreret nesciebat. *Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.* Sed quomodo venerunt? Currendo vtique. Et hoc est quod ait; *currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumētum, & cū se inclinasset vidit posita linteamina, non tamē introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introiuit in monumētum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum sed separatim inuolutum in vno loco. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit.* Duo isti discipuli, duos populos significant ad Christum currentes, & ad fidem venientes, indęos scilicet, & Gentiles. Ex his enim Ecclesia tota consistit, & Ioannes quidem significat Iudæos, Petrus verò gentiles designat. Quoniam Iudaicus populus minor, & iunior est, gentilis nō maior & antiquior Ioāne. Sed Ioānes præcucurrit citius Petro, quia iudaicus populus priusquā gētilis ad fidei cognitionem venire cæpit Et venit ad monumētū, sed nō introiuit, quia Christi resurrectionē audiēs nō credidit. Si enim statim introisset, & linteamina tetigisset, cū ibi Christū nō esse sensisset resurrexisse, credidisset, sed quid per linteamina Christi, per indumētū verbi Dei, nisi literā intelligimus? quia verbū induiū nō apparet. Verbū vnq. φ in principio erat verbū & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbū φ quidē nisi literę velamine expoliatum fuerit, neq. videtur? neq. cognoscitur. Venit Ioānes ad monumētū, inclinauit se, idit linteamēna, sed nō tetigit, quia & iudęi vsq. hodie se ad legendū inclinant, literas vident, sed nō intelligūt. Tāgere enim intelligere, est. Nunc autē videamus quid Petrus quoq. fecerit, qui post Ioānē ad monumētū venit. Venit Simō Petrus sequēs eū. Et quid fecit? Et introiuit in monumentū. Si nō introisset, non cognouisset. Introiuit ergo & vidit deligenterq. inspexit sola linteamina ibi posita esse, & illum resurrexisse cognouit, qui in illis linteaminib. prius in uolutus latebat. Sic & nos, cū ad librū accedimus, idest ad monumentū Christi, in quo eius mortis & resurrectionis recordamur, & amonemur, dum intelligendo intramus, literæ velamēta reuoluimus, mox Christū Dominū resurrexisse cognoscimus. Cum enim legimus *ego dormiui, & somnum cępi, & resurrexi, quoniā Dominus suscepit me,* Si tamē hoc monumentū cū Petro intramus, intramus autem si intelligimus, & literæ velamenta reuoluimus, Christū Dominū resurrexisse cognoscimus. Hoc autē iudęi nō cognoscūt, quia, & si monumētū, & linteamina, idest librū, & literas videant, illuc tamē ad intelligendū non intrāt. Vsitata locutio est vt in illā sententiā nos nō posse intrare dicamus, quam intelligere nō valemus. Videamus etiā quid sudariū significet, quod super caput eius positum fuerat, si enim, vt Apostolus ait: *caput Christi Deus est.* Quid sudarium, quo tegitur caput nisi illam scripturam designat, quæ loquitur de diuinitate? Vis videre sudarium quo tegitur caput Christi? lege huius euangelij caput: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum,* Vnde & bene de hoc sudario dicitur quia nō cū cęteris linteaminib. positū, sed separatim in vno loco erat inuolutū, quoniā magna distātia est inter eas scripturas, quę de Christi diuinitate, & eas quæ de eius humanitate loquūtur. Hinc est quod de quibusdā separatis sacrificijs nemo comedit, nisi Aaron cum filijs masculis. Sequitur. *Tunc ergo introiuit et ille discipulus, qui venerat primū ad monumentū, & vidit, & credidit.* Hoc est enim quod Apostolus ait: *Cum plenitudo gentium introiuit, tunc Israel saluus fiet.* Prius igitur necesse est, vt Petrus introeat, cum tanta gentium plenitudine, quę per eū significatur. Et sic postea intrabit Ioānes cū iudæorū populo, qui per eū designatur. Quod autem ait, *& vidit, & credidit,* nō planē de resurrectione, sed de his quæ mulier dixerat Dominū de monumento fuisse sublatū intelligi debet. Vnde & subditur. *Nondū enim sciebat scripturā, quia oporteret eum a mortuis resurgere.* Ideo enim scripturam nondū sciebat, quia adhuc linteamina a longe videbat. Diximus enim scripturam per linteamina significari.

DOMINICA IN ALBIS OCTAVA PASCHAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Cum esset sero die illa vna Sabbatorum.* Et reliqua.

QVicunque intelligit illud quod scriptum est. *Mors intrat per fenestras nostras,* intelligit etiam quid Apostoli significabant, cū clausis ianuis sedebāt propter metū iudæorū. Vno enim iudęorū nomine omnis ecclesię inimici significātur. Nā & vitia & maligni spiritus, hæretici, & tirāni, omnesq. Ecclesię persecutores, hoc vno nomine intelliguntur. Claudamus igitur fenestras nostras, claudamus ianuas corporis nostri nō tantū propter metū iudęorū quantū propter metū dæmoniorū, & falsas persecutiones hæreticorū, & corruptelas innumeras vitiorū. Ideo enim Apostolus ait: *Corrūpūt mores bonos colloquia mala.* Ideo, & psalmista ait, *auerte oculos meos ne videant vanitatē.* Multi enim videndo, multi audiēdo, multi loquēdo, & comedēdo perierūt. Istę igitur sūt illę fenestrę, istę illæ ianuæ, per quas mors ingreditur in hominē. Primi parētes sint nobis in exēplū. Nisi enim serpentis vocē audissēt, & male suadenti credidissent, nisi lignum vetitum vidissent, & pomū concupiscentes comedissent, in tantum baratrum nō corruissent. Hoc igitur Apostoli significabant, cum clausis ianuis in domo sedebant. Nemo autem miretur, si clausis ianuis corpore per resurrectionem glorificato ad discipulos Iesus intrauit, qui corpore mortali adhuc, & corruptibili de matris vtero exiuit clausa, & incorrupta semperq. Virgine matre permanente. Caro enim nostra post resurrectionem, & eiusdē naturæ erit, & alterius gloriæ. Pacem eis commendat, quia sine pace impossibile est placere Deo, & vbi pax non est di-

est discordia regnat. Vnde Psalmista. *Factus est in pace locus eius.* Pacem veniens attulit, & hinc abiens pacem reliquit. *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Sed quare manus et latus? vt videntes vulnerum cicatrices eum manifestius clariusq. cognoscerent, neq. iam alterius de illius resurrectione dubitarent. Sed quod tunc Dominus egit ad sanandum vulnera mentis, inde hæretici vulnerantur in mente. Qui hinc male argumentantur suis deformitatibus, et accidentib. nec ipsi resurrectione corpora nostra posse satiari. Quod si quid absit verum esset, multos sanctorum sine oculis, & manibus, sine pedibus, aliisque membris resurgere oporteret. Hunc autem errorem ille destruit, qui suis discipulis promisit dicens, quod *capillus de capite non peribit, Dixit ergo eis iterum pax vobis.* Consequenter eis pacē comēdat, quon iam tota perfectio Christianæ fidei, & religionis in pace, & delectatione cōsistit. Vnde & ipse discipulis ait: *Vnde cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Meos vicarios vos constituo, mea vice vos mando, meum officiū vobis cōmendo, ad docēdum, ad prædicandum, ad baptizandum, ad saluandum, ad meum, & patris nomen glorificandū vos mitto. *Hoc cum dixisset insufflauit, & dixit eis, accipite spiritum sanctum.* Cuius auxilio, & inspiratione hoc tantum onus ferre valeatis. Et fortassis ideo insufflauit, vt per hoc intelligamus, firmiterq. credamus, quia ipse spiritus sanctus sicut a patre, ita & ab ipso procedit. Sed dixit aliquis. Si modo discipulis suis dedit spiritum sanctum, quid est quod superius ait, *nisi ego abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos?* Dedit enim modo discipulis suis Dominus Spiritum sanctum, sed non ea plenitudine, quæ postea daturus erat. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Quorum inquit peccata remiseritis, siue per baptismū, siue per pænitentiā, siue per sanctā conuersationem remittuntur eis, & quorum retinueritis, siue per illorū infidelitatem, siue per cor impænitens, siue per inobedientiam retenta sunt. Hæc sunt enim quibus vnusquisque, vel soluitur, vel legatur. *Thomas autem vnus de duodecim, qui dicitur Didimus non erat cum eis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli. Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locū clauorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ecce ad quid Dominus suorum vulnerum cicatrices seruare voluit & delere noluit, quia in eis discipulum sanare, vt eius mentis vulnera curare disponebat. Tamen hæc dubitatio Apostoli Thomæ, multos alios confirmat, & a dubitatione liberat. Hæc scripta enim non essent, si Thomas non dubitasset. Prodesunt autem hoc multis legentibus, & audientibus vsq. ad seculi consummationem. *Et post dies octo iterum erāt discipuli eius intus, & Thomas cum eis venit Iesus ianuis clausis, et dixit eis pax vobis.* Deinde dicit Thomæ, vt in eius latus digitum mittat manus videat, & iam nō sit incredulus sed fidelis. *Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.* Quid est Dominus meus, & Deus meus? Iam nihil dubito, certus sum confirmo resurrectionem, prædico immortalitatē. Tu es Dominus meus, & magister meus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuę. Tu es deniq. Deus meus, qui me creasti, pro me carnem suscepisti quam vt me redimeres morti tradidisti & vt me tecū resuscitares nunc a mortuis resurrexisti. Hęc fides est mea, ita sentio, & ita credo, *ait ei Iesus. Quia vidisti me Thoma credidisti beati qui non viderūt, & crediderunt.* Si enim ideo credidit quia eum vidit, constat, quia si eum nō vidisset, non credidisset. Vnde merito beati sunt qui corporeis oculis eum non viderunt, & hæc his similia, audientes in eum crediderunt. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Signum enim fuit quod clausis ianuis ad discipulos intrauit, *hæc autem scripta sunt vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credētes vitam habeatis in nomine eius.* Hæc enim sola sufficere poterant ad fidei documentum, etiam si alij Euangelistę, cætera eius facta non scripsissent.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM. Paschæ.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis, Ego sum pastor bonus.* Et reliqua.

EGo inquit *sum bonus pastor.* Audite hoc pastores, & a me vno pastore boni pastores esse discite. Bonus enim pastor est, qui animam suam dat pro ouibus suis. Hæc est diffinitio boni pastoris, hoc ego feci, hac et vos facite si necesse fuerit. Maiorē enim dilectionem nemo habet quam vt animā ponat quis pro amicis suis. *Mercenarius autem, & qui non est pastor cuius non sunt oues propria videt lupum venientem, et dimittit oues et fugit.* Bonus Pastor fuit Iacob, bonus pastor, & Moyses, bonus pastor erat, & Dauid, qui pro tuendis ouib. vrsis, & Leonibus, quamuis puer esset adhuc se obijcere non timebat. Nam & Leonem, & vrsum ipse interfecit, sicut ad Saul loquens ipse testatur. Illi enim vrsi, & illi Leones vitia, & malignos spiritus, hæreticos, & scismaticos significabant, cōtra quos nunc Ecclesiæ pastores pugnant, & dimicant. Non erat ille mercenarius qui dimissis ouis fugeret, & luporū impetus formidaret. Ille igitur bonus pastor hunc pastorem optimum significabat, qui modo in hoc euangelio loquitur dicens. Sed vis videre etiam ipsum Dauid boni pastoris, diffinitionem quæ hic describitur adimplesse, & pro suis ouibus animam ponere voluisse? Cum enim Angelus ad populum descendisset, & euaginato gladio multos interfecisset, morti se ipse obijciens clamauit dicens. *Ego sum Domine qui peccaui ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Dicat itaque noster Dauid, filius autem illius Dauid, sed fortior quam ille Dauid, ego sum bonus pastor. Quod autem pastorem se Dominus dicit, dignatio est non promotio, inclinatio est non dignitatis alicuius aliqua sublimatio. Sed non dedignatur se pastorem dicere, qui pastores officium iniurias, & labores non est dedignatus subire. Ipse enim est, de quo propheta ait. *Sicut pastor gregem suum pascet, & in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit fœtas ipse portabit.* Cui autem non videatur iniuriosum esse, vt agnos, & oues fętidas, et sordidas in sinu congreget, & super humeros portet? Tales tamen erant oues Christi, tales prius erant omnes Christiani, quos ipse suo sanguine lauit, et aquis baptismatis mundauit, et proprijs humeris ad pascua reportauit. Sed dicat idē propheta qualis secundum diuinitatem sit, qui secundum humanitatem tantum se humiliare voluit. Quis inquit *mensus est pugillo aquas, aut cœlo, palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes & colles in statera?* Ipse inquit qui iniurias pastoris sustinuit, ipse est qui fabricauit cœlum, et terram. Ipse est, qui pugillo metitur aquam, qui pluuias guttas, et stellarum numerum nouit. Ipse est qui virtute omnipotentis trinitatis quasi trium digitorum operatione librauit in pondere montes et colles in statera; ipse in medio firmamenti terram stabiliuit, quæ suis librata ponderibus cum nullum habeat fundamentum, nusquam tamen cadere potest Denique ipse est qui in pondere, & numero, et mensura omnia fecisse legitur. Certum enim pondus, et certum numerum, certamque mensuram omnibus posuit, vltraque se extendere nulla valet creatura. Tot igitur erunt homines, quot ipse disposuit, eius ponderis grauitatem, et fortitudinem, eius virtutæ sapientiæ honoris, dignitatis quantitatem, et mensuram vnusquisq habebit, quam ipse ante tempora habere disposuit. Ideo enim et ventis pondus dedisse legitur, quia angelicis potestatibus, et iustorum animabus eam grauitatem, et fortitudinem tribuit, quem superbię grauitate a proprio statu mouere nō possit. Hāc autē grauitatem, et hæc pondus, ille non habuit, qui superbię leuitate eleuatus dixit, *in Cœlū ascēdā super astra Dei exaltabo solium*

meum: In voluntate igitur tua Domine vniuersa sunt posita: & non est qui possit tue resistere voluntati. Sequitur.

Mercenarius autē, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. Mercenarius enim est ille Episcopus, qui in pascendis, & regēdis ouibus sola temporalia, & transitoria quærit, qui non amore Cœlestis patriæ, sed pro lucro, & mercede rerum temporalium oues dominicas pascit. Et iste quidem apud Deum pastor non est, & si ab hominibus pastor dicatur: hic autem non habet oues proprias, sed mercede conductas. Si enim propriæ essent, diligeret vt proprias, & se pro eis periculis obijcere non dubitaret. Sed videt lupum venientem, videt diabolum, eiusque satellites imminentes (satellites namque diaboli hæretici, & schismatici sunt, omnesque deceptores) & dimittit oues, & fugit. Dimittit vtique non auxiliando, veritatem non prædicando, constantiam, & patientiam non admonendo, & hæresi non resistendo. Vnde per Ezechielem a Domino dicitur: *non ascendisti ex aduerso, neq. opposuisti murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini:* Omnia enim hæc verba muti quidam sunt, quibus ab hæreticis oues Ecclesiæ defenduntur, his lupus pellitur, his vincitur, & fugatur. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Non enim fugeret, si mercenarius non esset, non fugeret, si pro amore, & charitate, & non pro mercede seruiret. Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Et ideo quidem fugit, quia non pertinet ad eum de ouibus. *Ego sum pastor bonus, et cognosco oues meas, et cognoscūt me meæ.* Nouit enim Dominus qui sunt eius. Cognoscere autem Deū diligere est. Vnde & quibusdam in iudicio dicturus est. *Amen dico vobis nescio vos,* idest non diligo vos. Alioquin, qui omnia scit, quomodo ignorare aliquid potest? Quod igitur ait: *& cognosco meas, & cognoscunt me meæ.* Tale est, ac si diceret, & diligo meas, & diligor a meis. Sed quomodo cognosco? Vis audire quomodo? *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem.* Sic inquit cognosco idest diligo meas, & diligor a meis, sicut diligor a patre, & diligo patrem. Vnde & in sequentibus ait? *Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos.* Itemq. *non pro his rogo tantum sed et pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorū in me, vt omnes vnum sint, sicut et tu pater in me et ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et animam meam pono pro ouibus meis.* Inde inquit probatur quod diligā eos, quia animam meam pono pro ouibus meis. Nisi enim eas dilexisset, animam pro eis non posuisset. *Et alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet vnū ouile, & vnus pastor.* Hoc est enim quod Apostolus ait: *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum* Iūxit enim duos parietes, vnum ex circumcisione, & alterum ex præputio venientem. Iudæis enim loquebatur Dominus, quibus se gentiles iungere promittebat, vt ex duobus populis vna domus ædificaretur, & vna Ecclesia construeretur. Facta est igitur pax inter Iudæos, & Gentiles: vnum est ouile, vnus est pastor: vnam legem tenent, vnum Deum adorant, & vnius pastoris vocem sequuntur. Hos autem duos ouium greges, hos duos Ecclesiæ parietes, Moyses quoque significauit, quando ex decem cortinis, iubente domino, tabernaculum fieri præcepit. Erant autē quinque cortinę in pariete vno ansulis iacinthinis sibi mutuo coniunctæ. Erant autem, et aliæ quinque in pariete altero simili modo sibi contextæ. Quinque vero, & quinque idem duo parietes aureis vinculis sibi inuicem iungebantur, ex quibus videlicet duobus parietibus vnum tabernaculum construebatur. Omnes autem cortinę opere plumario contextæ erant, pulchraque varietate distinctæ. Hæc autem quid significent, in Exodo exposuimus.

DOMINICA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis: modicum, et iam non videbitis me.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

MOdico enim tempore in sepulchro Dominus iacuit, quo eum discipuli videre non potuerunt. Et iterum modico tempore post resurrectionem eum viderunt: quia vt Lucas ait, *per dies quadraginta apparuit eis loquēs de regno Dei.* Et hoc est quod ait: *Modicum etiam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me.* Sed quare modicum *Quia ad patrem vado.* Si enim ad patrem non iret, non modico, sed multo tempore eum vidissent. Hæc autem discipuli non intelligentes dicebant: *Quid est hoc quod dicit nobis: modicum et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad patrem: Quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quod loquitur.* Sciebant enim discipuli quod ad patrem Dominus iret, quia iam multoties eis nunciauerat. Vnde & modo superius ait: *vado ad eum qui misit me: et nemo ex vobis interrogat me, quo vadis?* Et ideo nemo nunc modo interrogat quo vadis, quoniam certissime sciūt quia ad patrem vado. Hoc igitur solū erat quod Apostoli intelligere non poterant, & hoc solum discere cupiebant, quid illud modicum significaret, quo eum et viderent, & non viderent. *Cognouit autem Iesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis: de hoc quæritis inter vos, quia dixi modicum et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Hæc est igitur expositio, sed obscura. Et tale est ac si diceret; modo quidem non intelligitis quid significet modicum & non videbitis me,: sed me post modicum mortuo, & sepulto, vestrisque ab oculis sublato, quando pro morte mea plorabitis, & flebitis, quando & mundi amatores, scribę videlicet et pharisæi de mea morte gaudebunt, tunc vtique intelligetis, quid significet modicum, & non videbitis me. Intelligetis etiā quid significet illud quod sequitur: & iterum modicum, & videbitis me, quādo me die tertia resurgente tristitia vestra vertetur in gaudium. Gauisi sunt enim discipuli viso Domino. Vnde & psalmista, ad vesperum inquit *demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur numquidem tristitiam habetis.* Sic inquit fiet vobis, sicut fit mulieri prægnanti & parturienti: quæquidem cū parit, tristitiam habet, quia mortis hora aduenisse timet: sed tanta lætitia sequitur post partum, vt totius illius tristitiæ, & pressuræ non recordetur propter pueri natiuitatem. Sic igitur, & Apostoli quando pariebant, quando prædicabant, & baptizabant, quando per fidem adoptionis filios generabant: tunc quidem tristitiam habebant, quia moriendo pariebant. Pariebant vtique vt Apostolus ait: *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Itemque nam & si multos pedagogos habeatis, sed non multos patres: in Christo Iesu per Euangelium ego genui. Hoc autem significabat Racchel, quæ pariendo mortua est. Vnde, & filium moriens vocauit Benoni, idest filium doloris mei. Pariebant igitur Apostoli in dolore, quia propter hunc talem partum occidebantur, cruciabantur, & multos dolores, multasque angustias patiebantur. Beatus iste partus, quo tanta soboles tam nobilium filiorum vbique gentium germinauit. De hac quoque muliere prægnante, & parturiente Ioannes Apostolus in Apocalypsi loquitur, dicens, et signū inquit *magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta sole, & luna*

sub

pedibus eius: & in capite eius corona stellarum duodecim in vtero habens, vt cruciatur, vt pariat. Hæc enim mulier Ecclesia est, quæ sola pulchritudine, & splendore circum amicta multos suæ claritatis lumine ad se, & post se attrahit amatores. Sole namque vestitur, quatenus soli iustitiæ placeat. *Induite*, inquit Apostolus *nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Et luna sub pedibus eius.* Luna enim propter defectionem, suique mutabilitatem mundum significat. Vnde quia Iericho interpretatur luna: homo ille, qui de Hierusalem veniebat Iericho, a Domino descendisse narratur. Habet igitur Ecclesia lunam sub pedibus, quoniam cuncta terrena, & transitoria, & mutabilia despiciens pro nihilo ducens, sola cælestia concupiscit. Coronam vero in capite portat duodecim stellis, quasi duodecim margaritis ornatam. Hæc enim corona Apostolorum duodenus numerus intelligitur. Isti enim vicerunt, isti Ecclesiam coronauerunt, isti primi milites in capite positi, quasi stella in Ecclesia fulgent. *Et in vtero habens cruciabatur, vt pariat.* Multos enim in vtero multos quotidie filios Ecclesia parit. Non tamen sine cruciatu quodam atq. dolore, vnde, & in hoc Euangelio Dominus ait. *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius:* Et Apostolus. *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec christus formetur in vobis:* Maiores tamen in persecutionis tempore pariendo ecclesia cruciatus patiebatur. Ideo enim Sancti occidebantur, quoniã parere cupientes, ad baptismum alios inuitabant. Ibi enim parit Ecclesia, ibi enim legitimos filios Domino generat. *Et visum est aliud signum in cęlo, & ecce Draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus septem Diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Draco enim magnus, & rufus Diabolus est: qui in specie serpentis primum hominem decepit. Et nunc quidem propter sanguinem martyrum, quem fundere nõ cessat rufus apparet. Hic autem septem capita habere perhibetur, septem videlicet vitia principalia, quæ de matre superbia exorta sunt, ex quibus, quasi principijs, omnia alia vitia oriuntur. Hæc autem sunt vanagloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ingluuia, luxuria. Decem vero cornua, omnia alia vitia sunt, quæ ab his capitibus deriuantur. Quæ quoniam multa sunt eum numerũ ponere voluit, in quo omnes numeri continentur. Non enim progreditur numerus vltra decẽ. Sed ipse in se reuolutus omnes alios numeros cõplet. Quid igitur cornua decem, nisi cornua multa? Habet & in capitibus suis septem diademata, quia pro vno quoque vitio suam portat coronam. Quoties enim per inuidiam aliquem vincit, toties ab inuidia coronatur. Sic & in alijs. Possunt autem septem capita, septem hæresiarchæ, & decem cornua, decem reges intelligi, qui in tempore Antichristi nõ solum falsis prædicationibus, verum etiam tirannica potestate sanctam Ecclesiam affligent. *Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Quid enim per caudam nisi eius deceptionem intelligimus? Cauda igitur eius, idest ipsius calliditatis et hæreticæ prauitatis deceptio, tertiam partem stellarum cęli, multos videlicet, qui in Ecclesia fulgere videbantur, trahebat, & misit eos in terram, vt non iam Cęlestia, sed sola terrena, & transitoria diligerent, & inhiarent. De hac autem tertia parte iam sæpissime dictum est, quę quoniam neque in prælatorum neque in subiectorum numero continetur, hæreticos, & falsos Christianos eam significare diximus. *Et draco stetit ante mulierem, quę paritura erat, vt cum peperisset deuoraret filium eius. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus est filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum a Deo, vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.* Semper enim Ecclesię filijs diaboli insidiatur, Non enim magnopere de alijs curam habent. Sunt enim escæ eius electæ. Et secundum illud propheticum: fiduciam habet, vt influat Iordanis in os eius. Neminem enim ita persequitur, quemadmodum Ecclesiæ filios, & aqua baptismatis regeneratos, hoc est enim quod dicit. vt cum peperisset, deuoraret filium eius. Quod autem ait. Et peperit filium masculum, singularem pro plurali posuit. Nullum filium nisi masculum parit Ecclesia. Nam et si multas filias habeat, solę illæ illius sunt, quæ non mollitiem muliebrem, sed virile, & masculinum robur obtinere nituntur. Nam neque masculi propter sexum, sed propter fortitudinem, & costantiam, eius filij esse dicuntur. Tales autem in virga ferrea gentes regunt, tales vitia, & malignos spiritus superant, tales imperio forti, & insuperabili Dei Populos per rectam viam incedere docent. *Et raptus est filius eius ad Deum. ad Deum, & ad thronum eius.* Quotidie namq. Ecclesiæ filij ad Deum rapiuntur quotidie ad thronum eius ab Angelis deferuntur, atque ab ipsis faucibus deuorare cupientis sæpissimè præda subtracta, gaudens, & triumphans cœlos ascendit. Mulier autem in solitudinem fugit, quoties malorum vitans consortia ad mentis secretum, & ad Dei contemplationem Sancta Ecclesia se se confert. Vnde scriptum est. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Ibique locum habet paratum a Deo; Sed quomodo paratum? Vis audire quomodo? *Vt ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.* Sed qui sunt qui eam pascunt, nisi sacra volumina scripturarum? Lege Isaiam, & ipse te pascet. Lege, & alius prophetas, & ibi pascua inuenies nullis delitijs comparanda. De quibus dicitur: *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuę ibi me collocauit.* Per dies autem mille ducentos sexaginta omne tempus, in quo Antichristus regnabit intelligimus. Regnabit enim sicut scriptum est per tempus, & tempora & dimidium temporis, idest per tres annos, & dimidium in quibus Sancta Ecclesia verbi Dei pane nutrita, nullatenus ab eo separari poterit. Sequitur; *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Quando enim eos non videat, qui semper vbique omnia videt? De illa igitur visione dicit: quæ æterna est, & finem non habet, quæ semper in gaudio est, cuius lætitia, & beatitudo auferri non potest. Vnde & ait, *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

DOMINICA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. Vado ad eum qui misit me.* Et reliqua.

DIxerat superius Beatus Petrus *Domine quo vadis*, sed iam nunc eius sermonibus omnes edocti, & instructi, nemo eum interrogat, quo vadit, quoniam certissime sciuit, quia ad patrem vadit. Vt quid enim interrogarent quod sciebant, & vnde non dubitabant: *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implebit cor vestrum.* Videbat enim eos cõturbatos de recessu suo quem modo audierunt, & cognouerunt in sermone suo. Quis enim non doleret a tali, ac tam bono iam dulci, tamque suaui Domino separari? *Sed ego veritatem dico vobis expedit vobis vt ego vadam.* Quid enim veritas nisi veritatem dicere potest? Dicit igitur hoc non tantum sermonem suum confirmando, quantum illorum corda consolando. *Si enim non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos.* Quantumuis enim, & ibi, & vbique sẽper peraclitus erat, si quidem Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, aliter tamen venturus erat. Sic enim ante tempora prædestinatum fuerat, vt prius Dei filius de virgine nasceretur, moreretur, resurgeret, cęlos ascẽderet, & sic tandem spiritum sanctum consulandis discipulis mitteret. Sic erat dispositum sic præfinitum, & aliter euenire non poterat. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio.* Hoc autem exponit de peccato quidem quia non credunt in me. *De iustitia vero quia vado ad patrem, et iam non videbitis me. De iudicio autem quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Ecce tria posuit in quibus Spiritus Sanctus mundum redarguit. De quibus ipse

quoque Dei filius eum prius redargueret. Tale est igitur ac si diceret: Ego quidem ad patrem vado: Sed Spiritum vobis paraclitum mitto, qui mea vice vos doceat confirmet, & corroboret, qui in vobis & pro vobis loquatur, & per vos arguat mundum de peccato, & de iustitia, & de iuditio. De peccato quidem infidelitatis, quia non credunt in me. Et quia nõ credunt in me, iustitiam non operantur: Et ideo arguet eos ipse sanctus etiam de iustitia. Sed quare ipse vice mea, & non ego per me ipsum. *Quia ego ad patrem vado, & iam non videbitis me*. Ipse enim hanc redargutionem facere poterat nisi quia secundum carnem cælos ascendebat, & quia corporaliter in hoc mundo vlterius non manebat. Et non solum de peccato, & de iustitia, verum etiam de iuditio arguet mundum de peccato. De quo iuditio? de illo quidem de quo superius ait: *Nunc iuditium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras*. Vnde, & bene hic dicitur, de iuditio quidem, quia princeps mũdi huius iã iudicatus est, idest foras eiectus est, De tali namque iuditio ait psalmista. *Iudica Domine iuditium meum, & causam meam*. Itemque *Iudica iuditium meum, & redime me*. Quid est igitur iuditium mundi, nisi redemptio mundi? Quid est iuditium mundi, nisi iuditium in quo iudicatur, damnatur, & de cordibus fidelium eiicitur Princeps mundi. De hoc igitur iuditio arguitur mundus, quia tanti beneficij ingratus adhuc sequitur principem mundi. Arguitur ergo mundus de peccato, quia in Christum credere noluit, Arguitur, & de iustitia, quam eo docente audiuit & seruare noluit. Arguitur, & de iuditio, quo princeps mũdi est damnatus, & mundus ipse liberatus, sed tanti beneficij ingratus nondum Christum sequitur suæ salutis auctorem, sed potius Diabolum deceptorem. Potest autem & sic intelligi quod ait: *ipse arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iuditio*. Ac si diceret: ipse arguet mundum de peccato suo, & de iustitia mea, & de iuditio suæ prauæ electionis. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Si enim non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autẽ excusationem non habent de peccato suo. Arguet autẽ mũdum, & de iustitia mea, quam ego quidẽ habebam tunc cum me Dei filium esse dicebam. Ipsi vero e contra iniuste clamabant secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Hæc autem mea iustitia nunc manifestabitur, quia ecce. *Ego nunc ad patrem vado, & iam non videbitis me* Neque enim ad eum quasi ad patrem ire potuissem, si eius filius non fuissem. Et alij quidem omnes ibunt ad eum quasi ad dominum, solus autem filius iuit ad eum quasi ad patrem, Arguet præterea mundum spiritus sanctus de iuditio prauę suę electionis quo videlicet iuditio mundi principi, qui iam damnatus, & iudicatus est, seruire elegit, *& me suæ salutis auctorem dãnauit, & reprobauit*. Sequitur, *Adhuc habeo vobis multa dicere, sed non potestis portare modo* Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem Multa inquit *iam dixi vobis, multa adhuc habeo dicere vobis, quæ ideo non potestis portare modo, quia illam tantam mei spiritus plenitudinem, nõdũ vobis infundere volo*. Quare: Vt omnia suo tempore fiant, vt prius cælos ascendam, & tunc tandem effundã de spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, qui nihil docet nisi veritatẽ, de quibuscũq. rebus vos docuerit, sine alicuius falsitatis administratione integram, & perfectam omnemq. veritatem vos docebit. Et propter hoc quidẽ quia spiritus sanctus docet omnem veritatem, Dominus & Saluator noster de spiritu sancto dicere videtur quod omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunq. peccauerit in patrem dimittetur ei, & qui peccauerit in filium dimittetur ei, qui autem peccauerit in spiritum sanctũ non dimittetur ei neq. in hoc seculo, neq. in futuro. Vnum igitur peccatum est, preter ipsum nullum aliud est quod hominibus non dimittatur. Hoc autem est veritati credere nolle; Ideo enim pereunt Iudei, & pagani, quia veritati credere nolunt. Quicunque igitur est qui vult vt dimittantur peccata sua, credat veritati, & si Christianus non est conuertatur ad fidem, & baptizetur. Hoc enim veritas dicit quia qui non crediderit condemnabitur. Si vero Christianus est, credat veritati, recedat a peccato, peniteat, & dimittetur ei peccatum. Dicit propheta *de spiritu Sancto, hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Dicit, & Apostolus *per spiritum Sanctum. secundum duritiam autem tuam, & cor impenitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationem iusti iudicij Dei*. Hoc autem verum est, & omnino verum est, cui veritati quicunq. indurato corde credere noluerit dimittetur ei neq. in hoc seculo neque in futuro. Sicut autem proprium est filio carnem suscepisse, & mũdum a morte perpetua suo sanguine liberasse, ita & spiritui Sancto proprie pertinere videtur, vt a patre filioq. procedens, per Apostolos Ecclesiæq. Doctores omnem veritatem doceat, & præ[illegible] Vnde & Dominus ait. *Non enim estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Quamuis i[illegible] totam Trinitatem peccet, quicũque in vnam de tribus personis peccat, tamẽ proprie in Spiritũ Sãctũ peccare videtur, quicumque veritati non credẽs eius Doctrinę, & ma[illegible]ster [illegible] cõtradicit. Sequitur, *Non enim loquetur a semetipso, sed quęcũque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis*. Sic enim de se ipso ait; *Ego a me ipso non loquor*. Itemq. & *sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me*. Quod quidem sicut superius exposuimus tale est, ac si diceret, ego non sum a me ipso. Pater enim a nullo filius a patre, Spiritus vero Sanctus a patre filioq. procedit Non igitur loquitur a semetipso, quia non a semetipso. Loquitur tamen a semetipso, quia Spiritus vbi vult spirat, sed non tamen a semetipso, quia vnum sunt pater, & filius cum ipso. Tres igitur in vno loquuntur, quia tres vnum sunt. Dicat ergo. *Non enim loquetur a semetipso, sed quecunque audiet loquetur*. Quid est audiet? Neque enim intelligendum est, [illegible] in illa Trinitate inuisibili, & inseparabili vocalis aliqua, [illegible] clamosa collocutio fiat. In eo ergo se audiunt, quo idem sciunt, & volunt. Loquitur igitur quęcunque audiet idest quæcunque patrem, & filium velle cognoscet. Sicut enim voluntas communis est, sic & auditus. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Et hoc exponit, *omnia quacunque habet pater mea sunt*. Propterea dixi, *quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* Ille inquit *me clarificabit, idest meam claritatem vobis reuelabit, et per vos multis alijs me Dei esse filium manifestabit*. Et hoc ideo quia de meo accipiet. Si enim Spiritus Sanctus accipit de his quæ patris sunt, accipiet vtique quæ filij sunt, *quoniam omnia quęcumque habet pater filij sunt*. Est igitur Spiritus Sanctus, spiritus filij, si quidem, & spiritus patris. Pater enim ad filium refertur, & filius ad patrem. Spiritus vero Sanctus ad patrem, & filium. Si ad spiritum Sanctum nihil refertur. Est enim pater, filij pater, & filius patris filius. Spiritus verò Sanctus est, & patris, & filij. Si neque pater, spiritus pater est, neque filius Sancti Spiritus filius est. Nihil igitur refertur ad spiritum sanctum. Quoniam autem spiritus Sanctus, & Patris, & filij Spiritus est, vnde habet esse, idem habet & sapientem, & veracem esse. Quod enim est ei esse, hoc est ei sapientem, & veracem esse, & similia. Est enim spiritus sapientię, & intellectus, est & spiritus omnis veritas. Si hoc de patre filioque habet, & accipit, & hoc est vnde Dominus ait: *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*: Hæc autem quia omnium trium communia sunt, & substantialiter communia petant dixisse. Dominus si voluisti, & quia de meo, et suo accipiet, et annunciabit vobis. Nam & filius quando prędicabat, et de suo, et de his quæ patris, et Spiritus Sancti sunt, accipiebat, quoniam vna est sapientia, & veritas omnium trium. Vnde & ipse dicebat, mea doctrina non est mea.

Domi-

DOMINICA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem* Et reliqua.

Si consideremus, quibus hæc verba spectantur, propriéque dicantur, facilis est solutio. Apostolis enim loquebatur Dominus, quos in nomine Christi Iesu cęcos illuminasse, paralyticos curasse, mortuos suscitasse, & alia multa miracula fecisse legimus. Nihilque patrem in nomine filij petisse audiuimus, quod non acceperint. Vnde & quosdam male petentes Iacobus Apostolus redarguens ait: *petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* Itemque. *Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Apparet igitur his verbis Apostolum quoque ideo exauditum non esse, quòd in nomine Iesu, & bene non petisse. Simul enim non exauditum dicamus, qui quasi melius exauditur, se quod petebat non accepisse lætatur: Noluit eum exaudiri, postquam se male petisse cognouit. Atque meo exauditus melius est, quod de his, quæ petebat, exauditus non est. Est enim exauditus non de his, quæ petebat, sed de his, quæ volebat. Nemo autem sic exauditus, sicut ille, qui vtiliter accipit, quod vult. Sequitur. *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo*; Quid est hoc? Legimus enim Christi discipulos prius etiam, quam hęc eis Dominus diceret, in nomine Iesu Christi multos infirmos sanasse, & dęmonia eiecisse. Vnde & ad eum reuersi, vt Lucas ait, cum gaudio dicebant. *Domine etiam dęmonia in nomine tuo subijciuntur nobis.* Legimus etiam eos increpasse quendã, qui eos non sequebatur, eo quod in nomine Iesu Dęmonia eiecisset. Quid est igitur quod ait: *Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo*, cum manifestum sit eos in nomine Iesu tam multa petisse? Dicit fortasse eos petisse in nomine Iesu, idest non petisse ea, quæ pertinent ad salutem, sic enim hęc quidam intelligere volunt. Sed non est verum. Quid igitur dicemus: Dicunt discipuli: *etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Dicit magister: *vsque modo non petistis quicquam in nomine meo.* Tene igitur quod superius ait: *si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*. Deinde iunge quod sequitur, *vsque modo non petistis quicquam* subauditur a patre *in nomine meo* Quia enim non patrem, sed filium videbant, ad filium solummodo respiciebant. Sicut postquam filius cęlos ascendit, melius instructi, & a spiritu veritatis edocti, & patrem & filium rogare cęperunt. Vult igitur filius, vt quod in eius nomine petitur, a patre petatur, semperque pater in filio honoretur. Sequitur adhuc de ipsa petitione. *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit.* Dixit, vt peterent, & vt a patre peterent, & in suo nomine peterent. Nunc autem eos docet, quid petere debeant. *Petite* ait: Quid? vultis audire quid: *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Illud enim gaudium plenum est, quod perfectum, & integrum est. quod nunquam finitur, & æternum est. Hoc igitur petendum est, vt ad tale gaudium perueniatis. Quæ verò ab isto gaudio hominem separant, ea petenda non sunt. Sic igitur temporalia quæramus, vt mens, & desiderium ab æterno gaudio non separetur. Sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Audiamus semper quid hic dicitur. Petite, vt gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Accipietis vtique sed non modo accipietis, sed non in hac vita, hoc enim gaudium non accipitur, nisi post hanc vitam. *Quærite igitur primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis, veniet hora cum iã non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de patre nuntiabo vobis.* Hoc est enim, quod alius Euangelista ait, *quia in parabolis loquebatur Iesus, & sine parabolis non loquebatur eis.* In prouerbijs enim aliud auditur, & aliud intelligitur. Per illam autem horam, quam non in prouerbijs, sed palam se de Patre locuturum dicit, ab eius resurrectione omne tempus futurum significatur, siue per se inuisibiliter, siue per Spiritum Sanctum inuisibiliter eis loquatur. Adueniente namque Spiritu Sancto, nunc palam, & manifeste nunciatum, & reuelatũ est eis, quod prius de Patre ignorabant. Neque fuit necessarium, vt vlterius dicerent: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis,* videntes in patre filium, & in filio patrem, & in vtroque Spiritum Sanctum. *In illo die in nomine meo petetis.* In illo, inquit, die petetis in nomine meo, vt in virtutibus, quę per vos fient, glorificetur nomen meum, glorificetur & pater, quem vos petitis in nomine meo. Non enim dixit petetis nomen meum, sed petetis in nomine meo, vt ostenderet, a quo, & in quo petere debeamus. Superius dixerat, *in illo die me non rogabitis quicquam* nunc autem dicit *in illo die in nomine meo petetis*, quod vtique contrarium esset, si de eodem die intelligerent. Hic igitur dies est huius sęculi, ille verò alterius seculi. Hic ante iudicium, ille post iudicium. *Et non dico vobis, quia rogabo patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia a Deo exiui.* Postquã, inquit, cęlos ascendero, non dico me rogare patrem vobis, sed vos ipsi eum rogate in nomine meo, & quod volueritis, dabit vobis. Diligit enim vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia a Deo exiui. *Exiui a patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem* A patre exiuit, quia a patre genitus est; In mundum venit, quia per susceptam humanitatem, mundo se visibilem præbuit. Quomodo exiuit, nescitur, quia quomodo genitus est, ignoratur. Mundum verò relinquit, quia ad patrem vadit, non secundum diuinitatem, qua vbique est, sed secundum humanitatem, qua localis est. Dicunt ei discipuli eius. *Ecce nunc palam loqueris, nec prouerbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget.* Volebamus, inquiunt, te interrogare, quia illa, quæ dicebas, minime intelligebamus. Sed sine omni nostra interrogatione, tu ipse nobis ea exposuisti, de quibus te interrogare volebamus. Vnde pro certo scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. Et in hoc modo credimus, quia a Deo existi.

IN LITANIA MAIORI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Quis vestrum habebit amicum* Et reliqua.

HIs enim verbis admonemur, vt Spiritum Sapiẽtiæ, & intellectus ab eo quæramus, a quo est omnis sapientia, & cum quo fuit semper, est & ante æuum. Quatenus amicis nostris de via venientibus, & Sanctarum scripturarum panem petentibus, cibum spiritualem apponere valeamus. De hac enim Iacobus Apostolus ait: *si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Quando enim subiecti nostri nos de scripturis interrogant, tunc amici nostri veniunt ad nos. Et tantò quidem de longiori via, quantò longiùs sunt ab intelligentia. Oportet igitur nos habere, quid eis apponamus, & vnde illorum mentes famelicas reficiamur. Quod si non habemus, surgamus media nocte. Hæc enim nox ignorantia est, legamus, & scripturas perscrutemur, rogemus Dominum, vt mẽtis oculos nobis aperiat, & tres panes illos nobilissimos, & præ cunctis delitijs suauissimos nobis comodare dignetur. Tres enim istos panes legem, & prophetas, & euangelia intelligimus De quibus Moyses metaphorice ait. *Dominus de Sina venit, & de Seyr natus est nobis, apparuit de monte Pharam, & cum eo Sanctorum millia.* Tres isti montes, tres panes sunt, & tria modo dicta sacrarum scripturarum volumina. Sina enim legem significat, quia ibi lex data est. Seyr Prophetas, quia hyspidus interpretatur. Prophetę enim valde hyspidi, & asperi, & difficiles sunt. At verò

mons

mons Pharan, qui frugifer dicitur, euangelia designat, cuius semina præ cunctis seminibus vbique gentium fructificasse cognouimus. Venit igitur Dominus de Sina, quia eius aduentus pluribus in locis in lege, idest in libris Moysi annunciatur. Secundum illud Prophetæ, *vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audiens.* Ortus est autem de Seyr, quia eius ortus, & natiuitas manifestissime in prophetis inuenitur. Vnde Isaias: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* quia autem eius de monte Pharan apparuit natiuitas, passio, & resurrectio, quod egerit, & qualiter vixerit, in euangelijs declaratur. Hos igitur tres panes quæramus, sine quibus anima nostra non viuit, qui cunctis esurientibus sufficere possunt. Quæramus & non deficiamus, pulsemus & perseueremus, etiam si ille amicus noster vnicuique nostrum dixerit, *noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare vobis.* Hoc enim amicus noster idem Dominus, & Dominus noster, qui in tantum nos dilexit, vt mori pro nobis non dubitaret. Hoc inquit ipse non dicit, dicere tamen videtur, cum post multum laborem, præter multas preces, post multum intelligendi desiderium nos non exaudit. Quid enim sic erat vt sancta desideria? Nisi enim desiderium oraret, Psalmista non diceret: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Tunc igitur bene oramus, quoniam bonum aliquod desideramus. Nemo autem est, qui sacras scripturas intelligere non desideret. Nemo igitur est, qui Dominum prophetis panibus non oret. Sed quia Dominus iam cęlos ascendit, & ostium clausit, idest a prædicatione quieuit, quia iam pueros, suos sanctos videlicet, in æternæ quietis cubiculum secum collegit, iam ad nos docendum neque ipse neque illi huc vlterius corporaliter redire possint. Et hoc est quod ait: *noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Nos tamen ab hac molestia, ab hac importunitate, & ab hac violentia non cessemus. Ipse enim Dominus ait: *regnum cęlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Bona est igitur hæc violentia, & hæc molestia, & improbitas, & in tantum bona, vt panes, quos nobis Dominus pro ipsa amicitia dare non vult, propter improbitatem tamen surgens dat nobis ad sufficientiam, & necessitatem. Hoc est enim quod ait: *& ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis, si non dabit illi, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surgens dabit ei, quotquot habet necessarios.* Vnde adhuc subditur. *Et ego dico vobis. Petite & dabitur vobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* Hac enim tanta verborum inculcatione, manifeste Dominus ostendit, quoniam sollicitos, molestos, importunos, violentos, & improbos ad petendũ nos esse velit. Vnde & quidam ait: *labor improbi omnia vincit.* Sed quomodo verum est, *omnis enim qui petit accipit:* Multi enim petunt, & non accipiunt, quod petunt. Hoc autem de illa petitione intelligatur, de qua supra dixit, *quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.* Non enim in stultis petitionibus fideles suos Dominus exaudit. Ipse enim scit, quid nobis opus sit. In illis igitur nos exaudit, quæ nobis salutaria esse cognoscit. Omnis ergo qui petit accipit, si tamen eius petitio digna sit, quę exaudiatur. Aliam autem petitionem Dominus non audit. Vnde & subditur. *Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porrigat ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester dabit bona petentibus se?* Ac si dicat: vos qui mali estis, non mala tamen sed bona data datis filijs vestris, & Dominus qui naturaliter bonus est, bona data non dabit fidelibus suis? Dabit vtique bona data, & non nisi bona eis dabit, etiam si inutilia quærunt, dum se sibi profutura quærere inceperant. Aliquando enim sancti non recipiendo quod petunt, magis exaudiũtur, quam exaudirentur, si illud reciperent. Plus enim non recipiendo Beatus Paulus exauditus est, quam si illud recepisset, pro quo, sicut ipse dicit, ter Dominum rogauerat. Exauditus est igitur, ne exaudiretur. Non enim nisi bonum Apostolus quærebat, quamuis illud ubi bonum sibi esse intelligebat. [illegible] xauditus est igitur recipiendo bonum, non exauditetur recipiendo non bonum. Qui enim sibi bonum requirit, dum se sibi bonum quærere putat, si id recipiat, quod quærit non exauditur, si non recipit, exauditur. Dominus igitur qui non illud nisi quærentis affectum considerat, bonum ei reddit q[illegible] se bonum quærere credit, etiam si sibi non sit bonum [illegible] quærit. Videamus autem quid per panem, & piscem, & [illegible] per lapidem, & serpentem significetur. Ego quidem in pane sanctarum scripturarum spiritualem intelligentiam significari puto, litteram verò in lapide, quæ in tabulis lapideis scripta est. At vero in pisce Christum Dominum nostrum in[illegible] go, qui in baptismi flumine primus natauit, & ad piscis [illegible] litudinem sine coitu de Virgine natus est. In serpente [illegible] quis alius intelligatur, nisi ille, qui primum hominem in serpente decepit? Lucas verò Euangelista, præter hæc, [illegible] scorpionem posuit. In ouo igitur resurrectionem intell[illegible] mus, in quo velut pulli de ouis omnes sancti de sepulch[illegible] surgentes, sursum ad cęlestia euolabunt. In scorpione a[illegible] Diabolum vel Antichristum, qui dum latenter homines decipiunt, quasi cauda eos percutiunt. Scorpio enim non nisi cauda percutit. Boni itaque filij idest Christiani panem petũt, quia in lege, & prophetis spiritualem intelligentiam quærunt. Petunt autem & piscem, quia Christi carne saturari desiderant. Petunt similiter & ouum, quia firma carnis spe[illegible] pectant resurrectionem. At vero mali filij idest Iudęi lapi[illegible] petunt, quia in sacris voluminibus solam litteram quæ[illegible] Petunt autem & serpentem, quia in veneno & formidine Diabolum imitantur. Petunt similiter & scorpionem Antichristum expectantes, quem Messiam vocant, vt qui in mundi exordio in primo homine occisi scilicet a Dracone, [illegible] mundi finem percutiantur a scorpione. Sic itaque bonis [illegible] bona data petentibus, bonus pater bona data tribuit. M[illegible] vero mala data petentes a malo patre mala data suscipiunt.

IN NATIVITATE APOSTOLORVM Philippi, & Iacobi.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Non turbetur cor vestrum.* Et reliqua.

EGo, inquit, vado, & quò ego vado, vos non potestis venire modo, venietis autem postea. Sed non turbetur cor vestrum propter hoc, neque formidet. Nam etsi vado, vos tamẽ non relinquo. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem sæculi. Creditis in Deum & in me credite. Non enim sufficit vobis credere in patrem, nisi in filium credatis. Ego enim & pater vnum sumus. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Ex quibus eas, quæ nobiliores, & clariores sunt, vobis præparare, & dare disposui. Vos enim estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Si quo minus dixissem vobis, quia vado præparare vobis locum, tamen non turbari, sed lętari deberetis. Si, inquit, minus in aliquo, & non tam sufficiente dixissem vobis, quia vado præparare vobis locum, valde tamen desiderare debuistis, vt quantocius illuc irem, vt in illius tantæ beatitudinis gloriam vos introducerem. Nunc autem cum toties vobis dixerim, atque permiserim, quid trepidatis? Certi igitur estote, & nolite dubitare, quia si ego abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum. Quia? *vt vbi ego sum, & vos sitis.* Vnde & superius, *vt vbi ego sum, ibi & minister meus erit.* Accipit enim Dominus sanctorum animas quotidie ad se ipsum, Angelorum ministerio, & ineffabili potentia sua. Hoc tamen tecum plenius, & abundantius faciet, quomodo ad iudicium venietis corporibus, & animabus, & cunctis suis

fidelibus

fidelibus loquetur dicens. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Neceſſe autem fuit, vt ipſe prius iret, & cęli ianuas aperiret, ſuoque introitu ſingulis quibuſque conuenientia loca pararet. Multę enim ibi ſunt manſiones, quia vt Apoſtolus ait: *ſtella differt a ſtella in claritate.* Sequitur. *Et quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis.* Quo enim ibat, niſi ad patrem? Sciebant autem Apoſtoli, & patrem, & ipſum, non tamen ſpecie, ſcilicet fide. Credendo enim ſciebant, non videndo. Qui igitur & patrem ſciebant & ipſum, ſciebant vtique, & quo ipſe ibat. Qui patrem ſciebant, & viam ipſam ſciebant, qui ipſum ſciebant. Sed quia hæc verba nondum intelligebant, id ipſum quod ſciebant, ſe neſcire neſciebant; Vnde & Thomas reſpondens ait. *Domine neſcimus, quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Quidam enim ex ipſis putabant, quod de morte diceret; ſicut Petrus, qui modo ſuperius ait: *Domine quò vadis?* Cui Dominus *Quo ego vado non potes me modo ſequi, ſequeris autem poſtea.* At ille: *Quare,* inquit, *non poſſum te ſequi modo? Animam meam pro te pono.* Vides igitur quia de morte intelligebat, qui ſe ſimul cum ipſo animam ſuam ponere dicebat? Hinc eſt itaque, quod Thomas ait: *neſcimus quo vadis,* quia adhuc ignorabat, de quo itinere loqueretur, an mortis, an cęli. Et Dominus continuo ſua reſponſione expoſuit, qualiter hæc verba intelligere debuiſſent. Ait enim: *Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem niſi per me. Si me,* inquit, *ſcitis, & viam ſcitis, quia ego ſum via. Et ſi me ſcitis, patrem quoque ſcitis, quia ego, et pater vnum ſumus. Si vero patrem ſcitis, & quo ego vado, ſcitis, quia ego ad patrem vado.* Ego, inquit, ſum via; Sed quare via? Quia nemo venit ad patrem niſi per me. Ego ſum veritas. Vnde hoc? Quia nemo cognoſcit patrem, niſi per me. Nemo enim nouit patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Nihil enim niſi veritate cognoſcitur. Ego ſũ vita, quia nemo viuit niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum vtique cognouiſſetis, & amodo cognouiſtis eum, & vidiſtis eum. Vultis, inquit, venire ad patrem? Vultis eum cognoſcere? Prius me cognoſcite, quem videtis, & ſic poſtea cognoſcetis eum, quem nondum videtis. Iam enim vidiſtis eum, ſed non in ſe. Vidiſtis autem eum, ſed in me. Vidiſtis quidem, ſed mente & fide. Ipſe enim loquitur in me, quia ego a me ipſo non loquor, quem dum auditis, videtis. Qui enim mente audit, videt vtique quod audit. quia idem ſunt, viſus, & auditus in mente. Et non ſolum iſti, ſed guſtus quoque, & odoratus, & tactus. Vnde eſt illud *guſtate & videte.* ideſt guſtando videre. Sic igitur eum vidiſtis, dum eum in me loquentem audiſtis, & amodo cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Dicit ei Philippus. *Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis.* Iſte enim in mente & fide, ſed carnis etiam oculis deſiderabat videre. Sicut & Moyſes, qui ait: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Cui Dominus: *Non me,* inquit, *videbit homo, & viuet.* Dicit ei Ieſus: *Tanto tempore vobiſcum ſum & non cognouiſtis me? Philippe qui videt me, videt & patrem.* Ille de exteriori viſu loquebatur, Chriſtus autem ad interiorem idẽ ad intelligentiam, & mentis oculos prouocabat eos. Tanto tempore vobiſcum ſum, tanto tempore inter vos conuoratus ſum, vobiſque in doctrina, in ſignis, & miraculis & diuinitatem, & potentiã meam reuelaui, & non cognouiſtis me? Philippe qui videt me non ſicut tu intelligis oculis carnis, ſed ſicut ego dico oculis mentis, videt & patrem. *Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt? Si enim credis hoc & me & patrem vides. Si hoc non credis, neque me neque patrem vides. Verba, quæ ego vobis loquor, a me ipſo non loquor.* A quo igitur? A patre. Vbi eſt? *Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Quid eſt ipſe facit opera? *Ipſe loquitur in me.* Loquẽdo enim operatur Deus. Ipſe enim dixit, & facta ſunt. Verbis enim, & non herbis ſanabat infirmos Ieſus. Sed notandum valde, cum ipſe, & pater vnum ſint, vbique tamen patrem glorificat. Si enim dixiſſet; ego a me ipſo ſecundum humanitatem non loquor, ſed diuinitas in me manens ipſa facit opera, bene quidem dixiſſet, hoc tamen non dicit, vt omnem ad patrem gloriam referat. *Non creditis ergo quia ego in patre, & pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite. Si verbis,* inquit, *non creditis, operibus credite. Opera enim quæ ego facio, ipſa manifeſte oſtendunt, quia ego ſum in patre, & pater in me eſt.* Sed audite adhuc maius argumentum; etenim nemo eum dicere poſſit. *Amen amen dico vobis qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado.* In hoc, inquit, *apparet, quod Dei filius ego ſum, quia non ſolum ego, has omnia admiranda opera facio, verum etiam illi, qui in me credent, & ſimilia, & meliora opera facient.* Et hoc merito, *quia ego ad patrem vado,* ideſt *quia Dei filius ſum, & ille mihi pater eſt, ad quem vado.* Et multum quidem conuenit, vt illi talia operentur, qui credũt in filium Dei. Quod autem ait; *& maiora horum faciet,* tale eſt, ac ſi diceret. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipſe faciet,* & horum ideſt de his non qualicunque ſcilicet ea, quæ maiora & mirabiliora ſunt, faciet. Sequitur. *Et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio.* Multum enim glorificatur pater in filio, dum talia fiunt in nomine filij.

IN INVENTIONE SANCTAE CRVCIS.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore *Erat homo ex phariſæis Nichodemus nomine.* Et reliqua.

BOnus homo iſte Nichodemus iam credit quidem, ſed nõ dum in charitate perfectus. Perfecta enim charitas foras mittit timorem. Hic autem nocte veniebat, quia Iudæos timebat, & tamen illuminari volebat. Sed quid dicit? *Scimus,* inquit, *certiſſime, & firmiſſime credimus, quia a Deo veniſti magiſter.* Vnde autem hanc fidem ſuſcepit, adiungit. *Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Dominus cum illo.* Vnde melius dixit Nathanaheh qui ait: *tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael:* Nondum enim Nichodemus Chriſtum confitetur eſſe Dominum, quamuis Dominum cum eo eſſe confiteatur. Reſpondit Ieſus & dixit ei. *Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, nõ poteſt videre regnum Dei.* Ad baptiſmum enim inuitat, vbi dum in trinitate homo baptizatur, quid credere debeat, perfecte cognoſcit. Sed quia obſcure loquitur, nondum Nichodemus eum intelligit. Vnde & ait, *quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Vides igitur eum Dominus ad huius Sacramenti intelligẽtiam per ſe venire non poſſe, manifeſtius ait: *Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Apoſtolus enim ait. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* His enim verbis quid baptiſmum ſignificet, oſtendit. Cum enim in fide Chriſti baptizamur, & ſub aquis mergimur, quodammodo ei commorimur, & ſepelimur. Vt inde abluti penitus innouati reſurgentes, ſic poſtea in nouitate vitæ ambulemus, ſicut Dei filius patris gloriam non amiſit. Tanta eſt enim virtus huius Sacramenti, vt ſubitò mundet hominem ab omni peccato. Vnde & ſubditur. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* Sicut, inquit, ex carne corrupta, & peccatrice caro ei conſimilis naſcitur, tota videlicet vitiata, & plena peccatis, ita & quod naſcitur ex aqua, & Spiritu Sancto, Sanctum eſt, & ſpirituale, & mundum ab omni peccato. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo. Non enim hoc dixi de carnali, ſed de ſpirituali natiuitate. Carnalis enim natiuitas non fit niſi ſemel, ſicut & ſpiritualis. Sed qui ſemel ex carne oritur, niſi iterum ex Spiritu oriatur, non ad vitam, ſed ad mortem oritur. *Spiritus vbi vult ſpirat.* Ideo, inquit, quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt, quia *Spiritus vbi vult ſpirat,* quem vult illuminat, quem vult ſanctificat, & ſpiritualem, & mundum facit. *Et vocem eius audis, ſed non ſcis, vnde veniat, aut*

quo

quo vadat. Ac si dicat. Ille spiritus, qui sic sanctificat omnia, qui vbi vult spirat, ille inquam est, cuius nec vocem audis, & qui nec in me, & per me ibi loquitur. Sed quamuis vocem eius & in me, & in discipulis meis audire valeas, non scis tamē vnde veniat, aut quo vadat. Quis enim sciat vnde veniat, & quo vadat, qui vbique est, & omnia complet. *Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum*. Nemo enim sciet, quomodo a patre filioq. procedat. Sacerdotem quidem, qui baptizat videre potes, & ipsas baptismatis aquas videre potes, vocem quoque spiritus in sacerdote audire potes, ipsum verò spiritum omnino videre non potes, quia inuisibilis, & incorporeus est. *Sic est omnis, qui natus est ex spiritu*. Sic, inquit, qui natus est ex spiritu, Spiritus est, sicut omnis qui natus est ex carne, caro est. Siue etiam sic, & omnis qui natus est ex spiritu, sic fit, & sic denuo oritur, semel quidem ex vtero matris, iterum autem ex baptismatis aquis, sic sanctificatur, sic illuminatur, & sic in nouum hominem reformatur. Potest autem & sic intelligi. Sicut, inquit, *spiritus vbi vult spirat, sic omnis, qui natus est ex spiritu*, si tamen non separetur a spiritu; Si enim a spiritu separetur, fit carnalis, & animal *Animal homo*, dicit Apostolus, *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. Spiritualis autem omnia scrutatur ēt profunda Dei. Spirat igitur vbi vult, siquidē omnia scrutatur. Nā & si modo fortasse non ad plenum videat, spiret, & non intelligat quæcunque velit, neque ad omnia secreta rimanda introducatur, tamen post hanc vitam quicquid voluerit, videbit, & habebit homo sanctus, & spiritualis. Respondit Nichodemus, & dixit ei: *Quomodo possunt hęc fieri*? Respondit Iesus dixit ei: *Tu es magister in Israel, & hęc ignoras. Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & testimonium nostrum non accipitis*: Affirmat saluator noster quod esse verum dixit, vt pote, qui ea loquitur, scit, & id testatur quod vidit. Ignorantia enim parit mendacium, & testis nō suscipitur, nisi qui se et vidisse, & pręsentem adfuisse testatur. Et tale est, ac si diceret: Crede tantummodo & noli dubitare, ne quęras de his, quomodo fiant. Cœlestia enim sunt, & terreno intellectu capi non possunt. Vnde & subditur. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis*? Verum tamen aliquid dicam tibi de cælestibus *Et nemo ascendit in Cęlum, nisi qui descendit de cęlo*. Hęc enim cælestia sunt. Vnus enim ideq. Christus Iesus, & filius Dei est, & filius hominis. Sed essentialiter filius Dei, & temporaliter filius hominis: Et iste quidem filius hominis alterum, secundum diuinitatem descendit de cœlo secundum, quoniam semper est, & in cœlo & in terra. Descendit enim non locum mutando, sed se humiliando, & carnem suscipiendo. Ascendit vero, quantum quidem ad humanitatem, locum etiam mutando, quantum vero ad diuinitatem gloriam propriam manifestando. Vnde Psalmista Exaltare, inquit, *super cęlos Deus, & super omnem terram gloriam tuam*. Deus enim quia vbique est, aliter neque ascendere, neque descendere potest. Et ipse quidem solus, & totus ascendit in cælum omnia membra sua secum trahens in cœlum. Eius namque membra sunt omnes fideles, & ipse est caput totius Ecclesiæ. Vnde & alibi ait: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Nemo igitur ascendit in cœlum nisi ipse, & membra sua simul cum ipso. Siue etiam ipse solus ascendit per se, alij verò per ipsum, & non per se. Ad hoc igitur filius hominis descendit de cęlo, vt a terris exaltatus omnia post se traheret in cœlum. Et hoc est quod ait: *Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat: sed habeat vitam æternam*. Ideo enim serpentem æneum in deserto exaltauit Moyses, vt homines a serpentibus percussi eū viderent, & sanarentur. Ideo & Christus in cruce exaltatus est, vt omnis qui mentis oculis eum videt, idest omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam ęternam. Nulla est enim alia medicina, qua a primi serpentis veneno homo sanari possit. Merito autem in illo serpente se Dominus significari voluit, quoniam sicut ille serpentis quidem similitudinem habebat, serpentis autem venenum, & malitiam non habebāt, ita & Saluator noster, cum iniquis reputatus, & inter latrones crucifixus, carnis quidem peccati, vt Apostolus ait similitudinem habebat, peccatum autem nullum habebat. Apparuit autem in similitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne: Vide ergo quantum hominem Dominus dilexerit, pro quo filium morti tradidit, vt non periret. Hoc est enim quod ait: *Sic enim Deus dilexit mundū, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*.

IN INVENTIONE SANCTI MICHAELIS Archangeli.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Accesserunt discipuli ad Iesum*. Et reliqua.

ACcesserunt vtique discipuli ad Iesum, non loquendo, sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorum cogitationes non minus, quam locutiones, quoniam similiter meis auribus vtique sonabant. Vnde & cogitationibus sæpe respondet. Hæc autem ideo promisi, quia alij Euangelistę discipulos ad Iesum non accessisse, sed cogitasse, & intra se in via tentasse dicunt, quis eorum maior esse videretur, hanc autem disceptandi siue litigandi occasionem, ex eo præcipue Apostoli sumpsisse videntur, quod Romanis ministris tributum exigentibus Beato Petro Dominus præcipiens ait; *vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamū, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me, & te*. Quia enim dixerat, *da eis pro me, & te*, cæteri eum prætulisse arbitrati sunt. Vnde dicebant, *qui putas maior est in regno cælorum? Et aduocans Iesus Paruulum, dixit eis: nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabis in regnum cælorum*. Merito paruulis Dominus vocat, vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volunt. Videtis, inquit, hunc paruulum, nisi ab stulta sublimitate, quæ vestros animos perturbat, ad huius patientiam, & humilitatem conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli sine inuidia, sine odio, sine superbia, sine ambitione, non solum maiores in regno cęlorum non eritis, verum etiam illuc non intrabitis. Ideo enim diabolus inde eiectus est, quia maior ibi esse voluit. Deponit Dominus potentes de sede, & exaltauit humiles. *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste hic est maior in regno cælorum*. Quicumque, inquit, ex vobis plus se humiliauerit, plus exaltabitur, & maior fiet. Et si ad huius paruuli similitudinem omnes vos humiliaueritis, omnes ibi inter omnes maiores eritis. Non igitur ambitio, sed humilitas maiores facit. Ille maior, qui humilior. *Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo me suscipit*. Talem videlicet non ætate, sed conuersione, vt quod isti attulit ætas, hoc illi afferat sanctitas & humilitas. Sic igitur humilis, & patiens sit absque odio, & inuidia, sit sine dolo, & simulatione, sit sine superbia, et ambitione. Sine his enim paruuli sunt, Sine his, et Apostoli fuerunt. Qualescunque enim prius fuerint, magistri tamen monita non surdis auribus suscipientes, tales postea facti sūt quales eos fieri monuit. De his igitur paruulis Dominus dicit, *qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit*. Quid est in nomine meo, nisi propter nomen meum, quia Christianus est, quia meus discipulus est, quia meo nomine insignitus est? Qui autem hunc in Christi nomine suscipit, non solum suscipit istum, verum etiam Christum habitantem in isto. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris*. Multis enim scandalizantur homines, multisque modis dicuntur scandala. Quocunque enim modo aliquem offendas, & ad iram vel indignationem commoueas scandalum est. Tale autem scandalum non est ad mortem. In fide vero scandalizare aliquem, qualiter Iudæi, et heretici Ecclesiam sæpe scandalizant, ad mortem est. De hoc autem Dominus ait: *Beatus qui*

qui non fuerit scandalizatus in me. Melius est igitur homini, vt moriatur, & non qualicunq; morte, sed illa, quę magis tremenda esse videtur, videlicet vt cũ magno lapide in profũdũ maris demergatur, quã simplicẽ aliquẽ, & pusillũ in Christo credentem scandalizaret, & a fide Catholica deuiare faciat. Melius est enim occidi, quam occidere. Qui enim occiditur non Dei beatitudine priuatur. Legimus enim quosdam sanctorum martyrum lapidibus collo ligatis, in profundum maris fuisse demersos, non ideo tamen eos credimus beatitudine esse priuatos, qua priuantur illi, qui aliquem scandalizant. Melius est igitur homini, vt in corpore occidatur, quàm vt in fide aliquem scandalizet. *Vhe mundo a scandalis*. Vhę illis, qui scandala concitant, & qui scandalizantibus credunt. Vhę hæreticis, & Scismaticis, & qui illorum sequuntur errores. *Necesse est enim vt veniant scandala*. Vnde & Apostolus ait: *Oportet hæreses esse, vt hi, qui probati sunt, manifesti fiant*. Quod igitur hæreticis & Scismaticis fuit vhę, hoc viris Catholicis necessarium, & vtile fuit. Per hoc enim Ecclesiæ fides magis claruit, & illi multo amplius nouissent, si semper occulti latuissent. Veruntamen *vhe homini illi, per quem scandalum venit*, quamuis enim multa bona ex hoc malo subsecuta sint, vhe tamen illi; per quem scandalum venit. Non ideo mala faciebat malus, vt bona venirent, quæ si fecisset, non tamen pro se, sed etiam fecisset. Sicut & illi, de quibus Apostolus ait: *faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est*. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proijcie abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*. Quid enim per manum, & pedem intelligimus, nisi amicos, & propinquos nostros, quos velut pro prima membra diligimus, qui etiam quasi manus, & pedes nobis necessarij sunt? Isti autem si nos in fide scandalizant, & eorum iniqua conuersatione animas nostras perire sentimus, abscidamus eos a nobis, & a nostro consortio separemus. Nihil enim est, quod cito animam diligere debeamus. Non patrem, non matrem, non fratrem, neque vxores, vel filios. Melius est enim nobis, vt sine his ad vitam intremus, quàm vt simul cũ eis ad pęnam, & mortem ducamur æternam. Idipsum autem per oculũ significatur. Sic enim dicere solemus de his qui nobis aliquem valde amicum, & necessarium auferunt, oculum mihi abstulit, pedem mihi abscidit, manum mihi abstulit, nõ tamen ipsa re, sed quadam rei similitudine. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis*. De illis pusillis dicit, qui a superna altitudine se humiliantes, patientia, & humilitate pusilli, & paruuli sua sponte fiunt. Tales autem contemnendi non sũt. De quibus adhuc subditur. *Dico autem vobis, quia Angeli eorum in cęlo semper vident faciem patris mei, qui in cęlis est*. De Angelis enim Apostolus ait: *quia sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Venit enim filius hominis saluare quod perierat*. Valde igitur timendum est, ne quis eos scandalizet, & in errorem inducat, pro quibus Dei filius in mundum veniens, & carnem suscipiens semetipsum humiliauit factus obediens vsque ad mortem.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Marcum.

IN illo tempore *Recumbentibus vndecim discipulis*. Et reliqua.

VEnit ad discipulos suos Dominus Iesus, inuenit eos recumbentes, inuenit eos manducantes, & bibentes, discubuit cum illis, manducauit, & bibit cum illis, vt se non phantasmaticum, sed verum corpus assumpsisse ostenderet, & sua præsentia eos roboraret. Redarguit eos de infidelitate sua, confirmaute eos colloquio suo. Et sicut scriptum est, *conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem patris*. Quicunque igitur es, qui Sancti Spiritus promissionem expectas, noli ab Hierosolymis discedere, noli Ecclesiam relinquere, noli sanctorum cõsortium deserere, ibi expecta, ibi mane, quia nulli extra Ecclesiam datur Spiritus Sanctus, & eos etiam qui habent, si ab ea se separauerint, derelinquit. Redarguit autem eos propter duritiam suam, reprehendit eos de infidelitate cordis sui. Quamuis enim Simõ Petrus, & Maria Magdalena, & duo illi discipuli, quibus in specie peregrini Dominus apparuerat, certissime firmissimeque nuntiarent Dominum resurrexisse, seque illum vidisse, cæteri tamen illis non credebant. Et quid mirum, cum nec sibi ipsis, nec suis oculis crederent, & eum videntes non viderent? Narrat enim Matthæus Euangelista, *quod vndecim discipuli abierunt in Galilaam in montem, vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt*. Non enim verum corpus, sed spiritum se videre putabant. Vnde ipse ait: *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Et fortasse hęc tanta illorum dubitatio ex immenso amore procedebat. Nõ enim facile credimus, quod multum desideramus. Sicut è contra quod timemus, leuiter posse accidere credimus. Et dixit eis: *euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*. Prius enim dixerat: *in vias gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Non enim sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*. Nunc autem eos præcipit ire in vniuersum mundum. In quo Iudæorum abiectio, & gentium electio apertissime monstratur. Vnde & illi à Patre dicitur: *postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Quod autem ait: *prædicate Euangelium omni creaturæ*; alius Euangelista exponit, dicens, *ite, docete omnes gentes*. Idem enim per omnem creaturam, et per omnes gentes significatur. Sic enim Apostolus ait de charitate, *quia omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; quod quidem verum non est, nisi aliter determinetur. Si enim charitas omnia credit, credit vtique Saduceis, & pharisæis, alijs affirmantibus, alijs negantibus resurrectionẽ: Quod fieri non potest. Non igitur charitas omnia credit. Sic ergo determinetur: omnia credit, quæ credenda sunt. Similiter igitur & id quod dicitur: *prædicate Euangelium omni creaturæ*; determinandum est, vt sic dicatur: omni creaturæ prædicate Euangelium, cui Euangelium prædicandum est. Non est enim Euangelium prædicandum vel lapidibus, vel alijs quibuscunque rebus sensu, & ratione carentibus. Sunt autem qui hæc subtilius intelligentes ea, quæ plana sunt, difficilia reddunt. Et multa quidem in prophetis, & Apostolis, & in verbis dominicis inueniuntur, quibus hæc vna determinatio sufficere potest. Quale est illud: *cum exaltatus fuero a terris, omnia traham ad me ipsum*. Cui si addatur, quæ trahenda sunt, nihil erit inconueniens. Aliter autem quanta inconuenientia sequatur, quis non intelligat? Valde enim parua sunt ea, quæ illuc trahuntur, ad comparationem illorum, quæ ad se Dominus non trahet: siquidem solos homines, & ipsos, non omnes trahet ad se. His igitur & similibus facile intelligitur, quid in eo significetur, quod dicitur, *prædicate euangelium omni creaturæ*; Cui videlicet euangelio, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. Dicit tibi euangelium, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsũ*. Hoc enim consilium si credidens, & feceris, saluus eris. Dicit autem & alia multa, quæ & salutem præstant, & vitam ęternam. *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. Quamuis enim homo baptizatus sit, & omnia peccata in baptismo sint ei remissa: condemnabitur tamen quicunque ille est, nisi euangelio crediderit, eiusque consilijs assensum præbuerit. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dęmonia eicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt*. Omnia enim hæc in primitiua Ecclesia non solum Apostolos, sed & alios sanctos fecisse legimus. Neque enim aliter ab Idolorum cultu homines infideles conuerterentur, nisi his tantis signis & miraculis euangelica prædicatio firmaretur. Prędicabunt enim Christi discipuli, vt Apostolus ait: Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Sed cum subito dęmonia eijcerent,

lin-

linguis loquerētur nouis, serpentes solo verbo aut occiderent, aut fugarent, venenum sine læsione biberent, & non solum factu, verum etiam sui corporis vmbra ægros sanarent, mox in admirationem gentiles conuersi clamabant. Vnus Dominus, quem Apostoli prædicabāt. Vnus Deus Dominus Iesus Christus, qui talia operatur. Nobis autem signa, & miracula iam nunc necessaria non sunt, quibus ea, quę facta sunt, solummodo legere, & audire sufficit. Credimus enim Euangelio, credimus, & scripturis ita narrantibus. Nemo modo in Ecclesia dicit, non tibi credo, nisi mortuos suscites, nisi cecos illumines, & nisi hæc similia facias, Signa tamē quotidie in Ecclesia fiunt, quæ si quis attendere velit, multo maiora esse cognoscet, quam illa quæ tunc ab illis corporaliter fiebant. Quotidie enim Sacerdotes populum baptizando, & ad penitentiam vocando dæmonia eijciunt. Quotidie linguis loquuntur nouis, dum scripturas exponentes litteræ vetustatem in spirituali intelligentiæ nouitate concutiunt. Serpentes verò tollunt, quia concupiscentias malas, quia vitia & peccata suaui admonitione a peccatorum cordibus auertunt. Bibunt autem mortiferum, sed non eis nocet, quia paganorum, & hæreticorum libros legentes, & amara, & venenosa cuncta sibi illata sæpius audientes, surda aure tamen sunt, & pro nihilo ducunt. Super ægros manus imponunt, & bene habebunt, quia animas infirmas suis orationibus sanāt, & Deo reconciliant. Eadem igitur signa etiam nunc sancti Dei faciunt, quæ tunc Dominus eos facturos esse promisit. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei.* Qualiter autem assumptus est, liber actuum Apostolorum ostendit dicens? *Et cum hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et tunc quidem adimpleta est prophetia, quæ ait: *In omnem terram exiuit sonus eorum, et in fines orbis terrę verba eorum.*

DOMINICA PRIMA POST Ascensionem.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam.* Et reliqua.

SEmper Saluator Noster tristibus miscet lęta, vt discipulorum corda mœrentia cōsoletur. Cum, inquit, *venerit paraclitus, qui consolator interpretatur, ille testimonium perhibebit de me*, ille & vos & alios multos perfectissime intelligere faciet, quis, & qualis ego sim. Ipse enim in vobis loquetur, & per vos. *Cum igitur steteritis ante Reges, et præsides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Et ipse quidem testimonium perhibebit de me*, eiusque virtute, & inspiratione innumerabilis hominum multitudo conuertetur ad me. Et non solum ipse, sed vos quoque testimonium mihi perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Multa, quasi diceret iam scitis, quę ab initio a me audistis, quoniam ex tunc mecum fuistis, in quibus mihi testimonium perhibebitis. Non enim habebant necessarium, iterum dicere quæ ab ipsa sapientia didicerant, & memoriæ iam commendauerant. Vna enim, eademque doctrina est, & patris, & filij, & spiritus sancti. Et quamuis quædam personaliter agere videantur, vna tamen omnium trium est operatio. Quos igitur docet filius, docet pater, & spiritus sanctus, sic & in alijs. Vnum enim sunt, similiter & inseparabiles: Paucis enim hoc in loco spiritus sanctus, & a se venire, & a patre, filioq. procedere ostenditur. In eo enim, quod dicitur, cum venerit, a seipso venire ostenditur. In eo vero, quod Dominus ait, *quem ego mittam vobis a patre*, ab vtroque procedere monstratur. Quid est enim *quem ego mittam vobis a patre*, nisi quem pater, & ego mittimus vobis? Ab vtroque enim mittitur, quia ab vtroque procedit. Sed quia pater a nullo, filius a patre, spiritus Sanctus a patre, & filio, ideo Dominus ait, *qui a patre procedit*. Et tale est, si diceret, ab illo procedit sanctus, a quo, & ego genitus sum, a quo & ego exiui, & veni in mundum. Multa enim, vt in hoc libro apparet, habet filius cum patre communia, quæ tamen non ad se, sed ad patrem orando refert. Quomodo autē & quando spiritus Sanctus super Christi discipulos venerit, Lucas Euangelista, in actibus Apostolorum plenissime narrat: Ait enim; *Cum complerentur dies pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, et repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitę linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum spiritus sanctus. Et repleti sunt omnes spiritu sancto, et cœperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Et meritò quidem die quinquagesimo venit spiritus sanctus, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Annus enim quinquagesimus, qui hunc diem significabat, iubilæus vocatur, idest annus remissionis, in quo & seruis dabatur libertas, & omnis hæreditas ad proprios Dominos reuertebatur. Quod quidem tunc completum est, quando Ecclesiæ duces in spiritu sancto baptizati ab omni vitiorum seruitute liberati sunt. Vnde ipse Dominus ait. *Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in spiritu sancto nō post multos hos dies. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Hac igitur die, & hæreditas & libertas reddita est nobis, quia ille, sine quo, & hæreditas, & libertas haberi non potest, datus est nobis. Hæreditas nostra regnum Dei est. In quod non intratur, nisi per aquam, & spiritum sanctum. Hac itaque die genus humanū venit ad iubilæum, hac die venit ad annū libertatis, & remissionis. Hoc anno cœperunt Apostoli clangere tubis, & loqui, et prædicare omnibus linguis. Has enim illæ tubæ significabat, quibus tunc incipiente iubilæo tota illa terra ad festiuitatem parabatur. Apparuit autem in igne spiritus sanctus, vt manifestissime intelligamus, quia eius presentia mentis oculi illuminātur, peccata tollūtur, & corda fidelium igne charitatis accenduntur. Sed quia ignis iste linguarum speciem habebat, Christum, qui in sanctis loquitur, se esse ostendebat, & linguis quodammodo linguas tangebat, & sic ad loquendum Apostolos instruebat. Sequitur. *Hæc locutus sum vobis, vt nō scandalizemini?* Vnde? vultis audire Vnde? *Absque synagogis facient vos iniquos, quos contra legem facientes a se repellent, & a synagogis eijcient. Vos autem verborum meorum memores non scandalizemini, sed patienter, et fiducialiter omnia sustinete. Dixi vobis quia absque synagogis facient vos. Ecclesia plus dico. Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Totus cōtra uos mūdus coniurabit, totus exercitus Sathanæ contra vos armabitur. Hinc iudæi, inde Gentiles, isti propter legis obseruationem, illi propter Iudæorum religionem, & in tantum omnes abominabuntur, vos vt magnum se obsequium arbitrentur præstare Deo quicunq. interfecerit vos. *Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Si enim patrem, & filium cognouissent, se errasse vtique intellexissent, & sic errorem reliquissent, & ad fidem venissent. *Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorū reminiscamini, quia ego dixi vobis.* Quare reminiscamini? Vt in ipsis tribulationibus, & angustijs constantius, firmiusque pugnetis, cum me omnia præscisse, & prædixisse cognoscatis. *Hęc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Si enim semper cum eis corporaliter esset, hac tali consolatione eos præmunire necessarium non esset.

IN DIE PENTECOSTES.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et reliqua. Homilia Sancti Brunonis Episcopi.

DOminus Saluator noster paulò superius discipulis loquitur dicens: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ipse est, qui diligit me.* Et mox quo fructu, quave mercede hoc faciat, subdens manifestat. *Qui autem diligit me, diligetur a patre meo.* Et quid inde? *Et ego diligam eum.* Qua vtilitate? *Et manifestabo ei me ipsum.* Si ergo non sufficit tibi, vt diligaris a patre, si non sufficit, vt filius te diligat, sufficiat tibi, quod ille, qui sapientia est, manifestabit se ipsum tibi. In his enim omnis animæ beatitudo consistit. Hoc solum desiderabat Moyses cum Domino dicebat. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, vt uideam te.* Hinc & psalmista ait: *ego autem cum iustitia apparebo in conspectu tuo, satiabor, dum manifestabitur gloria tua.* Satiabor, inquit, satis mihi erit, nihil amplius quæram, postquam te ipsum mihi manifestabis. Beatus igitur ille, cui manifestabitur, quo manifesto nihil deerit ad beatitudinem. Scimus enim, quia cum apparuerit, & reuelabitur nobis, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Sed cui non sufficit, vt sit similis filio Dei? Similis autem eius est, qui eum videt, sicuti est. Sufficiat igitur nobis hoc, quod se ipsum manifestabit nobis. Dicit ei Iudas non ille Scariothes. *Domine quid factum est quid nobis manifestaturus es te ipsum mundo?* Respondit Iesus, & dixit ei: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Magna quæstio, magnęque quæstionis nobilissima solutio. Ideo, inquit, mundo, idest mundi amatoribus me nō manifesto, quia me non diligunt. Quid ex eo quidem apertissime probatur, *quia sermonem meum non seruant.* Mei autem discipuli & fideles, quia diligunt me, & quia mandata mea custodiunt, digni sunt, quibus me ipsum manifestare debeam. Vt cognita sapientia sint sapientes, cognita iustitia sint iusti, cognita veritate sint veraces, & vita cognita in æternum viuant. Hæc enim omnia Christus est, omnia hęc manifestantur in Christo. Et non solum hæc, inquit, habebit ille, qui diligit me, sed pater meus diliget eum. Quanta dilectione: Vis audire quanta? *Et ad eum ueniemus, sed mansionem quoque apud eum faciemus.* In illis enim mansionem Dominus facit, in quibus veniens manet, & a quibus postquam venit, non recedit. Venit enim Dominus in eos, sed mansionem non facit in eis, *qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Sequitur. *Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, patris.* Hoc est enim quod alibi ait: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.* In hoc enim apertissime monstrat omnia hæc verba, quæ discipulis audientibus locutus est, nō humanitatis, sed diuinitatis esse. Et eius igitur erat secundum diuinitatem, & eius non erat secundum humanitatem. Potest autem & altiùs intelligi, vt sic dicatur. *Et sermonem, quẽ audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, patris,* idem ego non sum a me ipso, sed a patre qui misit me. Cuius vtique verbum & sermo & sapientia ego sum. Me igitur loquente quid audistis, nisi verbum patris, quod in principio erat verbum, & sermonem & sapientiam patris. Verbum autem sermo, & sapientia non a se, sed ab illo sunt. *Sermonem* igitur, *quem audistis, non est meus, quia ego non sum a me ipso. Hæc locutus sum uobis apud uos manens.* Hæc, inquit, omnia verba locutus sum ego verbum. Mea sunt igitur hæc verba, sed ego non sum meum verbum. Cuius ergo? Illius, de quo dicitur: *Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia, quæcunque dixero uobis.* Dolens, inquit, quia non semper vobiscum maneo corporaliter, & quia hæc mea verba, meęque carnis præsentiam subtraho vobis, sed nolite contristari, quia mea vice, & in meo nomine magnus consolator, & doctor sapientissimus dabitur vobis. Ille vos consolabitur, ille vos docebit, ille vos omnia suggeret, & ministrabit quæcunque dixero vobis. *Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Sed non quomodo mundus dat, ego do uobis.* Mundus enim non dat pacem, nisi his, a quibus accipit pacem. Sed quid dicit Apostolus? *Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et psalmista. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Et talem quidem pacem dedit Iesus discipulis suis, dicens eis: *Diligite inimicos uestros, benefacite his, qui oderunt uos.* Hanc autem pacem, debemus habere cum malis, non vt eis in malitia consentiamus, sed vt ab iniquitate eos ad iustitiæ viam trahamus. Inde est enim quod Dominus ait: *nolite putare, quia pacem veni mittere in terram. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Non turbetur cor uestrum, neque formidet, audistis, quia ego dixi uobis, uado, & uenio ad uos.* Non turbetur, inquit, cor vestrum de morte mea, neque formidet de absentia mea. Estote semper memores, quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos. Sic igitur testabimini, quia dixi, vado, ita confortamini, quia dixi, venio. Ad patrem vado, sed vos non relinquo. Maior est diuinitas, quæ vobiscum remanet, quàm humanitas, quę cęlos ascendet. Iam enim & illius imbecillitatem, & huius potentiam cognouistis. Vadit igitur Christus ad patrem per humanitatem, qui vbique est per diuinitatem. Quomodo ergo venit? Ipse enim vtrunque dicit. *& uado, & uenio.* Venit enim, & inuisibiliter venit prębendo auxilium, dando solatium, corroborando fidem, & confirmando charitatem, sic enim Dominus ad populum venerat, qui ait, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Hoc autem modo non solum filius, sed pater quoque vadit, & venit. Vnde & modo superius ad eum inquit, *ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego ad patrem uado, quia pater maior me est.* Diligebant enim eum Apostoli, sed nondum spirituali, perfectoque amore, dum solam carnis præsentiam se amittere dolebant. Hoc enim non fecit Ioannes Baptista, neque corporaliter cum eo conuersatus est, quem secundum diuinitatem apud se semper habebat, semperque mentis oculis inspiciebat. Si diligeretis me, inquit, sicut me diligere deberis, & sicut post aduentum Spiritus Sancti me diligetis, vnde vos modo doletis, inde vtique gauderetis. Doletis vtique, quia ad patrẽ vado, quia portas Paradisi aperio, quia cęli ianuas pando, quia vitæ semitam vobis ostendo, & Spiritum Paraclitum vobis mando? *Nisi enim ego abiero, paraclitus non ueniet ad uos. Vado igitur ad patrem, quia pater maior me est,* idest secundum hoc, vado ad patrem, secundum quod maior est pater. Æqualis est enim patri secũdum diuinitatem, minor verò secundum humanitatem. *Et nunc dixi uobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Quid creditis? Quæcunque vobis & credere iussi. *Iam non multa loquar uobiscum.* Quare? Vultis audire quare? *Quia iam passioni appropinquo, iam cum satellitibus suis princeps mundi huius ad prædam occurrit.* Et hoc est quod ait: *Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, uenit aduersum me,* sæuit & fremit contra me, sed nihil habet in me. *Potestatem enim habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* Considera modo quid in aliorum exitu facit, qui contra ipsum mundi Saluatorem, & Deũ venire præsumpsit? Sed quare princeps mundi dicitur Diabolus? Quare huius? Non enim sine causa dictum est huius. Aliquid enim determinatur, dum dicitur huius. Non enim diceretur princeps mundi huius, si totius princeps esset. Est igitur princeps mundi huius, his neque & præsentis, & Christum occidere cupientis. Est denique princeps mundi huius, idest omnium illorum, qui non habent curam alterius, nisi sęculi huius. Et quasi aliquis diceret, si princeps mundi huius non habet quicquam, item etsi nihil potest aduersum te, quare te non defendis? Quare te occidi permittis? Ait: *Sed ut cognoscat*

uenimntur. *Et vidit duas naues stantes secus stagnum, piscatores autem descenderant, & lauabant retia.* Duæ naues, duo populi sunt, Iudæorum scilicet, & Gentilium. Piscatores autem vtriusque populi doctores, & rectores intelliguntur. Et in altero quidem Pontifices, & Sacerdotes, in altero verò philosophi, & poetæ piscari solebant Retia autem lauare est suæ prædicationis sententias exponere, & dilucidare. *Ascendens autem in vnam nauim, quę erat Symonis, rogauit eum a terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas.* In nauiculam Symonis Dominus ascendit, quia synagogam, & Iudęorum populum prædicare venit. Vnde ipse ait: *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* De hoc enim Symonis nauicula Dominus dicit: *Qui operatus est Petrus in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter gentes.* Symonis igitur nauicula Synagoga est, in qua Dominus rediens turbas docebat, qui ibi euangelia prædicauit, quibus omnes gentes docentur, & ad fidem vocantur. Vt cessauit loqui dixit ad Simonem, *duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Tunc enim Dominus loqui cessauit, quando post passionem suam a prædicatione quieuit. Et tunc quidem præcepit Simoni alijsque Apostolis omnibus, vt nauiculam in altum adducerēt, & retia in capturam laxarent. Dicens eis. *Ite in vniuersum mundum prędicate euangelia omni creaturæ.* Itemque. *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus Sancti.* Mare igitur est mundus, Vnde psalmista. *Hoc mare magnū & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus.* De cuius etiam altitudine, & profundo, sic ait: *Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Retia vero Euangelia sunt, quorum sententijs fideles animæ capiuntur, & illaqueantur. Multa enim retia multosque Piscatores habet Ecclesia. Et respondens Symon dixit illi. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Sic enim & Synagoga quamuis laborasset, retia misisset, scripturas exposuisset, legem, & prophetas prædicasset, tamē quia hoc in nocte idest in tenebris ignorantiæ faciebat, si quidquid diceret, non intelligebat, valde paucos ex gentili populo capere, & ad se conuertere poterat. *In verbo autem tuo laxabo rete.* Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Hoc est enim, quod per psalmistam dicitur: *Annuntiaui, & locutus sum multiplicati sunt super numerum.* Itemque. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum: Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt socijs, qui erant in alia naui vt venirent, & adiuuarēt eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerētur.* Tunc enim Ecclesiæ, Apostolorum rete rumpitur, quādo iudæi, hæretici, & infideles violentis argumentationibus, Euangelicæ prędicationi contradicunt. Vnde Apostolus: *ostium mihi magnum apertum est, & euidens, & aduersarij multi.* Veniunt his in adiutorium socij de alia naui, quia ex omnibus alijs Ecclesijs Episcopi, & sacerdotes vndique in vnum conueniunt, veritatem aperiunt, & hæreticos damnant, & eos, qui illi fraudulenter deceperant, ad fidem, & Ecclesiam reuocant. Quod cum videret Symon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens. *Exi a me quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Symonis,* Apostolus autem dicit, *quę stulta sunt mundi elegit Dominus vt perdat sapientiam. Et infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ea, quę non sunt, vt ea, quę sunt, destrueret.* Itemque, *Quia non cognouit mundus per sapientiam Dominum.* Placuit Deo per stultos prædicatores saluos facere credentes. Quis igitur non obstupescat? Quis nos non miretur per tales prædicatores mundum conuersum, philosophos superatos, mundi sapientiam destructam, & intra fidei retia, atque in Ecclesiæ Nauiculam tantam fidelium piscium multitudinem esse collectam, presertim cum prędicarent Christum crucifixum, Iudęis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; Sed quid significat quod Simon Petrus ait: *Exi a me Domine, quia homo peccator sum?* Nisi hoc quod in canticis canticorum Ecclesia dicit, *fuge dilecte mi, fuge, assimilare capreę hynnuloque ceruorum super montes aromatum?* Vnde & ipse Dominus loquitur, dicens: *Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.* Diximus enim nauiculam Symonis synagogam significare. Hanc igitur Dominus relinquere Petrus significabat, quoniam vt a se exiret, eum rogabat. Et ait ad Simonem Iesus; *Noli timere ex hoc iam homines eris capiēs.* Ne timeas, inquit, ne obstupescas, sed potius gaude, & crede, quia maiori piscationi constitutus es, vsque modo pisces cepisti, amodo homines eris capiens. Alia nauis, & alia retia dabuntur tibi. *Et subductis ad terram nauibus relictis omnibus secuti sunt eum.*

Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant confricantes manibus. Quia alia omnia in Matthęo exposita sunt, hoc solum restat, vt quid significet in sabbato secundo primo dicamus. Tria enim prima idest principalia, & maxima sabbata habebant Iudęi, quia tres in anno festiuitates primas maximas celebrabant. Primum enim principale sabbatum in martio erat, idest pascha. Secundum vero quando spicarum manipulos offerebant. Tertium autem in mense septimo colebatur. Secundum igitur primum idest principalē, & maximum sabbatum illud erat, in quo spicarum manipulos offerebant. Et de his quidem in Leuitico satis diximus.

DOMINICA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani.* Et reliqua.

APostolus enim Corynthijs scribens ait: *Si quis frater nominatur, & est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibū sumere.* Cum talibus igitur Dominus cibum sumit, cum quibus Apostolus præcipit, cibum non sumere. Et Dominus quidem vt conuertat, Apostolus vero vt terreat. Iste terret suos, ille vocat extraneos. Vtrunque igitur bonum est, & terrere proximos, & mulcere extraneos. Illos mulcemus, vt conuertantur, istos terremus, vt erubescant, & à malo quiescant: Erant igitur pharisæi peccatores penitus abominantes. Non enim abominandi, sed vocandi sunt. Vocandi autem aut blanditijs aut minis. Vocat eos Dominus blandiendo, & manducando cum illis. Vocat eos Apostolus terrendo nolens cibum sumere cum illis. Sequitur. Et ait ad illos parabolam istam dicens; *Quis ex vobis homo habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & uadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam? Et cum inuenerit eam imponit in humeros suos gaudens, & ueniens domum conuocat amicos, & vicinos dicens illis. Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Hoc autem quid significet, ipse subinferens ait. *Dico vobis quod ita gaudium erit in cęlo super vno peccatore pęnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent penitentia.* Dic ēdum est igitur quid homo iste, quid centum oues, quid vna perdita, & quid desertum significet, vt illud quo scire possumus, quid significent nonaginta nouem iusti, & vnus peccator, qui pęnitentiam agit. Centum enim oues tota Angelorum, & hominum multitudo intelligitur. Ex his autem vna errauit, quando primus homo peccauit. Vnde psalmista. *Erraui, inquit, sicut ouis, quæ perierat, require seruum tuū Domine, quia mandata tua non sum oblitus.* Remanserunt igitur nonaginta & nouē, per quas nouem Angelorū chori figurantur, siquidem totus hic numerus ex nouenis conficitur. Pro hac itaque vna Saluator noster de cęlis descendit, nonaginta & nouem, de quibus modo diximus ibi derelictis, vnde & cęlum hoc

desertum in loco dicitur. Quodammodo enim cælum Dominus deseruisse videbatur, quando inter homines corporaliter conuersabatur. Hanc autem vnam ouem imponens in humeros suos, ibi enim onera feruntur: gaudens domum rediit, cælos ascendit, vicinis & amicis, idest Angelis, & Archangelis lætitiam fecit, & tantam lætitiam, quantam pro omnibus iustis, qui nunquam peccauerant, nunquam habuerunt. Vsitatissimum etenim est, vt quamuis eum plus diligamus, maiorem tamen lætitiam de illo faciamus, quem de maiori periculo diuinitus liberari videmus. Sequitur. *Aut quæ mulier habens dragmas decem, si perdiderit dragmam vnam, non ne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eã. & cum inuenerit conuocãs amicas, & vicinas dicens. Congratulamini mihi, quia inueni dragmam, quam perdideram.* Hæc autem similitudo eadem est, quæ superior. Idem enim significant decem dragmæ, quod centum oues. Vna quoque dragma, & vna ouis perdita idem significant. Nouem vero, quæ restant, nouem ordines Angelorum sunt. Quoniam autem regis imago in dragma exprimitur, non immerito per dragmam homo figuratur, quoniam ad sui regis imaginem factus est homo. Hanc igitur dragmam Dei sapientia, sic enim vocatur Christus, quærere venit, lucernam sui corporis accendit, diuinitus enim in carne lumen est in lucerna, & huius mundi amplissimam domum euerrit. Sicut ipse ait: *Nolite putare, quia veni pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium.* Ex hoc enim erunt quinque in domo vna, duo in tres, & tres diuidentur in duos. Sic igitur vt hanc dragmam inueniret, hanc domum, idest hunc mundum Dominus euertit, & inter filium & patrem, inter matrem, & filium, inter socrum, & nurum discordiam ponens alijs fidem, & iustitiam repugnantibus, alijs defendentibus. Nemo enim prius pro fide pugnabat, cunctis in errore concordantibus, hanc autem malam concordiam Dominus dissipauit, Dominus euertit, & dragmam reperit. Vnde etiam Apostolus ait; *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Per huius igitur inuentionem omnes vicinæ, & amicæ, omnes virtutes, & dominationes, simul cum Dei sapientia in cælestibus gratulantur. Cessent igitur murmurare Scribæ, & Pharisæi, non dicant, nec inuidiose reprehendant, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. *Venit enim Dominus quærere, & saluare, quod perierat.* Non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

DOMINICA QVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis similitudinem hanc homo quidam fecit cœnam magnam.* Et reliqua. Homilia S. Brunonis Episcopi.

HIc enim homo ipse est, qui hæc loquitur, Iesus Christus Dominus noster. Magna autem eius cœna Euangelia sunt, quæ ipse quidem nobis præparauit: Quæ & nos quotidie legimus, & legendo comedimus, & mentem reficimus. Magna quidem est hæc cœna, cunctisque delitijs plena, quæ omnibus omnia sufficienter ministrat. Ad hanc autem cœnam vocauit Dominus multos, Iudæos scilicet, & gentiles. Sed Iudæos primùm. Deinde gentiles. Quia enim Iudæi venire noluerunt, gentiles vocati sunt. Vnde & subditur. *Et misit seruos suos hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare.* Tunc enim primum seruos suos Dominus misit, quando suis discipulis ait. *In vias gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes quia appropinquauit regnum cælorum.* Hoc est enim, quod hic dicitur: *quia iam parata sunt omnia. Mortuos suscitate leprosos mundate, dæmones eijcite; gratis accepistis, gratis date.* Euntes igitur serui dixerunt inuitatis, vt venirent. At illi cœperunt simul excusare. Ad hanc enim cœnam ante Christi incarnationem omnes Iudæi inuitati fuerant. Ad hanc & Patriarchæ, & Prophetæ eos inuitauerant. *Illi autem venire noluerunt. Sed cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit. Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* In illo enim qui villam emit auaritiam, in illo qui quinque iuga boum falsam religionem, in illo verò, qui vxorem duxit, luxuriam, & carnis voluptates cognoscimus. Multos enim hæc tria separant a regno Dei. Villam emit, qui huius mundi possessiones, diuitias, honores, & dignitates quærit. Ad hanc autem villam ille exire, semperque illam videre desiderat, qui in his multum delectatur, omnemque suam spem in eis ponit. Talibus autem si quando Episcopi, & Sacerdotes meliora persuadeant, promittant se facere quod eis præcipit, sed impedimenta obijciunt, excusationes inueniunt, & vt ipsi pro eis Deum deprecentur, exorant. Hoc autem quid est aliud dicere nisi *rogo te habe me excusatum?* Quinque autem iuga boum, quinque sunt libri Moysis. Hos autem Iudæi emerunt, & pro his circumcisi sunt, pro his decimas, & primitias, & sacrificia offerunt, hos tamen nondum probatos habent, quia nondum eos intelligunt. Si enim eos intellexissent, nulla esset excusatio, quin ad hanc cœnam iam venissent. Sed quia eos non intelligũt, dum eos venerari se simulant, suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vt enim Apostolus ait; *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* His autem & si excusationem quærant, excusatio tamen nulla erit. Sic enim ait Dominus: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Bene autem non per quinque boues, sed per quinque iuga boum, hi quinque libri significantur, quoniam dupliciter intellecti, idest secundum litteram, & secundum spiritualem intelligentiam quinque iuga faciunt. Qui verò sic eos coniunxerit confidenter cum eis in agro dominico laborare, & arare potest. Quorum quidem labor inutilis est, si ab inuicem separati fuerint. Iudæi enim qui alterum bouem, idest intellectum spiritualem non habent, in altero boue, idest in sola littera laborare volentes, nullum de labore fructum suscipiunt. Illi verò vxorem ducunt, qui se luxuriæ, carnisque voluptatibus pericula subijciunt, inter quos computari non debent, quibus Dominus ait: *Qui habent vxores tanquam non habentes sint.* Et isti quidem excusari non quærunt, quia solam hanc vitam diligentes, aliam pro nihilo ducunt. *Cogitant enim*, vt Apostolus ait, *de his solummodo, quæ mundi sunt, quomodo placeant vxori. Et reuersus seruus nuntiauit hæc Domino suo.* Vnde & Isaias: *Domine quis credidit auditui nostro?* Tunc iratus pater familias dixit seruo suo. *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc.* Quia enim Iudæi ad cœnam venire, & credere noluerunt, Apostoli mittuntur ad gentes. Vnde Apostolus, *Vobis*, inquit, *primum oportebat prædicari verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Pauperes enim debiles, cæci, & claudi erant, gentiles, quia nec legis diuitias, nec virtutum fortitudines, nec scientiæ lumen habebant, nec in via mandatorum Dei rectis pedibus incedebant. Inuitati tamen ad conuiuium Christi diuites, & fortes facti sunt, & interius illuminati iam in via non errant, sed recto tramite gradiuntur. Et ait seruus: *Domine factum est, vt imperasti, & locus est adhuc.* Iste enim locus tunc complebitur, quando hæc vitia finientur. Adhuc enim quotidie mittuntur serui, adhuc ad cœnam veniunt fideles, alijs per baptismum, alijs per pœnitentiam festinantibus. Iam neque viæ, neque sepes, neque locus ille siue abditus sit, siue manifestus relictus est, ad quem Christi secundum scrutandum non peruenerunt.

generunt. Qui igitur huic cęnę defuerint, non seruorum negligentiæ, sed suæ hoc inobedientię deputent. Sequitur. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cęnam meam*; Nemo illorum, qui vocati sunt, & venire noluerunt, Christi cęnam gustabit, nemo similiter cum sanctis addetur, nec in conuiuij epulas introibit.

IN NATIVITATE Sancti Ioannis Baptistæ.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium*. Et reliqua.

NAscitur hodie Ioannes Baptista maior Prophetis, minor Angelis, immo minor eo, *qui minoratus est paulo minus ab Angelis*. Vnde ipse Dominus ait: *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno cęlorum, maior est illo*. Hoc autem Apostolus exposuit dicens: *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, vidimus Christum post passionem mortis*. Hoc igitur solo minor est Ioannes, quo nemo alius surrexit maior natus de muliere. Vnde ipse quoque Ioannes ait; *me oportet minui, illum autem crescere. Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere*. Minuitur enim Ioannes capite truncatus, crescit verò Christus in cruce exaltatus, *& audierant vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei*. Erant enim steriles in obbrobrium in Israel, quamuis hoc aliud significaret. Corporis namque sterilitas non est peccatum. Mente verò steriles apud Deum sunt in obbrobrium. Quantum igitur ad litteram magnam ei Dominus misericordiam fecit, qui tanto pignore illam fœcundauit. Vnde & ipsa superius ait: *sic mihi fecit in diebus, quibus respexit auferre obbrobrium meum inter homines. Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam*. Hac circumcisione neque Christus neque Ioannes indigebat, circumcisi tamen sunt, ne scandalum fierent, & vt legem adimplerent. Lex enim, & prophetæ vsque ad Ioannem, De circumcisione multa ad Romanos Apostolus scribit, & non carnis, sed spiritus circumcisionem laudat. Spiritualis namque circumcisio non in vno, sed in omnibus membris fieri debet. Vt neque manus operentur malum, neque oculi videant vanitatem, neque pedes ad fundendum sanguinem currant, neque aures detractionibus pateant. Sic omnia membra circumciduntur. Tali circumcisione omnia vitia tolluntur. Vnde & octaua die meritò fiebat, in qua & vltima resurrectio fiet, quando membris omnibus circumcisis, idest vitijs, & peccatis abscissis, totus ex integro renouatus, omnique superfluitate mundatus homo ad immortalitatem resurget. *Et respondens mater eius dixit. Nequaquam, sed vocabitur Ioannes*. Nequaquam, inquit, Zacharias vocabitur, quamuis & hoc nomen dignum sit veneratione, sed vocabitur Ioannes, quod Dei gratia interpretatur, quia nullus inter natos mulierum familiarius illo Domini gratiam possidebit: *Et dicebant ad illam. Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*. Hoc enim nomen Angelus imposuit, non cognatio dedit. Sed vnde Elisabeth hoc nomen scire potuit? Zachariæ namque, non Elisabeth dictum fuerat, *& vocabis nomen eius Ioannem*. Qua in re credendum est, quamuis id scriptum non est, vel Euangelica reuelatione, vel alia qualibet facta diuinitus inspiratione, eam hoc nomen didicisse. *Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum*: Qui quoniam voce hoc eis indicare non poterat. *Postulans pugillarem scripsit dicens, Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi*: Mirati enim sunt: quare vtique parenti hoc nomen puero imponere placuit, quia cum nemo in illorum cognatione sic vocaretur, Dei nutu id fieri intellexerunt. *Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum*. Sic enim Angelus ei promiserat. *Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant*. Ingressus est enim vt superius legitur in templum Domini, & omnis multitudo erat populi orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, cui, quia credere noluit, linguam amisit. Hæc autem solemnitas decima die mensis septimi agebatur, quando solus Pontifex semel in anno non sine sanguine ingrediebatur sancta sanctorum, nullum alium in templo esse licebat. Quod quid significet, & Apostolus exponit in Epistola ad Hebræos, & nos quoque in Leuitico de hac solemnitate sufficienter diximus. *Apparuit autem illi Angelus Domini stans a dextris altaris incensi*. Stabat Angelus, & a dextris stabat, quoniam fortia nuntiabat. *Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum*. Ait autem ad illum Angelus: *ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*. Hæc enim Angelorum consuetudo est, in qua etiam ab illis discernuntur, qui se transfigurant in Angelum lucis, quod in suæ locutionis principio eos, quibus loquuntur, consolantur, & ne timeant, adhortantur. Quod autem ait, *quoniam exaudita est deprecatio tua*, nemo putet Zachariam Deum pro filio exorare, præsertim cum de filio, suæque vxoris ætate diffideret, & Angelo id ipsum promittenti non crederet. Quid igitur orabat, nisi id quod lex orare præcipiebat? Ait enim: *Erit hoc vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno*, hoc est igitur quod orabat, hanc deprecationem Angelus exaudita esse dicebat, quod dixit Zacharias ad Angelum. *Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*, & fortasse non recordabatur Zacharias, quod Abraham, & Sara in senectute filium genuerunt. Nihil enim Deo impossibile est. Credenti quoque omnia possibilia sunt. Angelus promittit, & Sacerdos signum quærit, quasi plus signo, quàm Angelo credere debuisset. Et respondens Angelus dixit ei: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi Euangelizare*. Cur ergo dubitas? Quare non credis? Neque ille qui me misit, neque ego tibi mentiri possum. Signum quæris, Iudæi signa petunt. Dicis vnde hoc sciam? Dabitur tibi signum, quod postquam acceperis, fortasse te accepisse pęnitebit. Hoc igitur erit tibi signum. *Ecce eris tacens, & non poterit loqui vsque in diem, quo hæc fient. Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ complebuntur in tempore suo*. Qui, inquit, verbis credere noluisti, vel signo crede. Ecce eris tacens, donec ex te genita vox oriatur. Et quia vocem generaturus es, non te pœniteat aliquanto tempore tacuisse. Ex te enim orietur ille, qui dicat. *Ego vox clamantis in deserto*; & erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod esset in templo, & ipse erat innuens ille, & permansit mutus. Possumus autem per senem Zachariam vetus testamentum, & per Ioannem puerum nouum intelligere. Eo enim tempore vetus testamentum vocem amisit, quo nouum exnenti fieri cępit, quia post quam nouam legem Apostoli, & Doctores prædicare, & exponere cęperunt, vetus legis intelligentia cessauit. Sed vocem, quam amiserat, tunc tandem accepit, quando nouo testamento iam nato, & vbique diuulgato ab eo didicit, quod loqueretur. Loquitur enim vetus testamentum, sed iam non suo, & priori sensu: *loquente autem Zacharia factus est timor super omnes vicos eorum, & super omnia montana Iudea diuulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes. Quis putas puer iste erit?* Qui contra naturam natus est, in cuius natiuitate os diù clausum aperitur, mutus loquitur, & tam noua miracula fiunt? *Etenim manus Domini erat cum illo, & Zacharias pater eius impletus est Spiritu Sancto, & prophetauit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ*. Visitauit per præconem, visitauit per filium, prædicauit per vtrumque, fecit per alterum. Vtique ad baptismum populos vocauit, sed alter solummodo plebem

tede mit,& in Spiritu Sancto baptizauit. Vnde & eidem Ioāni dicitur: *super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Qui cum patre, & eadem Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IN VIGILIA SANCTI PETRI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *dixit Iesus Symoni Petro, Symon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei. Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Et reliqua.

INterrogat Dominus Petrum, an se diligat, quam semper & vbique maiorem amoris affectionem erga se ostendere videbat. Sicut modo superius cum centi ad eum nauigio venissent, ipse moras nauis expectare non potuit, sed amoris immensitate cogente in mare se præcipitauit, vt velocius ad Dominum venire potuisset. Simon, inquit, Ioannis diligis me plus his, qui tui amoris affectum erga me ostendis plusquam his? Dicit ei. *Etiam Domine. Tu scis quia amo te*, etiam Domine amo te, scis & in quantum diligo te, ego autem nescio, an plus centis diligam te. Dicit ei *pasce agnos meos* Non vult Dominus suos agnos alij committere, nisi illi, qui eum diligit, quos ipse tamen dilexit, vt pro eis mori dignatetur. Et ideo prius Ecclesiæ pastorem interrogat, an se diligat, & sic postea pascendos suos agnos ei committit. Dicit ei iterum. *Simon Ioannis diligis me? Etiam Domine tu scis, quia amo te. Dicit ei pasce agnos meos. Dicit ei tertio. Simon Ioannis amas me?* Tunc Petrus contristatus & timens se a Domino haberi suspectum, quia dixit ei tertio amas me. Respondit dicens; *Domine tu scis omnia, tu scis quia amo te. Dicit ei pasce oues meas.* Prius agnos, deinde oues ei commisit, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues, pascit filios, pascit & matres, regit & subditos, & prælatos. Omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est. Nihil, inquam, quod suis pastoribus Christus commisent. Ecce Petrus, qui ter negauerat, ter Dominum se amare respondit. Quatenus amor deleat culpam, & dilectio tollat offensam, & dicit ei Iesus. *Amen amen dico tibi cum esses iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas. Cum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Quod quid significet, & Euangelista exponens ait: *hoc autem dixit significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* In crucis namque patibulo positus Beatus Petrus, ibique manus extendens, ab alijs cinctus, & ligatus est: Et meritò postquam ter Dominum se amasse respondit, mortem suam ei Dominus nuntiauit, in qua quantum eum dilexerit, apertissime demonstrauit.

IN FESTO SANCTI PETRI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis.* Et reliqua.

INterrogat Dominus discipulos suos, quam opinionem de eo homines habeant, & quem eum esse putent non quod diuersas vulgi sententias ignoret, sed vt eos veritatem instruat, & doceat. At illi dixerunt: *Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis.* Iam enim Ioannes defunctus erat, qui cum adhuc viueret, omnes existimabant, ne forte ipse esset Christus. Herodes quippe audiens famam Iesu, dixit pueris suis, *hic est Ioannes Baptista, & ipse surrexit a mortuis.* Stultissimus populus, qui nunc Ioannem Christum, nunc Christū Ioānem esse putabat. Stultissimus, inquam, qui dum videt prophetas, eos persequitur, vituperat, post mortē verò eos veneratur, & monumenta eis ædificat. Neque tales vlterius nasci posse arbitrantur, quales illi fuerant, quos ipsi occiderant. Vnde videntes Ioannem, non Ioannem, sed Christum, vel Heliam, vel aliquem alium præcedentium prophetarum eum esse putabant. Similiter autem Christum videntes, Christum non esse credebant. Sciebant enim eum esse venturum, sed quia eum videbant, credere non poterant. Quid enim si Heliam, vel Hieremiam isti vidissent, non vtique eis credidissent. Viderunt enim eos patres eorum, eis tamen credere noluerunt. Dixit illis Iesus. *Vos autem quem me esse dicitis?* Hæc est, inquit, sententia populi, sic de me loquuntur, qui me nō cognoscunt, non me dicit esse, quod sum, dicunt me esse quod non sum, prius Ioannem Christum esse dicebant, nunc me Ioannem esse dicunt, iam neque me neque Ioannem putant esse Christum: *Vos autem quem me esse dicitis?* Nunquid & vos eandem opinionem habetis? *Respondens Symon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui.* Docuerat.n. hoc Petrum respondisse, quatenus ipse esset princeps fidei Christianorum, qui erat Princeps Apostolorum. Sed videamus quid interrogauerit Christus, videamus quid responderit Petrus. Dixit ei Christus: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Dicit ei Petrus. *Tu es Christus filius Dei viui.* Ille de homine interrogat, iste Dei filiū hominis filiū esse dicit. Ille igitur qui est filius Dei viui, idē ipse est & filius hominis. Vnde & Beata Virgo Maria Theotocos vocatur, idest Dominum, & hominem pariens. Quod quia Nestorius confiteri noluit, ab Ecclesia expulsus et damnatus est. Respondens autem Iesus dixit ei; *Beatus es Symon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis.* Sed quare columbæ prius filius Petrus dicitur? Quæ est ista columba? Legimus enim in spetie columbæ spiritum sanctum super Christum Dominum nostrum apparuisse. Huius igitur columbæ filius est, qui tam sanum intellectum tamquè spiritualem sensum habet. Vt enim Dominus ait. *Quod natum est ex carne, caro est, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Vnde & subditur. *Quia caro & sanguis non reuelabit tibi, sed pater meus, qui est in cælis.* Non est hæc sententia carnalis, non est hæc fides carnis, & sanguinis, non parentes tui, vel caro tua ista te docuerunt, sed pater meus, qui in cęlis est. Sic enim & Apostolus dicit: *quia non acquieuit carni & sanguini, sed venit Hierosolymam videre Petrum. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Tu dicis & verum dicis, quia ego sum Christus filius Dei viui, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, fide fortis, & doctrina stabilis. Nisi enim in hoc nomine fortitudinē, & stabilitatem Christus intellexisset, quare ea, quæ protinus sequuntur, addidisset dicens: *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Si Petrum non intelligis, *petram* respice. *Petra autem erat Christus.* Sic igitur a petra Petrus, & sic a Christo Christianus; Videamus itaque quid sit, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc petram, quam tu modo in fidei fundamentum posuisti, super hanc fidem, quam tu modo docuisti dicens, *tu es Christus filius Dei viui*, super hanc petram & super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Huic enim sententiæ Apostolus concordans ait: *fundamentum enim aliud potest ponere: potest id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* Ac si dicat: Non est aliud fundamentū nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum, cum diceret; *tu es Christus filius Dei viui.* Super hanc petram ędificabitur tota Ecclesia Dei, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Qui enim ceciderit super hanc lapidem, confringetur, super quem verò ceciderit lapis iste, conteret eum. Tanto enim imperu tantaque fortitudine hæc petra fertur, vt muros conterat, portas comminuat, & nulla virtus, vel fortitudo ei resistere valeat. Sed si vis aliter intelligere portas inferi, cognosce prius portas cęli. Portæ namque cæli Apostoli sunt, Episcopi, & Sacerdotes, & alij, quorum doctrina, & exemplis cęli palatium fidelium animæ ingrediuntur.

Sunt

Sunt è contra portæ inferi Iudæi, & hæretici, omnesque seductores, & fidei catholicæ corruptores. Per hos enim infidelium animæ in infernum intrant, & in tenebras demerguntur. Et isti quidem côtra hanc petram & aduersus Ecclesiam, quæ super eam ædificata est, prævalere non potuerunt, *et tibi dabo claues regni cœlorum*. Hoc enim quod principaliter Petro dicitur, cæteris quoque Apostolis dictû esse intelligi debere. Et non tam Apostolis, verum, & Episcopis & sacerdotibus. Istis enim claues, & potestas data est, vt nô solum Ecclesiam, sed & cœlos alijs aperiant. *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum et in cœlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*. Hoc Episcopi audiant, de munere gaudeant, de potestate non superbiant. Si enim sic ligauerint, vt Petrus, si ita soluerint, vt Petrus, quicquid ligauerint, ligatum erit, & quicquid soluerint solutum erit. Imitentur igitur illum in discretione, & iustitia, quem imitari volunt in ligandi, atque soluendi potestate. Si enim aliter egerint non erit ratum, quod egerint. Ideo enim hæc soli Petro dicta sunt, quia nemo sanctior, nemo iustior, nemo discretior, & nemo melior erat, cui hæc verba dici potuissent. Ideo enim illi soli dicta sunt, vt omnes alij se in illo quasi in speculo videant, sic viuendo, sic agendo, sic ligando, sic soluẽdo, & à pace, & concordia non recedendo: Verumtamen sicut prælati si iniuste ligant, ligandi potestate se ipsos priuant, ita & etiam subiecti si iniuste ligati sint, si tamen se ligatos esse paruipendant, ipsa sua superbia se ipsos arctius ligant. Desiderent igitur solui etiam illi, qui sic ligantur, spondeant satisfactionem, quam si Prælatus recipere noluerit tunc sciãt se esse solutos.

DOMINICA QVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore. *Dixit Iesus discipulis suis. Amen amen dico vobis, nisi abundauerit*. Et reliqua.

SCribarum enim, & pharisæorum iustitia fuit, vt bene prædicarent, & bene populum admonerent, non tamen ea faciebant, quæ prædicabant, & admonebant. Vnde & alibi Dominus ait: *Super Cathedrã Moysis sederunt scribæ, & pharisæi, omnia, quæ dixerint vobis facite, secundum opera eorum nolite facere*. Quare hoc? *Dicunt et et non faciunt*: Erat igitur eorum iustitia, dicere, & non facere, legem soluere, & non adimplere. Hæc autem ad cælorum regnum properantibus non sufficiunt. *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit iuditio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit iuditio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit iuditio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Non, inquit, sufficiunt vobis ad iustitiam ea, quæ scribæ, & Pharisæi sibi sufficere non bene cogitabant. Maiora nouis, quam antiquis præcepta dantur. Illis dicitur ne occidant, istis dicitur, ne irascantur. Illi ab homicidio, isti ab ira, & odio coercentur. Sed quid est quod Dominus ait, *qui autem occiderit reus erit iuditio*? Non enim autem qui occidit reus mortis in iuditio iudicatur. Neque vero lex omnis damnat qui occidunt, quoniam, & ipsa multos occidere iubet. Determinandus est igitur locus iste, sicut & cæteram, quæ breuiter dicta minus aliquid habere videntur. Dicit enim lex. *Quicumque sponte, vel per odium, et insidias hominem occiderit, ipse quoque occidatur*. Genti vero tres ciuitates constituit, ad quas fugiant, ne moriantur. Quod quid significet, non est huius loci exponere. Videamus quod Sequitur. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iuditio*. In quo iuditio? In hoc enim, quod in ecclesia fit, non tenetur ita. In illo verò districto iuditio, si omnis, qui irascitur, damnabitur, aut nulli, aut pauci saluari poterunt. Quis enim tam quietæ mentis est, vt aliquando non irascatur? Determinandum est igitur, & istud, vt non de omni ira, sed de instanti, & perseueranti intelligatur, quæ iam alio nomine vocatur. Ira enim veterata odium dicitur. Vnde & bene non præterito, vel futuro, sed instanti tempore vtitur dicens, *omnis, qui irascitur*. Et hoc quidem manifestum est, quia sic damnatur ille, qui fratrem suum odit, sicut & ille qui occidit. Vtique enim homicida vocatur. Hoc enim Ioannes Apostolus dicit: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*. Sic igitur omnis, qui irascitur fratri suo reus erit iuditio. *Qui autem dixerit fratri suo racha reus erit concilio* Racha enim mentis affectum cum indignatione, & irrisione significat. Velut cum irridendo inflans faucibus aliquem insufflamus. Dicitur tamen, quod racha interpretatur vanus. Sed numquid tam magnum peccatum est dicere racha, idest aliquem quolibet tono vocis irridere, vt quicunque hoc dixerit, reus in concilio habeatur? Magnum enim peccatum est omnis iniuria. Dicatur ergo: *Si quis dixerit fratri suo racha*, & eum irridendo, & qui irrisione dignus non est ad indignationem, & iram prouocauerit, in concilio Episcoporum reus, & culpabilis iudicatur. Sępe enim ex parua iniuria magnæ lites concitantur. Quæ omnes in illius caput redundant, qui principalis earum causa extitit: Secundum illud, *qui effundit aquas super caput est iurgiorum*. Vnde & in lege præcipitur. *Si egressus ignis inuenerit spicas; et comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris reddet damnum qui igne succenderit*. Nam & ipse Dominus ait *Væ illi, per quẽ scãdalũ venit*. Si enim de verbo otioso rationẽ reddituri sumus, quãtò magis de iniurijs & contumelijs? *Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*: Quid est hoc ò Domine? Quid est hoc ò magister veritatis? Quid enim si hoc dixerit, & penitentiam egerit? Scimus enim multos sanctorum non solum fatuos, sed hæreticos alios dicere non timuisse, eosque de hæresibus accusatos, victosque damnasse. Nam & Apostolus Paulus scribens ad Galatas, insensatos, & stultos eos vocauit. Quod quidem nõ minoris iniuriæ est, quam si fatuos eos dixisset. Ait enim. *O insensati Galathæ, qui vos fascinauit veritati non obedire?* Et paulo post. *Sic stulti facti estis, vt cum spiritu coeperitis nunc carne consumamini?* Sic igitur dicamus. Qui superbiæ spiritu inflatus non corrigẽdi gratia, sed inuidiose, & maliciose fratrẽ suum fatuum dixerit, eumque contra se ad indignationem, & odium prouocare non timuerit: tamdiù gehẽnæ ignis reus erit, donec peruenerit ductus, eum, quem iniuste cômouerat, quolibet modo quantum in se est reconciliet. Vt autem ipsum Dominum hoc sensisse intelligas, audi, quod sequitur. *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, tunc veniens offeres munus tuum*. Ac si dicat fratrem tuũ fatuum vocasti, iratus est tibi, iustam causam habet aduersum te, eius indignationis tuum peccatum est, non te recipio, vade prius, & reconciliare fratri tuo: Et fortasse ideo has, quas prædiximus iniurias nominatim Dominus posuit, quia tunc temporis magis in vsu habebantur, & aut paruum, aut nullum peccatum esse videbantur. Dedit igitur nobis regulam, nouãque legem constituit, vt nullum peccatum negligamus, quoniam & illa, quæ minima esse putabãtur, nisi resecata fuerint, animas perdunt, & damnant. Neque vero pauca quasi negligenda sunt, pro quibus Deus offensus munera iam ante altare posita recipere dedignatur. Sequitur. *Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris*. Hoc autem tale est ac si diceret. Audisti quid dixerim? Hæc verba vitæ sunt, & salutis. Esto igitur consentiens eis. Hic est enim aduersarius tuus. Quis enim sic aduersatur homini, vt sermo diuinus: Vult enim iste occidere, dicit ille non occides. Vult iste Mæchari, dicit ille non mœchaberis. Vult iste furari, dicit ille non furaberis. Et tandem vno sermone pene omnia comprehendens ait. *Quod tibi non vis, alij ne feceris. Esto igitur consentiens huic aduersario tuo. Hoc autem cito interim dum es in via cum eo*. Cito enim hæc via finitur, pauca sunt miliaria. Tanta enim est hæc via, quanta est, & vita vniuscuiusque. Quamuis

autem

autem alijs longior, alijsque breuior sit, nulli tamen valde prolixa est. Postquam verò via completa fuerit, & vita finita, iam nihil proderit consentire velle. Quid igitur? *Accusabit enim te aduersarius tuus, tradetque te iudici*: Cur non dicis optime Domine, tradetque te mihi? *Tu es enim, qui constitutus es a Deo iudex viuorum, & mortuorum*. Sed quid Sequitur. *Et iudex tradat te ministro*. O quam iniquo ministro ad cruciandum traditur, qui bono consiliario consentire noluit. Postea verò quid fiet? *Et in carcerem mittaris*. Carcer iste infernus est. Qualis minister, talis, & carcer. Ille enim est crudelior omnibus, iste formidolosior, & horribilior vniuersis In quo tenebræ nunquam deficiuntur, in quo ignis nunquam extinguitur, in quo vermis numquam moritur. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Magnum est hoc debitum, infinita, & innumerabilis est ista pecunia, ad cuius nouissimum quadrantem numquam venitur, quæ semper soluitur, & nunquã finitur.

DOMINICA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Marcum.

IN illo tempore *Cum turba multa esset cum Iesu*. Et reliqua.

LEgitur superius. *cum venisset Iesus secus mare Galileæ ascendens in montem sedebat ibi: Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, & cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel* Merito enim Iesus in montem ascendit, tanta, & talia miracula facturus, vt in monte, in quem ascendit eius potestatis altitudo, & in miraculis, quæ fecit, eius diuinitatis appareat. Sequantur igitur eum super montes aromatum, quicumque illuminari & sanari desiderant. De quibus montibus Ecclesia dicit. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorũ super montes aromatum*. Iesus autem vocatis discipulis suis dixit: *Misereor turbæ, quia iam triduo perseuerant mecum, & non habent, quod manducent*. Tres enim dies tria seculi tempora sunt, ante legem scilicet, sub lege, & sub gratia. Tribus igitur diebus turbæ cum Domino perseuerant, quia totis his tribus temporibus viri Sancti Spiritu Dei pleni in Deum credunt. Christum expectant, eiusque panibus & doctrina magno desiderio refici cupiunt. Et non habebant, quod mãducarent, quia panis viuus, qui de cęlo descendit, nondum eis appositus fuerat, nondum leo de tribu iuda librum aperuerat, neque septem eius signacula soluerat. Tertio igitur die, idest hoc tertio suę incarnationis tempore turbas reficit, neque vlterius eas perire fame patitur. Vnde & dicit? *Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via*: Omnes enim in via sumus, omnes ad patriam tendimus. De hac enim via psalmista ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Itemque *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*: In hac autem via deficiunt ieiuni, per hanc viam currere nõ possunt, qui Christi pane non sunt refecti. Præsertim si de longe venerunt. *Longe est a peccatoribus salus*. Sicut enim hæc via breuis, & facilis est bonis, ita longa, & difficilis est malis. Et dicunt ei discipuli. *Vnde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine?* Fortasse immemores erant Christi discipuli quod ex quinque panibus quinque millia hominum iam superius satiauerat. Et ait illis Iesus *Quot panes habetis?* At illi dixerunt? *septem, & paucos pisciculos*. Septem enim panes septẽ libri sunt veteris testamẽti, quos heptaticũ vocamus, siue etiam septem gratiæ spiritus Sancti. Pauci verò pisciculi pauci libri noui testamenti, ad veteris testamenti comparationem. Isti tamen pauci si illis septem panibus coniunguntur, cunctis hominibus ad animarum refectionem sufficiunt. Sine illis enim neque comedi possunt, neque sanitatem, vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim septem illi panes, sapientia, & intellectus, consilium, & fortitudo, scientia & pietas, & timor Domini. Sed quis sine sapientia sapiens? Quis siue intelligentia intelligens? Quis sine consilio prouidus? Quis sine fortitudine fortis? Quis denique sine scientia sciens, sine pietate pius, & sine Dei timore timens? Non igitur hi pisces sine illis panibus comedi possunt Et meritò pisces isti libri dicuntur, quoniam in vno fonte natant. De quo scriptum est, *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, & præcepit turbæ, vt discumberent super terram*. Super terram enim discumbunt, quicunque puluerem, & terram se esse cognoscunt. Vnde et dicitur, *quid superbis puluis, & cinis? Et accipiens Iesus septem panes et pisces gratias agens fregit, & dedit discipulis suis*. Frangit autem Dominus & panes & pisces, quoniã prout vult, & Sancti Spiritus gratiam vnicuique tribuit, & profunda Sanctarum scripturarum mysteria pandit. Sed quibus dat, nisi discipulis suis? Quib. hęc prędicanda largitus nisi Episcopis, & sacerdotibus? Isti enim sunt, quos constituit Dominus super familiam suam, vt det illi cibum in tempore. Isti ceteros pascunt. Isti pane diuini eloquij totam Ecclesiæ turbam reficiunt. *Et comederunt omnes, & saturati sunt*. Comedamus igitur, & nos, vt saturemus, legamus, vt intelligamus. Hũc enim cibum, qui plus comedit, plus comedere appetit Hic cibus mentem exilaret, & stomachum non grauat. Quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Vnde & subditur. *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas*. Plura sunt fragmenta, quasi panes, quia plures sunt, qui non fragmenta suscipiunt, quam illi, qui tunc illos panes, & pisces comederunt. Nonne vides quanta librorum volumina ex his quatuor Euangelijs multiplicata sunt? Sed quid per septẽ sportas, nisi septem Ecclesię significantur per quas omnes aliæ Ecclesiæ intelliguntur? Vnde & Ioãnes Euangelista ad septem Ecclesias scribit. Vnde & Isaias ait. *Apprehendent septem mulieres virum vnum in illa die dicentes panem nostrum comedemus. Panem modo datum nobis panem, quo repleti, & refectę sumus*. Et quasi dicerent. Nos enim sumus illæ septem sportę, quas plenas fragmentis olim in deserto Apostoli sustulerunt. Quia igitur panem habemus, panem nostrũ comedamus. *Erant autem qui manducauerunt quatuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres*. Quare autem paruuli, & mulieres non numerantur? Nisi quia in Dei populo computate digni non sunt, qui vel paruulos in stultitia, & fatuitate, vel mulieres in mollitie, & debilitate imitantur: Vnde Apostolus. Nolite inquit, *pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote*.

DOMINICA SEPTIMA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis Attendite a falsis*. Et reliqua.

ATtendite, inquit, & cauete vobis a falsis prophetis, a malis sacerdotibus, & Episcopis, attendite a Simoniacis & hæreticis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, Omnium simplicitatem simulant, ouium innocentiam fingunt, & ouium patientiam mentiuntur. Quos quidem si interius videretis, si sub vestibus cerneretis, aliud ibi, quam oues agnosceretis. Latet enim lupus sub ouina pelle, & quos extrinsecus oues putatis, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Lupi enim rapaces sunt, qui non ad hoc venerunt, vt gregem custodiant, sed ad hoc, vt furentur, & rapiant, mactent, & perdant. Quomodo autem eos cognoscere possitis, audite *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Sicut enim vnaquæque arbor a fructu suo cognoscitur, ita vnusquisque homo in operibus cognosci potest. Ideoque non dixi a folijs eorum, a fructibus eorum cognoscetis eos. Si enim verba attenimus, no

rum, non facite boni discernuntur a malis. Vnde & alibi Dominus ait. *Super Cathedram Moysis sederunt scribæ, & Pharisæi, quecunque dixerint vobis facite, secundum opera eorū nolite facere.* In quo apertissime bene eos dicere, & male facere ostendit. Qui igitur in verbis non discernuntur, in operibus comprehenduntur. Prædicent igitur quicquid velint, vos autem opera considerate. Si fideles sunt, si mites, si patientes, si misericordes, si humiles, si pacifici, si casti, si beneuoli, si auaritiā oderint, si pecuniam non abscondunt, & similia, quę enumerare lōgū est. Isti sunt fructus bonę arboris, horū laudes folia sunt. Qui enim laudant hæc, & non agunt, folia tamen, & fructus non ostendunt. *Sic igitur a fructibus eorum cognoscetis eos:* nam & spinę, et tribuli a fructibus suis cognoscuntur, quoniam neque in spinis vuę, neque in tribulis ficus colligūtur. *Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autē arbor fructus malos facit: Non potest arbor bona fructus malos facere. Neq. arbor mala fructus bonos facere.* Verum est enim, quia omnis arbor bona facit fructum bonum, & omnis arbor mala facit fructum malum. Sed quomodo illud verum est, quod verum esse veritas dicit, vt nulla bona faciat malum, & nulla mala faciat bonum? Nemo enim tam iustus, qui aliquando non peccet. Hoc enim Ioannes Apostolus ait. *Si dixerimus quia peccatum non habemus nos, ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Omne autem peccatum malus fructus est. Malus igitur fructus etiam in bona bona arbore reperitur. Similiter autem nemo tam iniquus, qui aliquando bonum non agat. Neque enim fieri potest, vt falsus verum aliquando non dicat, verum autem dicere bonum est. Inuenitur igitur bonus fructus in arbore mala. Quid igitur? Quomodo verum esse probabimus, quod verum esse non dubitamus? veritas enim mentiri non potuit. Verum est itaque, quod nulla arbor bona malos fructus facit, & nulla arbor mala fructus bonos facit. Verum vtique est, sed cum determinatione verum est. Dicatur ergo. Nulla bona arbor secundum hoc, quod bona est, fructus malos facit. Nullum enim contrarium suum contrarium generat. Nam neque dulce facit amarum, neq. sanitas ægritudinem, neque frigus calorem, neq. veritas falsitatem. Non igitur bonum facit malum, neq. malum bonum. Contraria enim sunt. Omnis enim arbor secundum suam naturam bona est, & bonos fructus facit. Secundum corruptionem verò mala est, & malos fructus facit. Quid autem in arbore significetur, intelligis. Arbor enim ista homo est: Sed vis videre, quia non hominis natura, quæ vtique bona est, facit fructum malum, sed eius corruptio, & peccatum? Audi quod Apostolus dicat. *Non enim quod volo, hoc ago, sed quod nolo malum, illud facio.* Si autem quod nolo, illud facio iam non ego operor illud, sed qui habitat in me, peccatum. Inde igitur dicitur arbor mala non quod secundum se mala sit, sed quia in ea est corruptio mali. Et si parum corrupta est, quasi iam a corruptione sana, non mala, sed bona vocatur. Si vero multum corrupta est, mala vocatur, & non bona. Ab eo enim suscipit nomen, quod magis in ea abundat. Cognoscuntur igitur falsi prophetæ a fructibus suis, quoniam & si aliquando bonum aliquid facere videantur, tamen quia vel pro lucro, vel pro laude faciunt, eorum simulatio diu celari non potest. Quia enim omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, ipsum quoque quod bonū esse videtur, bonum non est. Sequitur. *Omnis arbor, que non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Tunc enim arbores excidētur, quando homines moriuntur. In ignem verò tunc mittētur, quando dicetur eis. *Ite maledicti in ignem eternum. Nō omnis, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum celorum. Sed qui facit voluntatē patris mei, qui in celis est. Ipse intrabit in regnum celorum.* Dicere enim Domine Domine adulatio est, seruire autem ei sicut Domino amor est, dilectionisque probatio, & patris filijq. voluntas. Tantum autē interest inter dicere, & facere, quantum inter folia, & fructus. Hęc igitur ad superiora spectant, vbi ait: *a fructibus eorum cognoscetis eos.* Sequitur. *Multi dicent mihi in illa die Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, et in nomine tuo demonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos Discedite a me qui operamini iniquitatem.* Qui sunt enim isti multi, illi, quos modo paulo superius falsos prophetas nominauit? Isti autem multi, Hæc turba non modica dicent in illa die. In qua die? Non quæras nomen eius quia notissimum est. Quid dicent? *Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus?* Prophetauit enim Balaā, prophetauit, & Cayphas, Hoc enim dicit euangelista, *quia cum esset Pōtifex anni illius prophetauit dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Demonia vero vsque hodie eijciunt, aliasque multas virtutes faciunt, & qui baptizant, & qui prædicant. Quot enim sunt crimina, tot sunt & dęmonia in vno quoque. Vnde & Dominus de Maria Magdalena dicitur, expulisse septem demonia, quoniam sicut alibi dicitur, *Dimisit ei peccata multa: quia dilexit multum.* Hæc autem dęmonia eijciuntur, quando Euangelica prædicatione a quocunque nuntiata peccatores pœnitent & conuertuntur. Faciunt autem & alias multas virtutes, quia cæcos illuminant, leprosos curant, & mortuos suscitant. Has enim virtutes fecerunt in corpore aliquanti prędicatores, in anima vero faciunt omnes. Neque vero minus est animā sanare, quam corpus. Corpus enim sanatur, & moritur, anima vero sanatur, & numquam moritur. Vis autem audire, quæ anima sit cæca? Anima enim infidelis, quæ Dominum non videt, & veritatem non intelligit, ceca est. Leprosa vero est illa, quæ vitiorum maculis sordescit. Illa enim mortua est, quæ in crimine perseuerat. Toties igitur prædicatores cæcos illuminant, quoties iniqui homines eorum monitis, & prædicatione conuertuntur, & pęnitentia ducti, diabolo, et omnibus operibus eius abrenuntiant, & suæ salutis medicinam ab illis suscipiunt. Sed quid hoc eis prodest, cum illis Dominus dicat, *numquam noui vos, discedite a me qui operamini iniquitatem?* Numquam dilexi vos, numquam vestra opera mihi placuerunt. Nouit enim eos Dominus, atque dilexit, secundum naturam, quam in eis creauit. Non nouit vero neque dilexit secundum corruptionem, qua eos diabolus vitiauit. Omnis ergo homo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ędificauit domum suam supra petram. Non ergo sufficit audire verba Dei. Hoc enim & Apostolus ait: *Non auditores legis iusti sunt apud Dominum, sed factores.* Audire enim omnium est, facere verò paucorū. Domus autē, que supra Petrā fundata est, firmum, & stabile fundamentū habet. Sapiens igitur est, qui sic edificat, fūdamentū prius quęrendum est. Sed videamus quid hec petra significet, Apostolus enim dicit: *quia petra erat Christus.* Itemque. *Fundamentū enim aliud nemo potest ponere, preter id, quod positum est,* idest Christus Iesus. Inuenisti fundamentū, hic domū ędifica, hic enim domum ædificabis, si hæc mandata seruabis. Crede, & fac quæ præcipit Christus, & fundaberis in fundamento Christi: Ipse erit tibi fundamentum, ideoque non timebis pluuias, & ventum. Hoc est enim quod ait. *Et descendit pluuia, & venerunt flumina, et flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra firmā petrā.* Vis autē videre domum supra petrā fundatā quomodo nec pluuias, nec flumina, nec ventos timeat? *Certus sum* inquit Apostolus, *quia neque mors, neque vita, neq. principatus, neque potestates, neque aliqua persecutio poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Quamuis enim furore & terrore, flagellis, & minis, omniumque tormentorum generibus, quasi quibusdam magnis ventorum, & tempestatum procellis super sanctos sequentes irruerent, eos tamen a Christi fide separare nullatenus poterant. Hoc autem ideo fiebat, quia bene super petram fundati erant. Videamus etiam de illa domo, quæ non super petram, sed super arenam fundata est. *Et omnis,* inquit, *qui audit verba mea hec, & nō faciet ea, similis erit viro stulto, qui ędificauit domum suam super arenam. Descendit pluuia, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna.* Qui enim verba Dei audire delectantur custodire nō curant, suę fidei domum, seque ipsos super arenam ædificant, quia facili aura deiciuntur. Quorum quidem ruina magna erit, quando malignorum spirituum furore, & ira quasi magno quodam impetu procellarum in tartara præcipitabuntur. De

quo

quo naufragio nos liberare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre, & spiritu Sancto viuit, & regnat in sęcula sęculorum. Amen.

DOMINICA OCTAVA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc homo quidam*. Et reliqua.

ET vocauit illum Dominus suus, & ait illi: *Quid hoc audio de te? Redde rationem uillicationis tuæ. Iam enim non poteris villicare.* Ait autem villicus intra se. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem? fodere nō valeo mēdicare erubesco, scio quid faciam, vt cum amotus fuero a villicatione recipiant me in domos suas.* Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo. *Quantum debes Domino meo? At ille dixit; Centum cados olei. Dixitq; illi: accipe cautionem tuam, & sede cito, & scribe quinquaginta. Deinde alio dixit: tu uero quantum debes? Qui ait. Cētum choros tritici, ait illi. Accipe litteras tuas, ac scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Hæc autem secundum litteram plana sunt, & per singula exponere non est necesse. Dicat tamen ipse Dominus, ad quid hanc similitudinem dederit. Quia, inquit, *filij huius sęculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*, Non enim villici iniquitatem, sed prudentiam Dominus laudat? Hic autem Dominus, qui villicum iniquitatis laudat, non Dominus omnium, sed dominus villici intelligi debet. Non laudat eum de fraude, quam fecit, sed de ingenio, quo sibi in futurum prospexit. Nesciens enim quomodo inueniret, si quidem fodere non valebat, mendicare erubescebat. Hoc singulare inuenit præsidium, vt qui prius Domini sui bona discipauerat, hanc in fine fraudem committeret. Laudatur igitur non de bonitate aliquando, sed de calliditate, & fraudandi astutia, vt qui bona Domini sui iam furando rapere nō poterat, celando, & abscondendo subtraheret. Cui prudentiæ non solū Dominus villici, sed Dominus omnium eū applaudere videtur, cum dicit: *Quia filij huius sęculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*. Prudentiores illi sunt in malo quam isti in bono. Vix enim inueniuntur aliqui sancti, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis ęternis, quantam calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus, & fugitiuis. Pro his enim die, noctuque vigilant laborant, angustiant, & per fraudes, rapinas, furta, proditiones periuria, homicidia, & his similia has tales diuitias coaceruare non cessant. Denique quis dicere valeat, quantam in se vicissim decipiendo huius seculi filij prudentiam, & calliditatē habeant? Audiant igitur hæc filij lucis, & a filijs huius seculi vinci erubescant. Ideo enim hæc scripta sunt, vt audiendo prudentiores fiant, non autem, vt iniquitates villici imitando fraudem in aliquo, vel iniustitiam agant. Vnde & subditur. *Et ego vobis dico: facite vobis amicos de māmona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Facite, inquit vobis amicos de māmona iniquitatis, sed non eo modo, quo facit sibi villicus iniquitatis. Non fraudando aliena, sed largiendo vestra, sicut igitur villicus iniquitatis, qui Domini sui facultates dessipauerat, sciens quia iam vlterius villicare non poterat, fecit sibi amicos, ad quorum auxilium post villicationem confugeret, *ita & vos facite*. de māmona iniquitatis, & diuitijs Domini vestri, quas dessipastis, quia auare eas retinuistis, & secundum eius voluntatem non expendistis. Has igitur pauperibus erogate, de his vobis amicos facite, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quæ diuitiæ cum sua natura bonæ sint, vestra tenacitate iniquę fiunt. Omnes enim diuitiæ iniquæ sunt, quæ auarè retentæ proprijs Dominis nocent, vel quæ ex æqualitate non expenduntur: tunc enim ex æqualitate eas expendis, si & tibi tantum reserues, quantum sufficere possit, & cętera indigentibus largiaris. Vnde Apostolus; *Non enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. In quo manifeste ostenditur: quia non necessaria, sed super abundantia dare iubemur. Non enim vult Apostolus, vt sic in dando prodigi simus, vt ipsi postea penuria tribulemur. Diuitiæ igitur, quæ per se quidem iniquæ sunt, si diuidantur, ęternos nobis amicos, & æterna tabernacula pariunt. Per se quidem diuitiæ iniquæ sunt, quia nisi diuidantur, æquæ non sunt, diuisę autem iniquæ non sunt. Iniquæ igitur sunt, quamdiu sunt. Non enim dicuntur diuitiæ, quæ non ad superfluitatem, sed ad necessitatem reseruantur. Si igitur tollas ab eis superfluitatem, tolles & nomen iniquitatis. Sequitur. *Qui fidelis est in minimo, & in maiore fidelis est. Et qui in modico iniquus est, & in maiore iniquus est.* Hæc enim de Apostolis specialiter, & per eos de cæteris Ecclesiæ dispensatoribus, & prælatis dicuntur. Vnde & in huius Euangelij principio dicitur, quod hæc Dominus dixerit ad discipulos suos. Maiora igitur Ecclesiæ negotia eis committenda, & credenda non sunt, qui in vita priuata fideles non extiterunt, & de illo modico, quod habebant pietatis, & misericordiæ opera non dederunt, at vero illos in prioratu fideles fore dubitare non debemus, quos de modico, quod possident, libēter alijs subuenire videmus. Hinc enim Apostolus præcipit Episcopos non cupidos esse, nec temporalis lucri sectatores. Valde igitur considerandum est, in electione præpositorum quales in modico fuerint, & quid pietatis, & misericordiæ habuerint, quoniam qui in modico fideles non sunt, in magnis quoque fideles non sunt. Vnde & subditur: *si ergo si iniquo māmona fideles non fuistis*. Quod ij verum est quis credet vobis? Si de diuitijs, quæ fugitiuæ, & fallaces, & transitiuæ sunt, misericordiam non fecistis, quis Ecclesiæ dispensationem, & regimen, quod verum, & æquum, & secundum est, & sine dolo dispensari debet, vobis committere, & credere audeat? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, Quis dabit vobis? Illa enim aliena sunt, & non nostra, quæ sic possidemus, vt semper amittere timeamus. Nostra vero sunt, de quibus securi sumus, & numquā amittere timemus. Temporales igitur diuitiæ sunt, nostræ vero ęternæ, si boni fuerimus, & in his temporalibus spem non habuerimus. Sed alia, quæ nostra sunt, & nobis prædestinata sunt, nobis non dabuntur, si in hoc alieno fideles non fuerimus, quoniam sub rea conditione, & data, & prædestinata sunt nobis, si huius fidelitatis inueniatur in nobis.

DOMINICA NONA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. *Quidam legis peritus surrexit tentans Iesum, & dicens*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

SVrrexit, inquit, legis peritus legis conditorem reprehendere volens, Sed non est sapientia, non est prudentia, nō est consilium contra Deum Peritus siquidem erat, quem ipse Dei filius peritum fuisse testatur. Sed quæ peritia, vel sapiētia ad diuinæ sapientiæ mensuram se extendere valeat? In hoc enim quod ait. *Tentans eum*, manifeste ostendit, quia non ad hoc, vt vitam æternam possideret, Sed vt in aliquo eum reprehenderet, si posset eum interrogabat. At ille dixit ad eum. *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* Si, inquit, legis peritus es, & legem nosti, vtique quid de vita eterna dicat nobis intelligis: Dic ergo quid de hoc in lege scriptum est. Ille respondens dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex cunctis*

viribus

viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi. Recte respondisti. Hoc fac, & viues. Ecce quomodo Dominus comprendit sapientes in astutia eorum. Ipse legis peritus suam intentionem reuelat, & ad quid Dominum interrogauerat, manifestat. Ipse interrogat, ipse respōdit, & ipse sui ipsius, & magister & discipulus factus est. Sciebat enim quid in lege scriptum erat, hoc enim Dominus eum fateri coegit. Cur ergo interrogabat, quod sciebat? Ideo vtique, quia Dominum reprehendere volebat. Dominus tamen eum non reprehendit, sed recte eum respōdisse ait. Ipse autem volens iustificare se ipsum dixit ad Iesum. *Et quis est meus proximus*, quia enim Deum, & proximum diligere ad iustitiam, & vitam ęternam possidendam sufficere posse audierat: illico se ipsum iustum ostendere voluit, quasi qui Deum, & proximum dilexisset, nisi forte aliter, quam ipse, quis sit ęius proximus, intelligeret Dominus. Vnde & ait; *Et quis est meus proximus?* Putat enim fortasse illum solum sibi esse proximum, qui vel amore, vel carius coniunctione sibi prę cœteris propinquior erat. Sed non est ita dicente Domino, *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt?* Suspiciens Iesus autem dixit. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in hierico & incidit in latrones. Qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* Quid enim homo iste, nisi genus humanum? Quid Ierusalem nisi Paradisus? Quid Hierico, nisi mundus iste intelligitur? Hierico namque interpretatur luna, quę tantę mutabilitati subdita est, vt numquam in eodem statu nūc crescendo, nūc minuendo permaneat. Vnde & non immeritò hunc mundum significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare non potest, vt enim de cœlo, & tempore, de diebus, & mensibus, & anno taceamus, quę semper voluuntur, & in se replicantur, neque Aer, neque terra, neque mare, neque ipsi homines suam perpetuo seruant figuram, quorum omniū mutationes longum est narrare per singula. Tunc igitur genus humanum ab Hierusalem descendit in Hierico, quando in hunc mundum primus homo de Paradiso abiectus est: totū enim humanū genus simul erat in eo, totū igitur simul descendit cū eo, & incidit in latrones. Latrones isti maligni spiritus sunt, qui per furtum, & per latrocinium animarū thesaurum cunctis diuitijs excellentiorem, virtutes scilicet, & bona opera nobis surripiunt. Qui etiam despoliauerunt eum, nimirum illa tunica immortalitatis, qua primus homo exutus, nudum se intelligens, domino interroganti, vbi esset, respondit dicens. *Audiui Domine vocem tuam, & abscondi me, eo quod nudus essem. Et plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto.* Tot enim plagas vnicuiq. homini diabolus imponit, quot varijs eum seruire compellit; Alios enim per superbiam, alios per auaritiam, alios per luxuriam, atque alios alij modis vulnerat, & occidit. *Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo prętерijt.* Quis est enim iste Sacerdos? Aaron cum filijs suis, totusqua ille ordo sacerdotalis, quos cæteris orare Dominus iusserat. Iste autem eadem via descendebat, quia & ipse morti, & corruptioni subditus erat, vnde, & viso eo prætеriit, quia eum liberare non potuit. *Similiter, & Leuita cum esset secus locum, & videret eū pertransijt.* Leuita enim non solum Moyses, sed & tota tribus leuitica intelligitur, quamuis enim soli filij Aaron sacerdotio fungerentur, tota tamen tribus leui orationibus instabat, quoniam de decimis, & eleemosinis viuebat. Pertransijt igitur et leuita, quia neque isti genus humanum a mortis periculo eripere potuerunt. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & videns eum misericordia motus est.* Se ipsum enim Samaritanum Dominus dicit, quod nomen inimici sui iudæi ei imposuerunt dicentes: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes?* Samaritanus tamen interpretatur custos. Quo nomine ille quidē dignus est, cui per Prophetā dicitur: *Custos quid de nocte, quid de nocte?* Et Psalmista. *Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam.* Hic autem iter faciēs, & sicut cœteri homines ad finem tendens, sua misericordia hominem liberauit, & suo sanguine redemit, vnde & subditur. *Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.* Qua in re nos Dominus docuit, qualiter infirmis & ad pœnitentiam venientibus mederi debeamus. Vulnera enim ligamus, quādo a peccato peccatorem cessare iubemus. Quanto enim tempore in peccato homo perseuerat, tanto tempore vulnera soluta, & aperta habet. Oleum autem infundimus, quando misericorditer consolando indulgentiam peccatori promittimus. Infundimus insuper & vinum, quando asperè redarguendo ieiunare, & carnem macerare iubemus. Non sit igitur sine vino oleum, neque oleum sine vino. Vnde Apostolus: Argue, inquit, *obsecra, insta opportune importunè*, obsecrando enim oleum, & increpando vulneribus vinum infundimus. *Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* Iumentum Christi eius humanitas est. hoc enim ferimur, hoc ad stabulum, & ad ecclesiam ducimur, de quo Ipse, *Vt iumentum*, inquit, *factus sum apud te.* Et Propheta: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Christi enim humanitas nos docuit, nos redemit, nos in vnam fidem, & in vnam ecclesiam collegit. Ibi curam nostri agit, ibi nos quotidie sanat, & alit. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, Et ait: Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi.* Duo namque dies, duo tempora sunt: Primus dies ab Adam vsque ad Christum, Secundus vsque ad finem sæculi. Hoc igitur secundo die, idest postquam Dominus in mundum venit duos denarios protulit, eosque stabulario dedit, duo namque denarij, duo sunt testamenta. Primo itaque die vnus tantum denarius dabatur, quia alter denarius nondum compositus erat. Nunc autem duo denarij dantur, qui cunctis languentibus, & ad Ecclesiam venientibus ad omnem expensam sufficere possunt. Stabulum enim Ecclesia est, vnde & in stabulo Dominus natus est. Stabularius Episcopus, ipse enim stabulum custodit, Ecclesiam regit, & Dei animalia diuini Eloquij pabulo reficit. Bonus Stabularius Beatus Paulus, qui & duos denarios sibi a Domino commissos fideliter distribuit, & magnum aliquod de suo, supererogauit, ait enim: *De virginibus autem preceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Audiamus igitur hoc consilium, quod supererogando Apostolus dat: Existimo, inquit, *hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo, non peccauit.* Hoc enim Apostolus supererogauit, hoc in duobus denarijs non accepit. Supererogauit autem, & multa alia. Cum enim ei de Euangelio viuere liceret, de Euangelio tamen viuere nolebat, sed laborem labori supererogabat. Possumus autem per hanc supererogationem ipsam quoque boni operationem intelligere. Qui enim testamentorum verba exponit, denarios expendit. Qui vero agit, quod expendit etiam super denarios aliquid erogat, cuius erogationis mercedem Dominus se tunc redditurum esse promittit, quando ad iudicium reuertetur. Sequitur; *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* At ille dixit; *qui fecit misericordiam in illum.* Et ait illi Iesus? *Vade & tu fac similiter.* Ille enim proximus est tibi, cui miserendo appropinquas, qui vero nulli miseretur, nullum proximum habet. Magna est igitur misericordia, quæ ignotos etiam, & extraneos nos proximos facit. Magna est misericordia, per quam vita possidetur æterna.

DOMINICA DECIMA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. *Dicebat Iesus ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur caeteros parabolam istam.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

NVnquam arrogantia placuit Deo, nunquam superbia iustificata est. Vnde & de his qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus alibi Dominus ait: *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Tales erant & isti, quibus hec verba Dominus loquebatur, qui se coram hominibus iustificantes, cęteros, quasi peccatores abijciebant, & aspernabantur. Dominus autem, qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pęnitentiam, neminem repellebat, sed cum publicanis, & peccatoribus manducabat. *Duo*, inquit, *homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus pharisęus, et alter publicanus.* Pharisęis loquebatur Dominus, qui inde etiam pharisaei dicuntur, idest diuisi, quoniam se prae cęteris meliores esse putabant. His autem vnum Pharisaeum opposuit, in quo, quasi in speculo, caeteri se, quales erant, videre potuissent. Et fortassè idē ipse ibi erat, de quo Dominus ista dicebat. *Pharisaeus autem Stans hac apud se orabat dicens; Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cęteri homines raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quae possideo.* Nil horum reprehensibile est, nam & Deo pro beneficijs gratias agere, & bis in hebdomada ieiunare, & de omnibus decimis dare bonum valde, & laudabile est. Aliud est igitur, pro quo Pharisaeus iste damnatur, hoc autem intus est, in corde est, in intētione est, quod quidem nisi a Deo videri non potest, Deus enim non quid, sed qua intentione dicamus, considerat. Non oris, sed cordis vocem attendit, non ad riuos, sed ad fontem respicit. Vnde manifestum est Pharisaeum istum per superbiam, & arrogantiam cuncta dixisse, atque in his, quae faciebat, magis hominibus, quam Deo placere volebat. Stultus, qui pro tanto, talique seruitio, nihil, nisi vanamgloriā pro mercede recepit. Sequitur: *Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suū dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* A longe stabat Publicanus, quasi peccator, & publicanus. Qualis erat, talem se ostendebât. Inde enim dicuntur publicani, siue quia nec publicè peccare erubescebant, siue quia publica vectigalia colligebant. Ex his enim fuit Matthaeus publicanus, quem de thelonio Dominus vocauit. Merito ergo de publicanis ad pharisaeos Dominus ait: *Publicani, & peccatores praecedent vos in regnum Dei.* Stabat igitur a longe Publicanus, & quia se peccatorem esse sciebat, propius accedere timebat, nolebat autem nec oculos ad cœlum leuare, nec in eo tempore Deū offendere, & quod ad superiora, & ad sedem Dei de limo profundi, & de tanta voragine peccatorum respicere pręsumpsisset. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Meritò autem pectus percutiebat, quia ibi peccauerat, ibi erat fons, & fouea, & origo mali, ibi enim est cor bonorum, atque malorum secretarii inde omnia bona, & omnia mala inde procedūt, *ex corde enim*, ait Dominus, *Exeunt cogitationes malę, homicidia, furta, periuria, adulteria, & similia.* Haec igitur Publicanus percutiebat, & percutiēdo se, de seipso quodam modo vindicabat. Ideo enim Psalmista dicit: *Cor mundum crea in me Deus*, quoniam si cor mundum fuerit, a quo consiliatio omnia consilia nostra suscipimus, malum facere non poterimus nisi fortasse tale aliquid, quod ignorantiae imputetur, si tamen illud cor mundum dici possit, quod ignorantia maculatur. Propter hoc enim solis sacerdotibus pectusculum semper de sacrificijs datur, quia in eis totius populi cor, & consiliū omnisque doctrina, & sententia continetur, vt bene cordati, & pectorosi semper sufficienter habeant, quod vnicuique interroganti respondeant. *Percutiebat igitur iste pectus suum* & *dicebat. Dominus propitius esto mihi peccatori.* Non attendas huius cordis praua cōsilia, dele peccata, & propitius esto. Nil in me est, vnde tibi placere, & veniam consequi debeam quoniam corde, & corpore, cogitationibus, & operationibus tibi peccaui. Omnibus iniquior ego sum, & nisi per misericordiam tuam saluari non possum, ideoq. propitius esto mihi peccatori. Sic igitur non minus iste se accusabat, quam ille Pharisaeus se iustificabat. Sed quo fructu? qua mercede? Sequitur. *Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domū suam ab illo.* A quo illo? a templo, an à Deo? A templo vtique, & a Deo, a templo enim descendit, Sed a Deo iustificatus. Quare hoc? *quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur et qui se humiliat, exaltabitur.* Sicut igitur Publicanus, se humiliando, exaltatus est, ita & Pharisaeus se exaltando, humiliatus. Radix omnium malorum superbia, custos virtutū Humilitas est.

DOMINICA VNDECIMA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Marcum.

IN illo tempore *Exiens Iesus de finibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galilaea.* Et reliqua.

DEscribit Euangelista, per quam viam in Galilęam Dominus rediert. Sicut autem Pentapolis a quinque ita Decapolis a decem ciuitatibus nominatur. *Et adducunt ei Surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Qui sunt isti, qui surdum, & mutum Domino adducunt? Isti enim sunt Apostoli, & doctores, isti sunt Episcopi, & Sacerdotes, isti sunt, quicunque alios sanare desiderant, & ad fidem venire persuadent. Surdus enim est omnis homò, qui audiendi aures non habet, & qui Euangelij verba audire contemnit. Surdi erant illi, quibus Dominus dicebat. *Qui est ex Deo verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis.* De talibus Psalmista ait: *Furor illis secundū similitudinem serpentis sicut aspidis surdae: & obturantis aures suas, quae non exaudiet vocem incantantium, & venefici quae incantantur a serpente.* Mutus vero est, qui Deum non laudat, qui christum non confitetur, qui iustitiam non defendit, & qui iniustitiam non damnat. Tales illi sunt, de quibus dicitur. Hos igitur debemus ducere ad Iesum, & pro eis rogare, vt eis manum imponat. Sanatur enim, quem tangit Iesus, Sanatur, quem tangit Saluator, quia ipse est & salus, & vita. Non aliunde quaerit herbas, ipse est & medicus, & medicina. Tangit, & sanat, respicit, & medetur. Vnde & subditur. *Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auricula eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in Cœlum ingemuit, & ait illi: Ephpheta quod est ad aperire.* Cognoscimus hic Ecclesiae sacramenta. Haec nouiter ad fidem venientibus Sacerdotes facere videmus: Dicunt Ephpheta, quod est ad aperire, non vt exteriores hominis sensus, qui clausi non sunt, sed potius, vt interiores hominis aures aperiant, & linguam soluant, quatenus verba vitae diligenter intelligant, & intellecta alijs fideliter nuntient. Nisi enim aliud significaret, hunc tantū laborē in hoc homine sanando Dominus nō suscepisset. Poterat enim eū solo verbo sanare, sicut multos alios sanare consueuerat, hoc tamen non fecit. Sed quid fecit? De turba eum traxit, digitos ei in auriculā misit, expuit, & linguam tetigit, in cęlū suspiciens ingemuit, & ait illi: *Ephpheta, quod est adaperire.* Hęc enim turba, de qua hic homo a Domino trahitur, vitiorum est multitudo, & malignorum spirituum turbulentus exercitus. Qui enim de hac turba non trahitur, a Domino non sanatur. Merito igitur Dominus de turba eum traxit quē sanare volebat, & misit digitos suos in auriculas eius, quia in illius auditum Sancti spiritus gratiā infudit, vt haberet spiritum sapientię, & intellectus, sine quibus aures cordis non aperiūtur. de hoc enim digito ipse quoq; alibi ait. *Si ego in digito Dei eijcio dęmonia.* Quod Matthęus expo-

exponens ait: *Si ego in spiritu Dei eijcio dæmones, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Expuit autem, & tetigit linguam eius, vt per hoc eum doceat superflua cuncta abijcere, si linguam vult habere solutam, & ad loquendum idoneam. Sępe enim sputum ad loquendum linguæ facit impedimentum, est enim sputum superfluitas quædam, & stomachi, capitisq; purgatio. Qui igitur vult benè loqui, qui vult, vt Deo, & hominibus verba sua placeant, omni superfluo humore, omniq; impedimento, & stomachum releuet, & mentem, quam per caput intelligimus. Possumus autem, & per sputum Christi, quod ex capite quidem descendit, eius diuinitatis dulcedinē intelligere; Christi namque caput, ait Apostolus, Deus est; hæc autem dulcedo, hæc saliua nostri Redemptoris linguas infantium fecit disertas, quas olim vetiti pomi amaritudo ligauerat. De hac autem dulcedine ait Psalmista: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo;* Itemque *Dulcis, & rectus Dominus.* Et Petrus Apostolus: *Deponentes,* inquit, *omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quàm dulcis est Dominus.* Hæc igitur dulcedo, hæc saliua Christi pellit antiquum venenum, omnemque amaritudinem de lingua fidelium. Hæc saliua illorum linguas non tetigit, qui Christum non confitentur, & qui de fide interrogati se credere non respondent. Si videas hominem mendacem, litigiosum, maledicum, malè loquentem, malè suadentem, & vaniloquijs vacantem, dic illius linguam non esse baptizatam, neque Christi saliuam, eá tetigisse. Si verò videas aliquem, veracem, sapientem, benè loquentem, benè prædicantem, & Dei laudibus, & orationibus vacantem, huius linguam, Christi saliua, non dubites esse infusam. Sequitur: *Et suspiciens in cælum ingemuit,* in cęlum namq; Dominus suspexit, quia secundum humanitatem pro nobis ad Patrem orare non desitit. Sed quare ingemuit? nisi quia hominem, quem ad imaginem, & similitudinem suam creauerat, nunc surdum, & mutum, & per omnia infelicem esse videbat, quem etiam per multas tribulationes, & angustias ad pristinam dignitatem redire oportebat? Post hæc autē omnia, ait illi: Ephpheta, quod est adaperire, quia non plus sensus nostri à Deo aperiuntur, non plus eius doctrinæ pluuijs fœcundantur, quàm a Christo de turba trahamur, eiusq; manu tangimur, & ipsius saliuæ dulcedine omni amaritudine mundemur, atque sanemur. Vnde, & hic dicitur: *Et statim apertę sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè;* non enim nisi rectè loqui poterat, quem Dei virtus, & sapientia sic tangendo, & medendo sanauerat. *Et præcepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Quid est hoc? Quare eis Dominus hoc præcipiebat? Vnde eos inobedientes fore sciebat? Nobis fratres, nobis fiunt, ista ad nos respiciunt, & nostram iactantiam inclinant, qui si aliquid dignum aliquando fecerimus, hoc non ad vulgi fauorem extollere, & prædicare, immo humiliter abscondere, & cęlare debemus. Et hoc in contrarium vertitur, quia plus laudantur illi, qui facta sua abscondere volunt, quàm illi, qui ea pro vanagloria manifestare contendunt. Vnde beatus Iob dixit: *quòd laus Hipocritæ ad instar puncti.* De Sanctis vero dicitur: *Rex vero lætabitur in Domino, laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

DOMINICA DECIMASECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *dum iret Iesus in Hierusalem transibat per mediam Samariam, & Galilęam. Et cū ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Et reliqua.

OMnes in via sumus, omnes ad patriam festinamus, alij quidem ad cœlestem Hierusalem, alij verò ad terram miseriæ, & tenebrarum. Nulla mora est in itinere, quotidiè illuc, quò tēdimus, appropinquamus, hac autem via Dominus, & Saluator noster currere nō est dedignatus. Vnde ipse quoque alibi ait: *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Hanc autem viam cum Dominus teneret, cum mundum relinqueret, & ad Patrem iret, transibat per mediam Samariam, & Galilęam. Sed quid per Galilęam, nisi Iudęos? Et quid per Samariam nisi gentiles intelligamus? Inde enim est, quod dicitur: *Non coutuntur Iudæi Samaritanis.* Per medium autem illorum transibat Iesus, quia hos, & illos vocabat, his, & illis prædicabat, hos, & illos sanabat, & ad Fidem conuertebat. *Cum autem hoc faceret, accidit, vt ingrederetur quoddam castellum,* per quod videlicet Sanctam Ecclesiam intelligimus. Tunc enim prius in eam ingressus est, quando eam prædicando, & baptizando construere cœpit. Vnde ipse ait: *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, introibo ad illum, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum.* Cur autem Ecclesia castellum dicatur, multæ rationes reddi possunt. Sed quid sunt decem viri leprosi, nisi omnes peccatores? quia enim hic numerus omnes in se numeros continet, frequenter, decem pro omnibus ponitur. Vnde & de Sanctis dicitur in Apocalipsi: *Ecce missurus est ex vobis Diabolus in carcerem, vt tentemini, & habeatis tribulationem diebus decem,* idest diebus omnibus. Omnis enim, qui numerat, postquam ad decem venit, nisi vnum à capite incipiat, quid dicat, non habet. Vnde manifestum est, quia idem sunt decē, quod omnes, quantum enim ad animam Christo Domino veniente, omnes homines leprosi erant, quantum verò ad corpus omnes, omnis enim fornicator, adulter, homicida, periurus, & sacrilegus secundum animam leprosus est. De leprosis autem præcipit Moyses, vt eijciantur extra castra. Cum adulteris verò, & fornicatoribus, dicit Apostolus, nec cibum sumere, quos enim pro suis iniquitatibus excommunicamus, quasi leprosos extra castra eijcimus, valde enim maior est lepra animæ, quàm lepra corporis. Sed videamus, quod sequitur. *Qui steterunt a longè, & leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nobis.* A longè enim stabant, quia tales viri propius accedere non audebant. Similiter autem & nos tandiù à longè stamus, quandiu in peccatis perseueramus. Vt igitur sanemur, & a peccatorum nostrorum lepra curemur, clamemus magna voce, & dicamus: *Iesu præceptor miserere nostri.* Clamemus autem non ore, sed corde, cordis enim vox altior est, clamor cordis cœlos penetrat, & ante thronum Dei sublimius eleuatur. Quos, vt vidit, dixit: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus,* respicere namque Dei, misereri est. Vidit igitur eos, & mox misertus eorum ad Sacerdotes ire præcepit, non vt Sacerdotes eos mundarent, pręcipit enim lex, vt si plaga lepræ in homine appareat, ducatur ad Sacerdotem, & secundum eius arbitrium separetur septem diebus, deinde Sacerdos contempletur, & si viderit lepram non creuisse, mundum iudicabit. *Omnia autem hæc,* ait Apostolus, *in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram.* Nam & nos peccatores multis modis separamus, alios quidem à cibis, quibus prius licitè vtebantur, alios à corpore, & sanguine Christi, alios ab Ecclesiæ introitu, atque alios à nostra communione, & alios quidem septem alios plures, vel pauciores, & dies, & annos separamus, in quibus si viderimus lepram non creuisse, vitia defecisse, & peccata interijsse, mundos eos iudicamus, & Ecclesiæ reconciliamus. Hæc est igitur causa, quare Dominus ad Sacerdotes hos leprosos ire præcepit. *Et factum est, dum irent, mundati sunt.* Hoc peccatores videant, diligenterque intelligant, facile est Domino peccata dimittere. Prius enim multoties peccatori debita remittuntur, quàm veniat ad Sacerdotem, vna enim, eademque hora pęnitet, & saluatur, *peccator enim quacunque hora conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur,* videat tamen quomodo pœniteat, videat quomodo reuertatur. Audiat, quid Dominus dicat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Intus igitur in corde conuertatur quicunque conuertatur, quia *cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Sed vide cuius obediētię fuerunt isti leprosi. Ad sacerdotes eos ire Dominus iussit. Adhuc ægritudinem sentiebant, tamen ad sacerdotes pergebant, quia non frustra hoc eis Dominum iussisse credebant.

Non talis obedientiæ fuit Nahaman Princeps militiæ Regis Syriæ, cui cum Elisæus præcepisset, vt septies se lauaret in Iordane, acquiescere nolebat, sed potius indignatus abibat donec saniori accepto consilio, fecit, quod ei Propheta imperauerat: Lauit, & mundatus est. Et hoc fortasse isti audierant, eiusque exemplo admoniti, quid Fides, & obedientia possit, intelligebant, *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens, & hic erat Samaritanus*: per hunc enim omnes illi figurantur, qui postquã aqua baptismatis mundati sunt, aut per pœnitentiam curati, iam non Diabolum sequuntur, sed Christum imitantur. Post eum vadunt, eum magnificant, eum adorant, illi gratias agunt, & ab eius seruitio non recedunt. Respondens autem Iesus dixit; *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*, hoc est enim quod alibi ait: *Quia multi sunt vocati, pauci vero electi*. Multi enim baptizati, multi a peccatorum lepra mundati, qui quoniam Christum non sequuntur, & iterum reuertuntur, in electorum numero non computabuntur, valde enim sunt pauci ad malorum comparationem. Sed quia iste alienigena fuit, plures ex gentibus, quam ex iudæis saluandos esse significatur. Et ait illi: *Surge vade, quia fides tua te saluum fecit*. Magna est igitur virtus Fidei, sine qua, vt Apostolus ait, *impossibile est placere Deo*, credidit enim Abrahã Deo, & reputatũ est ei ad iustitiam. Fides igitur saluat, fides iustificat, fides & interius, & exterius hominem sanat.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis, nemo potest duob. dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonę*. Et reliqua.

MOdo enim superius Saluator noster de thesauro locutus est, quem etiam quo in loco ponere debeamus, ostendit dicens. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur*. Nunc autem dicit, quia non possumus duobus dominis seruire, Deo scilicet, & mammonæ, mammonæ namque diuitiæ interpretantur. Reponat igitur in cęlo diuitias suas, qui Deo familiariter seruire desiderat. Qui enim diuitijs seruit, eius seruitiũ Deus nõ recipit, facilius enim est, Camelũ per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum. Diuitijs autem seruire, est subiectionem quamdam eis exhibere, & pro necessitate, vel vtilitate eas expendere timere. Aliud igitur est seruire diuitijs, aliud habere diuitias, ille enim diues non multum a paupere distat, qui in diuitijs spem non ponit, easque vtiliter, largiterque distribuit. Hoc autem si ad literam intelligatur, vt simplex sermo dicere videtur, non solũ duob. dominis, sed multis dominis seruire non est impossibile, ideoq. de quibus dominis intelligere debeamus, confestim subdidit dicens, *Non potestis Deo seruire, & mãmonæ*. Istis enim duobus nemo seruire simul potest. Quis enim seruit mammonæ nisi Auarus? Auarus igitur Deum contemnit, & odio habet? Vnde hoc? quia idolis seruit. Sic enim Apostolus ait: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in Regno Christi, et Dei*. De Auaritia nãque Zaccharias propheta loquebatur, cum diceret se vidisse amphorã egredientem, in qua mulier inclusa erat, quæ Impietas vocabatur, cuius os, ne egredi potuisset, massa plũbea claudebatur. *Et ecce duæ mulieres, quæ habebant alas, sicut milui ferebant amphorã in terram Sennaar, vt ponerent eam ibi super basim suam*. Hæc autem superius exposuimus in eo Euangelio, vbi Saluator noster loquitur dicens; *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euãgelizare pauperib. misit me*. Sequitur: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animę vestræ, quid manducetis, neq. corpori vestro, quid induamini*. Hæc enim specialiter dicuntur Apostolis, eorumq. successoribus, cęterisque omnibus, qui ad summum perfectionis cumulum attingere cupiunt, talibus enim nulla terrenorum bonorum est sollicitudo, quia habentes victum, & vestitum, his contenti sunt. Facile quidem, & sine omni solicitudine his abundant, qui totam suam spem ponunt in Deum. Vnde Psalmista: *iacta*, inquit, *cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet*. Itemq. *Non vidi iustum derelictũ nec semen eius egens pane. Nonne anima plus est, quam esca, et corpus plusquã vestimentũ?* Noli, inquit, quicumque es, qui mundi gloriam spreuisti, & Deo seruire, & contemplationi vacare elegisti. Noli solicitus esse animæ tuæ, idest vitæ tuæ, quia qui dedit vitam, dabit et vnde regatur vita, plus est enim anima, quam esca, plus est vita quam regimen vitæ. Qui igitur dedit, quod maius est, & illud vtique dabit, quod minus est. Valde enim hæc verba Apostolis erant necessaria, qui sine sacculo, & pera vbique terrarum erant ituri, quibus & Dominus ait: *Ecce ego mitto vos, sicut oues inter lupos*, Hos autem, vt Apostolus ait, constituit Dominus, vt de Euangelio viuerent, *dignus est enim operarius mercede sua. Respicite volatilia cœli quoniam non serunt, neq. metunt, neq. congregant in horrea, & Pater vester calestis pascit illa? Nonne magis vos pluris estis illis?* Nullum enim animal in hoc mundo Deus creauit, quod pluris amoris, & dilectionis, pluris pretij, & honoris sit apud Deum, quam homo. Si igitur ea, quæ propter hominem facta sunt, & quæ ad ipsius comparationem, aut parua, aut nulla sunt. Sine labore, & solicitudine omnipotens Deus pascit, qui tanto magis eos non derelinquet, qui ad eius imaginem facti, eius gratiæ sunt reconciliati. *Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Hoc autem tale est, ac si diceret, quod vos quidem, nec solicitudine nec cogitatione, nec arte, nec ingenio, nec labore facere potestis, vt videlicet ad staturã vestrã vnum cubitum adijciatis. Hoc sine vestra cogitatione, & solicitudine Deus in vobis operatur, quos de matris vtero tam paruos progredientes ad integram mensuram perfecti hominis prouexit, ergone pascere nõ poterit, qui creare, viuificare, & hęc incrementa dare potuit? *Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quommodo crescũt, non laborant, neq. nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomõ in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis*. Putatis, inquit, quod vos sine labore, & solicitudine vestire nõ possit, qui agros vestit florib. & lilia distinguit colorib. Quomodo enim crescũt lilia? Quomodo tã pulcris operimẽtis induuntur? nã neq. laborare nouerũt, insẽsibilia enim sunt. Verũ tamẽ satis excellentius ipso quoque Salomone induta sunt, qui & diuitijs, & sapientia cœteris nullius gentis regibus excellentior fuit. Nemo enim vel arte, vel sapiẽtia Dei operationis pulchritudinẽ imitari potest. *Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos minimę fidei*. Si de his, quæ infra vos sunt hanc curam habet, quam curam de vobis eum habere putatis? *Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* quoniã ille nihilo indiget, qui vobis, si fidẽ habeatis, sufficienter omnia ministrabit, hęc.n. omnia gẽtes inquirũt, vos autẽ hæc quęrere non est necesse, quærere, inquã, cum labore, & sollicitudine. Ideoq. Dominus nõ ait, Nolite quærere, sed nolite soliciti esse, scit enim Pater vester, quia his omnib. indigetis. Vnde Apostolus Petrus in epistolis suis loquitur dicens: *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Quærite ergo primum regnum Dei, et iustitiã eius, et hæc omnia adijcientur vobis*. Quærite, inquit, regnum Dei. Quærite vitam æternam, Quærite, vt Ecclesia crescat. Orate, vt regnũ Dei adueniat, suãq. vobis iustitiam tribuat, vt qui omniũ iudices facti estis, omnes in iustitia, & ęquitate iudicare possitis, & hęc omnia adijciẽtur vobis: hoc est enim, quod alibi ait: *Centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis*. Nolite soliciti esse in crastinũ. crastinũ enim pro futuro positum, nõ .n. vult Dominus de futuro nos esse solicitos, qui neq. de presẽti certi, & securi sumus, & in eo quidẽ, q. nos in crastinum solicitos esse prohibet, presẽtiũ quodãmodo cõcedere videtur. Vnde & Beatus Paulus, quasi de præsẽti solicitus manib. suis

labo-

suis laborabat, quod ei ad victum quotidianũ sufficere posset, hac enim solicitudine otiositas tollitur, nec tam diuitijs seruitur. Cur autem de crastino soliciti esse non debeamus, adiunxit: *Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi*, ac si dicat, sicut hodiernam solicitudinem non interdico, ita neque crastinam, postquam crastinus dies aduenerit. Sit igitur hodiernus dies de se solicitus, & non de alio, similiter, & crastinus, & cęteri per ordinem, sufficit enim diei malitia sua, sufficit enim tibi, si huius præsentis diei malitiam transire valeas. Cur ergo malitiam malitiæ, laborem labori, angustias angustijs, fatigationem fatigationi superaddere velis? Non enim pro malo in hoc loco malitia ponitur, sed pro fatigatione, & labore. Sic enim dicere solemus, multa mala hodie passi sumus, quãdo aliquo magno labore fatigamur, hoc autem alicui inconueniens esse videbitur, nisi fortè de solis Apostolis, & similibus intelligatur. Ad quid enim oues, & boues, & cętera animalia, quæ hodie necessaria habemus completo die teneamus, & custodiemus, si omnino de crastini solicitudinem nõ habeamus? Ad quid præterea agros, & vineas colimus, eorumque fructus in cellaria recondimus? Patent autem & alia multa, quæ simili modo .... hęc dicere possimus. De illis igitur intelligantur, quibus corporis necessaria nihil in hoc mũdo possidere placet, tales enim prophetæ, & Apostoli fuerũt, tales & multos alios fuisse legimus, si omnes homines tales esse vellent, non deesset Deo, vnde eos pasceret.

DOMINICA DECIMAQVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

Require Feria quinta in Dominica quarta Quadragesimæ.

IN illo tempore *Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim*. Et reliqua.

DOMINICA DECIMAQVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *cum introisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

IN eo enim, quod ad panem manducandum in domum Principis Pharisæorum Dominum introisse Euangelista scribit, eum solis necessarijs contentum, & Domino delitiosis cibis inhiasse ostendit, præsertim cum neque in ipsius Principis domo aliud manducasse dicatur, in pane tamen, qui in omnibus cibis principatum tenet, omnia ciborum genera intelligere possumus. Vnde & de Ecclesia dicitur, quia panem otiosa non comedit. Et ipsi, inquit, obseruabant eum, idest insidiabantur ei, vt vel in eius verbis aliquid audirent, vel in eius actionibus aliquid viderent, vnde eum reprehendere, & accusare potuissent, quorum iniquam voluntatem Dominus cognoscens, eisdem ipsis materiam dabat, in qua suæ intentionis iniquitatem declararent, hoc enim sequentia manifestant. *Et ecce quidam hydropicus erat ante illum*. Hæc est enim materia, qua & Christi virtus, & pharisæorum perfidia manifestetur. Et respondens Iesus dixit ad legis peritos, & ad pharisæos dicens: *Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit*. Respõdit itaq. Iesus, sed cogitationibus respondit, cogitabant .n. pharisæi, & intra se dicebant, *ecce hydropicus adest, & Sabbatum est, videamus quid iste agat*. His .n. cogitationibus respondens Dominus ait: *Si licet Sabbato curare?* At illi vtrobiq. timẽtes tacuerunt, si enim dixissent, quia licet, iam non erat, in quo eum reprehendere possent, si verò dixissent, non licet curare, quia & ipsi multi in sabbatis operabantur. Tacuerunt igitur. Ipse verò sanauit eum, ac dimisit. Et quia iam ei insultare, & eum reprehendere cogitabant, vtpotè qui contra legem fecisset, & sabbatum violare non timuisset, præoccupauit eos, & respondens dixit: *Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi*: Quid enim responderent, qui se tam euidenti Syllogismo conclusos esse videbant? Sed videamus quid hydropicus iste significet, significat enim aliquid. Hydropisis enim infirmitas ab aqua dicitur, hydropicus autem quamuis aqua plenus sit, semper tamen sitiens bibendo satiari non potest. Vnde, & non immeritò auaros designat, qui quantò plus habent, tantò plus habere desiderant; neque vero habendo satiantur quia insatiabilis amor habendi auaritia definitur. Hos tamen, si ad Christi conuiuium veniant, & si ibi abstinentiam discant, & quid appetere, & quid abijcere debeant, intelligant, sanat Iesus. *Dicebat autem, & ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te, & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum, & tu incipias cum rubore nouissimum locum tenere, Sed cum vocatus fueris, vade recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit, qui te inuitauit dicat tibi, amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*. Hæc subinferens exponit, dicens: *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*. Inuitatus enim Dominus ad conuiuium, considerans, & intendens, quomodo digniores, & primos accubitus omnes eligerent, & quo modo singuli se cæteris ante ferre, & exaltare desiderarent, hanc eis parabolam dixit, quæ ad litteram quoque intellecta, cunctis honestatem diligentibus, & verecundiam timentibus, valde vtilis, & necessaria est, dat enim & minoribus gratiam, & maioribus reuerentiam Sed quia parabola dicitur, aliquid aliud præter litteram significat. Videamus igitur quæ sint istæ nuptiæ, qui sint & illi, qui ad nuptias inuitantur. Istæ enim nuptiæ quotidie in Ecclesia fiunt, quotidie Dominus nuptias facit, quia quotidie fideles animas sibi coniungit, alijs ad Baptismum venientibus, alijs hinc ad cœlestia regna migrantibus; ad has enim nuptias omnes nos inuitati sumus, quicunque Christi Fidem, & signaculum suscepimus. Hic illa mensa nobis apponitur, de qua dicitur: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me* Hic panis propositionis, hic vitulus saginatus, hic Agnus, qui tollit peccata mundi, hic panis viuus, qui de cœlo descendit, hic calix noui testamenti apponitur nobis, hic euangelia, & Apostolorum Epistolæ, hic Moysi, & Prophetarum libri, quasi quædam fercula, delicijs omnibus referta apponuntur nobis. Quid igitur amplius quærimus? Quid primos accubitus eligimus? vbicunque enim sedemus, omnibus abundamus, & nihilo egemus. Verumtamen vbicunque es, qui primos hic accubitus quæris, vade, & recumbe in nouissimo loco. Non te Superbia eleuet, non scientia inflet, non nobilitas extollat, sed quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, vt suo tempore dicatur tibi, *Amice ascende superius; Et tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*. In nouissimo quidem loco, quantum ad se recumbebat Moyses, quem cum Dominus ad locum superiorem inuitasset, & ad filios Israel mittere voluisset respondit: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*, non enim sum eloquens, neque tanti, ac si dicat, officij dignus. Saul quoque cum humilis esset in oculis suis, Rex a Domino constitutus est. Sic & Hieremias in primum locum ascendere timens dicebat: *A a a Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum*. Similiter autem & Paulus Apostolus, qui dicebat: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Primus igitur accubitus, primus in Ecclesia locus non ambitione, sed humilitate, non nimis, sed virtutibus quærendus est. Adhuc igitur & pueri, & loqui nescientes, adhuc indocti, & indisciplinati ascendere timeant, ne fortè dicatur eis, da huic locum, & tunc cum rubore tenere incipiant nouissimum

locum omnis enim, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

DOMINICA DECIMA SEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dicebat Iesus turbis similitudinem hanc: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit ad cultorem vineę. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

IN hac ergo similitudine, quanta sit Dei patientia, quanta sit & hominis negligentia manifestatur. Dei enim & ager & vinea mundus dicitur cuius arbores, & vites, homines sũt, & aliæ quidem fructuosæ, aliæ verò infructuosæ. Huius autem vineæ cultores episcopi sunt, & sacerdotes. Tres autẽ anni tria tempora sunt, Ante legem, sub lege, & sub gratia, toties enim ad vineam suam Dominus venit, toties in eius arboribus fructum quærit, quoties hominem respicere, & visitare dignatur. Est igitur ficulnea infructuosa, humana natura secundum partem malorum, idest vnusquisque iniquus, & infidelis. Per tres igitur annos ad hanc ficulneam Dominus venit, & fructum in ea non inuenit, quoniam tales arbores, neque ante legem, neque sub lege, neque sub gratia in hac vinea defuerunt. Sæpe enim plus ficulneis infructuosis, quam arboribus fructiferis hæc mundi vinea abundare videtur, Pauci enim sunt boni ad malorum comparationem: *Multi enim sunt vocati:* vt Dominus ait, *pauci vero electi,* Sequitur: *Succide ergo illam,* quia, inquit, infructuosa est, quia inutilis est, quia boni operis fructum non reddit. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Vt quid etiam terram occupat?* Tales enim arbores inutiliter terram occupant, cœterisque impedimentum faciunt, & earum vmbra nociua cœteræ arbores circumpositæ corrumpuntur. Vua enim, vt dici solet, ab vua trahit liuorem, & vna ouis morbida totum gregem dissipat, & modicum fermenti totam massam corrumpit, & qui tetigit picem, inquinabitur ab ea. At ille respondens dixit illi: *Domine dimitte illam, & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum, sin autem, in futuro succides eam.* Sic autem & Samuel pro arbore infructuosa, ne succideretur, orabat, lugẽs Saulem cũctis diebus. Fodit enim Episcopus circa ficulneam, quando, peccatoris facta, omnemque eius vitam, & prauitatem per illius confessionem diligentissime inuestigat, deinde vero, & circa illam stercora mittit, dum illius peccata quam turpia, quam inhonesta, & fœtida fuerint, ostendit, stercora enim circa ficulneam posuerat Apostolus, qui dicebat. *Quem ergo fructum habuistis, tunc in quibus nunc erubescitis?* Vnde & Dauid horum stercorum, fœtorem sentiens ait: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meę a facie insipientiæ meę.* Neque enim aliter peccator sanari potest, nisi plus suorum vulnerum fœtores sentiat, & sentiendo abhorreat. *Erat autem docens in Synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere, quam cum videret Iesus vocauit eam ad se, & ait illi. Mulier dimissa es ab infirmitate tua; & imposuit illi manum, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.* Hoc enim, quod in muliere curua Dominus egit, ex positio eorum est, quæ ad ficulneam infructuosa dicta sunt, vnum enim, idemque significat, & mulier curua, & ficulnea infructuosa, ille enim homo curuus est, qui terrenis voluptatibus deditus, sola terrena, & transitoria diligit, ad cęlestia contemplanda mentis oculos non erigit, & æternæ felicitatis diuitias non requirit, hunc autem si Dominus tangat, & suæ misericordię manum super eum ponat, statim erigitur, & terrenorum oblitus cęlestia contemplatur. Tales autem significabat Moises, cum illa animalia immunda esse dicebat, quæcumque super manus suas gradiuntur, quorum morticina qui tetigisset, immundum eum vsque ad vesperum esse pręcepit, illa enim animalia, quę gradiuntur per manus suas, versis pedibus ad superiora faciem, & ad terram premunt. Omnes igitur illi immundi sunt, qui que cęlestia spernentes sola terrena, & transitoria cogitant, & diligunt. Horum autem morticina illi tangunt, qui eorum opera iniqua, mortua, & fœtida imitantur, & agunt. Tales igitur immundi sunt vsque ad vesperum, idest vsque ad ipsius peccati occasum, & defectionem, vesperum enim hoc in loco non diei, sed peccati intelligitur, habet enim peccatum quoque Ortum, & vesperum, ortum quidem prauę cogitationis initium, vesperum autem malæ actionis occasum, & finem. Sequitur? *Respondens autem Archisynagogus, indignans, quia Sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati.* Male ergo Archisinagogus legem intelligebat, qui pietatis, & misericordię opera in Sabbato fieri nolebat, lex enim non liberale, sed seruile opus in sabbato fieri prohibet, bonum enim opus omni die fieri licet, malum autem nullo. Respondit autem ad illum Dominus & dixit. *Hipocrita, vnusquisque vestrum non soluit bouem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?* Si inquit, in sabbato operari non licet, quare ergo vos in Sabbato bouem, & asinum ad potum ducitis? hoc enim opus seruile est, quod si ad litteram intelligatur omnimodo in Sabbato lege fieri prohibetur. Meritò igitur hypochrita vocatur, qui non in his, quibus debet, sed in his, quibus non debet sabbatum veneratur, mala est sentiens, & bona reprehendens. Vobis inquit Hypochrita, vobis bouem, & asinum in sabbato a præsepio soluere, & adaquare licet, mihi autem hanc filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem, & octo annis a vinculo isto soluere non licuit? quod enim valet in minori, valet in maiori. Quod si etiam in minori non valuisset, in maiori tamen reprehendi non potuisset. Quis enim reprehendat, quod Dominus agit. Idipsum autem per hos decem, & octo annos, & per tres annos superius positos significatur, ter enim sex, vel sexies, decem & octo fiunt. Ponamus igitur sex annos ante legem, & sex sub lege, & sub gratia sex, & erũt decem, & octo. In his enim omnibus, nec ficulnea infructuosa defuit, nec mulier curua, quam sanaret Iesus. Hanc autem mulierem, quia Satanas eam alligasse dicitur propter peccata sua hanc ęgritudinem incurrisse intelligere possumus, sicut & ille, cui Dominus ait: *Vade, etiam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat,* & cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus in vniuersis, quæ gloriosè fiebãt ab eo, & illi quidem erubescebãt, quia se victos esse videbat, isti verò gaudebant, quia in verbis, & miraculis Christi virtutem, & gloriam cognoscebant.

DOMINICA DECIMASEPTIMA

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Accesserunt ad Iesum pharisęi, et interrogauit eum vnus ex his Legisdoctor, tentans eum; Magister quod est, mandatum magnum in lege?* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

PHarisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in vnum. Recedentibus pharisæis, veniunt Saducęi, & iterum recedentibus saducęis veniunt Pharisæi. Nunc isti, nunc illi eum tentant. Et quia rationem eũ capere, & tenere non possũt, frequẽti cõgressu eũ mouere, & fatigare conatur, ipse tamẽ omnib. respõdẽs, alijs satisf...

alios

alies concludit. Et interrogauit eum vnus ex eis legislator tentans eum? *Magister quod est mandatum magnum in lege?* Omnes eum tentant, omnes eum magistrum vocant, nō tamen quasi magistro veritatem ab eo volunt discere, sed potius si fieri possit, eum quasi incautè in aliquo sermone capere desiderant. Sed quid eis prodest? nihil enim sapientia ignorat. Quid autem responderit Dominus, audiamus. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est maximum mandatū & primum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetę.* Hæc est igitur causa, quæ hæc duo mandata prima dicantur, & maxima, quia tātum possunt hęc duo, quantum, & cætera omnia; aliter enim hæc mandata, neq. prima, neq. secūda sunt, quoniam in tabulis lapideis scripta non sunt. Decem enim sunt verba legis, quorum primū est *non habebis Deos alienos coram me*. Primum igitur dicitur hoc mandatum, non quod in ordine scripturę primum sit, sed quod in virtute significationis principale, & maximū sit. Huic autem secundum & simile est. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, quoniam secundus, & proximus vires habet post ipsum. Vnde Ioannes Apostolus ait. *Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, vt qui diligit Dominum, diligat & fratrē suum, qui enim Deū non diligit, neque se ipsum, neque fratrem diligit.* Primum est igitur, vt Deum diligat, deinde seipsum, post modum vero fratrem suum, tamquam seipsum odit, si fratrem suum diligat, sicut seipsum, & fratrem suum odit, *omnis enim qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Odit igitur & animam fratris sui, si fratrem suum diligat sicut se ipsum. Nulli igitur alij dicitur, vt diligat fratrem suum, sicut seipsum, nemo autē seipsum diligit, nisi ille, qui Deum diligit. Sic igitur primū mandatum diligere Deum, deinde vero proximum propter Deum. Modus autem dilectionis hic est, vt ex toto corde, ex tota anima, tota mente, & cunctis viribus Deum diligamus, proximum autem tamquam nos ipsos. Plus est enim, si ex toto corde aliquem diligas, quam vt sicut te ipsum eum diligas, quia potest fieri, vt teipsum non diligas, non potest autem fieri, vt ipsum non diligas, quem ex toto corde, & tota anima diligas. Si vis igitur te ipsum diligere, prius dilige Deū ex toto corde: Deinde verò quia iam diligis te ipsum, dilige proximum tuum, sicut te ipsum. Toto enim corde, tota mētes, & cūctis viribus Sancti Apostoli, & Martires, Deum dilexerunt, qui occidi quidem potuerunt, ab eius tamen amore, & dilectione separari nullatenus potuerunt. Et isti quidem benè dilexerunt seipsos, quia vitam æternam, gloriam, & honorem, omnemq. felicitatem adepti sunt sibi ipsis. Dilexerūt autem & proximos suos, sicut seipsos: Quoniam hanc eandem gloriam, & beatitudinem desiderauerunt, illis, tanquam sibi ipsis. In his enim duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Omnis enim, qui peccat, aut in Deum, aut in seipsum, aut in proximum peccat. Qui vero prædicto dilectionis modo Deum, & proximum diligit, quomodo eos offendet, quos tantopere diligit? Nam & in seipsos peccare timet, ne in hoc quoque Deum offendat. Si igitur in his duobus mandatis Charitas adimpletur, & omnia peccata tolluntur, manifestum est, quod in eis vniuersa lex pendeat, & prophetæ. Quid enim aliud lex, & prophetæ præcipiunt, nisi vt Deum, & proximum diligamus, & a vitijs, & peccatis, cūctisque offensionibus nos abstineamus?

Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicēs: quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis; quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Idem enim ipse, & filius est, & Dominus Dauid. Filius quidē secundum humanitatem, Dominus autem secundum diuinitatem. De stirpe namque Dauid secundum carnem natus est Christus. Hoc autem pharisęi non intelligebant, sed sicut cęteros hominem tantum, & non Deum, Christum, quē ipsi Messiam vocant, fore credebant. Hac igitur interrogatione seipsum, & Deum, & hominem, omniumque creaturarum regem, & principem esse ostendit. Quia enim filius est Dauid, homo est. Deus vero, quia eius Dominus est, & ad Patris dexteram sedet. In eo autem quod omnes eius inimici illius pedibus sunt subiecti, omnium dominus esse ostenditur. Dauid enim in spiritu Sancto videns Christum dominum nostrum post resurrectionem suam, ad Patrem reuertentem, illa, quæ ibi agebantur, secreta intelligens, ait: *Dixit Dominus Pater, Domino meo filio suo, sede a dextris meis*: vt sicut in vna Sede sedentes, ita ęquales ab omnibus esse credamur. Sede, inquam, donec ad iudicium reuertaris, omnesque tui inimici tuis pedibus subijciantur. Et hoc quidem, quia pharisæi non intellexerunt, nemo illorum poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

DOMINICA DECIMA OCTAVA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Accesserunt ad Iesum saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

IN illa, inquit, die, qua pharisæi victi recesserunt, in illo Saducæi vincendi accesserunt. Et interrogauerunt eum, dicentes *Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est; Et non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus, & tertius vsque ad septimum. Nouissime autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor? Omnes enim habuerunt eam.* Verum est vtique quia Moyses hoc dixit, vt Pater vxorem fratris ducat ad suscitandum semen fratris sui. Hæc autem fabula, qua septem fratres vnam vxorem habuisse dicunt, Saduceorum adinuentio est. Scio tamen quosdam in his septem fratribus septem libros, idest, eptaticum intellexisse. Hanc autem suam adinuentionem ideo Saducæi Domino attulerunt, vt per hanc resurrectionem mortuorum non esse probarent, dicentes, aut enim simul omnes eam habebunt, aut nullus. Si enim vnus aliquis eam habeat, cæteris iniuriam faciet. Quod enim commune est, nemo sibi quasi proprium vindicare debet. Huic autem tanto errori veritatis magister respondens ait: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei*. Et mox ipsum errorem, in quo habebant, ostendit, dicens: *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur*. Per quod significat eos probare voluisse, vt si homines resurgerent, sicut in hoc sæculo, ita etiam in futuro viri suis vxoribus cōmiscerentur. Sed quare sic errabant? Quia nesciebant scripturas, neque virtutem Dei. Nam neque illud intelligebant, quod Moyses dixerat: neque Dei virtutem, & omnipotentiam credebant. Et ideo tantam omnium resurrectionem posse fieri desperabant. Non enim sicut hic, ita & ibi fiet. Neque sicut modo, ita tunc voluptati operam dabunt. Sedebunt sicut Angeli Dei in cœlo, Angeli enim naturaliter casti, & virgines sunt, tales igitur, & homines erunt. Quod autem mortuorum resurrectio fiat, mox scripturæ testimonio subinferens, ait, *de resurrectione mortuorum non legistis, quòd dictum est a Deo dicente vobis; ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Nō est Deus mortuorū, sed viuētiū.* Ac si dicat: Si vt vos male putatis, homo post mortem non esset, nequaquam se Deus patriarcharum Deum esse diceret, cum vtique ipse sit Deus, & Dominus non eorum, qui non sunt, sed eorum, qui sunt. *Et audientes turbę mirabantur in doctrina eius.*

Quoniam autem sadducæi errantes, neque scripturas intelligunt, neq. virtutem Dei, videamus nos modo quid illa scriptura significet, quam saducæi, de suscitãdo fratris semine Domino proposuerunt. Non enim hoc secundum literam in Ecclesia custoditur, imo vero ne custodiatur, omnino interdicitur. Aliter igitur eã intelligere oportet. Dicatur ergo. Quãdo habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absq. liberis mortuus fuerit, vxor defũcti nõ nubet alteri, sed accipiet eã frater eius & suscitabit semen fratris sui, & primogenitũ ex ea filiũ nomine illius appellabit, vt non deleatur nomẽ eius ex Israel. Isti enim sunt illi fratres, de quib. dicitur: *Ecce quã bonũ, & quam iucundũ habitare fratres in vnũ.* Isti, & si non corpore, mente tamẽ, & spiritu omnes simul habitãt. Ex his autẽ vnus quilibet absq. liberis moritur, quãdo aliquis episcopus ex hac vita trãsiens nullum ex omnibus suis subiectis in Ecclesia sua talem relinquit, qui eius cathedra dignus habeatur. Sæpe enim videmus multo tempore episcopatum vacare, quia vix aliquando inuenitur, qui in defuncti loco Episcopus ordinetur. Quæritur igitur ex alia Ecclesia, cui vxor defuncti cõiũgatur, Et ipse quidẽ non alius eligitur, nisi qui eiusdẽ defũcti frater fuerit. Frater vtique non natura, sed moribus, vt eiusdem bonitatis, & humanitatis eiusdẽ sit fidei, & Charitatis, & quasi frater fratri consimilis. Iste autem suscitabit semen fratris sui vt quos, vel in peccatis mortuos, vel malo somno grauatos inuenerit, ad bonum opus euigilare faciat. Et primogenitum nomen illius appellabit. Primogenitũ quidem, non qui prius genitus sit, sed qui merito sãctitatis inter omnes eius genitus primus, & maximus habeatur. Et iste quidem vocabitur Episcopus, hoc est enim nomen defuncti. Quare hoc? Vt non deleatur nomẽ eius ex israel, vt nũquã Ecclesia Episcopos careat & nũquã hoc nomẽ in ea deficiat Si autẽ noluerit accipere vxorẽ fratris sui, quę ei lege debetur, perget mulier ad portã ciuitatis, & interpellabit maiores natu dicetq. *Nõ vult frater viri mei suscitare semen fratris sui in Israel, nec me in coniugiũ sumere;* Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit nolo eam vxorem recipere, accedat ad eum mulier coram senioribus, & tollat calciamentum de pede eius spuetque in faciem illius, & dicet: *Sic fiet homini, qui non ędificat domum fratris, & vocabitur nomen illius in Israel domus discalciati.* Quare enim ante portam ciuitatis iudicium quęritur, nisi quia ibi iudices sedent: *Ego sum ostium, per me, si quis introierit saluabitur.* Ante hoc igitur ostium, & ante hanc portam sedent Episcopi, vt eius lumine illustrati, nusquã deuient a veritate. Ad hos autem omnes causæ deferri, eorumque iudicio definiri debent. His ergo præsentibus accedit mulier ad fratrem viri sui, & quia eam in coniugium sumere noluit, tollit calceamentum de pede eius. Quid est enim calceamentum de pedibus tollere, nisi euangelizandi licentiam auferre? Vnde Apostolus, *calceati,* inquit, *pedes in præparatione Euangelij pacis.* Spuit insuper in faciem eius, quia palam, & manifeste eum contemptibilẽ, & tanti honoris indignum esse ostendit. Hoc autem de illis rectissime intelligi potest, qui maiores Ecclesias ambientes, minori se Ecclesiæ iungere despiciunt. Quos non animarum Salutem, sed honoris gloriam quærere non dubium est. Iustum igitur esset, vt semper excalceari, & conspui numquam tali coniugio digni iudicarentur. Hoc est enim, quod ait: *Et vocabitur nomen eius in Israel domus discalceati.* Quis enim eum calceare audeat, quis calceati officium illi tribuat, qui ipsa nominis appellatione se excalceatum esse demonstrat? Sic igitur nunc in Ecclesia spiritualiter custoditur, quod prius secũdum literam in synagoga custodiebatur.

DOMINICA DECIMA NONA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam,* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOc enim in loco ciuitatem suam non Nazareth, sed Capharnaum intelligere debemus. Vtraq. enim ciuitas eius dicitur. Illa quidem, quia ibi nutritus est, ista vero, quia ad tempus in ea habitauit. Sic enim superius dicitur, *quia relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit Capharnaũ maritima.* Et ecce offerebant ei paraliticum iacentem in lecto. Spiritualiter autem ciuitas Dei ecclesia est. Quicunq. igitur es, qui aliqua infirmitate grauaris, & sanari desideras, veni ad Ecclesiam, veni ad ciuitatem Dei. Ibi illum medicum inuenies, qui sicut de eo scriptum est, *omnes languores sanat, & omnes infirmitates* Ibi inuenies illa medicamina, quibus susceptis omnis infirmitas tollitur, & omnis ægritudo fugatur. Ibi inuenies balneum in quo eger vt lotus fuerit cõfestim ab omni infirmitate sanabitur. *Ibi renouabitur sicut Aquilæ iuuentus tua,* & in nouam creaturam omnia commutabuntur. Ibi illuminantur cæci, curantur paralitici, mundantur leprosi, & mortui suscitantur. Hanc igitur ciuitatem illa ciuitas significabat, de qua modo hic dicitur, *quia venit Iesus in ciuitatem suam. Et ecce offerebãt ei paraliticũ iacẽtem in lecto.* Marcus autem dicit, quia paraliticus iste a quatuor portabatur, iste enim paraliticus spiritus hominis est, quia & anima vocatur, hic autem in lecto idem in corpore iacet, & inde grauatur, vnde quietem habere debuerat, corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam. Ideo enim infirmatur spiritus, quia non bene iacet, ille enim spiritus paraliticus est, qui suæ potestatis non est, paralisis enim quodcumque membrum arripuerit, quodammodo insensibile, & quasi mortuum, & inutile facit, quæ enim anima paralitica est, nec oculos videndi, nec aures audiendi habet. Sed qui sunt isti quatuor, qui hunc paraliticũ portant, & Domino offerunt? Per hos enim nescio, qui melius, quam isti quatuor euangelistæ intelligi possint. Nulla enim anima nisi per istos Domino offertur, nulla anima nisi per istorum fidem sanatur. Vnde & hic dicitur. *Et videns Iesus fidem illorum dixit paralitico: Confide fili, remittũtur tibi peccata tua,* ac si dicat, tu quidem infirmus es, sed illi, qui te ferũt sani sunt. Illorum fides te sanat, si in illorum fide cõfidis. Cõfide igitur fili, factus mihi filius per fidem. *Remittuntur tibi peccata tua.* Vides, quomodo ipse Dominus Euangelium suũ exponat? Quomodo ea, quę foris aguntur, si quis tamen oculos habeat, & nondum totus paraliticus iaceat intus nos spiritualiter doceat? In hoc enim quod ait *remittuntur tibi peccata tua,* interiorem hominem, idest spiritum paraliticum esse demostrat. Quæ est enim infirmitas animæ, nisi peccata? Hęc igitur auferantur, hic morbus tollatur, & sanabitur anima, hoc enim non dixisset, si ad corporis infirmitatem respexisset. Non enim ideo corpus sanatur, quia anima à peccatis liberatur. Apostolus enim dicit: *Cum autem infirmor, tunc fortior sum,* significans carnis infirmitate spiritum corroborari. Hoc autem scribæ, qui ibi aderant, male intelligentes, & non animæ, sed corporis paralisim attendentes, Christum dominum blasphemasse dicebant. Vnde, & subditur: *Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: hic blasphemat.* Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Nam & isti interius paralitici erant, quia vis suam infirmitatem non sentiebant, qui Dominum blasphemasse dicebant. Nec minus Iesus istorum cogitationes iniquas, quam illius infirmitatem considerabat. Dicebat igitur: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Neque medicum scitis, neque vim medicaminis agnoscitis. Bonus enim medicus ad morbi venam, & radicem spectat, quã postquam amputauerit, cętera ad sanandum facilia ducit. Q

est:

est enim facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge. & ambula? Si enim ad solum dicere attendamus, nescio quid horum facilius sit, vtrumque enim valde facile est. Peccata autem dimittere, vel paralitico ad surgendum, & ambulandum vires sufficere difficile est. Sed quia alterum inuisibile, alterum vero visibile erat. Per visibile probat inuisibile, vt dum eum in corpore potestatem habere vident, in anima quoque potestatem habere non dubitent; dicebant enim: *Nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus.* Verum vtique dicebant. Quamuis enim Ecclesia peccata dimittat, hoc enim Dominus ostendit dicens: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, solus tamen ille peccata dimittit, qui ait: *Sine me nihil potestis facere*. Ipse enim erat Deus, ipse erat & homo, sed Deus per se, homo vero per Deum potestatem habens dimittēdi peccata. Et hoc est, quod ait: *Vt autem sciatis, quia filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.* Videte quod videre potestis, vt credatis quod videre non poteratis. Creditis, quod nemo possit dimittere peccata, nisi solus Deus, iam cognoscitis, quia etiam filius hominis potestatem habet dimittendi peccata. Tunc ait paralitico: *Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam.* Probatum est igitur, quod quærebant, iam dubitare non debent. Credant à peccatis animam esse solutam, dum corpus paralisi vident esse sanatum. Sed quid est, quod ait; *Surge tolle lectum tuum?* Diximus enim per lectum corpus significari, in quo anima infirma iacebat. Animæ ergo dicitur, vt surgat. Quid est enim surgere, nisi ad bonum opus euigilare? Vnde Apostolus *Surge*, inquit, *qui dormis, surge à mortuis, & illuminabit te Christus*, surge tolle lectum tuum, habeas potestatem in carne tua, dominare corpori tuo, tu porta, tu rege, tu dirigè, tibi seruiat, tibi obediat, tibique amodo per omnia subijciatur, & vade in domum tuam, reuertere in patriam tuam, reduc in patriam carnem tuam, quia ipsa te eiecit de patria tua. *Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

DOMINICA VIGESIMA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est Regnum Cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

ISte enim Rex ipse est, qui loquitur Deus, & homo Iesus Christus Dominus Noster, qui quotidie cum seruis suis rationem ponit, quoniam per Episcopos, & Sacerdotes hominum peccata dijudicat, dum vnusquisque ad pęnitentiam veniens quantum debeat, & in quibus peccauerat Domino cōfitetur. Ille autem vnus, qui decem millia talenta debebat, quis alius intelligitur, nisi omnes illi, qui plus ceteris in omnibus peccāt? Sed quare cum hoc prius rationem Dominus ponere voluit, nisi vt huius exemplo cęteri intelligerent, quid in suis rationibus responderent, & quantam spem habere potuissent? Si enim ei, qui plus cæteris debebat, quoniam se humiliauit, omne debitum Dominus dimisit, quanto magis alijs, qui non tantum peccauerint, si digne pœnituerint, omnia peccata dimittet? Ideo enim decem millia talenta posuit, quia hoc debito nullum aliud debitum maius est. Omnes enim numeri in hoc numero continentur, quoniam ex denis numerus multiplicatur, cuius vna quæque pars tam perfecta est, vt replicari quidem possit, crescere vero non possit. Cum enim vsque ad decem numeramus, nisi iterum ab vno incipiamus, nihil habemus quid dicamus. Similiter autem fit, cum venimus ad centum, & similiter cum venimus ad mille, atque similiter cum venimus ad decem millia. Decies enim decem fiunt centum, & decies centum fiunt mille, & decies mille fiunt decem millia. Hoc igitur debito maius debitum non est. Sed videamus, quod sequitur. *Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus venundari & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.* Peccator enim ad pœnitentiam veniens, non prius habet, vnde debitum soluat, donec ex toto humiliatus, Sacerdotum consilio se per omnia obedire promittat, ideoque ei à Sacerdotibus dicitur: Nisi debitum solueris, & pœnitentiam egeris tu, & vxor tua, filij tui, & cuncta, quę possides in æternum peribitis. Per quod datur intelligi, quod ipse totus carneus simul cum anima sua, cunctisque sensibus corporis sui incendijs tradetur ęternis, vt per vxorem animam, per filios verò sensus corporis intelligamus. Qui enim cum his omnibus cruciatur, in nulla parte sui requiem habet, si autem his auditis contremiscat, & se satisfacere, & obedire ex corde promittat, procidensque ei pijssimo Domino patientiam, & misericordiam sibi fieri deprecetur, fiet ei, quod sequentia manifestant. *Misertus*, inquit, *Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Ecce dimissum est tibi debitum, vide, vt in bono perseueres, dimitte tu quoque debitoribus tuis, sicut & tibi dimissum est debitum tuum. Quod si facere nolueris, audi, & expecta, quod sequitur: *Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes.* Valde paruum debitum est centum denariorum ad computationem decem millium talentorum. Stultissimus igitur est, qui centum denarios non vult dimittere ea conditione, vt ei decem millia talenta dimittantur. *Et procidens conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; Ille autem noluit, sed abijt, & misit in carcerem, donec redderet debitum.* Fortasse iste non audiuit, aut si audiuit, non intellexit, aut si intellexit, paruipendendo neglexit, quod Dominus alibi ait: *Eadem quippe mensura, qua mensurati fueritis, remetietur vobis. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis.* Ideo enim misericordia inter alias virtutes superior est, quia quicumque misericordiam non habuerint, ipsi quoque sine misericordia cruciabuntur. Vnde, & diuiti illi famoso, & misero, ab Abraham dicitur: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Videntes autē conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant. Isti enim conserui, & Angeli, & homines intelliguntur. Omnes enim sunt conserui, qui vnius sunt domini serui, & isti quidem iniquorum oppressionem, & miserorum afflictionem Domino narrant, quia pro his assiduè ad Dominum clamāt. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Tortores isti, maligni spiritus sunt, quibus miser homo ad puniendum traditur, neque de eorum potestate eripitur, donec vniuersum debitum reddat. Nunquam igitur de illorum potestate eripitur, quoniam hoc debitum semper redditur, nunquam tamen integrum soluitur. Hanc autem totam similitudinem ad quid attulerit ipse Dominus protinus exponit, dicens: *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Nota quod ait de cordibus vestris, non enim sufficit labijs dimittere, nisi & ora, & corda conueniant.

DOMINICA VIGESIMAPRIMA.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore *abeuntes phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Epiſcopi.

STulti phariſei, qui ſe in ſermone Verbum Dei capere putant, & ſuis conſilijs ſapientiam fallere arbitrabantur. Et mittunt diſcipulos ſuos. Cum quibus? Cum herodianis, id eſt cum Herodis miniſtris, qui tributa colligebant. Hæc eſt igitur Eccleſia malignantium. Hoc eſt conſilium vanitatis. Mali magiſtri, mali diſcipuli, malis miniſtris ſociantur, cum fraude veniunt, cum calliditate loquuntur. Sed quid dicunt? *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum*. Valde benè loquuntur phariſæi, ſed aliud ore, & aliud corde loquuntur? Ex veneno ſo fonte dulcia verba prorumpunt. Huic enim tantæ ſimulationi Pſalmiſta reſpondens ait, *Si verè vtique iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum*. Quem magiſtrum vocatis, & veracem dicitis, ſicut magiſtrum, & veracem diligite, colite, & ſequimini. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum dari Cæſari, an non?* Putauerunt enim iſti Chriſtum Dominum noſtrum, quem pietatis, & iuſtitiæ amicum eſſe cognouerant reſpondere, vt potius templo, & Deo offerrent, quam Cæſari ſcilicet homini iniquo tributa darent. Qua occaſione Herodiani commoti eum caperent, ad iudicem traderent, & quaſi reum accuſarent. Sed ſi cenſum dare non liceret, & ſi tributa ſoluere eſſet peccatum, ipſe vtique tributum pro ſe dare non præcepiſſet. Sic enim ſuperius ait: *Quid tibi videtur Simon. Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? A filijs ſuis, an ab alienis?* Et illi dixit: *Ab alienis*. Reſpondit Ieſus: *Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius ſtaterem illum ſumens, da eis pro me, & te*. Qui igitur, ne ſcandalum fieret, quamuis non deberet, tributa perſoluit, non erat conueniens, vt ad lites, & ſcandala concitanda, cenſum dare alios prohiberet. Cognita autem Ieſus nequitia eorum ait: *Quid me tentatis Hypocritæ?* Stultum eſt enim ei per Hypocriſim, & ſimulatoriè loqui, quem occulta non fallunt, qui corda videt, & cogitationes conſiderat. *Oſtendite mihi numiſma cenſus*. At illi obtulerunt denarium. In denario autem ſcriptum erat Cæſaris nomen, & imago. Et ait illis Ieſus: *Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei Cæſaris*. Vide quomodo Dei ſapientia comprehendit huiuſmodi ſapientes in aſtutia eorum. Ipſi enim teſtes ſunt, Cæſaris hoc eſſe, quod oſtenditur. Quod ſi Cæſaris eſt, quare Cæſari non reddatur? Immo quare Cæſari tollant, quod Cæſaris eſſe fatentur? Tunc ait illis; *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. Nolite Cæſari iniuriam facere, nolite ei ſua auferre, ne ſi ei ſua auferre velitis, ipſe qui vobis potentior eſt, & ſua, & veſtra auferat vobis. Quam bene huic loco conuenit, quod quidam ait: *Arma tenenti omnia dat, qui iuſta negat*. Et quæ ſunt Dei reddite Deo. Nihil enim eſt, quod Dei non ſit. Illud tamen ſpecialiter eius eſſe dicitur, quod magis ab eo diligitur. Diligit enim omnem ſuam creaturam, ſecundum illud: *Misereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*. Sed illam præcipuè diligit, propter quam fecit cęteras creaturas. Sua igitur imago reddatur Cæſari, & ſua imago reddatur Domino. Ad imaginem namque Dei factus eſt homo. Sic enim ipſe Dominus ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Magnus honor, magna nobilitas ad Dei imaginem, & ſimilitudinem hominem eſſe factum. Hâc autem imaginem in primo homine amiſimus, in ſecundo recuperauimus. *Primus enim homo*, ait Apoſtolus, *de terra terrenus, ſecundus de cœlo cœleſtis*. Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. Reddamus Deo imaginem ſuam, reddamus Deo animas noſtras. Nihil carius habemus; hoc igitur tributum ſoluere debemus. Audiamus Salomonem, audiamus ſapientiam ipſam dicentem. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuę, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & dies, de quibus dicas, non mihi placent*. Et paulo poſt: *Antequam funis argenteus rumpatur, & recurrat vitta aurea, antequam confringatur hydria ſuper fontem, & conteratur rota ſuper ciſternam, & puluis reuertatur in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Memento itaque, Creatoris tui, ad cuius imaginem, & ſimilitudinem factus es, ipſum imitare, ne eius ſimilitudinem amittas. Quem enim imitatur homo, eius imaginem, & ſimilitudinem habet, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, per quod videlicet mortis horam intelligimus, & dies, de quibus dicas: Non mihi placent. Hos autem dies habent impij, & æternæ morti condemnati, quia poſtquam de hac vita exeunt, nihil vident, nihil audiunt, nihilque ſentiunt, quod eis placeat. Hoc autem faciat homo in diebus iuuentutis ſuæ, ideſt in diebus iuuentutis lætitiæ, & proſperitatis, de quibus Apoſtolus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*. Sequitur: *Antequam funis argenteus rumpatur, & recurrat vitta aurea*. Hoc enim intereſt inter corpus, & animam, quod intereſt inter argentum, & aurum, vt per argentum corpus, per aurum verò animam ipſam, claram, & ſapientem intelligamus. Hæc autem vitta aurea tunc recurrit, quando anima vinculis corporeis abſoluta, cœleſtia petit. Inde enim, & funis vocatur corpus, quia quibuſdam naturæ legibus animam ſibi ligat, & ſtringit. Hic autem funis tunc rumpitur, quando anima à corpore ſeparatur, antequam confringatur hydria ſuper fontem, & conteratur rota ſuper ciſternam. Hydria vocatur homo, quia de terra factus eſt. Frangitur autem hydria ſuper fontem, quando homo nimia infirmitate grauatus, iamque morti proximus, nec ipſam mortem ſuſcipere valet, quoniam alienis manibus vix de lecto erigitur, vt diu concupitam aquam ſuſcipiat, quam ori appoſitam ſpiritu attenuato, & gutture iam incluſo, gluttire non valet. Et nunc quidem conteritur rota ſuper ciſternam, quia ſicut ſcriptum eſt: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum*. Rota enim cogitationum noſtrarum, quæ eſt ſuper ciſternam cordis noſtri; *De corde enim exeunt cogitationes*, ſemper voluitur, & reuoluitur, tunc primum conquieſcit, quia iam vlterius, neque facultas eſt, neque voluntas, vt vana, & inutilia cogitare debeat. Nouit enim Dominus cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. Puluis autem tunc reuertitur in terram ſuam, vnde erat. Quia ſicut primo homini Dominus ait; *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, ſpiritus autem ad Deum redit, qui dedit ipſum, vt eius iudicio, atque ſententia, vel ad pœnam trahatur, ſi Dei imaginem, & ſimilitudinem non habet, vel ducatur ad gloriam, ſi Dei imaginem, & ſimilitudinem cuſtodiuit. Sequitur: *Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt*. Mirantur phariſæi ſe tam facile eſſe concluſos, & qui ad hoc venerant, vt Chriſtum caperent in ſuo ſermone, ſed ipſos in ſuis ſermonibus captos eſſe cognoſcunt.

DOMINICA VIGESIMASECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore *Loquente Ieſu ad turbas, ecce Princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine filia mea modo defuncta eſt, ſed veni impone manum ſuper eam, & viuet*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Epiſcopi.

QVid enim per hunc principem, niſi Abraham, Iſaac, & Iacob, Moyſen, & Aaron, & cęteros illius populi principes intelligamus, qui ſemper pro filia ſua, ideſt Syna-

gogæ

gogæ morte, & cæcitate ad Dominum accedunt, & intercedunt: Rogauit igitur Dominum, vt veniat, imponat manum suam super eam, & viuet. Omnes enim Patriarchæ, & Prophetæ hoc orabant, omnes Christi aduentum expectabant, & desiderabant. Venit tandem Dominus Iesus, sed pro itineris longitudine nondum ad puellam peruenit, nondum super eam manum imposuit, adhuc mortua iacet. Ipse tamen ad eam vadit, & simul cum eo discipuli eius. Quotidie enim ad huius puellæ resurrectionem, quotidie ad Synagogę conuersionem propinquamus. Prius tamen altera mulier sanabitur, quam ad istam perueniamus, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel saluus fiet. Sed quid est filia mea modo defuncta est? quid est modo? Modo, inquit, venisti, modo prædicare cœpisti, modo filia mea defuncta est. Venit medicus, venit sanitas, & vita, & quando sanare, & conualescere debuit. Tunc defuncta est filia mea. *Nisi enim venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habet de peccato suo.* Sic igitur mortua est filia mea, *sed veni impone manum super eam, & viuet. Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius.* Merito enim iste princeps vocatur Iairus, Iairus enim illuminatus interpretatur. Vnde bene Patriarchas, & Prophetas significat, quorum oculos sanctus spiritus illuminauit, quibus incerta, & occulta sapientiæ suæ mysteria reuelauit. Hos autem sequitur Iesus, & discipuli eius, quia eadem via, misericordiæ, & iustitiæ gradiuntur omnes, & quod illi pronunciarunt, isti facere, & adimplere contendunt. Illi loquendo, & prophetando præcedunt, isti agendo, & confirmando sequuntur, *& ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.* Quæ est enim hæc mulier, nisi gentilitas? Quę est hæc mulier, nisi Ecclesia gentium? Ad Synagogam sanandam venerat Dominus, hoc enim ipse ait: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Et ecce mulier, quę sanguinis fluxum patiebatur, & secundum legem immunda dicebatur. Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & sanata est. Fluxum enim sanguinis patiebatur, quia in suorum peccatorum sanguine versabatur, quia sanguine, rapina, & occisione nutriebatur. Retro accessit. Non in facie stetit, cum timore, & verecundia venit. Vnde Apostolus ait: *Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* Vestimentum tetigit. Incarnationis eius mysterium credidit, Christi namque vestimentum, humanitas est, qua diuinitas induta videri non poterat. Dicebat autem intra se, *si tetigero tantum vestimenta eius, salua ero.* Hæc autem, vt alij Euangelistæ dicunt, omnem substantiam suam in medicos erogauerat, & nihil profecerat, sed deterius habuerat. Per hos enim medicos . . . . . & philosophos intelligere possumus, quorum persuasionibus cæteri credentes, & à fidei veritate aberrantes, ad animę sanitatem attingere non valebant: *Quia longe est a peccatoribus salus.* Animæ autem substantia, & diuitiæ virtutes sunt, & mores honesti, quos illi quidem amittunt, qui fidem, & spem suam in vanitatibus ponunt. At Iesus conuersus, & videns eam dixit: *Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua est facta mulier ex illa hora.* Impossibile est sine fide placere Deo. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Iustus autem ex fide viuit. Sancti per fidem vicerunt regna. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, montes omnes transferre poteritis. Omnia possibilia sunt credenti. Magna igitur fides, quam sic vbique Dominus commendat, secundum fidem suam vnicuique tribuens. *Et cum venisset Iesus in domum Principis Pharisæorum, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum multi.* Quod enim tunc temporis factum est in vna puella, hoc in fine temporum futurum est, vt fiat in tota Synagoga. Tunc enim Dominus Iesus veniet cum discipulis suis in domum principis pharisæorum, quia tunc Christi fidem, & Apostolorum doctrinam suscipiet omnis multitudo Iudæorum. Tunc enim iubente Domino tibicines, & tumultuans turba recedet, quoniam tunc littera suauiter, sed infructuosè, & inutiliter auditus hominum demulcetur, eiusque amatores cessabunt. Quid enim, nisi tibicines erant Scribæ, & Pharisæi, legem, & prophetas ad litteram exponentes, & quid diceret, non intelligentes: Tibia enim dulcem sonum sine intelligentia reddit. Recedant igitur tibicines, recedat omnis turba tumultuans. Recedant garruli perstrepentes, voce frementes, & nihil intelligentes. Non est enim mortua puella, sed dormit. Ille enim vnius mortuorum est. Quamdiu has tibias audiuit, Synagoga mortua fuit, immo istæ tibiæ eam interfecerunt, littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Littera igitur recedat, spiritus accedat, suscitet dormientem, faciet intelligentem, & consoletur viuumque potentem. Sed qui sunt illi stulti, qui Dominum deridebant, nisi illi, qui resurrectionem non credebant: Et quidem multos tales, & esse, & fuisse, & futuros esse non dubitamus. *Et cum eiecta esset turba intrauit, & tenuit manum eius, & surrexit puella.* Non tum igitur eiecta est turba, nondum surrexit Synagoga. Adhuc turbatur, adhuc in littera delectatur. Surget autem, quando veniet Iesus, quando intrabit ad eam, & tenebit manum eius. Tunc enim Iesus intrabit ad eam, quando fugata litteræ vetustate, hæc noua sacri euangelij verba scribentur in corde eius. Et tunc quidem dicere poterit. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me.*

DOMINICA VIGESIMA TERTIA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. Simile est regnum Cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & super seminauit Zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patris familias dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt: Vis eamus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum, sinite autem vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

TVnc dimissis turbis venit in domum, & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: *dissere nobis parabolam Zizaniarum agri,* qui respondens ait: *qui seminat bonum semen est filius hominis, ager autem est mundus, bonum vero semen, hi sunt filij regni, Zizania autem filij sunt nequam, inimicus autem, qui seminauit ea, diabolus est, messis vero consummatio sæculi est, messores enim Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur Zizania, & comburuntur, sic enim erit in consumatione sæculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt, sicut Sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.* Et ego quidem aliud his superaddere timeo, ne dum lucem illuminare velim, potius obscurem. Illud autem valde considerandum est, quod Dominus ante messionis tempus Zizania à tritico separare interdicit, ne forte simul cum eis & triticum eradicetur, ibi enim tolerandi sunt mali, vbi si commoueantur, in magnum periculum veniunt boni, vbi enim fides non perit, melius est eorum vitiosos mores, & actus tollerare, quam eos irritando Ecclesię pacem, & quietem soluere. Admoneantur igitur non expellantur. Sunt enim, qui facilius monitis vincuntur, quam minis. Illa igitur Zizania maneant in triticum, quæ sine tritici era-

dica-

dicatione euelli non possunt: in omnibus enim est habenda discretio, neque omnes vno modo habere oportet. Aliam parabolam proposuit eis dicens: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autẽ creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.* Talis enim a principio fuit Ecclesia, quæ nunc cęlorum appellatur ad comparationem aliorum regnorum, quale est granum sinapis ad similitudinem aliorum granorum. Minimum est enim cunctis seminibus, quæ frequenti vsu seminari solent ab hominibus, crescens autem cæteris oleribus fit maius, quod ipso vsu probari potest. Similiter autem & Ecclesia ab vno, vel a paucis incipiens in infinitam creuit multitudinem. Vnde & per psalmistam Dominus ait: *Annuntiaui, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Itemque. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Aliam parabolam locutus est eis. *Simile est regnũ cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinę satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hæc autem parabola eadem est, quæ superior. Sicut enim minimum granum sinapis in arborem crescit, ita & modicum fermenti magnam farinæ massam viuificat, & crescere facit, fermentum enim hoc loco non corruptionem, sed viuificationem operatur. Regnum vero cœlorum Ecclesia est. Mulier autem Dei sapientia. Tria verò sata farinæ, tres mundi partes, Asia scilicet, Africa, & Europa. Mulier igitur, idest Dei sapientia accepit fermentum idest primitiuã Ecclesiam, & abscondit in farinę satis tribus, dicens discipulis suis. *Ite in vniuersum mundum, prędicate Euangelium omni creaturæ.* Ex his enim totum pæne mundum, iam fermentatum, & viuificatum in Ecclesiæ corpus creuisse videmus. *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis. Vt adimpleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Est autem parabola similitudo, in qua aliud dicitur, & aliud rationabiliter intelligitur.

DOMINICA VIGESIMAQVARTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *cum appropinquaret Iesus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

SVscitato namque Lazaro veniens Dominus Ierosolimam sedens super pullum asinæ, cum iam appropinquaret ad descensum Montis oliueti, ceperunt omnes turbæ discipulorum, gaudentes laudare eum voce magna dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* Et quidam pharisæorum de turba dixerunt ad illum; *Magister increpa discipulos tuos,* quibus ipse ait: *Dico vobis, quia si isti tacuerint, lapides clamabunt.* Lapides enim Gentiles dicuntur *qui duri, steriles, & infructuosi erant, & ligna, & lapides adorabant.* Isti autem modo clamant, & Christi virtutes laudare non cessant: Vt igitur appropinquauit videns impiam ciuitatem in suam necem conspirantem, non de sua morte, quam illa machinabatur, sed de illius ruina, & perditione fleuit dicens. *Quia si cognouisses & tu.* sicut, inquit, ego fleo, qui omnia video, & futura cuncta cognosco, sic & tu fleres, si nunc ventura videres. Nobis fratres, nobis istę lachrimæ fiunt, vt magistrũ imitemur, & ab hoc tanto præceptore nostro discamus, quid in nostrorum inimicorum morte, & ruina agere debeamus. Vnde, & ipse ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis,* In hac, inquit, die, in hoc tẽpore tua sunt, quæ ad pacem tibi. breui tempore data sunt nũc autem abscondita sunt ab oculis tuis ea mala, quæ subito venient tibi in diebus tuis. Et hoc exponit, *quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Hæc autem omnia sub Vespasiano, & Tito filio eius completa sunt. sicut Iosephus plenissime narrat, quando ex longa, & dura obsidione tanta calamitas iudæos oppressit, vt ipsæ matres filios deuorarent. Et hoc ideo, quia non cognouerunt tempus visitationis suæ, quando visitauit eos Oriens ex alto. De qua visitatione Zacharias ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suę.* Quod autem ait: *Non relinquent in te lapidem super lapidem,* hyperbolice dictum est. Siue lapis super lapidem relictus non est, quo vel ipsa Ciuitas, vel aliquis in tota Ciuitate defendi potuisset. Prius enim Ciuitas ipsa, deinde turris, quę Antonia dicebatur, postmodum vero templum illud nobilissimum, super quod aliquanti confugerant, magna vi captum, & destructum est, qui si se hostibus tradidissent, templum destructum non fuisset, in quod, cum iam intenderetur, Titus intrasse, multumque illud laudasse dicitur. Huius autem ciuitatis destructio, cuiuslibet animæ perditionem significare potest. In qua fide corrupta, & virtutum populo deficiente malignorum Spirituum, vitiorumque exercitus eam aggreditur, incendit, & dissipat. De tali anima Domini nostri Iesu Christi exempla sequentes, nos quoque flere debemus, & tanto amplius flere, quanto ipsa de se ipsa flere ignorat. Si enim suas infirmitates intelligeret, & calamitates, quæ ei superuenturæ sunt cognouisset, fleret vtiquè & ipsa. *Nũc autem abscõdita sunt ab oculis eius.* Non enim muros ciuitatis quãuis postmodũ perituræ, sed animarũ ruinã, & perditionem flebat Iesus, nobis quoque exemplum dabat, quod in tali re facere debeamus, cum peccatorem aliquem in æternam perditionem ruere videmus. Capta est autem ciuitas Hierusalem post quadraginta, & duos annos a Christi passione. Quod bene quidem Elisæus significauit, qui ascendẽs Bethel cum pueri ipsius loci ei illuderent dicentes: *Ascende calue, ascende Calue,* maledixit eis in nomine Domini. Et statim egressi sunt duo vrsi de saltu, & occiderunt quadraginta duos ex illis. Ideo enim post quadraginta, & duos annos a duobus vrsis, Tito videlicet, & Vespasiano Iudęi interfecti sunt, quia Christo illudentes in Caluarię montem eum duxerunt, ibique eum crucifixerunt. Sequitur: *Et ingressus in tẽplum cępit eycere vendentes in illo, & ementes.* Vnde & Matthæus ait. *Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiecit omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Audite hæc Simoniaci; Audite nefandi negotiatores, aut cessate a negotijs, aut exite de templo, non enim vnum, vel duos, Sed indifferenter omnes & vendentes, & ementes Dominus templi de templo eiecit. Ipse & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Vos enim numularij estis, vos columbas venditis, vos sine numo, & pretio nihil agitis. Columbas enim vendunt, quicunque vel ecclesias, vel Sancti spiritus gratias pretio largiuntur. Horum autem Cathedras Dominus euertit, vt per hoc eos non esse Episcopos intelligamus. Et dicit eis: *Scriptum est enim: quia Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eum speluncam latronum.* Latrones enim vos estis, quia per ostium non intrastis, *qui enim non intrat per ostium in ouile ouium fur est, & latro:* Ostium enim Christus est, qui quoniam per eum non intrastis vestras cathedras euertit. Per hoc enim ostium illi solum intrant, qui secundum canonum instituta episcopi constituuntur. Exite igitur de domo orationis, quæ quoniam vos in ea habitatis, facta est Spelunca latronum Numquam alibi Dominus hoc fecisse legitur, nũquam aliter corporaliter instituisse, alios impulisse, vel eiecisse narratur. Si igitur eum in hoc quoque imitari velimus, si autem non posti-

possimus, violenter symoniacos ab ecclesia pellere debemus. *Si tamen vires suppetunt, quibus hoc sine ecclesiæ detrimento facere valeamus.*

DOMINICA VIGESIMAQVINTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis, cum videritis abhominationem desolationis, quę dicta est a Daniele propheta stante in loco Sancto. Qui legit, intelligat.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

VIdeamus modo, quid Daniel Propheta de hac abhominatione desolationis viderit, audierit, & dixerit, Scito, inquit. Angelus, qui ei loquebatur, & *animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem hebdommades septem, et hebdommades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri, in angustia temporum, & post hebdommades sexaginta duas occidetur Christus & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitas, & sanctuarium dissipabitur cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autē pactum multis hebdommada vna, & in dimidio hebdommadis deficiet hostia, & sacrificium. Et in templo erit abhominatio desolationis & vsque ad consumationem, & finem perseuerabit desolatio.* Videamus igitur quid ista significent, & rogemus Dominum omnipotentem, vt hæc sua mysteria tam occulta nobis reuelare dignetur, Temporibus Artaxexis regis erat Neemias pincerna eius, sicut ipse testatur, qui cum ei ad mensam ministraret, dixit ei rex: *Cur facies tua tristior solito esse videtur?* At ille; *Rex*, inquit, *in æternum viue, quia ciuitas patrum meorum destructa est*; cui ille, *Vade*, inquit, *et reædifica eā.* Et hoc est, q̄ dicitur: *Scito*, inquit Daniel, *& animaduerte, quia ab exitu illius sermonis, qui Neemias a rege dicitur ut iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum ducem hebdōmada sexaginta, et duæ erant.* Si quis enim diligēter computare voluerit annos, menses, & dies Regum, qui ab eo tempore fuere, inueniet sexaginta, & duas hebdommadas esse completas ab eo die, quo hic sermo ad Neemiam factus est vsque ad Christi passionem. Quinque autem anni plus hoc numero in cronica esse videntur, quod quidem scriptorum ignorantia factum esse puto. Illi enim facilè in numero falli potuerunt, Daniel vero falli non potuit: Quod autē ait *Hebdommades Septem*, sic esse intelligendum, ac si diceret. Ab exitu sermonis, quo præcipitur, vt iterum ædificetur Hierusalem, erunt hebdommades septem, vsque ad integram murorum restaurationem. Quę videlicet hebdommades septem vsque ad diem quinquagesimum perueniunt. Vnde & Neemias ipse ait: *Quia completus est murus vigesima quinta die mensis Elul quinquaginta, & duobus diebus.* Ex nāque hebdommadæ dierum sunt, Illæ autem sexaginta duæ, quæ ancemia vsque ad Christi passionem perueniunt, annorum hebdommadæ vocantur. Sicut enim septem dies, ita & septem anni vnam hebdommadam faciunt. Complentur igitur sexaginta, & duę hebdommadæ in annis quatricentis octoginta tribus, & tot quidem computantur ancemia vsque ad Christum: Sic igitur se habet ordo. Scito, inquit, Daniel & animaduerte, quia ab initio sermonis, qui factus est Neemiæ, vt iterum ædificetur Hierusalem, erunt hebdommadæ dierum septem vsque ad murorum completionem. Similiter autem ab initio eiusdem sermonis vsque ad Christum ducem & hebdommadæ annorum sexaginta duæ. Et quia in paucis diebus, idest in quinquaginta duobus, muri ciuitatis ædificati sunt, ideo subinferens ait. *Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.* Sequitur. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.* Miseri iudæi, qui ista non intelligunt, qui quoniam Christum negauerunt, *& non habemus regem nisi Cæsarem*, dixerunt, non Domini, sed diaboli populus facti sunt. Videamus, quod Sequitur. *Et ciuitas, & Sanctuarium dissipabitur cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Post quadraginta namque, & duos annos, Ciuitas, & templum dissipatum est. Dux autem eorum, qui venturus est Antichristus intelligitur qui quamuis multo post tempore veniat, tamen quasi de præsenti loquitur, quia semper eum colunt, & venerantur. *Finis autem ciuitatis vastitas erit, & post finem desolatio sēpiterna. Confirmabit autem Dux ille malignus, pactum multis hebdommada vna*, qui se omni tempore viuere, & regnare promittet. Quid est enim hebdommada vna, nisi diebus septem? Quid est autem diebus septem, nisi diebus omnib.? Non enim sunt dies nisi septem. Si igitur esset cum eis hebdommada vna, esset, vtique cum eis diebus omnibus, Sed non erit ita. Vnde hoc? *In dimidio enim hebdommadis deficiet hostia, & sacrificium*, Dimidium enim hebdommadis, si de annorum hebdommada intelligitur, tres annos facit, & dimidium. Et tunc quidem eo pereunte, deficiet hostia, & sacrificium. Sacrificium vtique Iudæorum, quod ipse iudicabit, quia ad veteris legis cęremonias, & consuetudines vniuersa transferre conabitur. Vnde & subditur: *Et in templo erit abhominatio desolationis.* In templo quidem erit, quia quasi rex, & sacerdos in templo sedebit. De quo Apostolus ait. *Quia exaltabitur supra omne, quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Dominus.* Merito autem abhominatio vocatur, quia ab omnibus abhominandus est, per quem tanta vbique gentium desolatio fiet, quæ videlicet desolatio, vsque ad eius consumationem, & vsque ad finem illius turpissimum, & dignissimum perseuerabit, *Cum autem videritis hanc abhominationem desolationis quæ modo dicta est a Daniele propheta, stante in loco sancto. Qui legit intelligat.* Cum, inquit, videritis abhominationem desolationis cum videritis abhominandum, & desolandum Antichristum, qui multam in populo Dei abhominationem, & desolationem faciet in tantum eleuatum, & exaltatum, vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus. Tu qui hæc, & alia legis, intelligas iam rebus finem adesse, Regnabit enim, vt in Daniele scriptum est per tempus, & tempora, & dimidium temporis, idest per vnum, & duos, & dimidium annum, in quibus tanta persecutio fiet, vt omnis preterita persecutio, & si magna fuerit, obliuioni tradatur. *Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Et qui in tecto non descendant tollere aliquid de domo sua, et qui in agro non reuertatur tollere tunicā suam.* Magni terroris hęc verba indicatiua esse videntur, in quibus omnium obliti, omnibus sola fuga placere narratur. Allegorice autem a Iudæa fugiunt ad montes, qui relicto iudaismo, siue littera, in qua iudei confidebant, ad spiritualem intelligentiam, vel ad Ecclesias se transferunt. Qui vero in tecto sunt, & in fidei sublimitate, siue etiam, qui maiores sunt, & Ecclesijs præsunt non descendant, non ad fugitiua bona, & vilem substantiam se inclinent, sed potius omnibus relictis Christo iam appropinquanti omnia pergant. At vero qui in agro sunt, & nouum Euangelij semen in populo seminant, non reuertantur, nec prioris tunicæ recordentur, sed currant, quia prope est, vt veteribus exuti, noua immortalitatis tunica induantur. *Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.* Prægnantes enim sunt illæ animæ, quæ per hypocrisim peccata sua abscondere volunt, sed tamen per superbie inflationē abscōdere nequeūt. Erit intus igitur peccata latēt, & foris quodāmodo patēt. Nutriētes aūt sūt quę iā quidē mala opera pepetreunt, & in eis persistentes ea facere nō erubescunt. Atque vtinam adhuc pręgnantibus essent, alijsque peccandi occasionem suo exemplo non dedissent. Malum est igitur peccata cœlare, sed peius est hoc modo reuelare. Ait enim sibi, alter & sibi, & alijs nocet. *Orate autem, vt non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato, ne forte tūc fugere incipiatis, quando fugere non potestis.* Temporis enim aspetitate fuga in hieme impeditur. In sabbato vero fugere non licet, quia hoc lex fieri interdicit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Erit, inquit, tunc tribulatio magna. Quando?

Vis audire quando? Cum abhominatio desolationis stabit in loco sancto. Et nisi breuiati fuissent dies illi. Non enim breuiabuntur dies illi, quantum ad Dei dispensationem, breuiabuntur tamen quantum ad spem, & votum iniquorum, quia non tantum regnabit Antichristus, quantum ipse, seipsum, & sui eum regnare sperabunt. Hoc autem fiet propter electos. Si enim tantum viuere, quantum eum infideles viuere sperabunt, valde pauci saluari potuissent. Quid enim si semper viueret, faceret, qui in tribus annis tantam stragem faciet? *Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*. His enim verbis non solum Antichristum, sed & multos alios tunc fore significat, quos propter varias simulationes miseri homines, Christũ esse putabunt. Vnde & subditur; *Surgẽt enim pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prędixi vobis*. Sed quare prædixi vobis? Vt cauti sitis, & non ab eis decipiamini. *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est nolite exire, ecce in penetralibus nolite credere*. Alij enim in deserto, vt Elias, & Ioannes Baptista. Alij in synagogis, & in domibus, sicut Christus prædicabunt. Omnia enim simulabunt, quæ hos fecisse audient. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidente, ita erit, & aduentus filij hominis*. Hoc est enim quod Psalmista ait: *Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit*. Non vt prius veniet occultus, sed quasi sol in sua maiestate prefulgens, vbique apparebit, vbique lucebit, cunctis etiam nolentibus reuelabitur. *Vbicumque fuit corpus illic congregabuntur, et aquilæ*. Aquilæ enim Sanctorum animæ sunt, quæ, & altius volant, & clarius vident. Hæ autem tunc ad corpora venientes, vbicũque & quomodocumque dispersa sint, ea iterum induentur, vt totus integer, & immortalis homo resurgat. Potest autem, & sic intelligi, vt vbicumque Christi corpus fuerit, illic & animæ conueniant paratæ eius obedire præceptis. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cęlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, et videbũt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute magna, et potestate*. Quia enim tũc sol iustitiæ Christus Deus noster, omni luce splendidior, de cęlis descendet, sol iste, quem videmus, obscurabitur, & hęc luna non dabit lumen suum, obscurati immenso splendore maioris lucis. Sicut enim luna, & stellæ solis huius splendore pallescunt, ita illius innenarabili fulgore ipse sol in tenebras conuertetur. Quod autem stellas cadere dicit, vel sanctorum animas ad corpora descendere, vel ipsas iuxta literam, quasi decidentes, & obeuntes lumen solitum amittere significat. Cadent prętera stellæ, quia sancti per stellas significãtur, ab iniquis occidentur. Luna vero non dabit lumen suum, quia Sancta Ecclesia solitum splendorem in signis, & virtutibus non ostendet. Sol autem obscurabitur, quia hæretici, qui tunc erunt, solem iustitiæ Christum dominum, eiusque fidem damnare, & reprehendere non timebunt. Virtutes autem cęlorum commouebuntur, quia omnis ille Angelorum exercitus Christum dominum nostrum ad iudicium sequetur. Et tunc apparebit signum filij hominis in cœlo, per quod, vel eius crucem, vel aliquid victoriæ signum intelligere possumus. Et tunc plangent omnes tribus terræ. Vnde in Zacharia propheta scriptum est: *Et plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, et dolebunt super eũ, vt dolere solent in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus ad Remon in campo macedon, et plangent terra familiæ, et familię seorsum*. Quomodo super eum non plangent, cum eum in tanta gloria videbunt, quem cum tanto opprobrio crucifixerunt? Sequitur: *Et mittet Angelos suos cum turba, et voce magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis a summis cœlorum vsque ad terminos eorum*. Angelorum enim ministerio ex omnibus mundi partibus, Sancti Dei colligentur, & resurgent, a summis cœlorum animabus descendentibus, & vsque ad eorum terminos venientibus. Sed quoniam cęli Sancti vocantur, possumus per summos cœlorum, patriarchas, & Apostolos, per eorum vero terminos quoscumque alios fideles intelligere: Colligentur autem Electi Dei a summis Cælorum vsque ad terminos eorum, quoniam, et maiores, & minores, & primi & nouissimi omnes simul in vnum conuenient. Quod en mag *cum tuba*, ipse exposuit dicens, *Cum voce magna*. Magna enim vox erit, quæ mortuos suscitabit, & mundum vniuersum replebit. *Ab arbore autem fici discite parabolam, cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nata, scitis, quia prope est Æstas, ita et vos cum videritis hęc omnia, scitote, quia prope est in ianuis*. Sicut enim ficus nouis ramis, & folijs orientibus Æstatem proximam adesse annunciat, ita & hæc omnia tam magna, tamque inusitata Christi aduentum manifestissime nunciabunt. *Amen dico vobis, quia non prᴂteribit generatio hęc, donec omnia fiant*. Hoc enim de scribarum, & pharisęorum generatione intelligitur, super quam omnem sanguinem iustum venire superius dixerat. Non prius igitur illa generatio præteribit, non prius deficiet, nec tota a sua iniquitate cessabit, quam ista omnia compleantur. *Cœlum, et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Quod enim veritas dicit, immutabile est, & præterire non potest, alioquin veritas non esset. Cœlum igitur, & terra transibunt, quia sęculum hoc, quod modo est, in melius commutabitur, sed verba veritatis a statu suo mutari non poterunt.

DOMINICA VIGESIMASEXTA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi pater solus*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

ALius autem Euangelista addidit, *neque filius*. Magnum est igitur hoc secretum, quod nemo scit, nisi Pater, id est virtus, & Sapientia Patris, quæ simul vna, & eadem est, & filij, & Spiritus Sancti. Sola ergo trinitas vnus Deus scit hoc secretum, quod ipse quoque filius ignorat, secundum hoc, quod homo est, & filius hominis est. Si enim secundum hoc, quod homo est, omnia sciret, nequaquam dictum esset. *Iesus autem crescebat sapientia, et ætate coram Deo, et hominibus. Sicut autem in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis*. Et hoc exponit. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, et nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit in arcam Noe, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit, & aduentus filij hominis. Mortuo enim Antichristo, tunc terris reddita pace Sanctis omnibus propter signa, quæ videbunt diẽ vltimũ expectantib. infideles, & peccatores, sola terrena, & transitoria cogitantes, omni voluptati, sicut prius operam dabunt, vendentes, & ementes, comedentes, & bibentes, nuptias contrahentes, & similia facientes. *Sed ecce subito cum dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, et vnus relinquetur*. Ager enim mundus est, sicut ipse Dominus ait, exponens parabolam, qua dicitur. *Simile est regnum cœlorum, homini, qui seminauit bonum semen in agro suo*. In hoc autem agro sunt duo, scilicet fidelis, & infidelis, & fidelis quidem assumetur in gloriam, infidelis autem relinquetur ad pœnam. *Duæ molentes in mola, vna assumetur, et vna relinquetur*. Hæc autem mola Sancta Ecclesia esse videtur, in qua dum sententiarum frumenta, frangimus, dum scripturas exponimus, dum in farinam cuncta conuertimus, Verbi Dei panem, quo animæ nutriuntur, conficimus. Molentes autem non omnes, sed soli boni in gloriam suscipientur. Et merito quidem non duo, sed duæ dicuntur, quoniam ita molere ad animas pertinet. Quamuis hoc de Ecclesia, & sinagoga satis congrue intelligi possit, vtraque enim molit, vtraque scripturas exponit, altera tamen, &

non

non ambæ assumentur. *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus est.* Vnde hoc? Quia de die illa, vel hora, vt modo diximus, nemo scit. *Illud autem scitote, quia si sciret pater familias, qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Quia igitur nescit, quia dormiens negligit, sæpe domus perfoditur, & quicquid in ea melius est, fit rapina latronum. Vos autem estote parati, estote solliciti, & quia illam vnam horam nescitis, omnibus horis vigilate, ne in illa incauti, & dormientes inueniamini. Et hoc est, quod ait: *Ideo & vos estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est. Quis putas maior est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.* Quis, inquit, nisi vnusquisque vestrum, & cæteri similes vestri? Quis est fidelis seruus, & prudens, quem ad hoc super familiam suam, super domum, & Ecclesiam suam Dominus constituit, vt eam regatis, doceatis, & nutriatis, & pro tempore, & mensura, ordine, & ratione omnia faciatis? *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius inuenerit sic facientem.* Sed vnde beatus? Vis audire, vnde? *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Quis enim illo beatior erit, qui super omnia constituetur? In hoc enim fidelis seruus maior erit, & superior omnibus, in quo se magis humiliauerat, & ministrauerat omnibus. *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœpit percutere seruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium.* Qui enim multum in hac vita viuere sperat, sola caduca, & transitoria diligens, cunctis carnis voluptatibus se subiiciens, non cum sobrijs sobrie, sed intemperate cum ebriosis manducat, & bibit, seruos percutit, familiam affligit, & subiectos despicit. Iste quidem & si non voce, corde tamen, & opere clamat, *moram facit Dominus meus venire, securus sum, iam nihil timeo, meæ igitur obediam voluntati.* Veniens igitur Dominus eius die, qua non sperat, & hora, quam ignorat, subito eum de hac vita exire compellens diuidit eum. Quid est enim mors, nisi corporis, & animæ diuisio, & separatio? Tunc ergo homo diuiditur, quando corpus ab anima separatur. Ponit autem partem eius cum hypocritis, modo interim crucians animam, postmodum vero, & corpus, & animam.

DOMINICA VIGESIMA SEPTIMA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

TVnc enim Dominus pater, qui omnium rex, & Dominus est filio suo Iesu Christo Domino nostro nuptias fecit, quando enim, vt carnem nostram susciperet, in mundum misit. Ipse enim speciosus forma præ filijs hominum nostræ carni coniunctus, tamquam sponsus processit de thalamo suo. *Ipse sibi gloriosam Ecclesiam*, vt Apostolus ait, *sponsam elegit, non habentem maculam, neque rugam.* In istarum enim laudibus nuptiarum totus ille liber editus est, qui cantica canticorum vocatur. *Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Omnes igitur patriarchæ, & prophetæ ad Christi nuptias Iudæos inuitauerunt, omnes eius aduentum prædixerunt, omnes noui testamenti delitias laudauerunt, ipsi tamen venire, & eas recipere noluerunt. Iterum misit alios seruos, dicens: *Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa, & omnia parata sunt, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt.* Isti enim alij serui Apostoli sunt, & Doctores, qui iam paratis nuptijs, & scripturis ad intelligendum apertis prædicare, & ad nuptias inuitare Iudæos missi sunt. Totum enim hoc prandium quid aliud est, nisi spiritualis intelligentia vtriusque testamenti? Hic enim tauros, agnos, & aues, & cuncta ad alendum, & edendum delitiosa inuenies. His enim cibis reficitur anima, his delitijs satiatur, & pinguescit intelligentia, quasi enim tauri quæque sententiæ maiores, & ad tenendum, & ad intelligendum difficiliores. Aues vero sunt, siue alites, quæ altius volando, & de spiritualibus loquendo, mentes nostras ad cœlestia eleuant. Hæc autem tunc occisa, & parata sunt, quando intellectu, & ratione separata, & memoriæ commendata, iam neque fugere, neque intelligentiæ resistere possunt. De tauris enim, siue vitulis per Oseam dicitur: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Quid sunt enim vituli labiorum, nisi sententiæ scripturarum, & laudes Dei, quæ in eis continentur? Quod vero etiam auis sacra scriptura dicatur, audi quid per Moysen Dominus dicat: *Si ambulans per viam nidum auis in arbore, vel in terra inueneris, & auem pullis, vel ouis desuper incubantem, dimitte auem, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & longe viuas tempore.* Hæc enim auis littera est, quæ sub alarum velamine pullos, vel oua, idest spiritualem intelligentiam claudit, quæ quidem per loca difficiliora in arbore, per planiora vero in terra nidificat. Per huius igitur voluminis viam ambulantes, huius auis nidum aliquando in terra inuenimus. Vt ergo longo viuamus tempore, dimittamus auem, & litteram, quæ occidit, teneamus pullos, & oua idest spiritualem intelligentiam, quæ viuificat. Et isti quidem sunt illi tauri, hæc sunt illæ aues, hæc sunt illa altilia, quæ in nuptijs filij sui nobis Dominus præparauit. Has autem delitias Iudæi neglexerunt, has recipere, & concedere noluerunt. Ideoque alij abierunt in villam suam, alij vero in negotiationem suam. Nos enim in ciuitate Dei, nos in Sancta Ecclesia harum nuptiarum delitias edimus. Illi autem in villa morantur, illi in crasso pane litteræ, & rusticano cibo delectantur. In villa enim sunt, quicunque extra Ecclesiam sunt. Possunt autem Iudæorum villæ, singuli legis, & prophetarum libri intelligi. Et quoniam Iudæi vbique terrarum de fraude, mercato, vsura, & deceptione viuunt, non immerito ad negotiationem suam abijsse dicuntur. *Reliqui vero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt*; per hos enim illos intelligimus, qui primitiuam Ecclesiam persecuti sunt. Vnde & de Apostolis dicitur: *Quia ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.* Hæc autem quia secundum litteram facta sunt, allegorice exponere non videtur esse necessarium. Post quadraginta namque & duos annos exercitus suos, idest Romanorum Principes aduersus Iudæos Dominus misit, qui eos occiderunt, & vendiderunt, & non solum eorum ciuitates, verum etiam ipsorum templum famosissimum, & nobilissimum succenderunt. Tunc ait seruis suis: *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Quid nuptiæ significent superius diximus, quibus, quoniam Iudæi indigni fuerunt, gentilis populus ad eas comedendas vocatur. Quid est autem præparatio nuptiarum, nisi sanctarum expositio scripturarum? *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias.* Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, operatur iustitiam, acceptus est illi. Vbique suos discipulos mandat, omnes ad fidem vocat, cunctos ad regni sui gloriam inuitat. *Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* In hac enim area frumentum, & paleæ, triticum, & zizania, boni & mali simul versantur. Impletæ sunt nuptiæ, conuenerunt gentes, annunciauerunt Apostoli, & locuti sunt, multiplicati sunt super numerum. *Intrauit autem rex, vt videret simul discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.* Quomodo enim alicubi intrat, qui vbique est? Quia enim omnipotens Deus non statim punit, & in multa patientia nos susti-

sustinens, peccata nostra videre dissimulat, quasi abesse videtur, adest quando nos punire, & affligere incipit. Veste autem nuptiali indutus non est, qui fidem non habet, & Christum non imitatur. Vnde Apostolus ait: *Exuite vos veterem hominem, & induite nouum. Quicumque enim baptizati estis in Christo Iesu, Christum induistis.* Et ait illi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habēs vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Hoc enim specialiter illis dicere videtur, qui ad Christi corporis, & sanguinis Sacramenta indigne accedunt. Poterat enim iste respondere se cum veste nuptiali ad conuiuium venisse, sed eam postea amisisse: nisi quia stupore, & timore oppressus obmutuit. *Tunc dicit rex ministris: ligatis pedibus eius, & manibus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Hæc enim sententia datur in illos, qui excusationis verbum nullum habent, quod Deo respondeant. Semper enim his nuptijs Deus interest, semper bene, & male indutos videt: & quamuis ipse à nemine videatur, semper tamē alios ad pœnam, alios ad gloriam parat, & iudicat. Quod autem pedibus, manibusque ligantur, sine viribus, & fortitudine eos esse ostendit. Tenebræ vero exteriores sunt, vltra quas aliæ tenebræ non sunt. In fletu vero, & stridore dentium, doloris immensitas significatur: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Multi enim vocantur ad nuptias, pauci vero introducuntur in regis thalamum, & gloriam.

DOMINICA VIGESIMAOCTAVA.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DIgni sunt reges, qui exaudiantur. Nulli ita Deo familiares sunt, sicut boni reges. Valde bonam significationem tenent reges in diuina scriptura. Omnis enim homo, qui seipsum, & virtutum exercitium, qui in eo est, honeste, sapienterque disponit, & regit, vera definitione rex dici potest. Si ergo te ipsum, & familiam tuam bene regere, & disponere vis, custodi sensus corporis tui, neque eos per illicita vagari permittas. Ipsi enim duces sunt, & in tota domo obtinent principatum. *Auerte* igitur *oculos tuos, ne videant vanitatem.* Dic simul cum viro iusto: *pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.* Audi etiam quid Psalmista dicat: *oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos.* Qui enim semper oculos ad Dominum habet, vana videre non desiderat. Sic ergo regitur visus. Sed quid dicam de auditu? Nam & ipse regendus est. *Claude igitur aures tuas, ne detractionibus pateant, ne verba vana, & inutilia libenter audiant.* Aperi eas ad euangelium, aperi eas ad Verbum Dei. Ideo enim Psalmista dicit: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Ideo & Dominus ait: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ideo & Isaias dicit: *Audi cęlum, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Lingua quoque regimine indiget, quam qui non regit, rex dici non debet. Qui enim custodit linguam suam, custodit & animam suam. Mors, & vita in manu linguæ. Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Si quis putat religiosum se esse, non refrænans linguam suam, sed seducit cor suum, huius vana est religio. Vnde Psalmista ait: *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Os quoque nisi custodiatur, in multis peccat. Peccat enim in crapula, & ebrietate. Quod quidem si primi parentes bene custodissent, de ligno vetito non comedissent. Hoc autem Dominus nos regere docuit, qui diabolo male suadenti respondit: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.* Hoc, & Apostolus bene regebat, qui ait: *nunquam commune, & immundum intrauit in os meum.* Regamus & manus, vt pauperibus aperiantur, & ad furtum, & rapinam non extendantur. Tales manus notabat Propheta, cum diceret: *manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Regamus & pedes, ne currant effundendum sanguinem: sed potius semper sint parati ad euangelizandum bona, & calcare valeant super serpentes, & scorpiones. De pedibus & Ecclesia dicit: *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sic igitur reguntur corporis sensus. Sed quid de interiori familia dicam? Et ipsa quidem regimine indiget. Vnde Apostolus ait: *proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Itemque: *cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ex corde enim,* ait Dominus, *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, fornicationes, blasphemia. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Ideo rationale super cor, & super pectus episcopi ponitur, vt bene regatur, & custodiatur. Nemo igitur se regem non esse dicit, qui tantam habet ad regendum familiam. Tales itaque reges iste regulus significabat, qui ad Christum accessit pro filio rogaturus. Et fortasse ideo non rex, sed regulus dicitur, quia nōdum perfecte credebat. Vnde & Dominus ait: *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* Si enim perfecte credidisset, filius eius infirmus non fuisset. Quid enim per filium eius, nisi spiritum eius, & nisi animam eius intelligamus? Hic autem filius reguli, idest anima reguli infirmabatur Capharnaum, quæ villa consolationis interpretatur. Mala villa, mala consolatio. Hæc villa caro est, in qua anima infirma iacet, & inde magis infirmatur, quia non bene consolatur. *Spiritus,* ait enim Apostolus, *concupiscit aduersus carnem, caro autem aduersus spiritum.* Vult anima conuerti, & ad pęnitentiam redire. Dicit caro, & quasi consolando dicit: noli adhuc expectemus vsque cras, consilio faciamus, iuuenes sumus, multum nobis temporis restat. Melius est non vouere, quàm vota non reddere. Sic loquitur Capharnaum, sic loquitur caro, sic loquitur villa consolationis. Bene quidem loqui videtur, sed non bene loquitur. Vnde & Salomon, *ne tardes,* inquit, *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Qui enim dedit hodiernum diem, non promisit crastinum diem. Imitare igitur istum regulum o homo quicumque es, cuius anima infirmatur, festina ad Iesum, vade ad medicum. Roga eum, vt descendat, roga, vt tibi condescendat, roga vt tibi dimittat peccata tua, roga, vt sanet animam tuam, & liberet eā à morte sua. Caue ne iaceat Capharnaum, noli eam male consolari, & morti eam perpetuæ subiugare. Noli signa, & prodigia quærere. Crede tantum, & saluus eris. Insta simul cum regulo, insta, & dic: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* Hoc enim si feceris, audies, & tu à piissimo Domino, quod ille regulus tunc audire meruit. *Vade,* inquit, *filius tuus viuit.* Verum est igitur, & sine dubio verum est, *quia peccator quacumque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur.* Non enim dixit, viuet, sed viuit, quia vna, eademque hora & pœnitentia nascitur, & vita datur. *Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* Iam non regulus, sed rex iste dicendus est. Regulus erat, quando venit, sed rex & plenus fide recedit. *Credidit enim Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Omnia possibilia sunt credenti. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt ei dicentes: *quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat, & dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris.* Isti serui Episcopi, & Sacerdotes mundi esse videntur, qui peccatori ad pęnitentiam conuerso vitam nuntiant, & sanitatem promittunt. Omnium enim serui sunt, qui omnibus ex debito seruiunt. Vnde & Romanus Episcopus Episcoporum omnium maximus, seruus seruorum Dei in suis epistolis se esse scribit. Neque enim vacat à mysterio, quod septima hora puerum febris reliquisse dicitur. Septima namque hora, & septima dies hominis ætas vltima est, de qua Apostolus ait: *nos sumus, in quos fines sęculorum deuenerunt.* Hac autem septima hora ad sanandum, & viuificandum Dominus venit. Ante hanc horam nemo sanabatur. Quicumque itaque sanatur, hac, & non alia sanatur. *Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit Iesus: filius tuus viuit, & credidit ipse, & domus eius tota.* Cognoscamus igitur & nos, firmiterque credamus, quia in hac hora, in hoc tempore præfinito, in hoc tempore, antequam prędestinato venit Iesus & pro nobis passus præcepit, vt viuamus, & vlterius

non

non moriamur, sed sani, & immortales ad regna cęlestia perducamur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

IN FESTIVITATE SANCTI LAVRENTII.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis : amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOc est enim illud granum frumenti, quod virgo & inarata terra produxit, de quo Psalmista ait: *veritas de terra orta est, & iustitia de cęlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Huius autem grani immensa multiplicatione omnia Ecclesię horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo & ipse Dominus ait: *Ego sum panis viuus, qui de cęlo descendi*. Constat autem hoc & ad litteram verum esse, quod frumenti granum si in arca seruetur, non crescit, si autem seminetur, si in terra soluatur, & moriatur, multum fructum affert. Nihil infructuosum diligit Deus, nihil in horto suo, nihil in vinea sua, nihil in agro suo vult esse infructuosum. Vnde & ipse alibi ait: *Omnis arbor, quę non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Et in alio loco *ego sum*, inquit, *vitis vera, & pater meus agricola est, omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem, qui fert, purgabit eum, vt plurimum fructum afferat*. Hæc est enim illa vera vitis, de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc euangelio propinatur. Hæc est illa vitis semper fructuosa, cuius omnes palmites fructiferi sunt, quicumque ei fideliter inherent. Ideo enim infructuosi de ea tolluntur, quamuis per Baptismi Sacramentum in ea sint, per vitæ tamen meritum in ea non sunt. Talis arbor infructuosa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait: *Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio, succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Quæ quidem illico succisa fuisset, nisi quia bonus ille vineæ cultor pro illa intercessit dicens: *Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum, sin autem in futuro succides illam*. Talis erat & illa ficulnea, in qua quia fructum non inuenit, Dominus eam maledixit, & aruit. Tales sunt, & multæ aliæ arbores infructuosę, quæ tandem excidentur, & in ignem mittentur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuosam, in paradiso plantatam, præsertim cum primo homini Dominus dicat: *de omni ligno paradisi comedo, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. In eo enim, quod de omnibus comedere dicit omnes illas arbores fructuosas fuisse ostendit. Cum igitur paradisus Ecclesiam significet, Ecclesiæ quoque arbores, omnes fructuosas esse oportet. Multæ namque arbores sunt in Ecclesia, ibi enim est, & lignum vitæ, de quo qui comederit, si tam digne comederit, non morietur. De hoc enim ligno scriptum est. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Et alibi: *vincenti dabo edere de ligno vitę, quod est in paradiso Dei mei*. Ibi est & illa arbor, quæ ait: *ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini, speraui in misericordia Dei mei in ęternum, & in sęculum seculi*. Sed quid de illis nobilissimis arboribus dicam? Quibus ipse Dominus ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Tales igitur arbores habet Ecclesia, quam illæ paradisi arbores significabant. Illam autem arborem, de qua Dominus primum hominem comedere interdixit, hæreticos significare puto, quorum quidem fructus mortiferi sunt, quorum prima venenosa sunt, quorum doctrinam, qui susceperit, mortem incurret sempiternam. Sequitur: *qui amat animam suam, perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam ęternam custodit eam*. Hoc enim Dominus non dixisset, si animas nostras, & bene, & male amare, & easdem & bene, & male odisse non possemus. Ipse enim exponit quid sit male amare, & ipse exponit quid sit bene odisse. Male enim amat animam suam in hoc mundo, qui propter hunc mundum, & propter hanc vitam præsentem eam amat. Iste enim perdet eam, qui sic amando, æternæ morti, & perditioni tradet eam. Qui enim bene amat animam suam, sic eam amat, vt in æternum viuat, non vt breui tempore in delitijs viuat. Vnde & in vitam æternam eam custodit, qui sic in hoc mundo suam animam odit. Ille enim animam suam, & vitam suam odisse videtur, qui mori non timet, qui ieiunijs, & vigilijs, qui paupertate, & nuditate, alijsque similibus eam affligit. Ille denique, qui sic amat animam suam si necesse sit pro Christi fide ponere noluit, perdet eam. Qui vero sic odit, vt eam in tali necessitate ponere non recuset, in vitam æternam custodit eam. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*, vt sicut ego pro ipso, ita & ipse si necesse fuerit, pro me moriatur, sequi enim imitari est. Ministrant enim Domino non solum Episcopi, & Sacerdotes, cæterique illius ordinis, verum etiam, qui facit eleemosinas, vestit nudos, visitat infirmos, aliaque his similia misericordiæ, & pietatis opera facit, Domino ministrat. Vnde ipse quoque Dominus ait: *quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, ostendens eos ministrare sibi, qui ipsius verbis ministrant. Sed quid eis tunc ministrasse proderit? Sequitur: *& vbi ego sum, illic et minister meus erit*. Dices fortasse: non hoc ubi sufficit. Audi, quod sequitur: *si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus*. Magnus honor, magna gratia, immensæ diuitiæ. Beatus ille, quem Deus honorificabit. Ille enim ditabitur illis bonis, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quę preparauit Deus diligentibus se*. Denique qui ibi erit, vbi ipse est, quid melius vmquam habere potest? Hoc enim Psalmista desiderans ait: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sęculum sęculi laudabunt te*. Itemque *vnam petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitę meę*. Et Apostolus *cupio*, inquit, *dissolui, et esse cum Christo*.

IN ASSVMPTIONE SANCTAE MARIAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Intrauit Iesus in quoddam Castellum, et mulier quędam Martha nomine excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria, quę etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

OMnia opera Saluatoris nostri plena sunt Sacramentis. Quicquid vbique agit, significatio est. Quod enim tunc temporis in quodam castello corporaliter egit, quotidie in Sancta Ecclesia spiritualiter agit. Nam & Ecclesia castellum est, & non qualecumque, sed forte, & insuperabile, vtpote super montem positum, muro circumdatum, turribus munitum, & Angelorum exercitu, virtutumque præsidijs armatum. In hoc igitur castellum Dominus Iesus quotidie ingreditur, hoc assidue visitare non dedignatur, in hoc a Mar-

tha suscipitur, eiusque in domum inducitur. Videamus igitur quid significet Martha. Videamus quid significet Maria, vtraque enim magnum aliquid significat. In his enim duabus Ecclesia tota consistit. Altera enim actiuam, altera contemplatiuam vitam designat. Et actiuam quidem Martha, Maria vero contemplatiuam. Vnde non Maria, sed Martha Christum in domum suscepisse dicitur. Maria enim non habet domum, quia vita contemplatiua omnem huius seculi spernit habere possessionem. Sufficit ei ad pedes Domini sedere, sufficit ei semper legere, & orare, sufficit ei præterea Verbum Dei semper audire, & mentem potius, quàm ventrem nutrire. Tales enim prophetæ fuerunt, tales & Apostoli, tales & multi alij, omnia relinquentes, mundum fugientes, & omnia possidentes. Hanc autem vitam non habent, nisi boni. Actiuam vero simul habent, & boni, & mali. Inde enim & actiua dicitur, quia semper in actu est, semper in fatigatione, & labore est, & vix aliquando in quiete esse potest. Sed nos de illa actiua non dicimus, quæ latrones exercet, tyrannos mouet, auaros sollicitat, adulteros inquietat, & omnes iniquos ad iniquitatis opera incitat. Sicut enim non loquimur de alia Martha, nisi de illa, quæ soror est Mariæ, ita non loquimur de alia vita actiua, nisi de illa, cui proxima est contemplatiua. Illa enim actiua, quæ munda, & sine peccato est, contemplatiuæ proxima est. Quod enim Apostolus prædicat, quod baptizat, quod manibus proprijs laborat, vnde viuat, quod discurrit per ciuitates, quod ei sollicitudo est omnium Ecclesiarum, ad quam vitam, nisi ad actiuam pertinet? Vnde & hic de Martha dicitur, *quia satagebat circa frequens ministerium*. Videmus enim vsque hodie Ecclesiarum præpositos, & ministros sollicite discurrere, laborare, æstuare, & multis modis fratrum necessitatibus insudare, vt eos quoque non immerito circa frequẽs ministerium satagere videamus. Quamuis igitur contemplatiua vita melior sit, quam actiua, quia sine sollicitudine est, & numquam fallit, actiua tamen iam necessaria est, vt ipsa contemplatiua quoque in hac vita sine ea esse non possit. Altera igitur indiget altera. Hæc enim orat, illa laborat. Altera mentem, & altera ventrem replet. Vnde Apostolus, *Si nos*, inquit, *vobis spiritualia seminauimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus*. Qui enim sic seminat ad supernę felicitatis contemplationem mentes audientium eleuat. Dicatur ergo: *Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curę, quod soror mea reliquit me sola ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet*. Sæpe enim stat actiua, & si dici potest piè inuidet contemplatiuæ. Qui igitur soli contemplationi vacare desiderat, solitariam vitam eligat, nedum in conuentu malignorum a contemplatione abstinere non vult, cęteros stare faciat, & opus cunctis necessarium impediat. Quamtus enim Mariæ partem Dominus laudet, in ecclesijs tamen, & multorum congregationibus plus Martha, quàm Maria vtilis est. Martha omnibus, Maria proficit sibi. Illa sollicita, ista quieta. Vnde & Dominus respondens ait: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necessarium*. Sed quod vnum? Vis audire quod? *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Illud igitur necessarium est, quod non auferetur, & æternum est. Verumtamen neque Martham a sollicitudine cessare Dominus iussit, neque Mariam eam adiuuare præcepit. Ostendit autem eis, quod necessarium sit, & ad quem finem vtriusque intentio tendere debeat. Bona est enim omnium Ecclesiarum sollicitudo, quam se Apostolus quoque habuisse dicit, sed non illa, quæ ab æternæ dulcedinis contemplatione mentem penitus extorqueat. Frustra enim sollicitus est, qui non pro amore Dei, sed pro vanagloria, & lucro temporali, & huius seculi dignitatibus sollicitus est. De talibus enim Dominus ait: *quia receperunt mercedem suam*. Bene vero sollicito quid dicit? *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Bona est igitur sollicitudo Marthæ, si tamen non mundo, sed Domino ministret. Debet autem Maria aliquando surgere, & sororem sollicitam adiuuare. Surgens autem videat, ne assuetæ contemplationis penitus obliuiscatur, ne forte dum alijs prodesse desiderat, sui ipsius detrimentum faciat. Cum enim viri religiosi, solitarij, & quieti, diuinæ contemplationi dediti, multorum precibus ecclesiastica regimina suscipiunt, tunc vtique surgit, & sororem sollicitam Maria adiuuare venit. Sic igitur fit, vt illa, quæ prius quieta, sterilis, & infœcunda erat iam laborem incipiat, multosque Deo filios pariat, & nutriat. Hoc enim significauit Rachel; prius quidem sterilis sorore eius fœcunda, & in multorum filiorum progenie gloriante, sed postea ipsa quoque concepit, & filios parere cœpit. Hæ autem duæ mulieres prudentissimæ totius ecclesiastici exercitus duces, & præuiæ sunt. Has cætera turba sequitur. Alij post Martham, alij post Mariam vadunt. Nulli enim cœlestem illam patriam ingrediuntur, nisi qui hanc, vel illam sequuntur. Merito igitur sancti patres constituerunt, vt in hac solemnitate beatæ Virginis Mariæ hoc euangelium legeretur. Quæ quidem per has duas mulieres significatur. Ipsa enim inter omnes creaturas beatissima virgo vtriusque vitæ, actiuæ videlicet & contemplatiuæ plus cæteris omnibus priuilegia custodiuit. Ipsa quoque sicut Martha, immo melius, quàm Martha suscepit Christum, non solum in domum suam, verum etiam infra claustra vteri sui. Ipsa eum concepit, ipsa eum genuit, ipsa eum peperit, & portauit, & plusquam Martha, & frequentius ei ministrauit. Ipsa denique, sicut Maria eius verbum non solum audiebat, verum etiam in corde suo conferebat, nobisque ad legendum, & audiendum custodiebat. Sic enim scriptum est: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*. Ipsa eum non solum secundum humanitatem, verum etiam secundum diuinitatem, & contemplari, & plus omnibus cognoscere meruit. *Ipsa igitur optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

IN DECOLLATIONE SANCTI IOANNIS Baptistę.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *audiuit Herodes Tetrarcha famam de Iesu, & ait pueris suis: hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

CVius opinionis Beatus Ioannes Baptista fuerit, & quam Sanctus ab omnibus habebatur, satis manifeste his verbis declaratur. Omnes enim, vt in alio euangelio legitur, existimabant de Ioanne, ne forte ipse esset Christus. Audiens igitur Herodes virtutes, quas Dominus operabatur, neque credens aliquem alium esse, præter Ioannem, qui talia facere potuisset, putabat eum resurrexisse a mortuis, vnde & maioribus sumptis virtutibus ea operaretur. Hinc autem Euangelista narrat, qualiter virum Sanctum Herodes impius interfecerit. *Herodes enim tenuit, & ligauit Ioannem, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: non licet tibi habere eam*. Non enim licet fratri, sicut lex dicit, fratris sui vxorem accipere, nisi ad suscitandum semen fratris sui, si tamen sine liberis defunctus fuerit. Iste autem non ad fratris semen suscitandum, sed ad libidinis voluptatem exercendam Philippi fratris sui adhuc etiam viuentis, vt dicitur, duxit vxorem. Quia igitur Beatus Ioannes hoc tantum scelus interdicebat, captus, & ligatus, & in carcere positus est. Volebat autem Herodes eum occidere, sed non audebat, tum quia sciebat esse virum Sanctum, & iustum, tum etiam quia timebat populum, quoniam sicut Prophetam eum habebant. Hanc igitur ob causam eius mors aliquanto tempore dilata est. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Quod

enim

enim placeat viro stolido,& luxurioso,nisi vanagloria, commessatio,& muliebris saltatio,luxuriæ videlicet fomenta, & instrumenta? In eo vero,quod puella non Herodis, sed Herodiadis filia dicitur,Philippi filia fuisse mõstratur. Huius autem saltatio placuit Herodi, & nimium placuit. Vnde cũ iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo. Ebrietas enim stultitiæ, & vanitati coniuncta in tantum hominem præcipitat,vt ea,quæ dicit,non consideret. Quid enim si puella oculos suos Herodi postulasset? Numquid eos eruisset,& dedisset illi? Si enim non dedisset,poterat eum se periurio appellare. Iurauerat enim se illi esse daturum nihilo excepto quodcunque postulasset ab eo. Et quidem plus illa postulat,quam oculos Herodis. Non autem illa, sed mater eius impia,& adultera per illam. Præmonita enim a matre sua,da mihi, inquit,*in disco caput Ioannis Baptistæ*. Merito enim scriptum est de muliere mala: *Non est malitia super malitiam mulieris*, poterant enim regni medietatem habere, si voluisset. Sed hoc pro nihilo ducit. Petit caput Ioãnis. *Et contristatus est rex. Propter iusiurandum autem & eos,qui simul recumbebant, iussit dari*. Pœnituit eum iurasse, mentiri timet,vincit verecundia,facies hominum erubescit,& iustitiæ obliuiscitur. Malum quidem mendacium, sed peius est homicidium. Multo melius fecit Dauid,qui cũ se Nabal occidere iurasset, victus tamen precibus Abigail non eum occidit. Vbi igitur sine maiori peccato minus peccatum aliquis euadere non potest, faciat illud, quod minus est,ne maius peccatum incurrat. Si enim dixeris, quod aliquem hominem innocentem hodie interficies, si eum occideris verum dicis, si non occideris mentiris. Sed melius est non occidere, & mentiri, quam occidere, & verum dicere. Melius igitur fuerat Herodi de periurio iudicari, quã de hoc homicidio damnaretur. *Misit igitur, & decollauit eum in carcere. & allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & puella attulit matri suæ*. O impietas, o impietas, o crudelitas,iustus decollatur. Fit caput eius pretium saltationis, in disco affertur, conuiuentibus apponitur, magnum quidem ferculum,sed ad videndum horribile. *Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nũtiauerunt Iesu*.

IN NATIVITATE DEI GENITRICIS MARIAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

L*iber generationis Iesu Christi filij Dauid, & filij Abraham*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

QVare Beatus Matthæus Euangelista à Christi generatione initium sumat, hanc maximam, & principalem causam esse putamus, vt Saluatorem nostrum de progenie Dauid,& de tribu Iuda secundum carnem descendisse ostendat. Incipiens itaque ab Abraham, & per inde lineam veniens ad Dauid totam sibi succedentium genealogiam ex ordine texit, vsque dum veniat ad Ioseph virum Mariæ,de qua natus est Iesus,qui vocatur Christus. Nam, & Abrahæ, & Dauid Christus Dominus noster promissus fuerat,& quod de tribu Iuda originem duceret, fuerit prophetatum. Dixerat enim Dominus Abrahæ; *in semine tuo benedicabo omnes gentes*: Hoc autem Apostolus exponens ait: *non dixit in seminibus,quasi in multis,sed quasi in vno, & semini tuo;quod est Christus*. Inde quoque filio suo Iacob Patriarcha benedicens ait: *Iuda te laudabunt fratres tui,manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, & adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti,vt leo, & quasi leæna quis suscitabit eum. Non auferetur sceptrum de Iuda,nec dux de fœmoribus eius, donec veniat,qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*.

In hoc quoque Euangelio,sicut in sequentibus legitur, cum Herodes principes sacerdotum,& scribas populi interrogasset, vbi Christus nasceretur, responsum est ab illis. In Bethleem Iuda, sic enim scriptum est per Prophetam. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda*.

IN FESTO SANCTI MATTHAEI APOSTOLI.

Lectio Sancti Euangelij secundum Mattheum.

IN illo tempore *Cum transiret Iesus per ciuitatem suam,vidit hominem sedentem in thelonio Matthæum nomine, & ait illi; Sequere me,& surgens secutus est eum*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

SIc enim de se beatus Matthæus quasi de alio loquitur. Quod & Moysen,& quosdam alios fecisse legimus, humilitatem docentes,& vanamgloriam amputantes. Vocatur autem alio nomine leui,quod pene idem significat. Matthæus enim donatus, leui autem appositus interpretatur. Appositus namque Apostolorum ordini pro magno munere Sanctæ Ecclesiæ donatus est, Et bene quidem de theloneo vocatur,vt qui publica vectigalia colligebat,nos quoque tributa soluere doceba. Quid enim aliud nos in hoc Euangelio docet, nisi quæ, & qualia,& quomodo tributa nostra Domino reddamus? In cunctis enim, quæ iubente Domino agimus, nihil aliud facimus, nisi quia tributa persoluimus? *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, & discipulis eius*. Ait enim Lucas: *quia fecit ei magnum conuiuium Leui in domo sua*. Vnde factum fuisse puto,vt publicani, & peccatores,& cæteri eiusdem ordinis homines illuc ad conuiuium conuenirent. Verumtamen neque illud conuiuium, neque illum conuentum publicanorum sine aliqua significatione fuisse intelligendum est. Illud enim conuiuium, quod tunc Leui Domino præparauit,hoc Euangelium significabat,quod postea scripsit,cuius deliciæ nunc in Christo animæ nostræ reficiuntur. Ad hoc autem quia Iudæi venire noluerunt, publicani,& peccatores introire compulsi sunt. Vnde alibi Dominus ait: *quia nemo illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam*. Et videntes pharisæi dicebant discipulis eius; *quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Similiter enim & fideles quidam aduersus beatum Petrum,postea scandalizati sunt,eo quod Cornelio incircumciso communicauerit, quibus & ipse rationem reddidit, sicut & istis Dominus rationẽ reddere nõ est dedignatus, ait enim *Non est opus,valentibus,medicus, sed male habentibus*, ac si diceret; ad sanandum veni,non ad manducandum. Medicus sum,non conuiua. Ideo immo conuiua, quia medicus, hoc genus morbi nusquam tam bene sicut in conuiuio sanat. In illo vtique conuiuio, quod per hoc conuiuium significabatur. Tale namque conuiuium quotidie in Ecclesia fit. Hoc conuiuium animarum est. Quoties enim Episcopi,& Sacerdotes in Ecclesia prædicant, toties hoc conuiuium præparatur. In hoc autem conuiuio tales potiones, taliaque antidota infirmis anteponuntur, quibus cæci illuminantur, leprosi mundantur, paralitici curantur, mortui suscitantur, omnesque morbi,& omnes infirmitates sanantur. Tale igitur conuiuium Beatus Matthæus Apostolus, & Euangelista nobis præparauit, tale nos quoque alijs præparare docuit. Et talis quidem conuiuij præparandi, talis potionis,& antidoti dandi peritissimus medicus Apostolus fuit,qui ait; *factus sum infirmus, tamquam infirmus, vt infirmos lucrifaciam*. Hæc est igitur causa quare Dominus, & Saluator noster cum publicanis,& peccatoribus manducare venit, vt eos videlicet sanaret, & vim medicaminis, rationemque monstraret. Non enim dedignatur Christus eos in conuiuio recipere,quorum mortalitatem nõ est dedignatus assumere.

Reficit exterius corpora, reficit exterius mentes. Non potest ibi esse fames, vbi est panis vnius, qui de cœlo descendit. Panis igitur detur famelicis, de quibus dicitur: *Et famelici saturati sunt*. Medicus subueniat infirmis, qui aliter sanari nō possunt. *Euntes autem discite, quia misericordiam volo, & non sacrificium*. Hoc enim Iosex scriptum est: quod si pharisei intellexissent, nequaquam misericordiæ patrem de misericordia reprehendissent: Quæ sit autem hæc misericordia, subdit, dicens; *Non enim veni vocare iustos, sed peccatores*. Quod enim peccatores vocantur, & saluantur, misericordia est. Quod vero illi reprobantur, qui se iustos esse iniustos arbitrantur iustitia est. Non potuit autem saluari mundus per sacrificium, Saluatus vero est per misericordiam, quia Christi sacrificium misericordia fuit.

IN VIGILIA SANCTI ANDREAE Apostoli.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei*. Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

IN exordio huius Euangelij magna nobis quæstio oritur, dicit enim Euangelista: quia altera iterum die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & respiciens Iesum ambulantem dixit: *ecce agnus Dei*. In Crastinum autem ab hac die voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei; *Sequere me*. Tertia autem die nuptiæ factæ sunt in cana Galilææ. Hæc autem igitur dies nuptiarum, quæ tertia est ab ea, de qua modo diximus, quarta videtur esse ab illa die, in qua Dominus baptizatus est. Lege paulo superius, & diligenter attende, quæ dicuntur. Dicit enim Euangelista: *Quia miserunt Iudæi ab Hierosolimis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, si esset Christus, si esset Helias, si esset Propheta, quibus Beatus Ioannes se non esse respondit*. Altera autem die post hanc responsionem vidit Ioannes Iesum venientem, & ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et tunc quidem baptizauit eum. Altera autem iterum dies, de qua modo in principio huius Euangelij dicitur. *Stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & vidit Iesum venientem, & similiter ait: Ecce agnus Dei*: In Crastinum autem inuenit Philippum, & dicit ei: *Sequere me*. Tertia vero die *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ*. Sed quomodo verum esse potest, vt dies nuptiarum quarta sit a die baptismi, cum alij Euangelistæ dicant: quia statim vt baptizatus est, ductus est in desertum a Spiritu? Si enim a die baptismi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto Dominus ieiunauit, nequaquā fieri potest, vt quarta die ad nuptias inuitatus cum discipulis manducasset. Illud quoque quomodo verum esse potest quod dicitur, quia viso vini miraculo crediderunt in eum discipuli eius, cum Apostoli ibi non essent? Nullum enim, nisi Philippum solum adhuc Dominus vocauerat, cui modo dicit: *Sequere me*. Denique illud quomodo verum est, quod tota Ecclesia verum esse credit, & vna, eademque die hæc tria miracula facta ad nuptias Dominus venerit? Hæc est igitur quæstio, ad cuius solutionem intentos modo vos esse volo. Eadem namque die, qua Magi ad Dominum venerunt, idest tertia decima die, postquam natus est, eadem, in qua iam trigesimo anno incipiente veniens ad Iordanem, baptizatus est, Vnde & Euangelista ait: *Erat autem Iesus incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph*. Ab hac autem die, qua baptizatus est, iam pœne toto anno euoluto, cum tres solummodo adhuc dies restarent venit iterum, vbi erat Iesus. Hæc est autem altera illa dies, de qua modo in principio huius Euangelij audiuimus, quia *altera iterum die stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & vidit Ioannem ambulantem, & ait: Ecce agnus Dei*. Altera autem hoc in loco non ad hesternam refertur, sed pro alia ponitur. Proprie enim de duobus dicitur altera. Ab hac autem altera die tertia veniente nuptiæ factæ sunt in cana Galilææ, quæ videlicet dies nuptiarum anniuersaria ei fuit, in qua in præterito anno Dominus baptizatus fuerat, & ei, in qua Magi cum muneribus ad eum venerant. Sic igitur tria ista miracula vna, eademque die facta sunt, quoniam eadem die, qua Magi venerunt ad Iesum, ipsa eadem iam trigesimo anno incipiente baptizatus est, quo videlicet trigesimo anno euoluto, eadem ipsa die ad nuptias Dominus venit. Dies igitur nuptiarum nō quarta, sed potius anniuersaria est a die baptismi? Constat itaque Dominum, & Saluatorem nostrum ex anno, quo baptizatus est, neque publice prædicasse, neque miracula fecisse, quo completo venit ad nuptias, ibique primum miraculum fecit. Deinde vero eius nominis fama totam subito terram repleuit. Quod autem ait: *Et crediderunt in eum discipuli eius*, non de Apostolis, quos nondū habebat, sed de illis discipulis intelligendum est, qui eo tempore cum illo erant. Habebat autem aliquantos discipulos, sicut & Ioannes, qui eum sequebantur, & audiebant Nunc autem ad Euangelij verba redeamus. Altera, inquit, *die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eū duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum*. Crediderunt enim Magistro loquenti, & Christo domino testimonium perhibenti, & secuti sunt Iesum gaudentes se tandem illum inuenisse, de quo toties Ioannem loquentem audierant. Et relinquentes Ioannem, secuti sunt eum, quem ipsius Ioannis testimonio agnouerunt esse magistrum ipsius quoque Ioannis. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se dicit eis, quid quæritis?* Qui dixerunt ei? *Rabbi vbi habitas?* Quid autem significet Rabbi, Euangelista exposuit dicens: *quod dicitur interpretatum Magister*. Quod enim Dominus ad eos conuertitur, eosque respicit, & cum eis loquitur, clementiæ, & bonæ voluntatis iudicium est. Sciebat enim, quales erant, & quales postea futuri erant, & quo affectu eū Sequebantur. Omnes enim diligit Iesus, qui eum sequuntur. Neminem ad se venientem repellit. Vnde & istis interrogantibus, vbi habitas, respondit, *venite, & videte*. Non dixit in isto, vel in illo loco. Quod si dixisset, potius locum ostenderet, quam eos inuitare videretur. Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud eum manserunt die illo, cunctis diebus mansuri cum illo, *Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant a Ioanne, et secuti sunt eum*. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: *Inuenimus Messiā*. Quid sit autem Messias, ait Euangelista. *Quod est interpretatum Christus*. Expectabant enim Iudæi Messiam, & adhuc quidem expectant, sed frustra. Vnde & Dominus ait. *Ego veni in nomine patris mei, et non recepistis me, alius veniet in nomine suo, et illum recipietis*. Et adduxit eum ad Iesum. Boni fratres, qui sic desiderant videre Iesum. Intuitus autem Iesus eum, dixit: *tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*. Et hoc Euangelista exponit dicens: *quod interpretatur Petrus*. Tu es, inquit, Simon, quod obediens dicitur, quem genuit Ionas idest gratia Dei. Tu vocaberis Cephas, idest Petrus a Petra denominatus, a Christo corroboratus, quod tamen agnoscens interpretatur. Ipse enim præ cæteris Dominum agnoscens ait, *Tu es Christus filius Dei viui*, cui Dominus: *et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, bene respōdens, & bene agnoscens. Non est autem intelligendum, vt Petrum, & Andream tunc temporis elegisset Dominus, quos sicut alij Euangelistæ scribunt de piscatione Christus vocauit. Vnde & hic dicitur: *quia manserunt apud illum, die illo*: Postquam enim eos elegit non vno die, sed omnibus diebus cum eo manserunt. In crastinum autem voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei Iesus, *sequere me*. Erat autem Philippus a Bethsayda ciuitate Andreæ, & Petri. Secundum enim hæc dicta beati Ioannis primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus. Et merito quidem primus vocatur ille, qui os lāpadis interpretatur, quare-

quatenus et ipse, & cæteri post illum intelligant, ad quale officium eligantur. Tale namque os tunc omnes receperũt quando in linguis igneis Spiritus Sanctus super eos descendit. Legimus autem, quando Petrus, & Andreas, Iacobus, & Ioannes, & Matthęus Euangelista vocati sint, de cęteris autem non legimus. Habebat tamen tunc aliquantos discipulos Iesus, cum quibus, vt in sequentibus legitur ad nuptias vocatus est. Sed qui illi fuerint nescimus. Inuenit Philippus Nathanael, & dixit ei, *quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ inuenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth.* Rudis adhuc erat Philippus, prędicare volebat, nec sciebat. Dicit se inuenisse Iesum, de quo & Moyses scripsit, & cęteri prophetæ. Verum quidem dicit, sed quod addit filium Ioseph verum non dicit. Et dicit ei Nathanael. *A Nazareth potest aliquid boni esse?* ac si dicat: bonum quidem aliquid potest esse a Nazareth, sed Christus Iesus nasciturus est in Bethleem. Dicit ei Philippus; *veni, & vide*, veni, inquit, & vide. Loquere cum eo. Audi verba ipsius, vt quis, & qualis sit intelligere valeas. Credidit ei Nathanael, & secutus est eum. Vidit Iesus Nathanael, venientẽ ad se, & ait de eo: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Magnus vir iste Nathanael, cum ipse Dominus tale perhibet testimonium. Magnus vtique ille est, in quo dolus nullus est. Sed quare Israelita vocatur? nisi quia iam Deum videre, & in eum credere incipiebat? Israelita namque videns Deum interpretatur. Et dicit ei Nathanael: *vnde me nosti?* Respondit Iesus, & dixit ei; *priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu vidi te.* Hoc enim quamuis ad litteram intelligatur, vt re vera sub ficu esset Nathanael, quando eum Philippus vocaret, potest tamen altiori sensu intelligi. Primi namque parentes nostri postquam peccauerunt, cognoscentes se esse nudos, consuerunt folia ficus, & facientes sibi perizomata, illas corporis partes operuerunt, in quibus generatio fit, & ex quibus totum genus humanum exiuit. Ibi igitur simul erat cum alijs Nathanael. Et hoc est fortasse, quod ait: *cum esses sub ficu*, idest sub folijs ficus, *vidi te*, vidit Dominus Nathanael etiam tunc, qui omnia cognoscit, & videt antequam fiant. Respondit ei Nathanael, & ait: *Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* Vnde ẽt tam cito Nathanael eum cognoscere potuit, nisi quia spiritus Sanctus, qui vbi vult spirat, eius mẽtẽ illuminauit. Respõdit Iesus, & dixit ei: *quia dixi vidi te sub ficu*, quia, inquit, sub vno prophetiæ verbo diuinitus illuminatus credidisti, & multo maiora videbis ad tuæ fidei corroborationem. Et dicit ei Iesus. *Amen amen dico vobis: videbitis celum apertum, & Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra filium hominis.* Hæc autem manifesta sunt, si ad illum diem referantur, quo in suæ maiestatis sede ad Iudicium Dominus veniet, & omnes Angeli cum eo. Tunc enim cœlum apertum, & Angelos ascendentes, & descendentes Sancti videbunt. Tunc & Nathanael, qui tam facile credidit, maiora videbit, quando in sua maiestate Christus Dominus apparebit.

IN FESTO SANCTI ANDREAE Apostoli.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Ambulans Iesus iuxta mare Galilae vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andręã fratrem eius, mittentes rete in mare.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcop.

NArrat superius Euangelista, quia Dominus, & Saluator noster cum audisset, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta Ciuitate Nazareth, venit, & habitauit Capharnaũ maritima in finibus Zabulõ, & Nephtalim, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam. *Terra Zabulon, et Nephtalim via maris trans Iordanem Galileæ Gentium populus, qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & sedentibus in regione vmbrę mortis lux orta est eis.* Manifestum est igitur, quia non alicuius rei timore secessit Dominus in Galilęam relicta ciuitate sua Nazareth, sed vt Prophetia compleretur, quæ in fines Zabulon, & Nephtalim eum venturum esse prædixerat. Sic enim ait Isaias: *primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtalim.* Sed quare primo tempore? Quia statim in suæ prædicationis initio, & antequam Apostolos elegisset, veniens illuc Petrũ, & Andręam, Iacobum, & Ioannem de piscatione vocauit, & eis, vt post se venirent, imperauit. Sic igitur primo tempore suorum pondere peccatorum, Terra Zabulon, & terra Nephtalim alleuiata est, quæ ideo quidem via maris dicitur, quia portuosa erat, & nauigijs dedita. Vnde & Iacob in benedictionibus ait. *Zabulon in littore maris habitauit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sydonem.* Sed quare in Galilæam secessisse dicitur, cum Lucas Euangelista Nazareth in Galilæa esse ostendit, dicens: *Missus est Gabriel Angelus a Deo in ciuitatem Galilaa, qua vocatur Nazareth.* In hoc quoque Euangelio superius legitur, quod Ioseph admonitus in somnis venit in partes Galilęæ, & habitauit in ciuitate Nazareth. Per quod datur intelligi, quod Nazareth nõ in plena prouincia Galilææ, sed in extremis finibus sita sit. Secessit igitur in Galilæam idest in ipsius prouinciæ plenitudinem. Gentium tamen illarum populus, qui sibi in tenebris sedebat, & veritatis notitiam non habebat, quia legem spiritualiter non intelligebat, tunc vidit lucem magnam, vere vnque magnam. Ipse est lux, quæ *illuminat hominem venientem in hunc mundum*, quam qui sequitur, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et sedentibus in regione vmbrę mortis lux orta est eis.* Illi enim sub vmbra mortis sedent, qui vitæ arborem ignorant. Mala vmbra, quæ sic refrigerat, vt occidat, sic obscurat, vt penitus lumen tollat. His igitur nisi lux ista illuxisset, vita pariter, & lumine caruissent. Quoniam & vmbra lumen eis tollebat, & mors vitam eis auferebat. Venit igitur lux, venit dominus Iesus, qui simul eos, & illuminauit, & sanabit. Vnde & subditur: *Exinde cœpit Iesus prædicare, & dicere: pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum.* His enim verbis Saluator noster suos auditores & illuminat, & sanat. Christi enim prædicatio, & lumen, & vita est. Sed vbi est necessarium accedere lumen, nisi in tenebris? Quibus est necessarium dare medicinam, nisi infirmis? At vero anima, quæ in peccatis est, & infirma, & sine lumine est. Hinc igitur pęnitentia datur, cuius medicamine sanatur, & illuminatur. Sic igitur *populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam. Et sedentibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis, & vita, & sanitas data est.* Fugerunt tenebræ, veniente luce, & mors ipsa periit, veniente vita. Christus enim Iesus, & vita, & lux est. Bene autem a pœnitentia prædicare Dominus inchoat, qui mentes hominum infirmas, & errorum nebulis excęcatas hoc vno, & singulari medicamine sanare, & illuminare venerat. Idipsum enim prædicationis exordium Ioannes quoque Baptista suscepit. Nisi enim hæc medicina præcesserit, nullum aliud remedium est, quod infirmis mentibus valeat subuenire. Nam & si paruuli pęnitere nesciant, fideles tamen, & pęnitentia eos offerentium pro eis suscipitur. *Ambulans autem iuxta mare Galilęæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, erant enim piscatores, & ait illis, venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi relictis retibus, secuti sunt eum.* Ecce primos suos discipulos de mari Dominus vocat, quoniam multos alios per eos de huius mũdi fructuosa amaritudine ad fidẽ vocare disposuerat, vt quia a Domino vocantur, ipsi quoque periclitantium animas de huius mundi naufragio, & de vitiorum insurgentibus procellis liberare discant. Et sicut ipsi secundum carnem fratres erant, ita & ceteros fide, & dilectione fratres esse doceant. Omnes enim fratres sumus, qui ex vna matre Ecclesia geniti, & vnius patris filij sumus. Vnde & simul omnes dicimus *pater noster, qui es in cęlis.* Qui enim communis est pater omnium communiter inuocatur ab omnibus. Vocat autem Dominus piscatores, quoniam tales ei necessarij erant, qui

aquis

aquis assueti,& piscandi, & baptizandi essent periti. Ideoq. non artem mutare eis præcipit, sed longe melioris piscationis, & alterius generis piscium eos piscatores fore promittit dicens: *Venite post me,& faciam vos fieri piscatores hominum.* Nisi enim homines pisces essent, piscatores hominum Apostoli fieri non possent. Tales enim pisces digni sunt conuiuio Dei. Tales pisces in Baptismatis fluuio natant. Tales pisces hamo fidei,& Sanctæ prædicationis retibus capiuntur. De mari igitur in mare transferuntur,quoniam de mari Galilçæ in hoc mare magnum, & spatiosum mittuntur, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus,animalia pusilla,& magna, per quæ omnia genera hominum intelligi possunt. Sed quid est dicere,*venite post me?* Post Christum namque ire est eius vestigia sequi, eius opera imitari, eiusq.patientiam, & humilitatem tenere. Neque enim sufficit nobis pedibus tantum ire post Iesum,nisi & mente,& dilectione eum sequantur. Opere pretium autem est,considerare,quanta fuerit horum beatorum fratrum obedientia, qui statim relictis retibus secuti sunt eum. Vnde non immerito Simon obediens, Andreas vero respondens, vel decorus interpretatur. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebidæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia,& vocauit eos. Illi autem statim relictis retib. & patre secuti sunt eum.* Non minor autem in his, quam in illis obedientia inuenitur,qui ad vnius iussionis vocem non solum retia,sed & patrem relinquentes,Christum Dominum secuti sunt. Et isti quidem sicut & illi non solum piscatores, verum etiam fratres erant. O felix militia,quæ ex fratribus colligitur, quibus omnibus est cor vnum,& anima vna, de quibus etiam per Prophetam dictum fuerat: *Ecce quam bonum,& quam iucundum,habitare fratres in vnum?* Quid autem est retia reficere, nisi sanctarum scripturarum sententias hæreticorum violentia conscissas,& deprauatas sana intelligentia exponere, & restaurare? Hæc enim quatuor Euangelia,quasi quatuor piscandi retia sunt. Similiter autẽ & quinque libri Moysis, omnesque prophetarum libri. Denique tot sunt retia, quot & volumina. His enim retibus Christiani capiuntur. His omnes fideles in Ecclesia colliguntur. Ite, inquit, Dominus, *in vniuersum mundum,prędicate Euangelium omni creaturæ,qui crediderit,& baptizatus fuerit saluus erit.* Vides igitur piscatores, quibus dicitur: *Ite in vniuersum mundum.* Vides,& retia, idest Euangelium omni creaturę. Vides & flumina, in quibus pisces capiuntur, idest Baptismum. Vides & ipsos pisces, eos videlicet, qui baptizantur, & credunt.

IN NATALI APOSTOLORVM.

Homilia Prima.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DEcem quidem sunt mãdata legis, quorum primum illud est, quo dicitur: *non habebis Deum alienum absque me.* Secundum autem *non habebis simulacrum in domo tua.* Tertium vero, *non accipies nomen Domini Dei tui in vanum.* Quartum autem *cole diem Sabbatorum.* At vero quartum *honora patrem tuum,& matrem.* Alia vero, quæ sequuntur, hæc sunt. *Non occides. Non męchaberis. Non furtum facies. Non falsum testimonium dices. Non concupisces rem proximi tui.* In his autem omnia legis,& prophetarum præcepta continentur. Quare autem decem sint mandata legis, quare decem cortinæ tabernaculi,quare decem virgines in euãgelio, quare decem quoque talenta,quare decem plagis flagellatur Ægyptus, quare decem diebus Sancti tribulationem patiuntur eadem ratio, eademque significatio est. Cũ igitur decem sint præcepta legis, quid est, quod in hoc loco Dominus ait: *hoc est pręceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos,* nisi quia omnia in decem, & decem in hoc vno præcepto concluduntur. Vnde & Apostolus ait, *quia plenitudo legis est dilectio.* Dilectio vtique,qua & Deum,& proximum diligamus *In his enim duobus pręceptis tota lex pẽdet,& Prophetę.* Sed hæc quoque ideo vnum sunt,quia quicumque diligit Deum diligit,& proximum secundum illud. *qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Dominum, quem non videt quomodo potest diligere?* Et hoc mãdatum habemus a Deo, vt qui diligit Deum,diligat & fratrem suum. Similiter autem, qui proximum diligit,& Deum diligit, si tamen vera dilectione eum diligat. Non est vera dilectio quæ temporales vtilitates attendit, & non ad æternæ beatitudinis gloriam tendit. Si enim pro talibus vtilitatibus diligas fratrem tuum,sic diligis eum, sicut equum tuum, & asinum tuum. In his enim simul cum ipsis vtilitatibus deficit amor. *At vero Charitas numquam deficit.* Vnde scriptum est. *Aquę multę non potuerunt extinguere Charitatem, nec flumina obruunt eam, quia fortior est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio,* de qua æmulatione Apostolus ait; *Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Vera igitur dilectione proximum diligit, qui non carnis affectione,nec terreno commodo eum diligit,sed propter Deum,& præcepta Dei,talem enim dilectionem se habere ipse Dominus ostendebat, cum diceret *quæ est mater mea,& qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem patris mei.* Apparet igitur,quod quicumque diligit proximum, diligat & Deum, si quidem proximum diligit propter Deum. Similiter autem, & qui Deum diligit, proximum diligit, quoniam qui Deum diligit, præceptum eius custodit. Et hoc est præceptum eius,vt nos inuicem diligamus,sicut ipse dilexit nos. Qui modo ipse dilexit nos? Plena, & perfecta dilectione. *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quasi pro amicis suis.* Hanc autem dilectionem erga nos habuit Iesus. Hanc igitur & nos habeamus. *Vos amici mei estis,si tamen feceritis,quæ ego præcipio vobis.* Non sunt igitur eius amici, qui eius præcepta non custodiunt. *Iam non dicam vos seruos,sed amicos meos.* Quare? *Quia seruus nescit quid faciat dominus eius.* Quid igitur? *Vos autem dixi amicos,* Et hoc quare? *Quia omnia quæcumque audiui a Patre meo, nota feci vobis.* Merito eis mutat nomina, quibus mutat officia, non quia serui esse desierint, sed quod magis familiares esse cœperunt. Iam non solum ad laborem mittuntur, vt serui, sed ad secreta consilia vocantur, vt amici. Quid tamen sibi vult, quod Dominus ait. *Iam non dicam vos seruos,* cum vnicuique suorum fidelium in fine dicturus sit. *Euge bone serue?* Quamdam mihi inter bonum, & malum seruum differentiam facere videtur. Seruus enim non ideo, quia seruus est,sed quia amicus est,& fidelis ad domini sui secreta, & consilia vocatur. Serui namque nomen opprobrij est, amici vero honoris, & dignitatis. Possumus igitur intelligere,quod Dominus,& Saluator noster fideles suos non increpando, vel improperando,sed blandiendo, & congaudendo seruos dicat, si quando seruos eos dicat. Multa de bono,& malo seruo loquitur Moyses,multa de seruo hebręo, qui post multum laborem Deum dereliquit. Multa de illo bono seruo,qui quoniam Deum derelinquere noluit, aures ad audiendum habet perforatas. Bonus ille seruus Abrahæ, qui duxit vxorem domino suo Isaac. Beatus seruus Daniel, qui ait: *ego seruus tuus,& filius ancillę tuæ.* De malo seruo quid dicitur. *Serue male,& piger,quare non dedisti pecuniam meã ad mensam?* Itemque *serue nequam omne debitum dimisi tibi,quoniam rogasti me.* Tales autem serui non sunt amici. Et ideo tales serui non dicuntur, quia Dei sunt serui. Sequitur: *quæcumque audiui a patre meo,nota feci vobis.* Omnia enim, quæ audiuit a patre nota fecit eis, illo tamen tempore notificanda eis,& necessaria eis. Vnde & in sequentibus ait. *Adhuc multa habeo vobis dicere,sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Sic enim multa determinanda sunt, quę vniuersaliter dici viderentur, quale est illud, *Cum exal-*

tatus

tatus fuero a terris, omnia traham ad me ipsum. Itemque. *prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et Apostolus de Charitate: *Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; & multa alia his similia. Nam & id quod modo diximus, *docebit vos omnem veritatem*. Similiter determinandum est, alioquin verum non esset, quod Apostolus ait: *nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Nemo enim in hac vita cognoscit omnem veritatem. Dicat ergo Iesus discipulis suis: *quæcumque audiui a patre meo nota feci vobis*. Hoc tempore subaudiunt necessaria vobis, & reuelanda vobis. Non enim sunt modo omnia dicenda vobis, quia *non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Quid est igitur, quod in canticis canticorum Ecclesia dicit. *dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. si ipsi eum non elegerunt. Quid est quod Psalmista ait; *Et cum electo electus eris*? Elegit igitur Dominus discipulos suos, elegerunt, & discipuli Dominum. Sed ipse prius elegit eos, & ipsi postea elegerunt eum, quod illi vtique non fecissent, nisi ipse prius elegisset. Et ipse quidem elegit eos, vt eius discipuli essent, ipsi vero elegerunt eum, vt eorum Dominus esset. Ego, inquit, *elegi vos*, Ad quid? *Vt eatis in vniuersum mundum, & prædicetis euangelium omni creaturæ, & fructum afferatis*. Iste fructus omnium fidelium multitudo intelligitur, de quo bene subditur: *& fructus vester maneat*. Hoc est enim, quod alibi ait; *qui credit in me non morietur in æternũ. Et quodcumque petieritis patrem, in nomine meo dabit vobis*. Sic tamen si talia petieritis, quæ sint necessaria, & vtilia vobis, quæ dispositioni non sint contraria, vestræque saluti inimica. Quod Dominus promisit futurum, nos videmus esse completum. Scimus enim Apostolos in nomine Iesu Christi cæcos illuminasse, paraliticos curasse, leprosos mundasse, mortuos suscitasse, & alia omnia suscepisse, pro quibus patrem deprecati sunt in nomine filij. Apostolus tamen dicit: *ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, vt me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet a me, & dixit mihi sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Ac si diceret: aduersum te rogas, tibi contraria postulas, virtutis lorica expoliari petis. Et mox Apostolus cognita ratione lætus valde, quod exauditus non fuerat, ait: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*. Bene igitur exauditus est, qui inde lætatur, quod exauditus non est.

ITEM IN NATALI APOSTOLORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. Hoc mando vobis, vt diligatis inuicem*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

MAgna est virtus Charitatis, quę toties discipulis a Domino commendatur. Qui hoc vnum mandatum custodit, legem, & prophetas adimplet. De hoc enim per Prophetam dicitur: *quia uerbum abbreuiatum faciet Deus super terram. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Nolite, inquit, mirari, si mundus vos odit, nolite mirari si mundi amatores vos persequuntur, & perdere nituntur, sed potius scitote, & memores estote, quia me priorem vobis, quia me omnium hominum maiorem, & dominum nõ solum odio habuerunt, verum etiam occiderunt. *Si de mundo fuisseris, mundus, quod suum erat, diligeret*. Quomodo enim de mundo non sunt, qui de hominibus nati sunt, & de terra facti sunt? Fuerunt vtique de mundo, sed iam tunc non erant de mundo, quia nullum amorem habebant in gloria, & volupatibus mundi. Vnde & subditur: *quia vere de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus*. Non enim dixit, quia de mundo non fuistis, sed potius quia de mundo non estis, quoniam et si tunc de mundi huius amatoribus nõ erant, de mundo tamen assumpsit, & electi erant. Et ideo mundus, id est mundi amatores eos non diligebant. Vnde & de Saluatore nostro dicebant, *Venite interficiamus iustum, quoniam contrarius est operibus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi uobis. Non est seruus maior Domino suo*, hoc autẽ ad quid dixerit, audiamus. Si me, inquit, *persecuti sunt, & uos persequentur, si sermonẽ meũ seruauerũt, & vestrũ seruabũt. Nec in vobis fieri dubitetis, quæ in me fieri uidetis. Sed hæc omnia facient uobis, non propter uos, sed propter nomen meum, quod prædicatur a nobis*. Et hoc ideo, *quia nesciunt eum, qui misit me, si enim scirent patrem, scirent & filium cuius est pater*. Sed quare nesciunt? Quia scire nolunt. Scire autem credere est. Venit ad eos, locutus est eis, scripturas aperuit, veritatem reuelauit, signa multa, & inaudita miracula fecit, ei tamen credere noluerunt. Nulla igitur eis est excusatio. Et hoc est, quod ait: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Quid est hoc? Si non venisset peccatum non haberent. Ergo non habebant Iudæi peccata, priusquam veniret ille, qui venit tollere peccata? Habebant quidem peccata, hoc tamen peccatum non habuissent, si Christus non venisset. Non enim de omni peccato debet intelligi, sed de peccato infidelitatis, quod Christo credere noluerunt, quod eum oderunt, & occiderunt. Vnde & subditur: *qui me odit, & patrem meum odit*. Non parum igitur, & leue videatur eis, quod me oderunt, quia simul mecum, & patrem oderunt. *Ego enim, & pater vnum sumus. Si opera nõ fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Hoc enim solum Iudæis sufficere debuit, quod & Dei filium se esse dicebat, & tanta miracula faciebat, quæ vnq. facere nõ posset, si mentiretur. *Nunc autem & viderunt, & oderunt, & me, et patrem meum, Sed hoc totum factum est, vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis*. Sed dicit aliquis, quid igitur ad eos, si ideo hoc Iudæi fecerunt, vt sermo legis adimpleretur: Multum quidem. Et eorum iniquitas fuit causa, vt hoc de eis propheta prędiceret. Quod si ille non prædixisset, tamen nihilominus euenisset. Quamuis igitur quod ille prædixit non euenire non potuit, non tamen propheticus sermo, sed eorum iniquitas huius tãti mali causa fuit. Considerate modo fratres mei, quanta deuotione sanctos Apostolos honorare debeamus, quos ipse Dominus iam non seruos, sed amicos vocat, de quibus ipse ait; *quia non sunt de hoc mundo electi*, mundum vicerunt cum principe mundi, quibus ipse testimonium perhibet dicens. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mũdi. Vobis est datum nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis*. Isti sunt illi fontes duodecim, quorum affluentia omnis terra satiatur. Venit, inquit Moyses, *populus in Helim, ubi erant duodecim fontes aquarum*. O quantus fons iste est, qui hæc scripsit Beatus Ioannes euangelista. Isti sunt duodecim horæ diei, & duodecim portæ cœlestis Hierusalem. De quibus dicitur: *ab Oriẽte porta tres, ab Occidente porta tres, a Meridie porta tres, & ab Aquilone porta tres*. De quibus propheta ait, *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob* Et re vera magis diligit Dominus solas Ecclesiæ portas, quam omnia ædificia Synagogæ. Isti sunt lapides viui, qui voluuntur super terrã Qui positi in rationali summi pontificis etiam sine voce docent, & prædicant. Prædicant enim non clamando, sed significando. Nos semper in pectore habere debemus, quibus corda nostra instruantur, & muniantur. Ad hos totus populus respiciat, & quid significant, diligenter inquirat. Isti sunt fundamentum, turres, & columnæ Ecclesiæ: Isti montes, qui exultauerunt vt arietes, isti Cedri Libani, isti ceruí, qui venenum non timent & serpentes interficiunt. Isti Galli in nocte cantantes, & leones frementes, qui succincti renibus, & fortissimi bestiarum ad nullius timebunt occursum Sed quid dicam? Isti sunt illi cœli, qui enarrant gloriam Dei.

ITEM IN NATALI APOSTOLORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis, Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DIxerat superius in hoc Euangelio Dominus, & Saluator noster discipulis suis: *Euntes prędicate dicentes; quia appropinquabit regnum cælorum, gratis accepistis, gratis date, & nolite portare sacculum, neque peram.* Nolens autem eos vagos, & instabiles esse ait: *In quamcumque ciuitatem, aut domum intraueritis, illic manete, donec exeatis inde, comedentes, & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua.* Postea vero dixit. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Ego, inquit Dominus, & magister vester, ego Deus, & omnipotens, Ego, cui nemo resistere valet, Ego, inquam, mitto vos, sicut oues in medio luporum. Scitis, & bene scitis vtriusque naturam. Ad patiendum itis, patientiam, & innocẽtiam custodite, non vos defendatis, quia oues estis. Sæuiant illi, quia, lupi sunt. *Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* De serpente namque dicit Moyses, quia callidior erat cunctis animantibus terræ. Serpentes autem maligni Spiritus, & iniqui homines vocantur, quoniam & venenosi sunt, & recto itinere non incedunt. Sicut igitur illi prudentes sunt in malo, sic & vos dicit Dominus, estote prudentes, estote in bono. Videte ne vos seducant astutia sua, *quia filij huius sæculi prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua.* Prudentes igitur estote, sed ita prudentes, vt simplicitatem non amittatis. Scitis autem simplices, sicut columbę. Simplex, inquit, sine fraude, sine veneno, sine dolo, sine felle, omnique amaritudine sit prudentia vestra. *Cauete autem ab hominibus, tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad reges, & præsides ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus.* Cauete, inquit, vobis ab hominibus, ibi prudẽtia necessaria erit, ne vos decipiant, ne vos seducant, ne vos minis, & flagellis, ne vos blanditijs, & persuasionibus a veritate deuiare faciant. Multis enim modis vos tentabunt, multos argumentis, multisque insidijs vos decipere conabuntur. Tradent enim vos, flagellabunt vos, ad reges, & præsides ducent vos. Hoc autem propter me, quatenus & illis, & cunctis gentibus testimonium detis de me. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquimini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quid enim loquerentur idiotæ, & piscatores? Quid loquerentur rustici, & illitterati? Quid loqueretur os mutum, & mandibula asini? Scriptum tamen est, *quia sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas.* Hos autem significauit Sanson ille fortissimus, qui mille viros, & amplius cum sola asini mãdibula interfecit. Sæpe enim equos inhientes, & aues canentes, & aliorum animalium voces audimus. Nulla vox minus delectat, quam vox asinina. Tales ergo prius erant Apostolorum voces, tales illorum mandibulæ, & ora, de quibus Apostolus ait: *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt perdat sapientia. Et infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ea, quę non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret.* Sic igitur, & noster Sanson, fortior vtique quam ille Sanson cum mandibula asini idest per stultos, & illiteratos, per ora prius muta, & indisciplinata suos hostes vicit, & mundi sapiẽtiam destruxit. Ipse est enim Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Non igitur Apostoli loquebantur, sed spiritus Sanctus in eis. Ipsi enim erant, quasi canalia, per quæ aqua decurreret, ipsi quasi tubæ, per quas voces sonarent. Ipsi quasi Psalterij cordæ, quę sapienter tactæ, aures delectarent. Vnde ipsis quoque Dominus ait; *Quia sine me nihil potestis facere.* Nec illud quidem vacat à mysterio, quod de mandibula asini fons aquæ profluxit, quo Sanson ille fortissimus sitim extinxit. Magna namque sapientia flumina ex Apostolorũ ore manarunt, quibus in seruis suis Dominus satiatur. Ipse enim satiatur in nobis. Ipse potatur, & cibatur in nobis. Hoc enim ipse ait: *Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere. Quod enim vni ex minimis meis fecistis, & mihi fecistis.* Cum igitur ab iniquis sancti Apostoli traherentur ad consilia, quia non ipsi loquebantur, sed spiritus Sanctus in eis, securi ibant, quocumque ducebantur ab eis. Securus enim ad prælium vadit, qui talibus armis, & sub tali principe pugnat. Securus & ille ad concilium pergit, qui tali prolocutore causam suam defendit. Cum enim Sanctorum triumphos legimus, sæpe philosophos, & sapientes a puellis, & hominibus illitteratis, superatos fuisse audimus. Hęc autem quis faciebat, nisi spiritus Sanctus, qui loquebatur in eis? *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos, & eritis odio omnibus propter nomen meum.* Hæc autem Prophetia, quia iam completa est, expositione non indiget. Ipsa enim eius adimpletio, expositio fuit. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Omnis enim homo in eo iudicatur, in quo inuenitur. Quacumque hora conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. Sed forte expectas, vt conuertaris in vltima hora. Audi quod Dominus dicat? *vigilate quia nescitis diem neque horam.* Illi igitur, qui vltimam horam sic expectant, falli non possunt. Numquam enim nisi in bono iudicantur, qui semper in bono inueniuntur.

ITEM DE APOSTOLIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

NArrat superius Euangelista iuuenem quemdam accessisse ad Iesum, & dixisse ei. *Magister bone quid faciam, vt habeam vitam æternam?* Cui Dominus ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non occides. Non mœchaberis. Nõ furtum facies. Non falsum testimonium dices. Honora patrẽ, & matrem, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Dicit illi adolescens: *Omnia hęc custodiui a iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?* Et Dominus ad eum. *Si vis,* inquit, *perfectus esse, vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me.* Ille autem tristis abijt quia multas habebat possessiones. Si enim, vt Apostolus ait, *plenitudo legis est dilectio.* Aut iste non bene intellexit. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, aut si intellexit, non bene respondit: *hæc omnia custodiui a iuuentute mea.* Quid enim ei deesse potest, qui totam legem custodit? Putabat igitur iste, sicut videtur proximum suum se bene diligere, quia eum non occidebat, quia bona sua ei non auferebat, aliasque iniurias ei non faciebat, ideoque qualiter hoc intelligere debeat, Dominus subinferens ait: *si vis perfectus esse, vade vende omnia, quę habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni sequere me.* Hæc est mensura perfectionis. Ille impleget legem, qui ista custodit, nec in Dei dilectione peccat, qui Christum sequitur, nec in dilectione proximi, qui indigentibus omnia largitur. Non desperet tamen cui ad hanc perfectionem venire non datur. Multi enim Saluantur, qui neque omnia relinquunt, neque omnia pauperibus tribuũt, ad culmen tamen perfectionis non perueniunt. Zacchæus enim non omnia, sed dimidium bonorum suorum, se daturum promisit dicens: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Confestim autem audire meruit, quod esset filius Abrahæ Sequitur: *Cum audisset autem adolescens verbũ, abijt tristis. Erat enim habens multas possessiones.* Ecce qualis

etat

erat adolescens ostenditur. Bonus erat, quia alijs non nocebat, sed non erat bonus, quia alijs non subueniebat. Nec sua largiri, nec aliena rapere nouerat. Loquebatur cum Deo, qui veras diuitias eis ostendebat, magis tamen in terrena possessione, quam in cęlestis thesauri promissione spem habebat. De talibus enim Apostolus ait: *pręcipe diuitibus huius sęculi non sperare in incerto diuitiarum*: Aliud est enim diuitem esse, aliud in diuitijs spem habere. Qui enim in diuitijs spem suam ponunt, valde difficile saluari possunt. Vnde & Dominus subinferens ait. *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum*, Et iterum dico vobis: *facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitē intrare in regnū cęlorū*. Prius difficile, deinde impossibile dixit: impossibile est enim, vt diuites in diuitijs spē habētes, intrēt in regnum cęlorum. De illis enim hoc intelligitur. Sic enim Marcus Euangelista Dominus dixisse narrat. *Filioli quā difficile est, confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire*. Sed quid per camelum, cuius vnicum, & singulare officium est onera portare, nisi eos intelligamus, qui peccatorum pondere prægrauantur? Quibus de Psalmista commemorans ait: *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grauatæ sunt super me*, *De diuitibus autem quid dicit? Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem sibi, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua*. Facilius est igitur camelum, idest aliquem valde peccatorem transire per foramen acus, idest per arctam viam, & angustam, quæ ducit ad vitam, quam huiusmodi diuitem intrare in regnum cœlorum. Quoniam ille facilius a peccatis, quā iste a diuitiarum spe separari potest. *Auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes: quis ergo poterit saluus esse?* Hæc enim discipuli non dixissent, si de quo diuite Dominus loquebatur, intellexissent. Aspiciens autem Iesus dixit illis: *apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Quod enim ait apud homines, hoc est secundum humanum intellectum. Quod vero ait apud Deum hoc est secundum spiritualem intellectum, & diuinum. Non est enim impossibile Deo qualemcumque diuitem ad suæ voluntatis viam conuertere. Quamuis valde difficile sit, vt pauper esse velit, qui semper diues fuerat. Si igitur ad literam intelligatur, sicut homines intelligunt, impossibile est, vt per foramen acus transeat camelus. Si vero spiritualiter, sicut modo exposuimus; & sicut Dominus ipse intelligebat, impossibile non est per arctam, & angustam viam peccatorem intrare in regnum cœlorum. Tunc respōdens Petrus dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Ille, inquit, diues, de quo superius locutus es, neq. omnia dimittere, neque sequi te voluit, cui etiam quid responderis audiuimus. De nobis autem quid dicis, qui omnia reliquimus, & te secuti sumus? Omnia enim Petrus reliquerat, quia non solum ea reliquerat, quæ habebat, sed ea quoque, quæ habere poterat, vt vlterius in hoc mundo nihil proprium possideret, nihilque possidere desideraret. Vnde Ioannes Apostolus admonet, dicens: *Nolite diligere mūdum, neque ea, quę in mundo sunt*. Et maius quidem est habēdi voluntatem, quam ipsum habere derelinquere Iesus autem dixit illis: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel*. Duo Petrus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit. Non enim dixit *vos qui reliquistis omnia*. Sed quid dixit? *Vos, qui secuti estis me*. Omnia enim derelinquit, qui perfecte sequitur Iesum. Sufficiens ergo fuit alterum dicere, quia vtraque in vno continebantur. Vos, inquit, qui secuti estis me, qui mecum per eamdem viam inceditis, qui ad cœlestia festinatis, qui terrena cuncta despicitis, qui iustitiam & veritatem, pacem, & misericordiam diligitis. *Vos sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. Sedebunt vtique Apostoli super sedes duodecim, sedebunt, & alij super sedes suas, qui eorum exemplo vixerūt, & Christum dominum sunt secuti. Plures enim sunt ibi sedes, quam duodecim, pluresque iudices ibi erunt. Non solum enim Episcopi, & Sacerdotes ibi iudicabunt, verum etiam, vt superius dicitur? *Regina Austri, & Niniuitę resurgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*. Sed quę sunt istę sedes, super quas isti iudices sedent? Istæ enim sedes singulę Ecclesiæ sunt. Vnde & Episcopis Ecclesias, quibus præsunt, sedes suas vocare consueuerunt. Sedebit igitur vnusquisque in sede sua, quoniam vnusquisque in populo, quem rexit, & prædicauit, maior, & sublimior apparebit. Sedebit autem & Dominus in sede maiestatis suæ, quoniam excelsus super omnes gentes Dominus, cunctis & Angelis, & hominibus præsidebit. Iudicabit igitur Dominus, iudicabunt & Apostoli, iudicabunt insuper Episcopi, & Sacerdotes Omnes præterea ibi iudicabunt, quorum exemplo cœteri damnabuntur. *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut Sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam ęternam possidebit*. Alij autem Euangelistę dicunt: *centuplum accipiet in hac vita, & post hanc vitam, vitam ęternam*. Quibus & Marcus addit, *cum persecutionibus in hac vita suscipiunt sancti*. Quia quicumque Deum diligunt, eiusque voluntatem faciunt, Sanctorum fratres, & sorores, patres, & matres, amici, & propinqui fiunt. Sic enim de seipso Dominus ait: *quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est*. Fratres autem, & sorores, patres, & matres, vxores, & filij, isti dicuntur non natura, sed officio, & affectione. Quos enim multum diligimus, his nominibus vocare solemus.

ITEM DE APOSTOLIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

BEatus lucas Euangelista sic ait, *quia designauit Dominus & alios discipulos septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo ipse erat venturus. Et ait illis: messis quidem multa, operarij autem pauci*. Duodecim filios habuit Iacob, septuaginta vero & duos viros de senioribus Israel iubente Domino elegit Moyses, quorum consilio, & auxilio tanti populi onus facilius ferre potuisset. Sic igitur Dominus, & Saluator noster, qui per hos duos Patriarchas significabatur, & duodecim Apostolos elegit, & septuaginta duos discipulos designauit. Et Apostolorum quidem vicem modo tenent Episcopi. Aliorum vero discipulorum officium gerunt presbyteri. Binos autē misit eos Dominus ad prædicandum, quia duo sunt præcepta Charitatis. Insuper etiam scriptum est: *Veh soli, quia cum ceciderit, non est, qui subleuet eum*. Duo sunt præterea testamenta, quæ semper simul pergunt, simul & docent, & prædicant, quæ si nostri pectoris ciuitatem intrauerint, Domino venienti mansionem, & hospitium parant, sicut & illi discipuli tunc temporis faciebant. Miseri Iudæi, ad quorum ciuitates non duo discipuli, idest non duo testamenta; sed vnū solummodo venit, & ideo quid dicat, non intelligunt. Hoc enim significabant illi duo Cherubin, qui positi super arcam testamenti se mutuo respiciebant versis vultibus in propitiatorium. Cherubin namque scientię plenitudo interpretatur. Sed vbi, quæso, tanta scientia, quanta in vtroque testamento? Quod autem duo Cherubin mutuo se respiciunt, amborum testamentorum amicitiam, & concordiam significat. Idem enim testantur ambo, idem dicunt, & prædicant ambo. Habebant autem vultus versos in propitiatorium, quo tegitur arca, quatenus ab omnibus videantur, & cognoscantur, nullusq. in arca, idest in Ecclesia, & sanctorum congregatione sit, qui eorum faciem extraneam, & incognitam habeat. Hoc autem illi audiant, qui sacras scripturas meditari negligunt. Vt enim de alijs taceamus, ipsi quoque Episcopi Cherubin istos aliquando nō cognoscunt. Et quamuis ad eos, vt cognoscātur,

vultus

vulnis contemnatur ipsi tamen eos videre despiciũt. Nõ pergãt igitur sine se, qui tantum diligunt se, simul eãt, simul prædicent, simul castellis, & ciuitatibus Christum venientem annũcient. Sequitur. *Messis quidem multa, operarij autem pauci; Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*. Tantus est ager, quantus & mundus. Multa igitur est messis, quia multi sunt homines. Pauci sunt operarij, quia pauci sunt prædicatores. Multi enim prædicandi officium habent, qui tamen prędicandi laborem habere contemnunt, neque attendunt Apostolum dicentem: *Si non Euangelizauero veh mihi erit*. De quibus propheta ait: *canes multi non valentes latrare*. Vult autem Dominus rogari, vt mittat operarios in messem suam, quatenus fideles sui non solum de operatione, verum etiam de affectu, & voluntate remunerentur. *Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*. Non mirum si reges, & principes, Tyrannos, & potentes Christi discipuli vincere potuerunt, qui super ipsos malignos spiritus, eorum videlicet imperatores, & dominos potestatem susceperunt. Et modo quidem Episcopi, & Sacerdotes hoc agunt in animabus, quod tunc Apostoli in corporibus operabantur. Nam & spiritus immundos eijciunt, & hominum mentes ab omni ægritudine curant, & animas iam defunctas ad vitam resuscitant. Cur enim Dominum, & discipuli eius corpora sanabant subito moritura, nisi vt per hoc sanaretur anima in æternum victura? Neque enim credidissent, nisi signa, & prodigia vidissent. Hoc enim ipse Dominus ait: *nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*. Si vero non credidissent, ad salutem animæ peruenire non potuissent. Maius est igitur animam sanare, quam corpus, quoniam maius est, quam illud, per quod aliud fit. Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius. Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius. Philippus, & Bartholomeus. Thomas, & Matthæus publicanus. Iacobus Alphæi, & Thadęus. Simon Cananęus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Isti sunt illi duodecim lapides pretiosi, de quibus toties locuti sumus, quos in rationali pontificis Moyses ponere iussit, si quidem Iudę proditoris locum Matthias suscepit. Hos duodecim misit Iesus pręcipiens eis, dicens; *in vias gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel*, quia per se, & sua corporis præsentia iudæis prædicare venerat, Gentilib. verò per Apostolos & doctores. Vnde & discipulis suis, quibus modo in vias gẽtium ire, & in ciuitates Samaritanorum introire interdicit, postea pręcipit dicens. *Ite in vniuersum mundum prædicate euangelium omni creaturæ*. Prius igitur Iudæos, deinde Gentiles vocare voluit. Samaritani autem secuti Ieroboam idola coluerunt. Vnde hic non immerito gentibus aggregantur. *Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum*. Tollatur igitur regnum cælorum, destruatur, & pereat regnum dęmoniorum, quia iam in terris ædificatur regnum Sanctorum, quia iam nobiscum, & inter nos habitat rex Angelorum. Huius sermonis hæc erit probatio. *Infirmos curate, mortuos suscitate, dęmones eijcite, gratis accepistis, gratis date*. Hæc enim non humana sunt, sed diuina, non terrena sunt, sed cælestia. Quis itaque cælorum regnum, cęlorumque regem, & dominum adesse dubitet, cũ in nomine Iesu infirmitas fugiat, mors pereat, vita, & sanitas redeat, lepra recedat, & maligni spiritus, qui hominib. dominabantur ab hominibus excludantur. *Gratis accepistis gratis date*. Hoc audiant simoniaci. Hoc audiant illi, qui Sancti Spiritus gratias emere, & vendere non timent. Sed dicit Simoniacus: ego gratis non accepi, gratis dare non possũ. Si gratis non accepisti, a Domino non accepisti. Dominus enim nulli dat, nisi gratis. Noli igitur dare neque gratis, neque non gratis. Non enim tibi ista dicuntur. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamẽta, neque virgam. Dignus est enim operarius mercede sua*. His enim verbis omnis cupiditatis, & auaritiæ occasio tollitur, omne superfluum amputatur, & sola necessaria conceduntur. His enim expeditur via, fugit timor, crescit securitas. Vnde non immerito quidam ait: cantabit vacuus coram latrone viator. Sed quare peram, & sacculum ferant, quibus de crastino cogitare non licet? In his enim reponitur, & custoditur, quid in futurum reseruatur. Sed quid reponet, qui nihil sibi reseruat? Neque vero duas tunicas ferant, quatenus expeditius currant, & onere inutili, & superfluo non grauentur. In vna enim tunica tãtũ vestimenti intelligitur, quantum ad frigus arcendum vnicuique sufficere possit. Virga vero, & calceamenta in Marco concedi, in Matthæo, & Luca interdici videntur. Verum tamen, quia dixit; neque duas tunicas ferant, statim calceamenta sub posuit, possumus intelligere, vt neque duas tunicas ferant, neque calceamenta ferant duplicia, siue etiam illa calceamenta non ferantur, quibus cęteri homines vtebantur, sed quoddam aliud calceamentorum genus iter agentibus habile, quo pes non constringitur, & planta salua custoditur. Et hoc quidem Marcus significare videtur dicens, *sed calceatos sandalijs*. Hoc enim non addidisset, nisi aliquam distantiam eos ab alijs in calceamentis habere voluisset. Si quis autem hoc aliter interpretari velit hoc in eo sit, verumtamen Euangelistas nemo putet esse cõtrarios. Et ego quidem non crediderim Dominum calceamenta penitus interdixisse, cum cæteris corporis membris indumenta concesserit, quæ non tantum laboris, vt pedes patiuntur, præsertim cum Apostolus dicat, *calceati pedes in præparatione euangelij pacis*. De virga vero quid dicemus? Dicunt alij *neque virgam*. Dicit Marcus: *nisi virgam*. Hoc autem nisi secundum diuersa tempora distinguatur, solui nõ potest, si tamen de eadem virga intelligatur. Virga enim ad pastores pertinet. Pastores enim Apostoli nondum erãt. Nondum enim Petro dictum fuerat: *pasce oues meas*. Nondum spiritus erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Nondum eis sensum Dominus aperuerat, vt scripturas intelligerent. Nondum igitur erant pastores, quia nondum nouerant pascere oues. Nondum igitur virgam ferebant. Neque enim decebat, vt virgas ferrent, cum adhuc ille pastorum omnium maximus inter eos corporaliter conuersabatur. Virgam igitur, & pastoris officium eo tempore susceperunt, quo eis a Domino dictum est: *Ite in vniuersum mundum, prædicate euangelium omni creaturæ*. Non est igitur inconueniens, quod virgam ferre, & non ferre dicuntur, si quidem hæc secundum diuersa tempora intelliguntur. Quod autem ait, *dignus est operarius mercede sua*. Tale est ac si diceret; nihil, nisi Euangelium ferātis, in eo laborate, de ipso viuite: dignus est enim operarius mercede sua. Vnde Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, non magnũ est, si carnalia vestra metamus*. Itemque; *non alligabis os boui trituranti. In quamcumque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete, donec exeatis*. Ibi, inquit, manete. Vbi? In domo illius, qui dignus est. In hoc enim vagandi licentia tollitur, & de domo in domum transire prohibetur. In vna domo manete, ibi vobis ministret, qui ministrare velit. Intrantes autem in domum, Salutate eam dicentes: *pax huic domui: & siquidem fuerit domus digna veniet pax vestra super eam. Si autem nõ fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur*. Merito enim pacem afferunt, qui Christum prædicant. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Vbi non est pax, & concordia, ibi Christus manere, & habitare non potest. Vnde scriptum est: *& factus est in pace locus eius*. Illa igitur domus est digna pace, quæ digna est, vt in ea habitet Christus. *Si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur*. Quomodo enim ad eos reuertetur, quod ab eis non recessit? Reuertitur quidem, quia maior fit, & quodammodo duplicatur, dum bonum, quod in se sentiunt esse, in alijs quoque esse desiderãt. Vnde fit, vt mercedem suscipiant, non solum de pace, quam habuerunt, verum etiam de illa, quam alijs obtulerunt. Sic igitur pax, quam prædicant, fęta, & duplicata ad eos reuertitur. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris*. Quicumque, inquit, vos non

receperunt:

receperint: vobisq. Charitatis,& misericordiæ viscera aperuerint,neque vestros sermones,& fidem,quam prædicatis, audierint,& crediderint,relinquite illos,separamini ab illis, exite de medio illorum,& excutite puluerem de pedibus vestris vt de illorum infidelitate,& impietate,de illorum sordibus, & immunditia,de illorum iniqua operatione, & terrena cõuersatione nihil vobis adhæreat,vestrosq.pedes,& sancta itinera commaculet. Propter hoc enim dicitur: *qui lotus est, non indiget,nisi vt pedes lauet*. Hoc autem erit illis in testimonium,quoniam iniqui,& reprobi fuerint, & a Sanctorum consortio sint expulsi,*tamquam puluis,quem proijcit ventus a facie terræ. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum,& Gomorræorum in die iudicij, quam illi ciuitati*. Per quod vtique intelligitur,quod illi,qui audita veritate acquiescere noluerunt,grauiori pęnę subijciantur, quam illi, quibus veritas nunciata non fuit.

IN NATALI APOSTOLORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis:qui vos audit, me audit,& qui vos spernit,me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum,qui me misit*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOc autem ideo Dominus,& Saluator noster dicere videtur, quia neque ipsum, neque discipulos eius Samaritani suscipere voluerunt. Sic enim superius ait Euangelista: *quia factum est,dum complerentur dies assumptionis eius,& ipse faciem suam firmauit,vt iret in Hierusalem,& misit nuntios ante conspectum suum,& euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum,vt pararent illi,& non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hierusalem*. Factum est,inquit,cum iam dies assumptionis eius complerentur,& tempus eius passionis,resurrectionis,& ascensionis,siue assumptionis propinquaret,firmauit Dominus,vt iret in Hierusalem, sicut in eius vultu,& facie manifeste apparebat. Facile enim in vultu voluntas dignoscitur, vnde & a vultu volũtas dicitur. *Et misit nuntios ante conspectum suum,& euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, & non receperunt eum?* Quare? *Quia facies eius erat in Hierusalem*. Non enim vt alibi dicitur:*contuntur Iudæi Samaritanis*. Ideoque Samaritani Iesum recipere noluerunt,quia se in Hierusalem ire velle ostendebat. Iam quasi inimicum eum deputantes,sicut qui eorũ diligeret inimicos. Vsque hodie namque omnes iniqui ideo Iesum,& eius nuntios, eiusque Euangelium non recipiunt, quia eos in Hierusalem ad pacem, ad misericordiam,& pietatem tendere,& festinare cognoscunt Hierusalem namque visio pacis interpretatur. Cum vidissent autem hoc discipuli eius,Iacobus,& Ioannes dixerũt:*domine vis dicimus, vt descendat ignis de cœlo,& consumat illos,sicut Elias fecit*: Et cõuersus increpauit illos dicens: *nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas hominum perdere,vel saluare*. & abierunt in aliud castellum, nesciebant enim Apostoli cuius Spiritus essent,qui se tanto opere vindicare cupiebant. Si enim se spiritus pietatis,patientiæ,& mansuetudinis seruos, & discipulos esse nouissent,nequaquam aliqua sui spiritus cõmotione tot homines irati occidere voluissent. Hoc enim postea probatum est,cum pro inimicis, & persecutoribus orarent. Et ait illis Iesus: *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit,me spernit,qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit*. Quod tale est,ac si diceret; Non vos tantum,sed me spreuere Samaritani. Hæc itaque verba discipulis suis,eorumque successoribus,Episcopis scilicet, & Sacerdotibus locutus est Dominus. Quicumque igitur est qui episcopos,& sacerdotes audire contemnis,& eorum verbis, & exhortationibus acquiescere despicis,saltem Deum ipsum non paruipendas, & eum audire non fastidias. Despicis audire sacerdotem, sed non mirum, quia pauper est, quia imbellis, & humilis est,quia vilis,& despicabilis est,quia de pauperibus parentibus natus est. Audi vel Dominum in eo loquentem,per eum te admonentem,& ad vitam æternam reducentem. Apostolus enim dicit: *an experimentum quæritis eius,qui in me loquitur Christus*. Sic igitur in Episcopis,& Sacerdotibus Christus loquitur,atque in eis ab alijs honoratur, & ab alijs reprobatur. Sustinet modo,nec facile vindicat iniurias suas. Sed audi eum dicentem: *tacui, numquid semper tacebo?* Dicit Psalmista *Deus*,inquit,*qui similis erit tibi? Ne taceas, neque cõpescaris Deus,quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui te oderunt,extulerunt caput*. Noli itaque spernere discipulos,& nuntios Christi, immo noli Deum ipsum spernere in discipulis suis. Nisi enim ipse in suis discipulis sperneretur, nequaquam dixisset:*qui vos spernit,me spernit.Qui autem me spernit spernit eum,qui me misit*. Hoc Iudæi audiant,& audientes timeant,& timentes pęniteant,vt vel sic placare valeant, quẽ offendere non timuerunt, Isti enim non solum spreuerunt, verum etiam crucifixerunt Christum dominum. *Reuersi sũt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo*. Hos enim,vt superius dicitur,miserat *Dominus binos ante faciem suam in omnem ciuitatem,& locum,quo ipse erat venturus*. Quid autem isti significent,& quare ante se Dominus miserit, cur etiam binos eos ire iusserit, iam alibi exposuimus. Nunc autem reuersi Domino omnia scienti cum gaudio referebant ea, quæ non ipsi,sed ipse in illis fuerat operatus, Gaudebant enim de nomine Christi,cuius virtutem experti erant, gaudebant & de gratia immensa sibi a Domino attributa, quoniam non solum infirmitates curabant, verum etiam dæmonibus imperabant, & sibi eos subiectos esse videbant,qui mundi huius reges,& principes,omnesq.homines iniquos subiectos esse sciebant. Dicebant ergo: *Domine non solum languores, & infirmitates,non solum homines iniqui,sed etiam ipsi dæmones subijciuntur nobis in nomine tuo, quibus subiecta sunt omnia, quæ longe sunt a consortio tuo*: Et ait illis: *videbam Satanan quasi fulgur de Cęlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,& scorpiones*. Cęlum enim, vel Ecclesia,vel sanctorum animę intelliguntur. Videbat igitur Dominus Satanan de celo cadentem. Videbat diabolum, Ecclesiam,& Sanctorum habitacula fugientem,& hoc quod ei discipuli narrabant iam se præuidisse,& cognouisse firmabat. Vnde & alibi ait: *nunc iudicium est mundi,nunc princeps huius mundi eijcitur foras*. Nisi hoc præuidisset quare in mundum venisset? Et quare carnem suscepisset? Ad hoc enim Dominus in mũdũ venit,vt diabolum fugaret,& de illius impia potestate animas hominum liberaret. Quid igitur nunc fieri incipiebat,antequam fieret,præuidebat,suoq in tempore fieri disponebat. Videmus itaque et nos vsque hodie Satanan, sicut fulgur de cœlo cadentem,et cum magno furore, et indignatione Sanctam Ecclesiam relinquentem. Quoties enim flagitiosus aliquis ad pęnitentiam redit,toties satanas de cœlo cadit. Multi enim adulteri,periuri,et homicidę sũt in ecclesia,quę regnũ celorũ vocatur,qui statim vt cõuertũtur,a diabolo relinquũtur Et nõ velocius de cęlo cadit fulgur, quam de illorum mentib.cadit diabolus. Cadit autẽ et nũc de cœlo Satanas, quando aliquis hęreticus ab ecclesia separatur. qui prius in ea per doctrinam magno fulgere splendore videbatur. Talis enim erat Simõ Magus,quẽ B.Petrus Apostolus pro suis iniquitatib.prius de ecclesia eiecit,postea vero uolãte nitẽtẽ de aere præcipitauit. Hinc est autem ꝙ in Apocalypsim Ioãnes Apostolus ait;*quia Angelus tuba cecinit et cecidit de cælo stella magna ardens,tãquã facula & cecidit in tertiã partẽ fluminum,et in fontes aquarum,et nomen stella dicitur Absinthius*. Toties enim,vt modo diximus de cęlo stella cadit,quoties aliquis ab Ecclesia per hæresim separatur. Sed quanto sapientior,et astutior est, tanto maiorẽ flammam ferre videtur. Et quãuis totus de cęlo cadat,tamen nõ vbiq cadit. Vbi enim errat,ibi cadit. Cadit autẽ in tertiã partem fluminũ. Duo nãq. flumina duo sunt testamenta. Fontes autem tot sunt, quot & doctorum libri. In his autem nemo cadit,quoniam nulla hæresis in eis est. Tertium autem flumen, in quod hęretici cadunt, ipsum est, quod ipsi faciunt. Faciunt enim, quo-

niam eorum erronea doctrina in prædictis fluminibus non inuenitur. Multa enim flumina, & multa librorum volumina fecerunt heretici. Et merito hæc stella Absinthius vocatur, quia ad illius herbæ similitudinem, quæ hoc nomine censetur, felle, omniq. amaritudine plena est de qua, qui gustauerit morte morietur. Fuge igitur has aquas Christiane, noli eas bibere. Nota sunt flumina, noti sunt fontes aquarum salientiũ in vitam æternam, de quibus si biberis, non sities vltra. Sequitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Serpentes, & scorpiones non solum maligni spiritus, verumetiam tyranni, omnesq. ecclesiæ persecutores intelligi possunt, quoniam & venenosi sunt, & numquam recta incedunt via. Virtus autem inimici quid melius intelligi potest, quam Nero, & Simon Magus, Diocletianus & Maximianus, & ipse Antichristus perditionis filius? est præterea virtus inimici Superbia, Auaritia, omnisq. Luxuria, a quibus multi vincuntur, & diabolo subijciũtur. Vnde & Iob cum de eo loqueretur ait: *virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbillico ventris eius.* Hæc autem Christi discipulis non nocebunt, Domino eos protegente, & vbique defendente. Non nocebunt vtique, si contra repugnauerint, eisque non assenserint. Sequitur: *verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Multi enim sunt, quibus dæmonia subijciuntur, quos non gaudiũ quidem, sed luctus, & mœror expectat. Quibusdam enim in iudicio dicentibus: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, et virtutes multas fecimus?* Dicturus est Dominus: *ite operarij iniquitatis, amen dico vobis nescio vos.* Non ergo gaudeant Christi discipuli, quia dæmonia subijciuntur eis. Gaudeant autem, quia eorum nomina scripta sunt in cælis. Illud enim gaudium, vanũ & temporale est, hoc autem vtile, & æternum. Illud ad vanã gloriam respicit, hoc ad gloriam spectat æternam. Et illud quidem simul habere possunt, & mali, & boni, hoc autem non habebunt nisi boni.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

TAlia sunt prælia Christi, talia sunt bella noui testamenti, sic Christi fideles pugnare nouerunt. Dixerat eis Dominus superius: *ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum.* Præceperat eis, vt essent prudentes, sicut serpentes, nũc autẽ dicit eis, vt fugiãt, & persecutoribus se sequentibus non resistant. Fugerunt Israelitæ Aegyptios, & vicerunt, fugit & Dauid, & rex a Domino cõstitutus est. Hãc autẽ fugam Iacob patriarcha significauit, qui post magnam, & longam seruitutem simul cũ vxorib. & liberis, omniq. possessione sua Laban socerũ suum fugisse legitur, quẽ Labã ipse septem dieb. persecutus, tandem inuenit eũ in monte Galaad. Laban enim, qui cãdidus interpretatur, hũc mũdum significat. Valde enim sibi proxima sunt, & idẽ quodammodo hæc duo nomina significare videntur candidus, & mundus. Qui enim cãdidus est, mũdus quoq. esse videtur. Puto autem, quod fabricã suam ideo tali nomine omnipotens Deus vocare voluit, *quia vidit cũcta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Si enim omnia bona erant, nihil nisi mundum in eis erat. Ex eo autem tempore mundus est immũdus, ex quo terra in sanguinibus corrupta narratur. Quod igitur Iacob simul cum vxorib. & filiis, omniq. sua possessione Laban fugisse dicitur, hoc significare videtur, vt nos quoq. mũdũ istũ fugiamus, & amicos, & propinquos, & quoscumque possumus, de eius seruitute eripiamus. Septem dieb. Laban sequitur Iacob, quia quamdiu viuimus, mundus iste nos persequi non cessãt. Non enim sunt dies, nisi septem. Igitur, qui septem diebus nos persequitur, nullo tempore a persecutione quiescit. Quo igitur fugiemus? Fugiamus ad montes Galaad, ibiq. tentoria figamus. Galaad namque aceruus testimonij interpretatur, per quem vtriusque testamenti librum intelligimus, in quo omnia legis, & prophetarum Apostolorum, & doctorum exẽpla & testimonia sunt collecta. In quo Ioannes Apostolus clamat: *Nolite diligere mundum, neque quæ in mũdo sunt.* Vbi quæ Dñs discipulis ait: *Si de mũdo fuissetis, mũdus quod suũ erat diligeret, quia vero de mũdo nõ estis, ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Talia & his similia audiuntur in monte Galaad. Illuc igitur fugiamus, & Dominum dicẽtem audiamus: *Cum vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis non cõsumabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* Vbiq. patientiam, & innocentiam Dominus docet, non resistere, sed fugere admonet. Fugite, inquit, malos, fugite persecutores, fugite in aliam ciuitatem, non enim deerunt vobis ciuitates, ad quas fugere possitis. Prius enim veniet filius hominis prius ad iudicium reuertetur, quam vos omnes ciuitates Israel consumetis, & ad fidem conuertatis. Mea exempla vos doceant, ad me respicite: quod in me fieri videtis, hoc in vobis ne formidetis. *Non est enim discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum.* Qui me offendere, & persequi non timent: vos quoque offendere, & persequi non timebunt. *Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.* Hoc autem dicit de seipso, se magistrum, & dominum vocat. Si enim magister indoctus fuerit, non suffcit discipulo ignorantia magistri. Et si dominus pauper, & miser fuerit, non sufficit seruo miseria domini. Si enim sufficeret, nihil amplius quæreret. Quod itaque hoc de seipso, & non de alio dicat, etiam sequentia manifestant. Ait enim, *si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Ipse est enim pater familias, cuius familia est omnis ecclesia, De quo tamen Iudæi dicere non timuerunt: *in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Ne ergo timueritis eos, quia nec ego timui: sed patienter cuncta sustinui. Hæc autem, quæ dico aperta sunt, nondum videntur, de futuris loquor, omnia tamen suo tempore manifestabuntur. *Nihil enim opertum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non sciatur.* Vnde Apostolus, *nolite*, inquit, *ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarũ, & manifestabit consilia cordium. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Quod in ænigmate, & in figura auditis, quod vobis in consilijs manifesto, dicite palam, & apertẽ: *quod in aure auditis, prædicate super tecta.* In aure enim auditur, quod secrete, & quasi sub silentio dicitur. Latent autem, quæ sub tecto sunt. Super tecta igitur prædicare, est in aperto, & cunctis audiẽtib. loqui, *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Prædicate, inquit, Euangelizate, officiũ vestrum implete, Multi quidem erunt, qui vos persequentur qui vos affligent, & occident. Sed nolite timere eos, qui occidunt corpus. Occidunt enim, quod mortale erat. Nam & si non occiderent, moreretur tamen. *Animam autem non possunt occidere.* Anima enim immortalis est, quæ dũ peccat moritur, & a vera vita, quæ Christus est, separatur, gladijs tamen occidi non potest. *Sed potius eum timete, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehenna.* Illi in solo corpore, hic in corpore, & anima potestatem habet. Illorum pœna cito transit, huius numquam finitur. Ipsi quoque nec in isto corpore potestatem habuissent, nisi eis a Domino datum fuisset. *Nonne duo passeres asse veneunt, et vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro?* Si igitur illi, qui tam vili pretio vẽdũtur sine Dei, voluntate, vel permissione cadere nõ possunt, quãto magis vos, qui empti estis pretio magno, & Christi sanguine redempti estis? *Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Sæuiant tyranni quantum velint, nullo tamen tormentorum genere vos delere, & consumere poterunt. Non est autem difficile ei capillos numerare, cui difficile non fuit creare. In hoc autem, quod eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiam resurgere, & nihil de ea perire significat. Si enim omnes capilli numerati sunt, omnesq. resurget, quare etiam non toti resurgẽt? Quis enim credat, vt capillus ex parte resurgat, & ex parte pereat? Sed fortasse inconueniẽs tibi esse videtur, vt tam lõgi capilli in homine resurgãt.

Necesse

Necesse quidem est, vt totus homo resurgat, sed non est necesse, vt tota hominis substantia in ea parte resurgat, vbi prius in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis, & argenteis, quæ iterum conflantur, materia quidem tota seruatur, partiũ tamen positio non eadem seruatur; vt quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequentis partibus fiat: ita & in homine substantia quidem tota resurget, tota tamẽ in eisdẽ partib. necessario nõ resurget. At per hoc nihil superfluũ nihil minus, nihil indecẽs, & inconueniens resurget in homine. Quod enim in alijs partibus superabundat, alijs partibus supplementum dabit. *Nolite ergo timere multis passeribus, & pluris pretij, & meliores estis vos.* Qui itaque de illis curam habet, multo magis vos non deseret, neque derelinquet. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in cælis.* Determinanda sunt eloquia Saluatoris nostri. Nam neq. omnes confitebitur Dominus, qui eum confitentur, neque omnes negabit, qui eum negant. Ipse enim dicit: *non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum.* Beatus quoque Petrus, qui eum negauit, nequaquam ab eo negabitur. De illis igitur intelligatur, qui in tormentis positi, in eius nominis confessione, vsque ad mortem firmiter, fideliterq. persistunt. Qui enim timore mortis Deum negant, nisi digna pęnitentia satisfecerint, dubium non est, quin pereant in æternum. Omnia enim hęc illis dicuntur, qui pro Christi nomine persecutionem patiuntur.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terra, non veni mittere pacem, sed gladium.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

QVid est igitur, quod Psalmista ait? *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis,* cum ipse Dominus dicat *non veni mittere pacem?* Venit mittere pacem inter bonos, & gladium inter malos, & bonos. Pacem enim habebant illi, de quibus dicitur: *multitudinis enim credentium erat cor vnũ, & anima vna.* In talib. igitur orta est abundantia pacis. Sed quid est quod Apostolus ait: *Si fieri potest, quod ex vobis est cũ omnibus hominibus pacem habentes?* Si enim cum omnibus hominibus pacem habere debemus, inter quos gladium Saluator noster mittere venit? Debemus quidem pacem habere cum malis, vt eos diligamus eos ad salutem animæ inuitemus & nihil mali ei tractemus. Sit tamẽ gladius inter vos, & illos, vt eos non immitemur, eorum fidem, & facta non sequamur, eorumque consilijs iniquis non consentiamus. Venit igitur Dominus mittere pacem, sed illam, quam boni inter se in bono conueniunt, non autem venit mittere illam, quam mali inter se in malo concordãt. Vnde & subditur: *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum & filiam aduersus matrem suam, & inimici hominis domestici eius.* Omnes enim isti in malo concordant: omnes isti in malo pacem, & concordiam habebant. Hanc pacem non venit mittere Dominus hanc pacem non approbat Dominus. Isti sunt, inter quos nõ pacem, sed gladiũ mittit, gladium vtiq. separationis, vt alijs ad fidem persistentibus, alij ad fidem conuertantur. Vnde fit, vt qui prius erant domestici hominis, eiusdem postea inimici fiant, & quasi hostẽ eũ persequantur. Et ne forte aliquis diceret: rem valde difficilẽ o Domine, & quodãmodo intolerabilẽ iubes, vt videlicet a fratribus, & filijs, & parentibus tantopere separemur. Subdidit dicens: *qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam plusquam me non est me dignus.* Et amplius, ac si diceret super hæc, *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Legimus filios leui ex pręcepto Moysis per mediũ castrorũ transire, & fratres, & filios, & parentes, & propinquos & magnã hominum multitudinẽ interemisse, quoniam a Deo viuo, & vero recesserant, & vitulum aureum adorauerãt, quibus protinus ait Moyses: *consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisq. in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Abraham quoque non pepercit filio suo vnigenito propter Deum. Vnde & a Domino audire meruit: *nunc cognoui, quod timeas Dominum, eo quod non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Similiter autem & Septe filiam vnicam interfecit, ne votum frangeret, & Deum offenderet. Tales igitur sint nobis exemplum, vt Deum plus omnibus diligamus, & neque fratres, neque filios, neque aliquid aliud eius amori præponamus. Audiamus ipsum dicentem; *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Et siue pater sit, siue frater, siue vxor, siue filius, qui nos ab eius amore separare velit, hũc a nobis repellamus, & quasi hostem habeamus. Sequitur: *& qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Qui enim accipit crucem suam, & sequitur Christum non solum plus quam patrem, & matrem, & filium, & filiam Christum diligit, verum etiam plusquam seipsum. Se ipsum autem dico vitam suam. Qui enim vitam suam pro Christo ponere non timet, plus vtique diligit Christum, quam vitam suam. Crucem autem accipere dicit, non lignum crucis portãdo, sed eius passionem imitando, siue etiam per abstinentiam carnem domando, & cruciando. In cruce enim omnia tormẽtorum genera designantur. Vnde & cruciari dicitur, qui quolibet modo affligitur. Crucem autẽ ferebat Apostolus qui ait; *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo. Qui inuenit animam suam perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Animam enim in hoc loco pro vita posuit, quia omnis vita nostra in anima est. Alij igitur in hoc sæculo vitam suam inueniunt, quoniam amore huius vitæ non quęrunt aliam vitam. Et isti quidem simul perdent vtramque vitam, alij vero sua sponte perdunt hanc vitam, qui amore alterius vitæ pro nihilo ducunt istã vitã. Et isti quia perdiderunt hanc vitam, in vitam ęternam custodiũt & possidebunt æternam vitã. Quid est enim in vitam æternã, nisi in æternum? *Qui recipit vos, me recepit.* Dixit enim superius, *quia tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorreorum in die iudicij, quam illi ciuitati, quæ non receperit eos.* Nunc autem quãtam gratiam a Domino consequantur, qui eos recipiunt, ostendit. Quia, inquit, uos membra mea estis, & ego in vobis sum, *qui recepit vos, me recepit.* Similiter autem, quia ego, & pater vnum sumus, & ego sum in patre, & pater in me, qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Vnde manifestum est, quia, & patrem, & filium, totãque Trinitatem recipit, qui Dei filium veneratur, & recipit, qui vero Dei ministro iniuriã facit, Deo omnipotenti, Trinitati inseparabili iniuriam facit. Mittitur autem filius a patre, quia vna est, eademq. voluntas totius Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, qua Dei filius in mundum missus, & incarnatus est. *Qui recipit prophetam in nomine prophetę, mercedem prophetę accipiet.* Ille enim recipit prophetam in nomine prophetæ, qui non affectu carnis eum recipit, sed quia Christi fidẽ prophetat, & nunciat. Ideoq. accipiet mercedem prophetæ, quoniam eãdẽ mercedem habebit iste de receptione, quam propheta de prophetia. Qui igitur Dei Sacerdotes pro Christi nomine veneratur, & recipit, mercede sacerdotij non priuabitur. *Et qui recipit iustum in nomine iusti,* idest, quia iustus est, *mercedem iusti accipiet.* Merito enim iustitiæ mercedem accipiet, qui in tantum iustitiam diligit, vt omnib. hominibus ex affectu carnis seruiat, in quibus iustitiam esse cognoscit. *Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidę tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Non tãtum, inquit, de maiori obsequio, sed de minimo quoq. mercedem suscipient, quicumq. in nomine discipuli vobis serui erit Multi enim seruiunt episcopis, & sacerdotibus, non quia Episcopi, & sacerdotes sunt, sed quia temporalem aliquam retributionẽ ab eis expectant. Isti autem non seruiant in nomine discipuli. Si igitur hic mercede caruerint, ibi propter hoc mercedem non habebunt.

IN NATALI VNIVS MARTYRIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

PAulò ante dixerat discipulis suis dominus Iesus: quia oportet eum ire Hierosolymam, & multa pati, & senioribus, & scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus dixit ei: *Absit a te Domine, non erit tibi hoc*. Et conuersus Petro dixit: *Vade post me Satanas, scandalum es mihi, quia non sapis, quę Dei sunt, sed quę hominum*. Inde vero volens ostendere, qualiter primus eum ire, & qualiter eum sequi debeamus, subdidit dicẽs: *si quis vult post me venire abneget semetipsum*. In eo enim, quod Dominus discipulis futura prædicit, & se sponte pati ostendit, & eorum fidem confirmat, secundum quod ipse alibi ait: *Et nunc dico vobis: priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis*. Quod vero Beato Petro ait, *vade post me satana, scandalum es mihi*, tale est, ac si diceret: vade post me, vt sicut ego moriar pro te, ita & tu moriaris propter me. Noli mihi esse contrarius, noli meæ voluntati resistere. Noli diuinis consilijs obuiare. Sic enim oportet fieri, quia sic est ante tempora prædestinatum, & a prophetis pronunciatum. Hoc est enim, quod alibi ait: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ. Nõne sic oportuit pati Christum, & resurgere a mortuis, & intrare in gloriam suam*: Sapiebat igitur Petrus quæ hominum sunt, quia humanum consilium dabit, sed nõ sapiebat, quæ Dei sunt, quia hęc secreta diuini consilij, quib. homo redimeretur, ignorabat. Tunc Iesus dixit discipulis suis: *si quis vult post me venire abneget semetipsum*. Debet enim vnusquisque homo negare seipsum, non quod homo sit, non quod fidelis, & Christianus sit. Sed si idolatra fuit, si infidelis, si adulter, & fornicator, si cupidus, & auarus talem se esse neget, talem se non esse ostẽdat. Ostendat autem non voce, sed operatione. Dicat cum Apostolo: viuo autẽ iam non ego, viuit verò in me Christus Viuebat enim Apostolus, sed non ipse, viuebat non Saulus, sed Paulus: Negauerat igitur seipsum, multum differens a seipso. Sequitur. *Et tollat crucem suam*. Crucem eniun suam tollit, qui carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs cruciat, & affligit Sed quia non sufficit crucem tollere, ideo mox subdidit dicens, *& sequatur me*. Qui enim Deum non sequitur ei quidem neque crucem tollere, neque carnem affligere prodest. Vnde Apostolus: *Si tradidere corpus meum, ita vt ardeã, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Et Dominus de his, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, quamuis multum ieiunent, & carnem cruciant, & affligant. Dicit tamen: *quia receperunt mercedem suam*. Non prodest igitur Iudęo, non prodest hęretico, & hypocritæ crucem portare, Quare? Quia non sequuntur Christum. Christum enim sequitur, qui eum imitatur. Vis sequi Christum? Esto humilis, patiens, & misericors. Esto sine odio, & simulatione. Sis Deo obediens, & proximum diligens. Hac enim via Christus incedit. Per hanc igitur ambula, si vis eum sequi. Nisi enim per hanc ambulaueris, eum non sequeris, etiam si sequi videaris. Multi enim diabolum sequuntur, qui Christum sequi videntur. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Quis igitur saluabit animam suam, si ille eam perdit, qui eam saluare contendit? Quæ est ista anima, quam perdere debemus? Ista enim anima hæc vita præsens est. Igitur qui alterius vitæ oblitus hanc solam præsentem vitam diligit, & hanc vitam perdet, & aliam non habebit. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*. Beati itaque martyres, qui hanc vitam perdiderunt, & animas suas vsque ad mortem non dilexerunt. Isti enim inueniet vitam, non qualemcumque, sed æternam vitam. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Quid enim prodest Romanorum principibus mundum ad tempus possedisse, & pro animarum salute nihil egisse, cum illorum cadauera in puluerem conuertantur, & animæ in inferno torqueantur. Si enim diceretur tibi: sis toto mense diues, & potẽs, facias quidquid velit vestræ carnis voluptatibus, sicut placet, ea tamen conditione, vt tibi oculi postea eruantur, omne solatium tollatur, & toto tempore vitæ tuæ in fame, & siti, in omni cruciatu, & in omni miseria viuas, numquid illud tale bonum hoc tenore susciperes? Et quidem tota hæc vita præsens nec mensis est, nec vnius diei, vel horæ spacium ad illius æternæ infelicitatis comparationem. Cui miserię neque finis est, neque pœna similis inuenitur. *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nulla enim commutatio est, nullum pretium est, quo saluari anima possit, nisi fide, & pænitentia. Si enim sine his de hac vita exierit, iam nullo pretio vlterius redimi potest. Vnde Psalmista ait: *qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. Frater non redimet, redimet homo: non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ*. Ideoque laborauit in æternum, & viuet in tormentis vsque in finem. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius*. Venit enim prius humilis, vt iudicaretur filius hominis, veniet autem iterum sublimis, & excelsus in gloria, & honore, & maiestate paterna, vt iudicet mundum, & reddat vnicuique secundum opera sua. *Deus enim manifestus veniet, Deus noster non silebit*. Et quasi aliquis diceret, vtinam illam gloriam aliquando videamus, subdidit dicens, *Amen dico vobis sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem; donec videant filium hominis venientem in regno suo*. Si enim de illo regno & de illa gloria intelligamus in qua modo cum Angelis suis se iudicaturum venire promisit, stare non potest. Nemo enim ibi erat, vbi Dominus ista dicebat, qui mortem iam non gustauerit, ipse tamen ad iudicium nondum venit. Qualiter autem hoc intelligi debeat, sequentia manifestant. *Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos*. Isti igitur sunt de quibus modo dixerat, *qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, idest apparentem in virtute & gloria regni sui. Transfiguratus enim Dominus talis tũc in monte tribus istis suis discipulis apparuit, qualis post hanc vitam in regno suo cunctis suis fidelibus apparebit.

ITEM IN NATALI VNIVS MARTYRIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem*. Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

CVm enim alibi Dominus dicat: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, & non solum hoc, verum etiam, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*: quid est, quod modo dicit, vt patrem, & matrem, vxores, & filios, fratres, & sorores, & ipsas animas nostras odio habeamus? Ioannes quoque Apostolus ait: *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*. Et Psalmista: *qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*. Concluditur ergo, vt soli iniqui, & homicidæ Christi discipuli esse possint Siquidem illi soli sunt eius discipuli, qui & parentes suos, & seipsos odio habent, quod est inconueniens. Dicatur ergo: si pater, aut mater, vel aliquis propinquorum tuorũ te a Christi fide separare voluerit, hunc fuge, hunc quasi hostem time, & quasi membrum Satanæ odio habe. Vnde & Mat-

Matthæus manifestius ait: *qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et alibi: *si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Animam autem pro vita posuit. Vitam enim suam odio habent, qui pro iustitia, & Christi fide mori desiderant: & carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs crucifigentes, nullas huius vitæ voluptates sequuntur. Illi quoque post Christum crucem baiulant, quia derelictis omnibus solam carnis mortificationem in corpore suo ferentes, toto mentis, & cordis desiderio post eum vadunt. Sed valde notandum est, quod ait: *si quis hoc, vel illud non fecerit, non potest meus esse discipulus.* Aliud enim est Christianum esse, aliud Christi discipulum esse. Septuaginta namque duos discipulos Dominus elegit, præter eos, quos Apostolos nominauit. Isti autem mundum spernentes, omnia relinquentes, Domino adhærentes, Christi discipuli specialiter dicti sunt. Horum igitur nomen, & locum illi tenent, qui eos in vita, & moribus imitantur. Vnde & in conclusione huius Euangelij dicitur: sic ergo omnis ex *vobis, qui non renunciat omnia, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ipsi enim discipuli, quamuis secundum nominis interpretationem omnes Apostoli essent, non omnes tamen Apostoli dicuntur. Interpretatur enim Apostolus, missus. De ipsis autem scriptum est: *quia misit eos Dominus binos ante faciem suam.* Missi igitur erant, qui mittebantur, quare ergo Apostoli non vocantur? Ideo quidem quoniam solos duodecim ex eis Dominus elegit, quos & Apostolos nominauit. Similiter autem quamuis omnes Christiani Christi discipuli sint, soli tamen septuaginta duo, & cęteri, qui eos in vita, & moribus imitantur, hoc tanto nomine digni habentur. His enim præcepit Dominus non ferre sacculum, neque peram, neque pecuniam in zonis habere. His pręcepit, vt nihil in hoc mundo possiderent, & de crastino non cogitarent. His denique pręcepit, vt de euangelio viuerent, & aliud non haberent. Si ergo hæc omnibus vniuersaliter dicta sunt, & nulli de crastino cogitare licet, quare domos ædificamus? quare vineas plantamus? quare agros seminamus? cur frumentum in horrea colligimus? cur in cellaria vinum reponimus? cur denique animalia custodimus, & alia nobis in futurum reseruamus? Nam neque Zachęus omnibus, quę possidebat, renunciauit, sed tantum dimidium bonorum suorum pauperibus dedit, & factus est filius Abrahæ. Vnde manifestũ est alia quibusdam, & non omnibus, alia perfectis, & alia minus perfectis Dominum præcepisse. Possumus tamen intelligere etiam eos, qui multa possident, omnia reliquisse, si tamen hoc secum & in corde suo proposuerunt, vt si forte necessitas incubuerit, omnia pro Christi nomine, & si se tuenda amittere parui pendant. Qui igitur Christi discipulus esse, & dici desiderat. Sedeat prius, & computet, si discipulorum vitam tenere, patientiam habere, laborem sustinere, & simul cum eis turrim ædificare, & contra hostes pugnare, & cętera, quæ sequuntur, agere valeat. Hoc est enim, quod ait: *quis enim ex vobis, volens turrim ædificare, nonne prius sedet, & computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendũ, ne postea quam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant ei illudere, dicentes, quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consumare?* Magnam enim turrim ædificare incipit, qui mundi honores, diuitias, & dignitates contemnens omnia relinquit, & Apostolorum vitã, & monachorum conuersationem promittit. Sed iste prius computare debet, quam arctam, & laboriosam vitam ingrediatur, & quam magnum, & difficile opus agere incipiat, debet etiam cogitare, si habeat sumptus, qui necessarij sint ad perficiendum, idest si humilitatem, patientiam, & obedientiam tenere, & custodire valeat, sine quibus hoc ædificium ædificari non potest. Si enim aliter egerit, & a bono proposito declinare cœperit, *omnes incipient ei illudere dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare.* Sed quid ei cępisse profuit? *Non enim, qui cœperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit.* Sequitur.

Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne prius sedens cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Hæc autem similitudo eadem est, quæ superior. Nihil enim aliud his verbis admonemur, nisi vt vltra vires nostras nos non extendamus. Vnde & Apostolus ait: *qui se non continet, nubat. Melius est enim nubere, quam vri. Vnusquisque enim proprium donum habet ex Deo. Probet igitur prius seipsum homo, & sic ad altiora conscendat.* Sit vel seruus, qui non potest esse discipulus. Nec omnes Episcopi, nec omnes Sacerdotes, nec omnes monachi. Quamuis enim, vt Apostolus ait: *Omnes vnum corpus sumus in Christo, omnia tamen membra non eundem actum habent;* rex autem est vnusquisque fidelis, qui seipsum, & virtutum exercitum, qui in eo est, bene regere nouit. Hic autem aduersus alium regem bellum committit, per quem diabolum intelligimus. Quem quidem & si maiorem exercitum habeat, facile tamen superamus, si non in nostro, sed in Dei virtute confidamus. Sed sciendum est, quia fortius eos diabolus aggreditur, quos ad maiora, & Deo propinquiora festinare cognoscit. Vnde scriptum est, *fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Ideo etiam escæ eius electæ dicuntur. Ideo & fiduciam habere dicitur, quod influat Iordanis in os eius. Adhuc autem legationem mittere, & pacem cum eo facere est eius tentationibus acquiescere. Et si quidem primæ tentationi homo succubuerit, adhuc eo longe agente pacem facit. Multi enim sunt, qui cum eo pacem non faciunt, quamuis prope sit, & multo tempore violenter eos impugnet. Sicut igitur isti, de quibus modo diximus, neque turrem ædificare, neque contra hostem pugnare valent, nisi prius secum diligenter pertractent, si sumptus ad perficiendum, & vires ad pugnandum habeant. *Sic omnis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest Christi esse discipulus.* Omnibus enim renunciat, qui quamuis aliqua possideat, omnia tamen si necesse sit pro Christi nomine amittere paruipendant. Nam ipsi quoque Apostoli, & vestimenta, & calceamenta qualiacumque habeant, quibus tamen iam spe renunciauerant, quoniam si necesse esset ea simul cum ipsa vita perdere non timebant.

IN NATALI PLVRIMORVM MARTYRVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

IN illo tempore *Videns Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

MVlta turba sequebatur Iesum, & non solum sequebatur, verum etiam opprimebat, & tangere conabatur, *quia de illo exibat virtus, & sanabat omnes.* Fugant se contraria, & qui inimici sunt, se vicissim impugnent. Ideoq; languores, & infirmitates in eis manere non poterant, qui ad Christum accedebant, & eum tangebant. Ipse enim est salus, & vita, de quo *quia virtus exibat, & sanabat omnes,* ideo post eum currebant omnes. *Videns autem turbas ascendit in montem.* Quod enim in montem Christus ascendit, magnum aliquid se locuturum esse significat. Ideo enim & Propheta ait: *super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* Ibi autem discipulos docet, quos maioris intelligentiæ esse sciebat. Sed quid est, quod ait: *aperiens os suum docebat eos?* Nũquid enim clauso ore loqui Dominus consueuerat? Ipse enim, qui olim ore prophetarum locutus fuerat, nunc proprio ore discipulis loquebatur. Magna igitur veneratione euangeliorum verba suscipi debent, quæ nõ per alium, sed per se ipsum, & proprio ore Dei filius locutus est. Sed quid dicebat? *Beati pauperes spiritu.* Nõ dicit simpliciter, beati pauperes, quoniã nec oẽs pauperes beati, nec oẽs diuites miseri sunt. Multos.n. pauperes latrones, homicidas, adulteros, periuros, & proditores videmus qui & in hac vita miseri sunt, & post hanc vitã infelices erũt. Diuites autem plures fuisse legimus, qui in sancta cõuersatione Domino placuerũt. Talis fuit Abrahã, talis Iob, & Dauid. talis postea Zacchæus publicanus. Beati igitur pauperes spir

tu, sed non omni spiritu. Est enim spiritus bonus, est & spiritus malus. Beati igitur sunt, qui spiritu malo pauperes sunt. Illi quoque beati sunt, qui spiritu bono diuites sunt. Est enim spiritus superbiæ, spiritus fornicationis, spiritus discordiæ, & multi alij sunt spiritus, quibus quicumque pauperes sunt, beatos esse non dubium est. Beati sunt quoque, qui spiritu sapientię, & intellectus, spiritu consilij, & fortitudinis, spiritu scientiæ, & pietatis, & spiritu timoris Domini diuites esse meruerunt, Sed quare Beati? *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Quid enim sunt mites, nisi patientes, & humiles? Perit enim omnis virtus sine sapientia. Vnde et Dominus ait: *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Qui igitur impatiens est, nec animam suam, nec terram suam possidere potest. Quomodo enim animam suam possidet, qui animi sui furorem, & iram cohibere non valet? Quomodo autem terram suam possidet, qui neque oculos ab illicito visu, neque aures ab illicito auditu, neque nares ab illicito odoratu, neque os ab illicito gustu, neque manus ab illicito tactu compescere valet? Possumus tamen per hanc terram, terram viuentium intelligere. Ac per hoc non minus possident mites, quam possidēt pauperes spiritu, quoniam cum illi cęlum, isti vero terram possideant, idem tamen per cęlum, & per terram significatur. Quando vero fidelibus suis Christus Dominus noster talia promittit, nonne tibi in monte, & in regia sublimitate sedere videtur?

Sequitur *Beati qui lugēt, quoniā ipsi cōsolabiitur.* Quod enim si pro amissione rerum temporalium lugeant? quid si pro morte propinquorum lugeant? quid si pro illatis sibi iniurijs lugeant? Quosdam enim flere videmus, quoniam illatas sibi iniurias vindicare non possunt. Quas quidem quando vindicant, nequaquam tunc beati, sed miseri fiunt. Sic igitur dicatur: Beati, qui lugent peccata, quæ fecerunt. Beati qui sua, & aliorum peccata plorant. Sic enim Samuel flebat Saulem cunctis diebus vitæ suæ. Nam & Dauid quia pęnituit, & fleuit, beatus est. Ait enim. *Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die, ac nocte.* Ipse quoque Saluator noster pro morte Lazari lacrimatus est. Videns etiam perituram Hierusalem, fleuit de miserijs eius. Fleuit & Apostolus Petrus, & Beatitudinem non amisit. Beati igitur, qui sic lugent, quoniam ipsi æterna lętitia consolabuntur.

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Illi enim iustitiam esuriunt, & sitiunt, qui sic inobseruanda iustitia in omni tempore. Hoc audiant reges, & principes. Hoc audiant potētes, & iudices. Hoc & nos audiamus, nos inquam, Episcopi, & Sacerdotes huius capituli memores sumus, sine quo cętera capitula bene tractare nequiuimus. Sed nota, quia non solum, qui faciunt iustitiam, sed etiam, qui eam esuriunt, & sitiunt, id est, qui eam concupiscunt, & si non possint facere, quod desiderant, tamen Beati sunt, quia quantum in ipsis est, faciunt, quod desiderant. Et isti quidem saturabuntur, quia omnia illorum desideria complebuntur. Sicut enim cibo satiatur corpus, ita suo desiderio saturatur anima.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Statim post iustitiam misericordiam posuit. Vnde Psalmista ait; *misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Bona est iustitia, bona est & misericordia. Habet illa suum locum, habet & ista suum. Neque vero perit iustitia, si in quibusdam causis misericordia temperetur. Est autem misericordia quędam affectio animi, qua affligimur alienis malis. Cum inuidia contraria est, per quam homo affligitur alienis bonis. Siue igitur in nos delinquentibus parcimus, siue miseris, & indigentibus subuenimus, siue errantes ad viā veritatis reducimus, misericordia est, qui autē misericordiā non habuerit, misericordiam non inueniet. *Eadem enim mēsura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ex corde enim, vt Dominus ait, *exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, periuria, adulteria, falsa testimonia, & similia, hęc sunt, quæ coinquinant hominem*: tale autem cor mundum non est. Si enim mundum esset, totum hominem suo stercore non coinquinaret. Illud igitur cor est mundum, ex quo talia non procedunt Ideo enim & Dauid rogauit Dominum. dicens: *cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Si enim cor fuerit mundum a prauis cogitationibus, totus homo erit mundus ab iniquitatibus. Ibi enim moriuntur peccata, ibi radices figunt, quæ si ibi succisæ fuerint non est, vbi crescant. Vnde scriptum est: *Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Vnde & sacerdotes comam nutrire interdicuntur. Qualiter autem mundi corde Deum videant, vel quibus oculis eum videant dubitari potest. Apostolus tamen dicit: *videmus nunc per speculum in Ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et Ioannes Apostolus, *scimus*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est.* Magnus erit ille oculus, qui claritate sui visus, eum, qui omnia continet, comprehendere poterit.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacifici enim sunt, qui discordes pacificant, quia mundum Deo reconciliant, qui inter cęteros pacem, & concordiam seminant. Apostolus enim dicit: *Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit Deum. Itemque: Si fieri potest, quod ex vobis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et Psalmista: *cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.* Et bene quidem filij Dei vocantur pacifici, quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ipse est rex pacificus, qui in se ipso angulari lapide, duos parietes coniungens, pacem fecit his, qui longe erant, & his, qui prope.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. Propter iustitiam dixit, non propter mundi honores, non propter diuitias, non propter superbiam, & non propter iniquitatem. Multos enim videmus, qui propter hoc, & similia persequuntur alios, & persequuntur ab alijs. Propter iustitiam enim, Apostoli, & Martyres persecutionem ab impijs passi sunt. Si enim a prædicatione iustitiæ cessare voluissent, persecutionem passi non essent. Vsq. hodie quoq. in sancta Ecclesia persecutionē patiuntur quicumque iustitiam prædicare, & tenere nituntur. Non igitur omnes, qui persecutionem patiuntur, Beati sunt, siquidem iniqui se inuicem persequentur, sed illi soli propter persecutionem sunt beati, qui eā propter iustitiam patiuntur. Videat autem vnusquisque hæc audiens, si in aliqua istarum beatitudine continetur, Quod si in aliqua se inuenerit, sit securus, beatus erit. Hoc enim Verbum dixit, veritas mentiri non potest. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Beati, inquit, estis, cum vos homines maledixerint, ne timeatis eorum maledictiones, sed potius gaudete, & exultate, quoniam eorum maledictiones, eorum persecutiones, eorum maledicta, & mendacia pręparāt in cælis, & exultationem, magnamq. mercedem, & retributionem. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Non est hoc nouum, non est inusitatum, sic Isaiam, sic Hieremiam, sic & alios prophetas persecuti sunt. Illorum igitur exemplum vos doceat, si illorum vos beatitudo delectat.

IN NATALI VNIVS MARTYRIS.

Lectio Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tēpore *Dixit Iesus discipulis suis, Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnē palmitē in me non ferentē fructū tollet eum, et omnē, qui fert fructum, purgabit eū, vt fructum plus afferat.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

ECce vitis vocatur Christus, & vitis vera. Sed quare vitis & quare vera? Vitis enim vocatur, quia vinum fert. Omnia

Omnia enim hæc Euangeliorum verba vinum sunt, & non qualecumque, sed optimum vinum, non de alia, nisi de hac vite, vindemiatum, & expressum. Inde est enim, quod in suæ prædicationis initio aquas Dominus conuertit in vinum, quatenus noua vitis, nouum vinum funderet, quo illas nuptias, & architriclinum inebriaret. Dicitur autem & vitis vera fortasse ad illius vitis distinctionem, quæ & pro vuis labruscas, & pro vino dedit acetum. Huius vinum dulce, semperque suaue. Huius verba semper vera, & nullius falsitatis ammixtione corrupta. Dicat ergo: *ego sum vitis vera, & pater meus agricola est*. Sed quid facit iste agricola? Vis audire quid: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum purgabit eum, vt fructum afferat*. Quot sunt Christiani, tot sunt & palmites huius vitis: Alij quidem boni, alij autem mali. Et boni quidem fructiferi, mali autem infructuosi. Tolluntur infructuosi, & incenduntur, fructiferi vero purgantur & gladio spiritus amputantur, vt plus afferant. Gladius spiritus est verbum Dei, & iste sermo sancti Euangelij. De quo & subditur: *iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Audistis igitur, quia sermo Dei gladius est & ferramentum, quo ab omni nociua superfluitate isti & mundati, & purgati sunt. Primi enim palmites huius vitis fuerunt Apostoli, quibus modo Dominus ait; *Manete in me, & ego in vobis*. Et quare maneãt, reddit causam, *sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites*. Ipse Dominus exponit, qualiter eius verba intelligere debeamus. Siccatur enim palmes, si separatur a vite, quoniam humorem, totamq. vitam habet in vite, ita & Christianus, si a Christo separetur, moritur, quia separatur a vita. *Qui manet in me, & ego in eo, hic affert fructum multum*, ille, inquit, affert fructum multum, qui manet in me, & quasi membrum mihi adhæret, & in quo ego maneo, qui sapientia sum, & veritas, & vita. Ideo enim Apostoli tantum fructum de suæ prędicationis semine Domino attulerunt, quia ab eius fide, & dilectione nullatenus separari potuerunt. Insuper & ipse Dominus in eis dixit illis: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur*. Hæc autem sub Tito, & Vespasiano completa sunt, quando non solum templum, verum etiam tota ciuitas funditus destructa est. Tunc enim multis milibus Iudæorum interfectis, cæteri in captiuitatem ducti sunt. *Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes; dic nobis, quando hæc erunt & quod signum aduentus tui, & consumationis seculi?* Ipsa eorum interrogatio docet quod Christi discipuli intellexerint. Audientes enim templi destructionem, sęculi cõsumationem subito & post modicum fore putabant. Quod vero toties in Monte Oliueti Dominus ascendebat, nos pacẽ & misericordiam diligere docebat. Oleos enim græcè, latinè misericordia dicitur. Et respondens Iesus dixit eis: *videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent*. Hoc enim Simonem Magum fecisse audiuimus: hoc Antichristum facturum esse legimus. Ipse enim, vt Apostolus ait, *se exaltabit supra omne, quod dicitur, Deus aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tamquam sit Deus. Cum autem audieritis pręlia, et seditiones nolite terreri. Oportet enim hoc fieri sed nõ statim finis*. A Christi nãque natiuitate, ex quo Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, quanto tempore princeps pacis Dominus noster in hoc mundo conuersatus est, magna vbique gentium pax, & concordia fuit. Quo recedente, paulatim prælia fieri, seditiones moueri, & bellorum rumores audire cœperunt. Sed non erunt hæc signa finis, sæculique consummationes. Multo enim maiora illa erunt, magisque terribilia, quæ mũdi finem præcedent. De quibus subditur: *consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum*. Omnia enim hæc iam præcesserunt, sed ad comparationem illorum, quæ futura sunt, tam parua fuerunt, vt illa cum venerint pro signo habeantur, & iam mundum stare & diutius durare non posse manifeste denuncient. Vnde enim in sequentibus dicitur: *erit tunc tribulatio talis, qualis nõ fuit, neque fiet*. Quia enim tunc nascetur perditionis filius, bella, lites, contentiones, & omnia mala vbique fieri oportebit. Vt enim pax præcessit Christus, ita discordia precedet Antichristum. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, *& ante reges, & præsides ducemini propter me, vt testimonium illis detis de me*. Hæc autem prophetia, quia iam completa est, expositione non indiget. Ipsa enim eius adimpletio expositio fuit. *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis*. Quid enim responderent, si tamen per se ipsos responderent piscatores, & idiotę? Quid enim responderent rustici, & illitterati? Ipsi enim sunt, de quibus Apostolus ait; *quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt perdat sapientia, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*. Non multum igitur erat præmeditandum eis, quia alius erat, qui loquebatur in eis. Vnde & subditur: *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*. Sed quare non os sine sapientia? Quare non sapientiam sine ore? Sed simul vtrumque & os, & sapientiam se daturum esse promisit. Nocet enim multoties os sine sapientia. Inutilis est autem quando sapientia sine ore. Vnde etiam scriptum est. *Sapientia occulta, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtrisq*. Hæretici autem os sine sapientia habuerunt, ideoque & sibi & alijs plurimum nocuerunt. Non sit igitur os sine sapientia, neque sapientia sine ore. Qui intelligit, loquatur, qui nõ intelligit, melius est, vt taceat, quam vt nociua ex fidei non conuenientia loquatur. Propter hoc enim ad tabernaculum construendum aurum simul & argentum, & æs Dominus offerri præcepit. In auro namque sapientia, in argento eloquij puritas, in aere verò loquendi facundia intelligitur. Sine his autem Dei tabernaculum ædificari non potest. Et de auro quidem scriptum est; *quia desiderabilis thesaurus requiescit in ore sapientia*. De argento vero: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum*. De aere autem: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam factus sum velut aes sonans, aut cimbalum tinniens*. Os enim & sapientiam acceperat ille, qui dicit: *sapientiam loquimur inter perfectos*. Os autem sine sapientia habuit Arrius, qui tot homines sua loquacitate in errorem induxit. Quia igitur os, & sapientiam habuerunt, sancti idcirco eis resistere, eisque contradicere non potuerunt omnes aduersarij Christi. Legimus enim philosophos, & sapientes a rusticis, & illiteratis, insuper etiam ab ipsis mulieribus sæpe loquendo fuisse superatos. Scio autem quia mouebitur aliquis, quia multa in hoc volumine vel addita, vel mutata reperiuntur, quæ in illo, de quo ista excerpta sunt, non inueniuntur. Sed aliter hic, & aliter ibi loquendum fuit, quia aliter populo, aliterque scholasticis loqui oportet. Sequitur. *tradet autem frater fratrem in mortem & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & capillus de capite vestro non peribit*. Considera modo quanta crudelitate tyranni, cæterique homines iniqui in eos sæuiant, quibus ipsi quoque parentes, & propinqui non parcunt. Quod autem dicit: *quia capillus de capite vestro non peribit*. In eo loco expositum est, in quo dicitur. *Quia capilli capitis vestri omnes numerati sunt. In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Magna est virtus patientię, sine qua perditur, & per quam anima possidetur.

IN NATALI CONFESSORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: homo quidam peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOmo iste Dominus, & Saluator noster est, intelligitur qui de hoc mundo ad patrem rediens. Hoc est enim peregre proficisci, prius fidelibus suis dona largitus est. *Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum. Vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.* Quinque enim talenta quinque sunt corporis sensus: duo vero intellectus, & operatio: vnum autem intellectus tantum. Hæc autem etsi naturaliter ab initio hominibus data sunt, ea tamen fidelibus suis iterum Dominus dedit, & quodam modo innouauit, dum magis interius, quam exterius habenda monstrauit. Habet enim & anima, visum, & auditum, gustum, & odoratum, & tactum, & quidem multo digniores illis, qui in corpore sunt. Sensus enim corporis cum alijs animalibus, sensus verò animæ cum angelis communes habemus. *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Qui autem vnum acceperat, abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Hæc autem omnia in sequentibus exponemus. *Post multum vero temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis*. Post multum namque temporis venit, quia multum temporis est inter primum, & secundum Christi aduentum. Tunc enim cum seruis suis rationem Dominus ponet, quia, vt Apostolus ait: *omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisque rationem de his, quæ gessit, siue bona, siue mala fuerunt. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum*. Visum mihi dedisti, operatus sum in eo, & multos illuminaui: quæ vidi ostendi: quæ intellexi docui, non celaui, non abscondi ea, quæ tu meis oculis reuelare dignatus fuisti. Habeo igitur hoc talentum multiplicatum. Dedisti mihi & auditum, in hoc quoque operatus sum, & multis alijs aures operaui, tuorumque secretorum verba eos audire, & intelligere docui. Hoc enim talentum Dominus requirebat cum diceret: *qui habet aures audiendi audiat*. Itemque *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cęteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant*. Gustum mihi dedisti, quo tuæ dulcedinis saporem intelligens dico: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel, et fauum ori meo.* Et in hoc quidem operatus sum, alioique mecum ad degustandum inuitaui dicens: *gustate, et videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo.* Sed quid dicam de odoratu, quo fideles tuos instruxi, qua ratione discernere valeant inter Catholicam doctrinam, & fetentem hęreticam prauitatem? Hoc enim serui tui illecti te sequuntur dicentes: *trahe nos post te, et curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Pro hoc & sancta Ecclesia de naso laudatur, vbi dicitur: *nasus tuus, sicut turris libani, quæ respicit contra Damascum.* At vero & in tactu operatus sum, & non minus in eis, quam in alijs talentis lucratus sum. Tactus animæ fides est. Hac enim Dominus tenetur, & tangitur. Quanto enim vnusquisque fidelior est, tanto familiarius, & propius Deum tangit. Alij enim ipsum, alij eius vestimenti fimbrias tangunt. Hoc autem talentum duplicamus, quando fidem nostram alijs prædicamus. Sed audiamus, quid huic Dominus responderit, qui ei quinque talenta duplicata obtulit. *Euge bone serue, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Euge, namque vox gaudētis est. Sed nota quod pauca Dominus reputat, quæque in hoc mundo meliora habemus. Quia in te illius regni diuitias inæstimabiles esse ostendit. De quibus Apostolus ait, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Pauca sunt igitur hæc talenta illis diuitijs comparata, siquidem eas quales sint per hæc neque videre, neque audire, neque ad plenum cogitare possumus. Quis enim illud cogitare valeat, quod in cor hominis non ascendit? *Intra in gaudium Domini Dei tui.* De hoc enim gaudio Psalmista ait: *beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæculum sęculi laudabunt te.* Itemque: *vnam petii a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meę.* Hæc autem de quinque talentis dicta sunt, nūc verò de duobus audiamus, per quæ intellectum, & operationem significari diximus, quę nimirum & si numero sint pauciora, pretio tamen, & significatione non sunt inferiora. Qui enim bene intelligit, & quæ intelligit, operatur, nihil in visu, & auditu, nihil in gustu, & odoratu, & tactu minus habet. In his enim duobus illa quinque plenissime continentur, quæ quidem sibi mutuo coniuncta sunt, & sine altero alterum nō valet. Inutilia enim sunt intellectus sine operatione, & operatio sine intellectu. Vnde bene dicitur: *intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in sęculum sęculi. Accessit igitur, qui duo talenta acceperat, et ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum*. Intellectum, & operationem mihi dedisti. Tu enim das intelligentiam intelligentibus, tu & bonam voluntatem, & bene operādi effectum tribuis. Vnde Apostolus, *neque volentis*, inquit, *neque currentis est cursus, sed miserantis est Dei, qui prius bene agendi voluntatem, deinde bene currendi tribuit facultatem*. Duo igitur talenta mihi dedisti, ecce alia duo superlucratus sum, quoniam quid intelligant, & qualiter intelligentes operari debeant, alios docere piger non fui. Huic itaque Dominus respondens, & congaudens non minora dona largitur, quam illi alij modo superius largitus fuerat. Beati isti serui, qui Domino sua talenta duplicata reddiderunt. Beati, in quorum manibus Domini sui pecunia non est minorata. Beati, qui animi splendorem, quem intus habebant, alios quoque illuminando foras ostendebant. Inde est enim, quod arcam de lignis Setim Dominus fieri iussit, & intus, & extra de auro purissimo deaurari præcepit. Arca enim & tota Ecclesia, & vnusquisque fidelis intelligi potest, in quibus cælestis sapientię thesauri reconditi sunt. Intus enim, & extra deauratus est, qui sapientia, qua interius est illuminatus, foris quoque alios illuminare non cessat. Qui enim sibi datam sapientiam cęlant illa intus, & non foris deaurati sunt. Cum enim Apostolus dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos*, tunc & intus, & foris deauratum esse significat. Hoc enim significabat illa lamina aurea, quam Pontifex ex Dei præcepto in fronte ferebat. Inde est etiam, quod mensam propositionis, & candelabrum aureum, non intra velum, sed potius extra Dominus poni iussit, quatenus ab omnibus viderentur, & nulli illuc accedere volenti cælari potuissent. Si enim cibos spirituales, & fidei lumen Dominus cælare voluisset, nequaquam extra velum, sed potius intra & mensam, & candelabrum poni præcepisset. Nunc autem de illo videamus, *qui abiens fodit in terra, et abscondit pecuniam Domini sui*. Per quem scilicet eos intelligimus, quibus ingenium, & intellectum Dominus dedit, quem ipsi in terreno, & inerti corde suffodientes, & abscondentes neque in sua, neque in aliorum salute eum expēdunt. Tales autem multos videmus, qui si voluissent multis prodesse potuissent. Et isti quidem intus satis amisso intellectu, quo male vsi fuerant, dum se excusare putant, iudicis iram contra se prouocant dicentes: *Domine scio, quia homo durus es, metis vbi non seminasti, et congregas vbi non sparsisti, et timens abii, et abscondi talentum tuū in terra.* Ecce habes, quod tuum est. Si enim intellectum habuissent, & sensum non amisissent, nequaquam durum, & iniustum vocarent, cuius beneuolentiam captabant. Talis igitur excusatio quam sit vana, & inutilis, omnisque ingenij, & rationis expers, ipse Dominus ostendit dicens: *serue male, & piger, sciebas, quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & ego ve-*

nicus

niens recepissem vtique quod meum est cum vsura. Ac si diceret: non fuit conueniens, vt meam pecuniam numularijs committere timeres cum meam fortem esse cognoueras, vt non solum mea, verum etiam aliena mihi vbique vendicare valeam. Qua in re te nullam excusationem habere manifestum est. Hæc enim pecunia verba vitæ æternæ sunt. Numularij vero, quibus ea nunciantur, si tamen in ea negotiantes otiosam eam esse non patiuntur, Hanc autem cum vsura Dominus recipit, quia multos fideles per fructum boni operis per eam acquirit. Nusquam autem est, vbi Dominus non seminauerit, nusquam est vbi suæ gratiæ sementem non sparserit, quia præter hoc, *quod in omnem terram exiuit sonus eorum* omnibus hominibus rationem, & intellectum, memoriam, & ingenium largitus est. Constat igitur hunc malum seruum ad uersum se esse mentitum. De quo Dominus subinferens ait: *tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet quinque talenta*. Per quod intelligere possumus, solos bonos eam beatitudinem possidere, quam simul cum eis, & mali possedissent, si in bonitate perstitissent. Talentum enim, idest talenti retributionem, & meritum soli boni habebunt. Vnde & subditur: *omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo*. Quicumque enim hæc talenta duplicata habuerit, ei & talentorum retributionem dabit, & omnium diuitiarum plenitudine abundabit. Ei autem, qui talentum non habuerit duplicatum, sed otiosum, & sine fructu illud esse permiserit, etiam id, quod videtur habere auferetur ab eo, quoniam sine ratione, & intellectu, stolidus, & insipiens apparebit. *Et tunc inutilis seruus eiicietur in tenebras exteriores. Illic erit fletus, & stridor dentium*.

IN NATALI CONFESSORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit illis decem mnas*. Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HOmo iste nobilis ipse est, qui hæc loquitur Saluator noster: qui non solum secundum diuinitatem, qua & Angelorum, & hominum creator, & Dominus est, verum etiam secundum humanitatem ex nobili genere ortus est. De tribu namque Iuda, & de progenie Dauid natus est Dominus, quæ inter alias tribus nobilior regnum tenuit, & principatum. Hic autem abijt in regionem longinquam, quando cælos ascendens ad patrem rediit. Vnde ipse ait: *exiui a patre meo, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem*. Hęc autem regio longinqua est, quia cum multo labore illuc peruenitur. *Per multas enim tribulationes* ait Dominus *oportet vos intrare in regnum cælorum*. Ab hac autem vnusquisq; tanto longius est, quanto inter cæteros iniquior est. Ad hanc igitur Dominus redit accipere sibi regnum, & reuerti. Tunc enim sibi Dominus regnum accepit, quando eius humanitas super cælos exaltata est, eique a patre dictum est: *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorū*. Restat igitur, vt reuertatur ad iudicium rediens cum seruis suis rationem ponat. Prius enim, quam illuc ascenderet, vocatis seruis suis dedit illis decem mnas, quæ alius Euangelista talenta vocat. Decem igitur sunt serui, decem & talenta. Noli dicere: pauci sunt, considera prius quid decem significent. Hoc enim numero nullus alius maior est, quia omnes in hoc numero continentur. Decem igitur aliquando multos, aliquando significat omnes. Vocauit igitur decem, idest omnes seruos suos, & dedit illis decem mnas, idest omnia talenta sua. Quod alibi dicitur: *& dedit illis bona sua*. Et ait ad illos *negotiamini dum venio*. Bonus negotiator B. Paulus, qui omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Quotidie namq; in Ecclesia nundinæ fiunt: quotidie Dei thesaurus in ecclesia venditur. Thesaurus enim desiderabilis requiescit in ore sapientis. Dei autem negotiatores sunt omnes serui, & nihil aliud, nisi seruos emunt. Nihil enim aliud de mundi diuitis, nisi solos seruos eorum Dominus concupiscit. Vnde & de templo eos eiecit, qui male negotiantes illicita ibi vendebant, & emebant. Hoc autem de seruis dictum est, nunc de ciuibus audiamus. *Ciues autem eius oderunt illum, & miserunt legationem post illum dicentes: volumus hunc regnare super nos*. Isti ciues Iudæi sunt, qui super se omnium regem, & Dominum Christum Iesum regnare noluerunt dicentes: *non habemus regem, nisi Cæsarem*. Et isti quidem tam prauam legationem post eum mittunt, quia ex quo ab eis recessit, in hac mala voluntate perseuerant. Quæ voluntas, quia Christus eam cognoscit, & audit quasi quædam legatio in illius semper auribus sonat. *Et factum est, dum rediret accepto regno, & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset*. Hoc autem erit in iudicio, quando boni, & mali omnes astabimus ante tribunal Christi, vt vnusquisque per se rationem reddat. Venit autem primus dicens: *Domine mna tua decem mnas acquisiuit*. Tunc enim vnum talentum decem acquirit, quando aliqua gratia nobis a Deo concessa in multas virtutes crescit, aut multos peccatores ad fidem, & iustitiam conuertit. Et ait illi: *euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates*. Et hoc quidem alius Euangelista manifestius dicens posuit: *supra multa te constituam intra in gaudium domini tui*. Itemque: *beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem*. Amen dico vobis super omnia, quæ possidet constituet eum. Hoc est igitur supra decem ciuitates potestatem ei dare, quod est, super omnia, quæ possidet, eum cōstituere. Diximus enim per decem omnes significare. Et super omnia quidem, quæ Dominus possidet, vnusquisque constituitur, quia omnia ei obediunt, eiusque voluntate omnia faciunt. Tanta enim ibi concordia erit, vt vnusquisque quasi maior veneretur ab omnibus, & quasi minor veneretur omnis. Et alter venit dicēs: *Domine mna tua fecit quinque mnas*. Iste quoque in talento sibi credito bene operatus est, sed non tantum, quantum ille, de quo modo diximus in eo lucratus est. Nam & si bene omnes laborent, non æqualiter tamen omnes laborant. Vnde Apostolus *ego*, inquit, *plus omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum*. Qua in re in talento, & in gratia sibi data se plus cęteris laborasse ostendit. Et huic ait: *& tu esto supra quinque ciuitates*. Sicut enim nec in labore, ita neque in mercede æquales sunt. Qui enim plus laborauerit, plus mercedis accipiet. *Stella enim*, vt Apostolus ait, *differt a stella in claritate, sic erit & resurrectio mortuorū*. Quamuis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes ęquales erunt. Quod quidem in eo significatur, quod alii supra decem, alii supra quinque ciuitates constitui dicuntur. Et alter venit dicens: *Domine ecce mna tua, quam habui repositam in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis, quod non seminasti*. In sudario namque talentum reponit, qui gratiam sibi datam in hac carne laboribus, & sanctificationibus tradita mortuam apud se esse sinit. Mētitur autem iste malus seruus, dum eum austerum vocat, de cuius dulcedine Psalmista loquitur dicens: *dulcis, et rectus Dominus, propter hoc statuit legem delinquentibus in via*. Talis igitur excusatio quam vana, & inutilis sit, ipse Dominus ostendit dicens; *de ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas, vt ipse fingis, quod ego austerus homo sum, tollens, quod non posui, et metens, quod non seminaui, et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam. Et ego veniens vtique cum vsuris exegissem illam?* Ac si dicat: non fuit conueniens, vt meam pecuniā ad mensam numulariorum committere timeres, cum me tā fortem, & potentem esse cognoueras, vt non solum mea, verū etiam aliena vbique mihi vendicare valeam. Qua in re nullā te habere excusationem manifestum est. Hæc autem pecunia verba vitæ æternæ sunt. Mensa Ecclesia. Numularij auditores; quibus omnis ista pecunia nunciatur, & creditur. Hanc autem cum vsura Dominus recipit, quia multos fideles cum

fructu

fructu boni operis per eam acquirit. Nusquam autem est, vbi Dominus non seminauerit: nusquam est vbi Dominus suæ gratiæ sementem non sparserit, quia præter hoc, quod in omnem terram exiuit sonus Apostolorum omnibus hominibus rationem, & intellectum, memoriam, & ingenium largitus est. Constat igitur hunc seruum nequam aduersus eum esse mentitum. De quo subinferens ait. *auferte ab illo mnam, & date illi, qui decem mnas habet.* Per quod intelligere possumus solos bonos eam beatitudinem possidere, quam simul cum eis & mali possedissent, si in bonitate perstitissent. Et dixerunt illi: *Domine habet decem mnas* Decem vtique iam habebat, quibus vna superaddita vndecim fiunt. Quid est igitur, quod non vndecim, sed decem tantum habere dicitur nisi hoc, quod superius diximus, quia idem significant decem, quam omnes, secundum quam significationem magis fuit decem, quam vndecim, quia vndecim non significant nisi vndecim, decem vero significant omnes. Potest autem & sic intelligi, quod dicitur: *Domine habet decem mnas.* Ac si diceretur: O Domine decem quidem mnas habet, satis et sufficere possunt. Cur ei amplius dari iubes? Quibus Dominus ait: *dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit. Ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.* Omni enim, qui fidem habet, & dignam fidei operationem, sicut iste, qui sic talentum multiplicauit, dabitur ei æternæ beatitudinis retributio. Ab eo vero, qui hoc non habet, etiam hoc, quod in opinione hominum habet, idest, hoc, quod videtur habere, vt alius Euangelista scribit, auferetur ab eo. *Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Miseri Iudæi, aduersus quos ista dicuntur. De quibus supradixerat: *ciues enim eius oderant illũ.* Isti enim tunc interficientur, quando dicetur eis: *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Tunc & boni audient: *venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.*

IN NATALI CONFESSORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei.* Et reliqua. Homilia B. Brunonis Episcopi.

QVod enim lumbos præcingere nos Dominus præcipit, castitatis gloriam, & obseruantiam commendat. In lumbis enim luxuria dominatur. Vnde & de diabolo dicitur: *virtus eius in lumbis eius, & fortitudo eius in vmbilico ventris eius.* De ecclesia quoque dicitur: *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Itemque: *sindonem fecit, & vendidit Chananæo.* Inde est, quod sacerdotes in lege balteos, & femoralia habere iubentur, sine quibus ad altare non accedunt, neque tabernaculum ingrediuntur. His igitur & similibus comprobatur, quantum Deo placeat obseruantia castitatis. Sequitur: *& lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ardent enim lucernæ nostræ, si bene circumquaque fulgeãt, aliosq; illuminent & doctrina, & opera nostra. Vnde & Dominus ait: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Illorum enim lucernæ extinctæ sunt, qui neque doctrina, neque operatione alios illuminant. Debemus autem similes esse hominibus, Dominum suum expectantibus, quando ad nuptias reuertatur, ne nos imparatos, & dormiẽtes inueniat. Dominus enim noster tunc ad nuptias reuertetur, quando sponsam suam matrem nostram, Sanctam videlicet Ecclesiã, omni corruptione liberam castis complexibus in æternæ felicitatis thalamum introducet. Venit autem & nunc ad nuptias per singulos dies, quando sanctorum animas, quę & ipsæ illius sponsæ sunt, ad se vocat, seque in æternæ beatitudinis cubiculum collocat. Quotidie igitur Saluator noster nuptias facit, quotidie ad se venientibus sanctorum animabus delicias summi boni, & ineffabilis dulcedinis epulas ministrat. Siue vero dicatur per ablatiuum a nuptijs, siue per accusatiuum ad nuptias non est inconueniens, quoniam in cælo, & in terra nuptiæ fiunt. De nuptijs itaque ad nuptias Dominus venit, & hic, & ibi, sponsam habet. Hæc est autem illa sponsa, de qua scriptum est: *vna est columba mea, sponsa mea, immaculata mea.* De his autem nuptijs alibi quoque Dominus ait: *simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Ad has autem nuptias prius Iudæi inuitati sunt, sed quia non fuerunt digni, Gentes Dominus vocari præcepit. In his Patriarchæ, & Prophetæ. In his Apostoli, & Doctores, magnas & ineffabiles epulas ministrant. De his autem nuptijs totus ille liber scriptus est, qui cantica canticorum vocatur. In his ipse Dominus, & sponsus est, & minister, qui ait: *non veni ministrari, sed ministrare.* Vnde etiam subditur: *beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis: quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Ibi est & Dauid cum psalterio, & cythara, & schola cãtorum. Ibi recumbit, & reficitur omnis ordo sanctorum. *Beati igitur serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* De his enim vigilijs Apostolus ait: *vigilate iusti, & nolite peccare.* Itemque: *vigilate, & orate, State in fide viriliter, confortamini in Domino, omnia vestra in charitate fiant.* Qui enim sic vigilant, beati erũt. Hos faciet Dominus secum discumbere, & per eos transiens ministrabit eis. Vnde & discipulos suos consolans ait: *vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* In eo autem, quod ait, quia præcinget se, & qui transiens ministrabit illis. Quo affectu, quo amore, quibus charitatis visceribus eos sus[c]ipiat, & in gloriam illis præparatam inducat, manifestissime ostendit. Non enim hoc ad literam intelligi debet, sed in exteriori apparatu, cordis intentio declaratur. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Tres enim vigiliæ, tria tempora sunt. Ante legem, sub lege, & sub gratia. Quoniam autem in prima vigilia neque per legem, neque per Prophetas mundum Dominus visitauit, ideo nihil hic de prima vigilia dicitur. In secunda autem vigilia non solum per legem, & Prophetas verum etiam per se ipsum visitare dignatus est. Vnde Apostolus ait: *multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est in filio.* Tertia autem vigilia hæc est, in qua non solum venit, verum etiam se semper adesse testatur dicens: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* Sequitur: *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.* Quia ergo nescit, quia dormiẽs negligit, sæpe domus perfoditur, & quicquid in ea melius est fit rapina latronum. Vos autem estote parati, estote solliciti, & quia illam vnam horam nescitis, omnibus horis vigilate: ne in illa vna hora incauti, & dormientes inueniamini. Et hoc est quod ait: *Ideo & vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* Ait autem ei Petrus: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* his enim verbis intelligere possumus quædam specialiter ad discipulos: quædam generaliter ad omnes Dominum dixisse. Qualia sunt: *Nolite cogitare de crastino: & nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini,* & multa alia. Dixit autem Dominus: *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem.* Constat igitur, quod non solis Apostolis, sed & cæteris Ecclesiæ ministris, & dispensatoribus, Episcopis videlicet, & Sacerdotibus, ista dicantur. Hos enim constituit Dominus supra familiam suam. Hos constituit supra Ecclesiam, & domum suam vt eam regerent, eam docerent, ei necessaria ministrarent, & tritici mensuram pro tempore darent. Hoc enim triticum doctrina Euangelica intelligitur. Qua non solum ad mensurã,

sed

sed & suo tempore dare oportet, non enim omne tempus aptum est doctrinæ, nec æqualiter omnibus, nec omnia omnibus prędicare conuenit. Fidelis igitur dispensator, & prudens diligentissimè considerare debet, quando, & quid, & quantū vnicuique tribuat. Vnde & in lege quibusdam sacrificijs solis sacerdotibus: quibusdam & alijs vesci licitum erat. Locus quoque & tempora erant constituta, in quibus ea offerre licebat. *Beatus* igitur *ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem*. Vnde autem sit beatus, audiamus. *Verè dico vobis, quia supra omnia quæ possidet, constituet eum*. Supra omnia quidem vnusquisque constituitur, quia omnia ei obediunt, eiusque omnia faciunt voluntatem. Tanta enim ibi concordia erit, vt vnusquisque quasi maior veneretur ab omnibus, & quasi minor veneretur omnes. Non est igitur inconueniens, vt vnusquisque ibi supra omnia constituatur.

IN NATALI CONFESSORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur?* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

HÆc autem verba, & alia multa tunc discipulis suis in monte Dominus locutus est, quando octo beatitudines prædicauit: *Vos*, inquit, *estis sal terræ*, vos estis hominum condimentum: vestro exemplo instrui, vestra sapientia doceri, vestra humilitate, & patientia componi cæteri debent. Quod si sal euanuerit, si prædicator vires amiserit, si Episcopus luxuriæ, & vanitati se dederit, in quo salietur, in quo populus condúcetur? *Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*. Tale enim sal, quia infatuatum est, foras mittitur; quoniam falsus prędicator, eiusque doctrina, quæ vana, sine sapore, & inutilis est, ab Ecclesia pellitur. Conculcatur autem ab hominibus, quia dignus est, quia ab hominibus despectui habeatur. *Vos estis lux mundi*. Quod enim Sol, & Luna præstant corpori, hoc Apostoli, & Doctores præstant animæ. Illi illuminant oculos corporis; isti illuminant oculos mentis. Sunt igitur lux mundi, qui maiorem, & meliorem mundi partem illuminant. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita*. Sic sunt Apostoli, & Episcopi super Ecclesiam, sicuti ciuitas supra montem. Non possunt abscondi, altius sedent, omnium oculi ad eos respiciunt. Qui si pulchri fuerint, & sui ordinis decorem, & honestatem tenuerint, venerantur ab omnibus, mirantur, & laudantur ab omnibus. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt*: ad hoc enim lucerna accenditur, vt luceat. Ad hoc Episcopus ordinatur, vt cæteros illuminet. Lucerna enim Episcopus est: lumen, gratia Spiritus Sancti, siue euangelica prædicatio: cādelabrum, Ecclesia. Qui ergo super Ecclesiæ candelabrum positus est, videat, ne gratiam Spiritus Sancti, qua illuminatus est sub modio ponat: videat, ne talentum sibi traditum, terræ instodiat. Scriptum est enim: *Sapientia occulta, & thesaurus, quæ vtilitas in vtrisque?* Inde etiam qui abscondit frumenta maledicitur in populis. Vnde & Apostolus ait: *Si non euangelizauero væ mihi erit*. Vnde & Ezechieli Dominus dicit: *Fili hominis speculatorem posui te domui Israel. Si ergo non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requiram*. Hinc etiam mensam propositionis, & candelabrum aureum non intra, sed extra velum Dominus poni iussit, quatenus ab omnibus viderentur, & nulli absconderentur, qui vel fidei splendore illuminari, vel cibis spiritualibus satiari desiderant. Hoc autem significabant & tyntinnabula aurea, quæ inter mala punica posita in vestem Pontificis pendebant, vt Pontificis sonus semper audiretur, & quando ingrediebatur sanctuarium, & quando egrediebatur de sanctuario, & non moreretur. Necesse est ergo Pontificem sine intermissione clamare: necesse est semper prędicare, & vocis tyntinnabula sonare, & ad fidem, ad baptismum, & ad pęnitentiam populum vocare: siue enim ingrediatur sanctuarium, siue egrediatur de sanctuario hoc agere debet, quia quamdiu in Ecclesia est, quamdiu circa se populum cernit, populus enim sanctuarium est, semper ædificationis verba eorum auribus insonare, & instillare conuenit. Quod quidem si Episcopus fuerit, non morietur. Hæc autem in exodo plenius exposuimus. Non autem sermone tantum, sed etiam opere lucere Episcopus debet. Vnde & subditur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*. Lux, inquit, estis, & sermone & opere lucere debetis; magis enim operando, quā loquendo proficitis, quia maior est splendor operis, quàm sermonis. Vnde non ait: Vt audientes vestrum sermonem bonū, glorificent patrem vestrum, qui in cęlis est. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas, non veni soluere, sed adimplere*. Venerat enim Dominus non tantum ad soluendū, & exponendum hoc, quod lex, & prophetę iubebant, verum etiam ad agendum. Venerat præterea Dominus non ad hoc tantum, vt legem & prophetias solueret, & exponeret, sed vt ea, quæ minus habebant, adimpleret: multis enim modis nisi ipse venisset, prophetiæ adimpleri non poterant: prædixerant enim eius natiuitatem, passionem, resurrectionem, ascensionem, & virtutes, quas in homine operatus est, quæ nequaquā adimpleri possent, nisi ipse venisset. Multum igitur minus habebant lex & prophetię spiritualem videlicet intelligentiam, quæ nisi per Christum adimpleri non poterat, hoc enim Ioānes Euangelista testatur. Qui cum multū fleret, eo quod nemo inueniri posset, qui librum septem sigillis signatum aperiret; dictum est ei, ne fleret, *quia ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & soluere septem signacula eius. Amen quippe dico vobis, donec transeat cęlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. Quomodo enim non fiant, quæ ipse Dominus ventura esse prædixerat? alioquin mentiretur, & qui mentiri non potest. Iota autem, & apex, quę in litteris minima sunt, quamlibet legis, & prophetarum paruissimam sententiam significāt. Sequitur: *Qui enim soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cœlorū. Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cęlorum*. Non veni, inquit, legem soluere, & exponere. Sed ea, quæ lex præcipit agere, veni & adimplere. Quare hoc? Vis audire quare? Quia qui scripturas solummodo soluit & exponit, & non facit quod scripturæ præcipiunt, minimus vocabitur in Regno Cęlorum. Qui autem eas & facit, & docet, hic magnus vocabitur in Regno Cęlorum. In quo Regno Cęlorum? Dicitur enim non solum patria cęlestis, verum & Ecclesia regnum. Sed quomodo ibi minimus vocabitur, qui neque magnus, neq minimus ibi erit? De ecclesia igitur hoc intelligatur, quæ multis in locis regnum cœlorum vocatur. In qua Sancti Apostoli, Martyres, & Confessores magni valde venerantur, & habētur, qui legis mandata & fecerunt & docuerūt. Cæteri vero quam minimi sint, quid attinet dicere, cum neq. in memoria apud homines habeantur, neque in cælis inter Sanctos enumerentur, & quidem multos tales in Ecclesia videmus, plerosq. fuisse non dubitamus, qui bene quidem prædicare sciunt, bene autem facere nesciunt. Isti igitur non immerito minimi, & vocantur, & sunt in Regno cęlorum: quoniam etsi ab alijs magni videantur, ab illis tamen despiciuntur, in quibus cœlorum regni Dominus regnat, & habitat. Sed videamus quid significat, *qui soluerit vnum de mandatis istis minimis*. De quibus istis, nisi de his, quæ in lege continentur, quam se non soluere, sed facere prædixerat? Quomodo autem aliquod mandatum minimum esse intelligere possumus, quod qui non facit, vocatur minimus, et qui facit vocatur magnus? tale enim mandatum non minimum, sed maximum esse videtur. Et ego quidem his verbis significari puto, quod omnia legis mandata non facientibus minima sunt, facientibus autem maxima, quoniam illos minimos, istos vero maximos faciunt. Sunt præterea minima in minimis, et magna in magnis, quoniam et illi habent ea pro minimo, et isti habent ea pro maximo:

potest

potest autem sic intelligi quod dicitur : *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines , minimus vocabitur in regno cælorum*, ac si diceretur . Qui legis , & prophetarum mandata, etiam quæ minima esse putantur, soluerit, & custodierit, & vel sermone, vel prauo exemplo idipsum alios facere docuerit, minimus vocabitur in Regno cælorum, non quod ibi sit, sed quia ab eis, qui ibi sunt, minimus, et vocabitur, & habebitur . Vnde non ait , minimus erit, sed minimus vocabitur in Regno cælorum , quia quamuis ibi non sit , ab his tamen , qui ibi sunt, minimus & vocari , & haberi potest. Quę sint autem legis , & Prophetarum minima mandata, non facile patet , quamuis ea , quæ maxima sunt Domino reuelante sciamus, sic enim ipse ait ; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua , hoc est maximum , & primum mandatum . Secundum autem simile est huic ; Diliges proximum tuum , sicut te ipsum* . Maxima igitur hæc duo sunt , Et illa decem , quæ digito Dei in tabulis lapideis scripta sunt . Ad horum itaque comparationem alia omnia vel maiora, vel minima intelligi possunt, quę qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum ;

IN NATALI CONFESSORVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthęum.

L*Vcerna corporis tui est oculus tuus . Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit* . Et reliqua . Homilia B. Brunonis Episcopi.

SI ergo lumen quod in te est, tenebrę sunt, quantæ erunt ? Hanc autem similitudinem ad quid attulerit Dominus nō clarè apparet, nisi fortasse quia discipulis loquebatur, quia in huius sermonis exordio dixerat : *Vos estis sal terrę : vos estis lux mundi* , vt per hoc videlicet intelligantur , quales in Ecclesiæ corpore Episcopi, & Doctores esse debeant. Et tale est, ac si diceret : Sicut oculus est Lucerna corporis , ita & vos estis Lucerna Ecclesiæ : qui si simplex, & sine macula fuerit , totum corpus lucidum erit . Si vero nequam, & sine lumine fuerit, totum corpus tenebrosum erit . Nam neque manus , quo extendantur, neque pedes, quo ambulent , neque cætera membra cognoscent , ad quam partem se dirigere debeant . *Si ergo lumen, quod in te est, tenebrę sunt* , & illud in se lumine careat, neque se ipsum illuminare valeat, sine quo cętera membra lumen non habent , considera modo ipsæ tenebræ quantæ erunt ? Tantæ vtique, quanta & membra . Sicut enim vnius lumine omnia illuminantur , ita vnius tenebris omnia excecantur. Necesse est igitur vt Ecclesia oculos: necesse est, vt Sacerdos, & Episcopus simplex sit, sine macula sit, sine errore sit ; quatenus de eius vita, de eius doctrina, de eius moribus, & Sancta conuersione omnia membra illuminentur . Si vero quod absit, *nequam fuerit*, si hæreticus fuerit , si fornicator, & adulter fuerit, *totum corpus tenebrosum erit*. Non dixit totum corpus nequam erit, sed totum corpus tenebrosum erit : quoniam non omnes eius nequitiam imitantur, quamuis eius tenebris omnes inuoluantur . Omnes enim inuoluuntur tenebris. quia extincta est in eis lucerna luminis. Non enim ex tenebris oritur lumen, neque ex mendacio nascitur veritas . Si ergo totius corporis lumen vertitur in tenebras , ipsę tenebrę quantæ erunt ? Hoc autem & de anima intelligi potest, cuius oculus est intentio, & intellectus , quæ intentio si bona fuerit, omnis eius operatio lucida erit . Vnde & quidam sapiens ait: *Non magis opere considerandum est quid aliquis agat, sed qua intentione hoc faciat* . Vnde & modo Dominus superius dixit : *Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritę tristes : exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes* . Isti autem, qui stulta, & vana intentione hoc faciunt, dicit Dominus, *quia receperunt mercedem suam*.

Similiter autem & illi, qui omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, nullam aliam mercedem habebunt . At vero illis, qui bona intentione hoc agunt, præcipit Dominus, vt coram hominibus opera sua faciant . Sic Inquit : *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera , & glorificent patrem vestrum qui in cælis est* . Sola igitur intentio facit vt opera nostra, vel bona , vel mala Domino appareant ; homo enim videt in facie . Deus autem intuetur corda. Vnde & ipse ait : *Nolite iudicare , & non iudicabimini . nolite condemnare, & non condemnabimini* . Iudicatis quæ nescitis, condemnatis multoties quæ ignoratis : aliter vobis , & aliter mihi videtur . Cognoscite prius intentionem , & iudicate : potest enim fieri, vt vnum , & simile opus non vna intentione fiat , palam enim eleemosinas dare, & bona , & non bona intentione fieri potest . Si enim ideo das , vt ab hominibus videaris, non est bona intentio . Si vero ideo das , vt bonum exemplum alijs tribuas, & Deus inde glorificetur bona intentio est . Sic igitur in omnibus sola intentio quærenda est, quę si bona fuerit, totum corpus virtutum , totaque massa operationum lucida erit .

IN NATALI VIRGINVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis. Simile est Regnū cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & prę gaudio illius vadit , & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum* , Et reliqua . Homilia Beati Brunonis Episcopi.

REgnum cælorum hoc in loco cęlestem patriam dicit, quę meritò thesauro in agro abscondito comparatur, quia eius diuitiæ nondum omnibus manifestæ apparent . Inueniūtur tamen & si non ad plenum, quoniam Sanctorum doctrina, & prædicatione , qualis , quantaque sit, magna ex parte declaratur . Hunc autem thesaurum Christo Domino prædicante, Sancti Apostoli inuenerunt , & præ gaudio illius venditis omnibus eum emerunt. Si vis, inquit Dominus, *perfectus esse , vade vende vniuersa quæ habes , & da pauperibus, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo* . Sic igitur ager iste cum thesauro suo perfectissime emitur . Hunc autem thesaurum ille abscondit, qui cognito qualis sit, corde retinet, mente diligit, eiusque nullo modo obliuiscitur . Illud enim abscondimus, quod carum habemus , & amittere timemus . Iterum : *simile est Regnum cælorum homini negociatori quærenti bonas margaritas, inuenta autem vna preciosa margarita abijt, & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam* . Hæc autem similitudo, & ea, quæ superius dicta est, penè idem significant . Præter hoc quod Regnum Cælorum non cęlestis patria, sicut ibi, sed sancta Ecclesia intelligitur . Quod vero ibi thesaurus dicitur : Hic Margarita vocatur. Simile est igitur Regnum cælorum , Idest Sancta Ecclesia homini negociatori : quoniam sicut ille vnius Margarite desiderio omnia vendit , & eam emit : ita & ista pro amore patriæ cælestis, & æternæ felicitatis non solum ea, quæ habuit, vendidit , verum etiam seruituti subiugauit, vt eam emere, & possidere valeat . Callidus enim negociator est, qui ex his , quæ diu possidere non potest , tale aliquid emit quod numquam amittere timeat, & in quo vniuersa possideat . Possumus autem per hunc negociatorem Dominum , & Saluatorem nostrum intelligere, qui inuenta vna preciosa margarita , per quam sanctam Ecclesiam non habentem maculam , neque rugam intelligimus , omnia quæ habuit vendidit , Idest se ipsum vendi, & occidi permisit , & emit eam . Sic etenim Apostolus ait . *Empti enim estis precio magno : glorificate, & portate Deum in corpore vestro* . Iterum : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti . Quæ cum impleta esset , educentes, & secus littus*

seden-

dentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Merito enim regnum cælorum idem Sancta Ecclesia Sagenę simile dicitur, quia & piscatoribus commissa est, & in aquis baptismatis quotidie innumerabiles Pisces concludit, & capit. De quibus ipse Dominus suis discipulis ait; *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Hanc autem sagenam tunc in mare Dominus misit, quando eiusdem discipulis præcepit dicens. *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Mare enim vocatur mundus iste. De quo Psalmista: *Hoc mare magnum inquit, & spatiosum. Illic reptilia, quorum non est numerus.* Congregauit autem hæc sagena ex omni genere piscium, quoniam Sancta Ecclesia ad fidem vocauit, & in sinu suo collegit ex omni genere hominum: Ibi enim simul sunt iudæi, & Græci, latini, & Barbari, diuites, & pauperes, sapientes, & insipientes, frumentum, & zizania, granum, & palea, iusti simul, & peccatores. Nondum autem impleta est, adhuc pisces ingrediuntur: adhuc homines baptizantur. Implebitur verò, quando plenitudo gentium in eam introierit, & quando Israel saluus fiet. Tunc igitur eam educentes, & secus littus sedentes, bonos pisces eligent, malos autem foras proijcient. Littus namque Maris finis est sæculi. Hoc autem ipse Dominus exponens, ait: *Sic erit in consumatione sæculi. exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Caminus iste infernus est, in quo neque vermis moritur, neque ignis extinguitur. In fletu verò, & dentium stridore dolorum nimietatem, & pęnarum intollerantiam significat. *Intellexistis hęc omnia? dicunt ei: etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in Regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera,* ac si diceret: Illis in parabolis locutus sum, & non intellexerunt: vobis autem parabolas ipsas exposui, & intellexistis, & illis quidem, qui adhuc veteres sunt, promisi vetera. Vobis autem quia noui estis, & noua, & vetera. Illis prophetarum consuetudine, vobis doctoris, & magistri more locutus sum; Sic igitur loquimini, Sic docete: hanc loquendi regulam tenete, aliter enim in Regno cęlorum, aliter in conuentu scribarum, et Pharisęorum, aliter in Ecclesia: & aliter in Sinagoga loqui oportet. *Ideo omnis scriba doctus in Regno cælorum:* omnis Ecclesiæ Doctor, & prędicator, si sapiens est, si doctus est, *Similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo,* de diuitijs pectoris sui, de scientia cordis sui *noua, & vetera.* Sinagogæ scribæ, quia docti non sunt, proferunt vetera. Ecclesiæ vero scribæ, quia docti sunt & noua proferunt, & vetera. Illi solam litteram: isti & litteram sequuntur & spiritum. Istis denique *datum est nosse mysterium Regni Dei*; illis autem non est datum. *Vt videntes non videant: Vt audientes non intelligant.* Ingrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos clauserunt, ne videant, & conuertantur, & sanem eos: hæc enim vetera sunt, & de Libro Isaię Prophetæ assumpta, cętera autem noua sũt, quæ in similitudinibus loquutus est Dominus, Ab eo loco, in quo ista ait. Sic igitur & Ecclesiæ doctores secundum magistri consuetudinem proferre debent de thesauro suo noua & vetera. Ideo enim binos discipulos ante se Dominus mittebat. Ideo & duo Cherubim se vicissim respiciebant. Ideo abissus inuocat abissum. Idem nouum vetus, & vetus nouum inuocat testamentum. Abissus enim vtrumque testamentum dicitur propter alteram sapientiæ, & scientiæ profunditatem. Inde est etiam, quod Psalmista Ecclesię Doctoribus loquitur dicens: *Si dormiatis inter medios cleros, eritis pennæ columbæ deargentatę.* Duo namque cleri, duo sunt testamenta. Columba vero Ecclesia est, quæ ideo deargentata dicitur, quia cunctis virtutibus, & præcipuè veritate decorata est. Inter hos autem duos cleros, Ecclesiæ doctores, & Magistri dormiunt, si in vtriusque testamenti scientia, & doctrina, quasi in somno, & quiete delectantur, & nunc noua veteribus, nunc vetera nouis confirmantur, hoc enim facientes fiunt pennę columbę, quia tam sapienti, & rationali prędicatione Sanctam Ecclesiam volare dicent, & secum ad cælestia transferunt. Propter hoc enim de sanctis dicitur, *quia assument pennas vt aquilæ volabunt, & non deficient*; propter hoc & Tabernaculum maxima ex parte opere plumario factum est, vt omnes alas suscipiamus, & volare discamus. Sequitur. *Et posteriora dorsi eius.* Sequentur vos in specie auri: prima namque pars Ecclesiæ Apostoli fuerunt, & quicumque eorum in tempore crediderunt? Posteriores vero nos sumus, et quicumque vsque ad sæculi consumationem credituri sunt. Posteriores itaque sequuntur primos, et cælestis sapientię splendore nitentes. Eadem via post eos, eiusdemque virtutum alis ad cælestia conuolabunt. Hoc autem ideo fiet, quia sapientes Ecclesiæ scribere qui eos docēt, et prædicant, inter medios cleros dormientes, de thesauro suo proferunt noua, et vetera. Hoc enim ipse Dominus faciebat: hoc et discipulos suos facere docuit. Et ideo quidem omnis scriba doctus in Regno cælorum similis esse debet homini patrifamilias. Idem Domino nostro Iesu Christo, qui profert de thesauro suo noua, et vetera.

IN NATALI VIRGINVM.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore *Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: simile est regnum Cęlorum decem Virginibus, quæ accipiẽtes Lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsę.* Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

DIxerat modo superius Dominus, et Saluator noster: *De die autem illa, & hora, nemo scit, nisi Pater solus, ideoque estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit. Beatus autem ille seruus, quem cum venerit Dominus, inuenerit vigilantẽ,* Postea vero dixit: *Tũc simile est Regnum cęlorũ decẽ virginib.* Sed quare nũc nĩquid et modo simile nõ est simile quidem est et modo: sed hæc similitudo nondũ manifeste apparet. Tunc igitur similitudo est, quando hæc similitudo manifesta est. Nondum enim apparet, quæ virgines fatuæ sint, et quæ prudentes: multæ enim exterius videntur esse prudentes, quæ interius fatuæ sunt. Quicunque enim opera sua faciũt, vt videãtur ab hominibus, fatui quidem sunt, tamen prudentes esse videntur. Magna enim fatuitas est ieiunare, vigilare, carnem affligere, et macerare, et per hoc nullã aliam mercedem, nisi vanam gloriã expectare. De talibus enim Dominus ait: *Amen dico vobis recepere mercedem suã* Itemque. *Lucerna corporis est oculus, qui si tenebrosus fuerit, totum corpus tenebrosum erit.* Inde enim dicuntur omnes virgines, quia boni videntur ab hominibus. Sunt igitur mactione virgines, intentione corrupti, quia oculum tenebrosum habent, et bona quæ agunt, non casta, et sincera intentione faciunt. Sed quare hæ Virgines decem dicuntur? hic enim numerus omnes significat, quia omnes in se numeros continet. Quod ergo ait. *Simile est Regnum cælorum decem Virginibus,* tale est, ac si diceret: Similis est Sancta Ecclesia cunctis virginibus. Et mox ipsam similitudinem exponit dicens: *Quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Quia enim quotidie morti appropinquamus. Quotidie sponso, et sponsæ idest, Christo, et Ecclesię obuiam pergimus. Hæc enim via simul cum vita finitur. Lampades autem accipimus, si bona opera nobiscũ ferimus. Quod enim bona opera lampades dicantur, ipse Dominus ostendit dicens. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes bona vestra opera glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est. Quinque autem ex eis erant fatuę, & quinque prudentes.* Quod quidem alios in Ecclesia vanos, et fatuos, alios verò prudentes, et iustos esse significat. Quamuis et ipso numero aliquid intelligi possit. Quinque enim sunt corporis sensus, quibus aut prudentes, aut fatui omnes homines sunt. In quibus etiam ipsa eorum fatuitas manifestissimè declaratur. *Sed quinque fatuę acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum.* Talis autem fuit Dina filia Liæ, talesque significabat: quæ dum Iacob moraretur iuxta vrbem Salem,

egressa est, sicut fatua, & stulta, vt videret mulieres Regionis illius. Quam Sichem filius Emor princeps illius terræ rapuit, & dormiuit cum ea. Quid enim per Dinam, nisi simplices quosque fatuos, & carnales intelligimus? qui ad matris similitudinem lippitudinem in oculis habentes, & lampades extinctas secum ferentes, facillimè decipi possunt. Quid vero per Sichem, qui humerus interpretatur, nisi hæretici intelliguntur, qui quasi viri fortes quoscumque decipere possunt, in suum gregem forte conantur? Bene autem Sichem filius Emor esse dicitur, quoniam Emor asinus interpretatur. Hic igitur humerus & hic asinus multos ferunt in perditionē æternam. Bene autem hæretici asini dicuntur, quia sanum, & rationabilem intellectum non habent, magisque in magna, & clamosa voce, quam in aliqua ratione confidunt. Egreditur autem Dina ad videndum mulieres regionis illius, quādo simplices, & fatui viri ab Ecclesia separantur, quos hæreticorum, & philosophorum dogmata audire delectat. Mox igitur capiuntur, & in hæreticorum gregem transferuntur. Vnde fit, vt anima Domino desponsata scortum Diaboli esse incipiat. Talis igitur fuit Dina, tales, & virgines fatuæ, quæ per eam significantur. Sed non talis filia Iepte, quæ sicut virgo prudentissima duobus mēsibus virginitatem suam, fleuisse narratur. Nota est historia. Iepte enim contra hostes pugnaturus, cum hostium exercitum validum conspexisset, votum vouit Domino, quia si ei de inimicis victoriam daret, quicquid ei domum redeunti primum occurreret, ei immolaret. Commisit igitur, & vicit, eique domum reuertenti filia eius vnica cum choris, & tympanis prima occurrit. Cui ipse ait: *Heu filia mea: decepisti me, & decepta es: aperui enim labia mea Domino, & aliter esse non poterit*. Ad quem ipsa: *Si*, inquit, *labia tua Domino aperuisti, fac in me sicut promisisti. Sed vnum est quod postulo, vt me permittas flere virginitatem meam duobus mensibus cum sodalibus meis*. Sed quid per iepte, nisi viros fideles, & Catholicos intelligimus? Isti quidem contra suos pugnant inimicos, quando vitia, & malignos spiritus carnis voluptates, & concupiscentias superant. Quid vero per vnicam eius filiam, nisi anima designatur, quæ quidem de tali victoria plus omnibus gratulatur? hæc autē quia melior est, & ad Dei imaginem, & similitudinem facta est, digna vtique est, quæ Domino offeratur. Plangit itaque virginitatem suam, quia multum dolet, quod plus non laborauerit, quod non maiorem fructum Domino obtulerit, & quod plures boni operis filios non genuerit; Virginitas enim hoc in loco pro sterilitate ponitur, quoniam quæ Virgo est, Sterilem quoque esse necesse est. Steriles enim in opprobriū erant in Israel. Considera igitur, quam prudens virgo ista fuerit, quæ non de morte, sed de sterilitate potius lamentatur. Iepte quoque prudentia valde laudabilis est, qui ne votum frangeret, filiam interfecit. *Qui enim amat animam suā perdet eam*. De voto autem Psalmista ait. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius offertis munera*. Dedimus itaque formam, atque exemplum, quæ virgines fatuæ sunt, & quæ prudentes; *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non Sumpserunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus*, quasi enim sine oleo sunt fatuarum lampades, quia etsi ad tempus eorum opera lucere videantur, simul tamen cum eis extinguuntur, quoniam post hanc vitā nullum eis lumen ministrant. At verò prudentium lampades, quoniam sincero pietatis, & misericordiæ oleo nutriuntur, tunc clarius lucēt, quando de his tenebris ad vitam transferuntur. Ideoq. Apostolus ait. *Nolite itaque ante tempus iudicare quo ad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo*. Tunc enim quæ lampades habeant oleum, & quæ non habeant, omnibus reuelabitur. Tunc fiet sermo, qui de Ecclesia scriptus est. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes, & dormierunt*, Moratur enim sponsus, & venire retardat, donec ad iudicium Dominus veniat. Tanta igitur est hæc mora, quantum est & spatium huius sæculi. Interim autem omnes dormitant, & dormiunt, quia post multos languores tandem somno mortis oculos claudunt, quasi enim ante somnum dormitare est: ante mortem languescere, & ægrotare. *Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit Exite obuiam ei*; de hoc enim clamore Apostolus ait. *Clanget enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*, Hic autem clamor media nocte fiet, quia cunctis ignorantibus dies Domini, quasi fur in nocte ita veniet. In nocte enim fit, quod in tenebris ignoranter fit. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas*. Vt enim Apostolus ait. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Lampades autem ornant, dum opera sua secum retractant, & dignæ responsionis verba inuenire intenus cogitant. Quæ postquam fatuæ inuenire non possunt, mendicare incipiunt, & de suo testimonio diffidētes, aliorum pro se testimonia flagitant. Et hoc est quod ait. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguuntur*. Oleum fatuæ quærunt, quoniam misericordia indigent, & tale est ac si diceret. Quia opera nostra lucere deficiunt, illuminate ea vos testimonio vestro, Responderunt sapientes dicentes. *Ne forte non sufficiant nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis*. Non nobis, inquiunt, oleum quæratis, neque nos mentin admoneatis: ite potius ad venditores, ite ad adulatores, qui vili precio laudis, & fauoris omnia bona nostra vobis vendiderunt, quoniam ideo cuncta agebatis, vt videremini ab eis nos enim de nobis ipsis nondum ad plenum securi sumus, nedum de vobis testimonium demus. Vnde Beatus Petrus Apostolus ait: *Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ parata erant intrauerūt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua*. Dum emere, inquit, irent: idest dum ad ea, quę in hoc sæculo egerant mente redirent, dum opera sua qua intentione ea fecissent, secum tractarent, dum se pro eis laudis mercedem iam suscepisse recogitarent, venit sponsus. Emere enim nunc nihil aliud erit, nisi emptionis, & venditionis modum cogitare. *Nouissimè autem veniunt et reliquæ virgines dicentes. Domine Domine aperi nobis. At ille respondens ait. Amen dico vobis nescio vos*. Deus enim qui omnia scit, fatuas virgines se nescire dicit, quoniam eorum nomina non sunt scripta in libro Vitæ. Nescire namque Dei reprobare est. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

Lectio Sancti Euangelij secundum Lucam.

INgressus Iesus perambulabat Ierico, & Ecce vir nomine Zachęus, & hic erat princeps publicanorū, et ipse diues, Et reliqua. Homilia Beati Brunonis Episcopi.

EX quo tempore primus homo descendit ab Hierusalem in Ierico, & incidit in Latrones: omnes per Ierico ambulamus quicumque hunc mundum inhabitamus. Ierico namque interpretatur Luna, cuius tanta mutabilitas est, vt numquam in eodem statu permaneat. Vnde & non immerito hunc mundum significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare non potest. Vt enim de cœlo, et tempore, de diebus, et mensibus, et anno taceamus, quę semper voluuntur, et in se replicantur, neque aer, neque terra, neque Mare, neque ipsi homines suam perpetuo seruant figuram. Quorum omnium mutationes, qui vnquam per singula enarrare valeat? Merito ergo Mundum istum Luna significat, qui ad illius similitudinem tantis semper mutationibus variatur. Hanc autem mutabilitatem Dominus, et Saluator noster secundum humanitatem suscipere dignatus est, vt hominem a latronibus vulneratum sanaret, et mundum a perpetua morte liberaret. Vnde et merito per Ierico ambulasse dicitur, quia cum sit immutabilis secundum diuinitatem, nostras mutationes in

carne sua suscepit. Esuriunt enim, atque sitiunt, & super puteum fatigatus sedit. *Et ecce vir nomine Zachæus*, qui digne satis iustificandus interpretatur, quoniam à Deo vocatus, & iustificatus est. Hic autem erat non solum publicanus, verum etiam publicanorum Princeps. Erat insuper & diues quem difficile est intrare in Regnum Cœlorum. Difficile vtique, & apud omnes impossibile. Sed quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Et quamuis talis esset, quærebat tamen videre Iesum. Quærebat quidem, sed videre non poterat. Sed quare non poterat? Præ turba. Et quia statura pusillus erat; hæc enim duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Iesum. Mala turba, quæ a tanto, talique bono hominem deturbat. Turba ista vitiorum est. Qua qui circumdatus fuerit, Christum videre non potest. Statura verò pusillus est, qui ad scientiæ ætatem, & perfectionem nondum peruenit. Vnde Apostolus nos admonet dicens: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote*. Et iterum; *Tamquam paruulus in Christo vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed necdum quidem potestis. Adhuc enim carnales estis*. Qui igitur vult videre Iesum, exeat de turba; fugiat vitia, & peccata, vitet malorum consortia; Erigat, & extendat se; crescat in fide, & scientia; & proficiat in omni bonitate. Hoc enim significauit Zacheus, quando præcurrens ascendit in arborem sicomororum. In arborem quidem ascendit, quatenus inde videret, quem per se videre non poterat. Hæc arbor fides est, ad quā multi venientes, & in eam ascendentes, quamuis statura paruuli fuissent, & nondum in scientia multum creuissent, inde tamen Iesum videre, & cognoscere meruerunt. Vnde & hic dicitur, *quia inde erat transiturus*, hac enim via, & iuxta hanc fidei arborem transit Iesus. Inde videtur, & videt, inde cognoscitur & cognoscit. Eos enim respicere Dominus, & ad se vocare dignatur, qui in hanc arborem ascendunt, cuius fructus sanguineus est: per quem Martyres significantur. Quod fidei arbori adhærentes, propter fidei constantiam proprio sanguine cruentati sunt. Tales itaque fructus fert Sicomorus; talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter ei inhærent, vt potius occidi, & proprio sanguine cruentari, quam a sua arbore, idest a Christi fide valeant separari. Inde igitur Dominus transiens, suscipiens vidit Zachæum, & dixit ad eum; *Zachee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*. Hodie inquit me quærere cœpisti: ad fidem venisti; in arborem ascendisti: hodie in domo tua oportet me manere. Verum est igitur, quod per Prophetam dicitur, *quia peccator quacunque hora conuersus fuerit, & ingemuerit, vita viuet, & non morietur*. Quod enim tunc in Zachæo factum est, quotidie in alijs peccatoribus fieri non dubium est. Si tamen ex corde conuertantur, Christum quærant, & fidem teneant. Sequitur; *Et festinans descendit, & excepit illum gaudens*. Iam enim igne fidei interius ardebat, qui sic exterius obedientiam, & obsequium exhibebat. Multum iam fide creuerat: etsi statura pusillus erat. *Et cum viderent omnes murmurabant dicentes: Quod ad hominem peccatorem diuertisset*. Omnes enim sciebant Zachæum esse peccatorem, vtpote publicanorum principem. Sed iste peccator multo melior erat, quàm illi, qui murmurabant, & se iustos esse fingebant. Hoc autem sequentia manifestant dum dicitur: Stans autem Zachæus dixit ad Iesum, *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum*. Hac enim vna voce omnes illico a murmuratione cessauerunt: tam subitam publicani pœnitentiam, & conuersionem admirantes. Et fortasse nemo ibi erat, qui hanc tantam professionem etiam coactus facere voluisset. Diues enim erat valde, quem ipse Euangelista diuitem fuisse testatur. Et tamen omnium bonorum suorum medietatem se pauperibus dare promittit, & in quadruplum reddere, si quid aliquem defraudauit. Vide ergo a quanta perfectione cœpit, qui tunc primum Christum Dominum viderat, & prædicantem audierat. Verum est vtique, quia homines vident in facie: Dominus autem corda intuetur. Qualem Dominus hunc, & quam iustum post modicum futurum videbat: quem tam peccatorem homines iudicabāt. Ait Iesus ad eum: *Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod ipse filius sit Abrahæ*: hodie, inquit, domui huic salus facta est, & omni ægritudine omni morbo, omni vitiorum fatigatione fugata, sanata est, & tota interius, & exterius sanctificata est: eo quòd ipse qui huius domus habitator est, iam nō publicanus sit, sed filius Abrahæ: Abrahæ namque filij sunt, quicumque Abraham imitantur, & Abrahę opera faciunt. Et Abraham quidem Angelos, Zachæus vero Angelorum Dominum hospitio suscepit. Illis enim diebus, quibus Abraham circumcisus est, cum staret ad ilicem Mambræ, vidit tres viros venientes ad se, quibus occurrens adorauit, & dixit: *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, transite, & requiescite in loco isto*. Illis vero adquiescentibus tulit Abraham butirum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: postquam autem comederunt, dicunt: quod anno emenso eodem tempore habebit Sara filium. Postquam enim Abraham circumcisus est: postquam, vt Apostolus ait, accepit signaculum iustitiæ fidei, quod enim Sicomorus Zachæo, hoc circumcisio præstitit Abrahæ. Postquam, inquam, hoc fecit, Christum adorare, & hospitio sumere meruit. Neque enim Zachæus fidem, & amorem suum arborem ascendendo ostendere potuit, quàm Abraham se ipsum circumcidēdo, & carnem propriam vulnerando. Sic igitur vtriusque fides reuelata est, alterius per arborem, alterius verò per circumcisionem. Quia ergo impossibile est sine fide placere Deo, quicumque es, qui Iesum videre desideras, imitare Zachæum, imitare & Abraham. Cresce in fide, sicut illi, quod vt possis clama, & dic: *Domine, adauge nobis fidem*, Abraham enim, non solum in fide creuit, verum etiam quodammodo ipsius fidei initium fuit. Quod enim ante id temporis omnibus incognitum fuerat, ipse diuinitus inspiratus in Trinitate Dominum vidit, & in vnitate adorauit: non quod Trinitatem ipsam viderit, quæ vtique inuisibilis est, sed quia per hoc, quod viderat in Trinitate, & vnitate Deum cognoscere meruit. Vnde cum tres viderit, non tamen nisi vnum Dominum vocat. De hoc enim in Euangelio Dominus ait: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est*. Probauit igitur Abraham, probauit & Zachæus, quanta sit virtus fidei, quanta sit virtus hospitalitatis. Beatus quoque Iob de se ipso ait: *Quia non comedi bucellam solus: & ostium suum viatori patuit*, Ideo etiam illi duo discipuli, qui Dominum, & Saluatorem nostrum in specie peregrini in suum hospitium coegerunt, quem per totum diem non cognouerant, tandem in ipso in fractione panis cognoscere meruerunt. Numquam enim sic cognoscitur Iesus, sicut in panis fractione: numquam sic ostenditur Iesus, sicut in Sanctarum Scripturarum expositione. Panis est enim verbum Dei, panis est Sanctarum scientia Scripturarum: hoc enim pane reficitur anima. De hoc pane Dominus ait: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. Hic autem panis tunc frangitur, quando scriptura sacra exponitur, quando Euangelia diligentissimè inuestigantur. Hinc est enim, quod Moysi Dominus ait: *Sunt tibi aromata, Stacten, Onicha, Galbanen boni odoris, & thus lucidissimum. Aequalis ponderis erunt omnia. Faciesque thimiama compositum opere vnguentarij, mixtum diligenter, & purum. Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa contuderis, pones ex eo coram testimonio Tabernaculi*. Quid enim per has quatuor species odoriferas, quarum virtute naturali vulnera curantur, & sanantur, nisi quatuor Euangeliorum libros intelligimus, quorum virtute admirabili omnes languores sanantur, omnia vitia curantur, & omnes infirmitates pelluntur? Hæc autem quatuor æqualis ponderis sunt, quoniam vnius, eiusdemque sunt veritatis, & auctoritatis. Miscentur autem omnia simul, vt quod in vno Euangelio non habetur, in alio reperiatur; atque dum in quibusdam inter se vicissim concordant, in nullo autem discordant, suauiorem satis reddunt odorem. Et hæc quidem quando ordine, ratione, & secundum eā veritatem, qua scripta sunt, populis exponuntur. Tunc nimirum fit ex eis thimiama compositum opere vnguentarij mixtum diligenter & purum. Huius autem compositionis peritissimus vnguentarius Apostolus fuit, qui sicut sapiens Architectus fundamētum posuit, & inter perfectiores sapientiam loquens omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Hoc


eum thimiamate redolens ipse dicebat: *Gratias autem Deo, qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt: alijs enim sumus odor mortis ad mortem, alijs odor vitæ ad vitam*. Tunc autem in tenuissimum puluerem vniuersa contundimus; quando Euangeliorum sententias subtiliter indagantes, & frequenti ruminatione fragrantes ad spiritualem intelligentiam redigimus: sicut enim atomata, quando teruntur suauius redolent, ita sacra scriptura quanto plus ruminatur, & frangitur, tanto suauiorem præstat odorē. Ponimus autem ex hoc thimiamate coram tabernaculi testimonio, quando Euangeliorum verba nunciamus: panem itaque frangimus, & in tenuissimum puluerem atomata contundimus, quando sacras scripturas diligenter exponimus. In tali igitur fractione cognoscitur Iesus. Sic eum discipuli cognouerunt in fractione panis. Propter hoc & Abraham in hospitium eum suscepit, & cibos ei apposuit, quatenus in commestione, & ciborum fractione melius eum cognoscere potuit. Angeli enim quando volunt ex aere corpus assumunt, quo videri & tangi & loqui & manducare, & bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aer, ita & corpora, quæ sumunt ex aere. His autem ad tempus induuntur, quæ cum se expoliauerint mox in eundem aerem resoluuntur. Angelus tamen Raphael ad Tobiam loquens ait: *Pax vobis, nolite timere, etenim cum essem vobiscum per voluntatem Dei videbar quidem vobiscum, & manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Secundum igitur hanc sententiam & cæteros Angelos manducare, & bibere intelligant, quibuscumque impossibile esse videtur, vt Angeli manducent & bibant. Moyses tamen eos comedisse testatur. Sequitur: *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*: non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quia non indigent qui sani sunt medico, sed male habentes.

IN SS. XII. FRATRVM.

Homilia Venerabilis Brunonis Signensis Episcopi.

NOn solum omnia Beatus Petrus Apostolus reliquerat, quæ habebat, sed ea quoque quæ habere poterat, vt vlterius in hoc mundo nihil proprium possideret, nihilque desideraret, & minus quidem est habendi voluntatem, quam ipsum habere, dimittere. *Iesus autem dixit illis. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Duo Petrus proposuerat, sed alterum Christus assumpsit, non enim dixit vos, qui reliquistis omnia, sed quid? Vos qui secuti estis me, omnia enim derelinquit, qui perfectè sequitur Iesum, sufficiens enim fuit alterum dicere, quia vtraque in vno continebantur. *Vos*, inquit, *qui secuti estis me*, qui mecum per eandem viam inceditis, qui ad cęlestia festinatis, qui terrena cuncta despicitis, qui iustitiam, & veritatem, pacem, & misericordiam diligitis. *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Sedebunt itaque Apostoli super sedes duodecim, sedebunt, & sancti, quorum solemnia celebramus, sedebunt & alij super sedes suas, qui eorum exemplo vixerunt, & Christum Dominum secuti sunt: plures enim sunt ibi sedes, quam duodecim, pluresque iudices ibi erunt. Sed quæ sunt istę sedes, super quas illi iudices sedent? Istæ enim sedes singulæ Ecclesiæ sunt. Vnde & Episcopi Ecclesias, quibus præsunt, sedes suas vocare consueuerunt. Sedebit ipse vnusquisque in sede sua, quoniam in populo, quem rexit, prædicauit, maior & sublimior apparebit: sedebit autem & Dominus in sede Maiestatis suæ, quoniam Angelis, & hominibus præsidebit. Iudicabit igitur Dominus, iudicabunt & Apostoli, iudicabunt & Sancti martyres, iudicabunt Episcopi, & Sacerdotes iuxta illud iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, omnes ibi iudicabunt, quorum exemplo cæteri damnabuntur, quoniam *Regina Austri, & Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Beatissimi igitur Germani duodecim, vt se horas diei illius esse ostenderent, qui de se ipso discipulis in Euangelio protestatur, *nonne duodecim horæ sunt diei?* Multa mirabilia ad glebas suorum corporum operante Domino ostendere, & demonstrare non desinunt vsque in præsentem diem. Nunc igitur carissimi fratres ad nos ipsos mentis lora flectamus in cordibus nostris, sedem iusto iudici statuamus, eamque iudicij, & iustitiæ virtutibus adornemus, & sic scire valebimus, qualiter gratulari in tantæ festiuitatis gloria debeamus: nam licet nullus esse debeat huius patriæ finis, vel angulus ab huius diei gaudio alienus, qua nobis transuectione suorum corporum tam præclara luminaria splenduere, nos tamen præcipuè in ea exultare debemus, qui Sanctorum obsequijs deputamur, & tantarum margaritarum fulgoribus illustramur. Enixius namque est nobis fratres carissimi laborandum, vt qui in Ecclesia omni conuenimus Sanctorum Duodecim fratrum solemnia celebraturi, ipsi quoque domus Dei efficiamur, & reliquijs bonorum actuum, & diuitiarum cogitationi diem festum Domino peragamus, vt in cælesti domo cum eis, & omnibus Sanctis perpetuò gratulemur. Quapropter si hoc cupimus adipisci, virtutes Duodecim in ara nostrorum cordium recondamus: Fidem videlicet, spem, caritatem, sapientiam, iustitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiā, castitatem, obedientiam, timorem, & in istis, & alijs virtutibus perseuerantiam confinalem. Ecce istæ sunt ter quadrangulatæ virtutes, & inter se ordinatim coniunctæ, & quodammodo germanæ, quæ si in nobis continua statione figuntur, corda nostra, & corpora in domum Dei consecrare non cessant. Quadrum namque in quamcumque partem verteris, firma statione consistit: numerum quoque duodenarium non nisi in bonam partem poteris inuenire: siue namque ter, quatuor, siue tres quatuor, facias, duodenarium numerum comples, qui plenus est, atque perfectus. Quid autem per tres, nisi Sanctam intelligimus Trinitatem, & quid per quatuor, nisi Euangelistas, vel quatuor mundi accipimus partes. Isti igitur martyres dicuntur meridiani, quia in Africa, quæ in meridie sita est orti noscuntur, & benè meridiani, quia Sancti Spiritus igne feruentes in ęstu persecutionis animas emiserunt. Hi ergò martyres gloriosi in meridie nati, & in Occidente mille, vt ita dicam, tormentorum generibus excruciati, atque pro Christo decapitati cum ipso in cęlis gloriantur, perenniter laureati.



OPVSCVLA QVAEDAM SANCTI BRVNONIS ASTENSIS.

TRACTATVS IN CANTICVM ZACHARIAE.

1 *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Visitauit per præconem, visitauit per filium: prædictum per vtrumque: fecit per alterum. Vterque ad baptismum populos vocauit: sed alter solummodo plebem redemit, & in Spiritu Sancto baptizauit. Vnde & eidem Ioanni dicitur: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.*

2 *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Domus Dauid, Ecclesia est, populusque fidelis & bellicosus, cui nulli alij aduersarij resistere possunt. In hac autem cornu salutis Dominus erexit, Ioannem videlicet, qui Christum prædicando præcessit. De hoc enim cornu salutis ipse Dauid loquitur dicens: *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.* Ioannes igitur & cornu est, & lucerna. Cornu clamando, lucerna illuminando. Ipse est enim vox clamantis in deserto, ipse lucerna ardens & lucens.

3 *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.* Sicut, inquit, per Prophetas prænunciatum audiuimus, ita modo in hoc puero fieri videmus, quem nobis Dominus mandauit, vt faceret nobis salutem, atque vindictam

4 *Ex inimicis nostris:* & liberaret *de manu omnium, qui oderunt nos.* Hoc est enim quod superius dixit, quia *conuerteret corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.*

5 *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.* Ad hoc, inquit, hoc nostræ salutis cornu Dominus erexit, vt cum patribus nostris misericordiam faceret, & testamenti sui non immemor

6 *Iusiurandum* adimpleret in nobis, *quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis.* In eo igitur quod in nobis testamentum & iuramentum compleuit, cum Patribus nostris misericordiam fecit. Hoc enim Dominus Abrahæ iurauit, dicens: *Semini tuo dabo terram hanc,* per quam terram viuentium significabat, quam non carnalibus, sed spiritualibus eius filijs daturus erat.

7 *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi.* Ideo inquit ex inimicis nostris nobis Dominus salutem dedit, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, per quos vitia, & malignos spiritus intelligimus, non illis seruiamus, sed illi. Sed quomodo seruiamus?

8 *In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Aliter enim seruitia nostra Deus non respicit, neque sunt coram ipso, nisi in sanctitate & iustitia seruiamus illi. Hoc autem non ad tempus, sed *omnibus diebus nostris.* Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

9 *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Non solum enim propheta, verum & plusquam Propheta, vocatur Ioannes, & hoc quidem non a quolibet, sed ab ipsa veritate. Quod autem ante faciem Christi Domini Ioannes præcesserit, parare vias eius, ipse Dominus per prophetam loquitur dicens: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuã, qui præparabit viam tuam ante te.* Vnde & idem ipse Ioannes ait: *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Præiuit igitur ante faciem Domini. Sequitur.

10 *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* Et hoc quidem faciebat cum diceret: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum.* Hæc autem bona data sunt nobis.

11 *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quibus misericordiæ, charitatisque visceribus ipse Dei filius, *visitauit nos oriens ex alto.*

12 *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Secundum illud: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.*

13 *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Illi enim pedes in viam pacis diriguntur, qui non ad bellum, sed ad pacem currunt. De quibus dicitur: *Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

DE INCARNATIONE DOMINI, & eius Sepultura.

TRACTATVS.

VERBVM DEI, sicut in principio in sexta feria creauit hominem, ita in fine temporum, sexta hora, sextæ feriæ, sextæ quoque ætatis, redemit eundem. Sed in hac præcipua & admirabili redemptione, quatuor esse consideranda videntur: Quare filius Dei incarnatus sit, & non alius: de requie sepulturæ: quibus etiam auctoribus credatur ipse descendisse in infernũ, & quantum spacij in sepulchro iacuisse. Homo a Deo quasi mane est conditus, quia retinens Dei similitudinem verè luci proximus videbatur. Poterat enim de propinquo Deum cernere, scilicet in se, & per se, nulla re extrinsecus interueniente. Sed & propinquitatem pariter & similitudinem amisit, dum se inobedientiæ malo subiecit. Solet enim Sol & humorem propinquus contrahere, & recedendo relaxare. Sic & verus Sol, idest Dominus noster, *qui il-*

luminat omnem hominem venientem in hunc mundum, fragilitatem, id est contagionem, quæ inhæret homini de limo terræ plasmato, sicut sua præsentia desiccauerat, sic recedendo relaxarat. Vnde post culpam a Domino audire meruit: *Adam vbi es?* quasi & longinquus propinquitate, & diuersus similitudine. Occiderat enim ei Sol iustitiæ, incumbente peccati nocte. Verum omnipotens & misericors Deus, ne ad impotentiam, vel insipientiam sua facta redirent; quoniam ipse vere potens & perfecte est sapiens, Angelicum ordinem per malitiam lapsum, quoniam de homine iusto iam restaurare non poterat, de iniusto, quod erat difficile, stabiliuit redimere. Igitur prius ipsum hominem a potestate diaboli eripere, & sic demum ipsam naturam Angelicam recuperare disposuit, & hoc non sine immolatione. Sed quia in vnoquoque sacrificio, quatuor videntur conuenientia, scilicet, cui offeratur, a quo, & quid, & pro quibus, in hoc quoque quod pro salute totius generis fieri oportebat, eadem competentia non immerito aderant. Nam si horum aliquid in qualibet immolatione defuerit, non solum idipsum sacrificium non proderit, verum etiam sæpissime obesse manifestatur: velut etiã in veteri testamento multoties declaratur. Cum Moyses mõtem ascenderet, & pro lege accipienda quadraginta diebus cum Domino loqueretur, suaque visione iucundissime frueretur, Israeliticus populus non Deo, sed conflatili vitulo sacrificia immolabat, eique insultans, ab ipso Domino legitur percussus, & valida morte damnatus, tantum vt ex illo peccato amisit viginti tria millia hominum. Quod denotat Psalmista dicens: *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile, &c.* Deinde sequitur: *Et dixit vt disperderet eos*. Propter peccatum enim illud a serpentibus sunt dispersi. Vnde diligentissime hæc hostia, cui immolaretur, oportebat perscrutari. Quicquid est, aut creator est, aut creatura. Videamus vtrum creatori, an creaturæ dignum fuerat immolari. Iustum vero & rationabile videtur & habetur ab omnibus, vt non creaturæ sed creatori oblatio debeatur. Restabat igitur vt cum magna dispensatione creatura creatori immolaret. Sed quoniã creaturarum magna est differentia, quia alia sensata, alia insensata creatura habetur; subtiliter pensandum est, si a sensata vel ab insensata offerretur hoc sacrificium: quoniam sæpissime accidit, vt si sacrificium ab indigno oblatum fuerit, reuera & ipsum sacrificium non acceptum, & illum qui obtulerit, inuenimus condemnatum. Sicut in Exodo legitur, Nadab & Abiron contra Dei voluntatem aduersus Aaron & eius filios insultasse, & sacrificium in tabernaculo Dei obtulisse, verum quoniam eidem sacrificio indigni aderant, aperta terra obruti sunt, & illos, qui ibi aderant, ab igne deuoratos esse manifestatur. Sicut in psalmo dicitur: *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super Synagogam Abyron. Exarsit ignis in Synagoga eorum, & flamma combussit peccatores.* Quoniam idem ignis, quo peccata putabatur puniri, ab ara elatus ad iniustè immolantes peruenit, eosque cremauit. Ergo indignum erat, vt ab insensata hoc sacrificium offerretur. Restabat autem, vt a sensata immolatio fieret: sed quia inter sensata plurimum distat, quoniam cum alia rationalis, alia irrationalis creatura habeatur, vtrum videndum est, si ab irrationali creatura hoc sacrificium offerri debeat. Sed incongruum & nimis absurdum est ab irrationali pro rationali vt quid immolaretur. Constat ergo vt hæc immolatio ab rationali fiat. Verum quoniam adhuc & inter rationales distat plurimum, si ab Angelica creatura hæc immolatio fieri oporteret. Immolatio vero visibilis esse constat, Angeli autem inuisibiles sunt: verum visibile aliquid nequit offerri ab inuisibili. Constabat igitur, vt ab homine hæc fieret oblatio. Duabus autem partitionibus consummatis, agendum est de reliquis, scilicet quid immolandum est, & pro quibus. In auctoritate vero compertum est, vt sacrificium par, aut exuberans esse debeat, pro quo offertur: & hoc sacrificium, quod, vt diximus, aderat pro salute humani generis, æquale & non minus debebat offerre. Ergo insensatum excludendum est & irrationale: sed rationale pro rationali condecens hostia aderat. Inter rationale vero, quoniam adhuc differt nimium, animaduertendum est, si aut de homine, aut de Angelo immolari oporteat, vterque etenim ratione viget. Homo vero tanta hostia nullus inueniebatur dignus, quoniam omnes homines & originali, etiam & actuali peccato non erant immunes: vel, vt ait Psalmista, *omnis homo mendax*. Et, sicut per Beatum Euangelistam Ioannem dicitur, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Vnus ergo homo & idem peccator indecens hostia inerat pro totius humani generis redemptione. Ergo solus homo ab hoc sacrificio expellebatur: Angelus vero in sui natura admitti nequiuerat, quia quod est inuisibile, nec teneri, nec pati, nec etiam occidi potest. Et forsan si per assumptam naturam posset immolari, Angelica charitas pro iniusto puniri frigesceret: & hoc non immerito, quia aliquis iustus vix pro iusto moritur, nedum pro iniusto damnetur. Et etiam ante aduentum Christi homines propter peccatum ab Angelis odio habebantur. Et forte si idem homo ab Angelo esset redemptus, eumdem Angelum pro Deo veneraretur, quod ne cui impossibile videatur, dum pro certo prædicti homines sæpissime inueniantur lapides, ligna & cæmenta pro Deo adorare. His igitur & aliis plurimis huiuscemodi rationibus Angelica victima excludebatur. Quapropter solus restabat Creator, qui sua miseratione & solita benignitate humano compatiens generi, sæpedictum hominem liberaret, & a diabolica fauce perplexum eriperet, & hoc non in sui natura, sed per assumptum hominem, vt qui solum hominem redimere venerat, Deus & homo immolaretur. In Diuinitate vero, quia personarum differentiam Catholica credit adesse Ecclesia, videlicet Patris & Filij & Spiritus Sancti, non immerito considerandum est, hæc assumptio cui conueniebat. Pater autem si intra virginalem vterum assumeret hominem, & ab eodem nasceretur, idem essent Pater & filius. Pater secundum diuinitatem, Filius vero secundum humanitatem, quod & credere, & etiam dicere nefas est. Aliud quoque maius esset nefarium, quoniam duo filij adessent in Diuinitate, scilicet Patris filius secundum humanitatem, & filius Dei filius secundum Diuinitatem. Tanto ergo errore vitato, prædicta assumptio Patri non conueniebat. Adhuc restat agere, si Spiritus Sanctus competens esset ad immolandum. Si autem idem Spiritus hominem acciperet, & pro eo vellet immolari, supradictus error in Diuinitatem caderet; reuera etenim duo Filij & crederentur & haberentur in ea. Filius Dei secundum Diuinitatem, quemadmodum diximus, Filius & Spiritus Sancti secundum humanitatem filius. Ergo vtrique Patri scilicet, & Spiritui Sancto prælata assumptio non congruebat, quoniam neuter horum in tali negotio admitti valebat. Igitur solus filius ad hoc agendum condecens aderat, cui & per iustitiam inerat hominem per se creatum saluare, & diabolo suam potestatem petenti obuiare, eumque ipsum hominem decipientem decipere, & ablato totius orbis imperio, perpetuo in inferno religare. Legitur namque in Euangelio Beati Ioannis: *quod omnia per ipsum facta sunt*: ergo & ipse homo. Ad hæc si ab alio quam ab ipso, per quem creatus fuerat sæpedictus homo, redimeretur, impotentia eidem filio reuera posset ascribi, quod per ipsum creatus, & per eundem non esset redemptus. Si vero Pater, cui potentia ascribitur, incarnaretur, duo filij essent, & impotentia diabolo ascriberetur. Idem quoque & de Spiritu Sancto qui benignitas. Sed hoc soli sapientiæ, scilicet Dei filio conueniebat, vt sapienter diabolus deciperetur. Quæ autem causa hac rectior, quæue iustior? vt verbo plasmatus, a verbo scilicet & a Dei filio per assumptã carnem in pristino reuerteretur statu. Igitur iure factum est & iusto ordine confirmatum, vt non a Patre, nec a Spiritu Sancto, sed a Filio, qui in Deitate & in humanitate filius vocaretur, homo redimendus fuisset, & in primam beatitudinem, vnde præuaricando corruit, ingrederetur. His ita apte & conuenienter expositis, restat de requie sepulturæ tractare. Quia Dei filius, verbum Patris, splendor gloriæ, hominum creator, condolens mundum in præcipitio euntem, Patre & Spiritu Sancto cum ipso cooperante, descendit ad nostram accipiendo humanitatem, *homo factus est, & cum hominibus conuersatus est*: comedit, bibit, esuriuit, fleuit, & cætera quæ hominibus conueniebant, egit, præter peccatum, quia qui ho-

minem

minem venerat ad saluandum, & illi peccata dimittendum, sine peccato esse condecebat. Vnde de illo dictum est, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Si vero pro homine natus, cætera superiora narrata ordinatiue peregit, conueniens erat, vt moreretur, quia quis homo non visurus mortem, & humanius sepeliretur? Et quia rationabile erat. Itaque mortuo sepulturæ summa cum vigilanti diligentia, vt Euangelistæ narrant, Ioseph ab Arimathia corpus Dominicum petendo habitum, expositum est, & requieuit in sepulchro, Propheta Dauid attestante qui ait: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Vere singulariter: quia moriendo, & in sepulchro quiescendo vicit diabolum. Quis alius moriendo in prælio vincere potuit, nisi ille qui omnia potest? Igitur singulariter a Patre in spe constitutus fuit. Et iterum Propheta: *Caro mea requiescet in spe*, tertio die resurrectionis. Multis alijs habemus confirmatum Auctoribus, qualiter Dominus Iesus in sepulchro quieuit: sed ista de pluribus nostræ fidei sufficiant, scilicet Euangelistarum ac Dauid auctoritates, qui verissime illum in sepulchro iacuisse & quieuisse in ipso mausoleo in pace. Qui in pace dormit, maximam habet fiduciam speratam surgendi. Vnde ipse obdormire se dixit. De sepulturæ requie tractatum. Instat nobis, quibus auctoribus credatur, descendisse in infernum. Saluator mundi, sapientia Patris, manna pascens, petra dulcissime ac abundanter aqua manans, mortem nostram pro salute accipiendo, sepultus est, & a Nicodemo interlitus myrra & aloe, vt adimpleretur illud Salomonis: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi.* Vere fasciculus fuit myrrhæ Dominus, & non maxima sarcina, quia quamuis amara videbatur B. Virgini & discipulis eius passio, tamen fasciculus, quia momentanea. Sed non licet nobis nimium per ambages decurrere, sed diligentissime aduertendum est, quibus credendum sit auctoribus, ipsum Dominum ad inferna descendisse Per plurimum multis auctoribus confirmatum habemus, animam Christi in infernum descendisse, & sua benedicta potentia fideles suos abstraxisse. Dicit de ipsa descensione Dauid Propheta: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Et alibi, Propheta attestante Osea dicitur: *O mors tua ero mors, morsus tuus ero inferne.* Vere Dominus mors fuit morti, quia in perpetua morte eam dimisit: morsus fuit etiam Saluator & Dominus Iesus Christus inferni, quia non omnes, sed tantum suos inde abstraxit, si enim omnes inde abstraxisset, non esset morsus, sed conglutinans hominum; qui vero morsum in aliquod dat, non totum, sed partem accipit. Sic Christus morsus inferni fuit, quia partem redemit, partemque reliquit. In alio etiam loco Dauid dicit: *Domine abstraxisti ab inferis animam meam, saluasti me a descendentibus in lacum*, idest ab illis, qui æterno igne cremabuntur.

Quot horas fuerit in descensione & ascensione.

Expeditis quibus auctoribus in infernum Dominum descendisse credatur, expedit adhuc quantum spatij in sepulchro iacuisse scribere indagando. Plenissimè ac vere apertissimum est, quia Dominus ex illa hora suæ expirationis, Ioseph eius dominicum petens corpus, habitum collocauit suo in sarcophago, *in quo nondum quisquam positus fuerat*, & iacuit ab illa hora vsque mane dominici diei. Opponunt alij si ab illa vsque dominicum diem Dominus in sepulchro quieuit, ergo non tres dies, sicut ipse prædixerat. Soluitur hac probabili ratione. Veritas quæ Christus est, nunquam mendacium protulit, dicens: *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud*. *Et sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita & filius hominis*, qui est Christus. Verum dicens & verissime confirmauit, quia per tres dies & tres noctes in corde terræ fuit, & post triduum excitatus. Reuera ex illa hora, qua Dominus apprehensus fuit, & morte damnatus, iacuit in corde terræ, idest in corde terrenorum perfidorumque dicentium: *Vbi sunt verba eius quibus dicebat: Antequam Abraham fieret, ego sum, & multa alia*. Iacuit etiam in corde terræ, idest in corde Apostolorum, qui adhuc terreni erant, & dubitabant de eius resurrectione, & illum morti traditum videndo fugerunt, tristissime manentes, sic iacuit in corde illorum, quia illum Dominum in mente retinebant. Vel aliter, iacuit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, quia a sero, qua apprehensus fuit, tota illa nocte & die parasceue & nocte sabbathi, & sabbatho ac Dominica nocte, & vsque mane dominici diei, reuera in sepulchro quieuit, quia ex quo damnatus fuit mori, quasi iam in sepultura iacebat. Dicunt? quia & sic tres dies non fuere impletæ. Ad quod dicimus, ibi esse figuram Sinecdoche, idest, parte, pro toto, quia mane dominici diei pro tota die habetur. Nunc euidentissime prout nostra affuit possibilitas, propositæ quæstiones solutæ sunt. Sed ille, cui hæc omnia pati pro nostra placuit salute, nos suos redemptos adoptiuos filios habeat in pace, scilicet in se, vt eius sancta incarnatione & morte ab omni peccato nos eruat, & in suo Santissimo regno collocet, vt post huius vitæ transitum hilari vultu prospicere illum queamus regnantem cum Patre & Spiritu Sancto per infinita seculorum secula. Amen. Deo gratias, qui nos de tuis tu nos saluas.

ARGVMENTVM DE SACRIFICIO AZIMO.

Ad Leonem Monachum.

HOrtaris sæpius Charissime, magisque nostram percogis humilitatem Frater Leo, atque Venerabilis Monache, vt Dominis Spiritualibus fratribus Monachis in Constantinopolitana Vrbe constitutis, qui crebro a Græcorum superflua loquacitate, immoderato zelo arguuntur, aliquid de sacrificij obseruatione summatim breuiterque describerem: Ex tuo, itaque aliorumque multorum nobis recitatum est ore, quod ab Episcopo eiusdem Sedis, vel ab ipsius Clericis frequenter blanda suasione, sæpe furibunda locutione indiscrete decipiantur, vt ritus nostri sacrificij azimi derelinquatis, & more Græcorum fermentatum sacrificium Deo afferatis. Quibus ad hæc imperterriti non ex nostra insolentia, sed Sanctorum authentica Theologorum Patrum scientia è contra respondeamus. Licet illorum Religiosi Patres ac Doctores studuerunt ex fermentato pane Deo omnipotenti sacrificium offerre, tamen numquam inuenimus illos nostram oblationem euacuantes, aut deridentes. Quid ad hæc dicimus? *Numquid diuisus est Christus in corpore suo*, vt alius sit in Romano sacrificio, alius in Constantinopolitano? Quis hoc sapiens dixerit, nisi ille, qui Dominicam nouit scindere vestem, vt Arrius, & alij hæretici. Nos vero veraciter teneamus, immo firmiter credimus, quia quamuis sint diuersi mores Ecclesiarum, tamen vna est fides, quę indissolubiliter vnitur capiti suo, idest Christo: & ipse vnus idemq. permanet in suo corpore, quod pro nostra salute Deo patri sponte obtulit. Resipiscant ergo ab hac chalcheton fatuosa altercatione latinæ munditiæ detrahere desinant. Nam si ipsis obturatis auribus nostrę veritati non consentire volunt, sine omni dubitatione ostendimus nostrum Sacrificium, quod prius sincerius q; sit illorum sacrificio, non solum ex Euangelica Apostolicaque auctoritate, sed etiam ex legali veteris testamenti institutione præfiguratum. Legimus namque in libro Exodi, vbi præcipiente Domino Moysi Sancto, *vt quartadecima luna primi mēsis ad vesperam filij Israel immolarent agnū Domino sine macula, & manducarent carnes illius assas igni cū azimis panibus*. Interea Si vobis responderint, quia illud vetus præceptum fuit, iam defecit, iam pertransijt, confidenter illis Beati Pauli Apostoli obijcite sententiam, qua dicit: *Omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt*. Notate dilecti. Si veteris testamenti lex figura fuit, ergo nostra tempora portendebant, & quod in Vmbra latebat, in luce noui testamenti iam præfulgebat: ac propterea Scripta erant, & ab ipsis etiam fideliter obseruanda. Nam quomodo in agni immolatione passio nostri figurabatur Redemptoris, in mari rubro baptismus: in columba nubis Spiritus Sanctus

ctus, in magna cœlestis gratiæ donum in petra, quæ eos consequebatur, Christus. Ita in azimo pane nostri temporis monstrabatur sacrificium. Ipse creator atque redemptor hominum veniens in hunc mundum indutus nostram mortalitatẽ, non amittens suam diuinitatem, postquam vniuersa quæ de eo fuerant prædicta, essent impleta, & paterno censuisset cõsilio, vt mundum sua redimeret morte, ipsumque mundissimum atque sacratissimum, quod de immaculata Virgine susceperat, corpus, præfinito tempore voluisset nostra pro vita Deo Patri offerret in illa tunc Sacrosancta cœna, quando pascha cum suis discipulis celebrauit, panemque accipiens in suis Sanctis manibus fregit, & dedit eis, dicens: *Accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemerationem*. Dicant obsecro fratres, qualis fuit panis ille, azimus fuit, an fermentatus? Si dixerint, fermentatus, ergo falsa est Domini Sententia dicentis: *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Quomodo ille, qui legem dedit, benedictionem Vt que nobis inferret, si ea quę legis sunt, non obseruasset? Si hoc fecisset, vt transgressor legis iuste puniretur, nec pro nostra omnium redemptione moreretur. Cum ipse Dominus Iesus per Moysen dicat, vt quartadecima die primi mensis, quando Phase occidebatur, vsque ad vigesimam secundam diem eiusdem mensis, quicunque inuentus esset in populo Israel, qui fermentum haberet in domo sua, periret de cœtu filiorum Israel, quia pactũ Dei irritum fecisset. Sufficiat nobis iam ex legali obseruatione mandati testimonia proferre, ad Euangelij gratiam, & noui testamenti lumen subsequens sermo percurrat. Neque enim aliter illo in tempore solus sine omnibus pascha illud obseruare potuisset, quod commune omnibus erat datum, et tamen vtrumque testamentum in se adimpleret. Sancti quoque Euangelistæ de ipsius celebritate Paschæ atque panis obseruatione ita locuti sunt. Vnus ait: *appropinquabat dies festus azimorum, qui dicitur Pascha*. Alter idipsum replicat, dicens: *Erat pascha, & azima post biduum*. Iterumque *Pascha autem azimorum acceperunt ad eum discipuli eius, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha? Sciens Iesus quia venit eius hora, vt transeat ex hoc mundo*. Ergo si pascha, quod hebraice dicitur phase, a transitu nomẽ accipit, & non a passione, vt plerique male interpretantur, profecto quia Dominus Iesus in suo transitu, id est in morte sua, non alium panem tradidit discipulis nisi illum, quem paterna traditio perceperat custodiendum. Non tantum ante passionem suam hoc egit, quantum et post resurrectionem hæc eadem repetens, in Emmaus non valentibus eũ cognoscere discipulis, nisi in fractione panis, coactus vt cum ipsis maneret, quem panem eisdem fregit, deditque ad manducandum. In tota Iudæa certe fermentum deerat, quia adhuc pascha celebrabant, nisi ut apertius cognoscatis, quia illum panem post resurrectionem eis dedit, quem iam similem et ante passionem dederat. Satis sit hucusque ex Euangelica auctoritate vobis accomodasse sententiam. Hunc autem ad Beati Pauli Apostoli nos oportet Epistolam flectere animum, vbi nos de ipso sacrificio, quod azimum, & non fermentatum sit, vigilanter hortatur dicens: *Fratres expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis Azimi, etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitię, & nequitię, sed in azimis sinceritatis & veritatis*, sed cur hoc fratres Charissimi sanctus prædicauit Apostolus? Vt ostenderet quia in fermento, idest in nullo dogmate hæreticorum, siue schismaticorum panis Christi execrabilis, et abhominabilis corruptionis contaminaretur. Sed in puritate, et simplicitate Catholicæ fidei illibatæ semper custodiretur, non indigne ab aliquo comesto pereat anima eius de conuentu, digne filiorum Israel, hoc est saluandorum. Item Dominus per Oseam loquitur dicens: *Venite in Bethel, et impie agite, & sacrificate de fermento laudem*. Quid per Bethel, nisi idolum, nisi corrupto sacrilegij exprimitur? Ex quo Dominus in Euãgelio admonet dicens: *Cauete a fermento Pharisæorum quod est hipocrisis*, idest a doctrina carnali eorum, vel inflata sciẽtia, de qua Apostolus ait. *Scientia inflat, charitas vero aedificat*. Et iterum. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Sufficiant pauca de pluribus prolata testimonia, An adhuc irreuerenti fronte audent contra nos obtre sententiam, dicendo, vt astruant, nos cum hebręis Iudaico more azimum comedere? Cui insanę obiectioni cum sano respondemus intellectu. Absit hoc a Catholica atque Apostolica, & Romana Ecclesia, quæ caput, et fundamentum, ac speculum dicitur et probatur esse omnium Ecclesiarum, quam Deus, & Dominus noster Iesus Christus per semetipsum ædificare dignatus est, ac præmittens specialiter suo dilecto discipulo Petro Apostolo, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum*. Atque iterum: *Ego pro te Rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*. Absit a totius mundi Domino, vt iccirco cum Hebręis Iudaizes, eo, quod de azimo pane sacrificium Domino dicitur offerre. Absit vt pro tali re sancta hoc agat Romana Ecclesia, vt suis ostendat per orbem fidelibus constitutis, agnum qui abstulit peccata mundi, sine omni corruptione, pollutione, atque contagione culpæ, sinceram, sanctamque ex immaculata Virgine suscepisse carnem, testante Angelo, qui ipsius Domini incarnationem eidem Virgini venerabili annunciat, dicens: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Illa obumbratio, quæ virginalem vterum dicitur obumbrare, non aliter intelligenda est, quam vt ab omni æstu concupiscentiæ, vel corruptione alicuius facinoris illud castissimum Domini templum, in quo habitare dignatus est, intactum, purumque, quod est azima, semper custodierit, dicente Salomone: *Sapientia ædificauit sibi domum*. Nam, et ea, quæ superius diximus, repetamus, cur non nobis sacrificium de veteri præcepto tenendum est, cum ea, quæ illis carnalia sunt imperata, in nobis spiritualiter videamus adimpleta? Nunquid ex ipsis non tenemus templum, sacerdotium, vnctionem, incensum, sacerdotalia indumenta & quadragesimam? Si hæc cuncta prius ipsa Israelitica plebs tenuit, & postea Domino cooperante, nobis concessa sunt, quare non etiam azimum inter reliqua præcepta sacrificium Domino offerendum est? Cum, vt sæpe iam testati sumus, puritatem, simplicitatem, atque munditiam significet? Et ipsum principem, caputque omnium Apostolorum post Domini ascensionem primum obtulisse inuenimus sacrificium, non aliter quam illi a Domino, & suo magistro iussum est offerri. Post ipsum B. Clemens, cui B. Petrus Apostolus tradidit Pontificatum, in epistola sua ad Iacobum, qui Ierosolimam regebat Ecclesiam de eiusdem sacrificij obseruatione taliter admonet agendum, dicens. *cum mihi Dominus & Magister meus Petrus Summi Pontificatus traderet dignitatem, & inter multa hortamenta, quibus ab ipso adhortabar, cum ad Domini sacrificium peruenisset, ita de illo mihi dixit: Vide Clemens, ne aliter agas de corpore Domini, quam quod ego tibi precipio, quia ego non hoc a meipso, sed qualiter ex ore Domini & Magistri mei Iesu Christi audiui, taliter illud loquor: similiter & tuis successoribus, qui post te in hanc Apostolicam successuri sunt sedem, in perpetuum hoc exemplum relinque*. Sicque post ipsum S. Siluester, qui inclytum, Augustum, atque perfectum Ecclesiæ filium Constantinum Romę baptizauit, eadem iussa perfecte adimplens, etiam in posteros custodire mandauit. Denique S. Gregorius eximius Doctor, qui Eutichium Cõstantinopolitanum Episcopum cum suis fautoribus, in præsentia Mauritij Imperatoris mira eum ratione exuperauit, alio modo non celebrauit atque nobis celebrandum sacrificium præcepit, quam illud, quod omnes sui precessores Sãtissimi Papæ, quos enumerare longum est, in Sacratissima Sede Apostolica iussi sunt celebrare. Quapropter amantissimi fratres, state viriliter in soliditate, ac firmamento orthodoxæ columnæ, & nemo cum suasoribus verbis a Sanctæ Fidei Catholicæ atque Apostolicæ præfatæ Sedis, matris Ecclesiæ Romanæ consuetudine vos separet; quia, teste S. Augustino luculentissimo Doctore, ac Africano Episcopo, non est alia Sedes in Cœlo, aut in terra dignior, siue prior, nisi illa, quam Romana tenet Ecclesia.

clesia. Hanc tenete, hanc puro corde diligite, & ab eius vnitate non recedite, cum scriptum sit: *terminum quem antiqui posuerunt Patres, ne transgredias: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Serpens ille scilicet, qui eiecit Adam de Paradiso, ex cuius pestifero ore Dominus per intercessionem Apostolorum atque Sanctorum omnium vos semper eruat, largiente Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria cum Patre & Flamine Sancto, in omnibus sæculis. Amen.

DE SACRAMENTIS ECCLESIAE, Mysterijs, atque Ecclesiasticis Ritibus Opusculum.

Dilectissimo Fratri Gualterio Magalensi Episcopo.

Bruno Signiensis Episcopus salutem.

CVm Romæ quondam in Insula in domo Episcopi Portuensis simul essemus; cumque in libro Exodi de Tabernaculo Testimonij, & de vestibus Aaron, typica quædam & magni mysterij significatiua legeremus, cæpisti mirari tu, cæpi mirari & ego, quod aliqua illis similia adhuc in Ecclesia fieri videamus, cum iam vetera transierint, & facta sint omnia noua. Multa enim fiunt in Ecclesiarum dedicationibus, multa & in alijs Ecclesiæ Sacramentis, quæ non minus, quam illa sub vmbra & figura fieri videntur. Petisti igitur a me, vt sicut illa exposueram, ita & ista exponere tentarem. Promisi me facturum, sed alijs negotiis impeditus, & tuæ petitionis, & meæ promissionis iam pene oblitus eram: Cum Helbertus Eremita, & Presbyter Venerabilis, a vobis ad nos veniens, id quod promiseram, quasi debitum exigebat. Memor igitur tuæ dilectionis, quamuis multum impeditus, facere tamen aggressus sum, quod facere iussisti.

DE Sacramentis Ecclesiæ locuturi, prius Sacramenta ipsa ponamus; postea vero quid significent, prout Dominus dederit, exponemus. Quando enim Ecclesia consecratur, solus Diaconus eam ingreditur, ianuas claudens ibidem exspectat, Episcopo responsurus. Tunc Episcopus deforis aquas benedicit, non sine sale, acceptoq; fasciculo Hyssopi, ex aquis, quas modo sanctificauerat, Ecclesiæ parietes ter circumeundo, aspergit: ter quoque cum virga pastorali ianuas percutiens dicit: *Tollite portas principes vestras et eleuamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.* Cui Diaconus de intus respondet dicens: *Quis est iste Rex gloriæ?* Et ille: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Post tertiam itaque percussionem, paucos ex ministris secum ducens, Ecclesiam ingreditur, cætera multitudine foras exspectante. Tunc Episcopus totum Alphabetum in modum crucis bis in pauimento describit; ac deinde sicut prius alias aquas sanctificat, quibus non tantum sal, sed cinerem quoque miscet & vinum. His autem altare & Ecclesia interius aspergitur & consecratur. Postea vero super altare oleo & chrismate fusis, lapidem ipsum Episcopus vngit. His igitur expeditis, significationem videamus. Sed prius quærendum est: Cur aqua benedicatur? Quare lapides & parietes aspergantur? Cur etiam potius lapides & ipsi parietes per se non benedicantur? cur sine aqua non sanctificantur? cur eadem ipsa benedictio, quæ aquæ datur, lapidibus non datur? Hoc totum habet significationem. Audi igitur quid Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei.* Aqua enim lauandis corporibus idonea est; tantam virtutem Diuinitus accipere meruit, vt sicut corpora lauat à sordibus, ita & animas mundet à peccatis.

Quid aqua significet.

Manifestum est itaque. Quod hæc aqua Baptismum significat, cuius aspersione Ecclesia consecratur, & quodammodo baptizatur.

Quid Ecclesia significet.

Ipsa vero Ecclesia, eam vtique Ecclesiam designat, quæ in ea continetur, Idest multitudinem; vnde etiam Ecclesia vocatur, eo quod Ecclesiam contineat. Hæc enim figura à Grammaticis Metonymia dicitur, quando id quod continet, ponitur pro eo quod continetur. Quale est illud quod in Euangelio Dominus ait: *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas:* Cum vtique non ipsa Ierusalem, sed eius habitatores occiderint. Sic etiam dicere solemus: Illa domus bona est, eo quod bonos habeat habitatores: & illa mala est, eo quod mali homines habitent in ea. Secundum hanc igitur significationē, hæc Ecclesia ex lignis, lapidibusque constructa, eam Ecclesiam designat, quæ ex viuis lapidibus ædificatur: cuius lapides non calce, sed charitate iunguntur & vniuntur: cuius fundamentum Christus est: cuius portæ Apostoli sunt: cuius columnæ Episcopi sunt & Doctores: In qua vnusquisque lapis tanto amplius rutilat, quanto fidelior & melior est. Quia igitur dictum est: quid aqua, & quid domus significet, dicamus etiam: Cur hæc aqua sale misceatur. Cum enim Saluator noster de baptismo loqueretur, nullam salis fecit mentionem: Non enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua salsa, vel sale mixta, vel aliquid huiusmodi: sed quid dixit? *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnū Dei.* Id ipsum autem & de oleo, & de Chrismate dici potest. Sed de his alias. Interim autem de sale dicamus. Sal enim, in Diuino eloquio frequenter pro sapientia ponitur. Vnde est illud: *Sermo vester sale sit conditus.* Et Dominus discipulis: *Habete* inquit, *sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Itemque: *Vos estis sal terræ, quod si sal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Hinc etiam secundum legem nulla hostia sine sale offertur, sed in omni sacrificio ponitur.

Quid sal significet.

Vnde manifestum est, quia sal pro sapientia ponitur: Sic est enim sapientia condimentum omnium virtutum, sicuti sal condimentum omnium ciborum. Sed quæ sapientia? Non vtique sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum; Sed illa sapientia, de qua Dominus ait: *Confiteor tibi Pater Domine Cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Sed vis audire quæ sit ista sapientia, quam simplex, quam facilis ad discendum? Veniat modo aliquis ad hanc aquam: Veniat nunc aliquis ad baptisma, audiat hanc sapientiam, gustet de hoc sale: Neque enim prius baptizatur aliquis, quam sale cibetur; hoc enim omnibus notum est. Ad litteram dico: Infantibus ad fidem venientibus statim in ore ponitur sal: vt quod actu habere non possunt, habeant vel significatione Sacramenti. Interrogo igitur modo aliquem hominem baptizandum: Credis in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem omnium, visibilium & inuisibilium? Dicit, Credo: Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, natum & passum? Credo, inquit. Credis & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam Sanctorum, communionem, carnis resurrectionem, & vitam æternam? At ille: Credo. Bene enutritus est iste, sapiens est, & sufficienter sale cibatus. Hoc est igitur sal quod miscetur aquæ: hæc sunt prima fidei rudimenta: sine his non valet baptismus. Siue enim tollas aquam, siue tollas hæc verba, non est baptismus. Hoc autem dum dico, nullum præiudicium facio infantibus, & nondum intelligentibus, qui non sua, sed aliorum fide baptizantur & saluantur: Saluantur vtique, si vel prius obierint, vel ad ætatem venientes, fidem pro eis promissam fideliter crediderint & custodierint: alioquin non valet eis baptismatis aqua: quia non est sale condita. Dictum est itaque. Quid aqua, quid sal, & quid domus dicanda significet. Nunc autem superest, vt de Hyssopo dicamus, cum quo Ecclesiæ parietes supradicti aspergantur.

Quid Hyssopus significet.

Hyssopus naturaliter in petra nascitur: *Petra autem*, ait Apo-

Apostolus, *erat Christus*. Bona herba hyssopus, quæ nascitur & renascitur & radicatur in Christo. Per hanc enim etsi tota fidelium multitudo intelligi possit, præcipue tamen illi per hyssopum figurantur, qui in Christi fide radicati & fundati, ab eius amore diuelli & separari non possunt. Per quod quid melius quam Episcopos, & Presbyteros intelligere possumus, qui quanto maiorem in Ecclesia obtinent dignitatem, tanto firmius Christi fidei inhærere debent. Et, per hos quidem spargitur aqua: per hos & ab his baptizantur Christi fideles: his datum est perficere baptismatis Sacramenta. Nec illud quidem prætereundum est: quod ter Episcopus Ecclesiam circuminit, ter parietes aqua aspergit.

Quid in circuitu eundo significet.

Apparet enim etiam in hoc figura baptismatis. Audi igitur quid suis discipulis Dominus dicat: Ite, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Hinc est igitur: quod Sacri Canones ter in aquam mergi præcipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque Ecclesia non potest mergi in aquas, ter ab Episcopo circumeunte aspergitur aqua. Vides ergo, quam bene omnia, quæ superius dicta sunt, baptismi conueniant Sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quod ter cum virga pastorali Ecclesię ianuas Episcopus percutit.

Quid virga significet.

Quid enim virga pastoralis, nisi sermo Diuinus & prædicatio Euangelica intelligitur? Quod autem sermo virga vocetur, Propheta de Domino testatur dicens: *quia percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Virga oris, sermo est. Virga igitur ianuas percutere, est aures audientium prædicationis voce ferire: Aures enim portæ sunt, per quas ad corda audientium sanctæ prædicationis verba introducimus. Vnde Psalmista ait: *Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filię Sion*. Quid est enim in portis filiæ Sion, nisi in auribus & auditu fidelium? Illud quoque non vacat mysterio: Quod ter Episcopus ianuas percutit. Numerus iste & notissimus & Sacratissimus est. In omni enim dedicatione ter semper Episcopus ianuas percutere debet: quia sine inuocatione Trinitatis nullum in Ecclesia fit Sacramentum. Percutiamus igitur Ecclesiæ ianuas, & prædicationi instemus, quatenus vsque ad cordis Secretarium accedere, & Christi fidem adducere valeamus. Expositis autem omnibus, quæ in Ecclesiæ dedicatione exterius Episcopus agit, hinc etiam quid interius faciat videamus. Ingressus enim in Ecclesiam, bis totum Alphabetum scribit in pauimento; Per quod vel vtrumque Testamentum, vel duplex Sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur. In his etiam paucis litteris omnis scientia continetur, que semel in Synagoga, & bis in Ecclesię pauimento scribuntur; Iudæi enim vnum tantummodo recipiunt testamentum; quod non dupliciter, vt nos, sed simpliciter tantum, & ad solá litteram interpretantur: At vero Ecclesiæ filij, & vtrumque recipiunt, & vtrumque dupliciter, idest, ad litteram, & spiritualiter intelligunt.

Quid litterę.

Bis igitur in pauimento corporis nostri Alphabetum scribitur, si vtrumque testamentum suscipimus, & vtrumque dupliciter intelligimus. Hinc est enim, quod illa animalia immunda dicuntur, quæ neque ruminant, neque vngulam findunt: Illa enim animalia, quæ ruminant, (notum est valde quod dico) bis eundem cibum comedunt. Cibus animæ, est lectio sacra: Hanc autem bis comedimus: quia semel ad litteram, & iterum spiritualiter eam exponimus & intelligimus. Vngulam quoque findere, est eandem scripturam dupliciter interpretari: quæ ideo quidem vngula dicitur: quia in via bonorum operum pedes nostros firmat & munit.

Quid quod in modum Crucis scribitur.

Sed quid est quod non in directum, sed in obliquum, & in modum Crucis hæ litteræ scribuntur: nisi quia ad hanc Sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis mysterium non recipit, & Christi passione non se credit esse saluatum? Soli enim Christiani hanc intelligentiam habent, qui crucis signaculo insigniti sunt: quibus vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula eius. In Christi namque passione velum templi scissum est: quia tunc & scripturæ apertæ sunt, & reuelata sunt Sancta Sanctorum. Cætera videamus. Post hæc autem Episcopus aliam item aquam benedicit: cui non tantum sal, sicut priori, de qua superius diximus, sed vinum quoque cum cinere miscet.

Quid aqua interius benedicta.

Hæc autem aqua Spiritum Sanctum significat, sine cuius afflatione nihil vnquam sanctificatur, & sine cuius gratia nó fit remissio peccatorum. Quod autem Spiritus Sanctus aqua vocetur, ipsa veritas ostendit dicens: *qui credit in me*, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre eius fluent aquę viuę*: Quod quid significet, mox Euangelista expenens, ait: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. A quo igitur Spiritus Sanctus. Et vide ordinem Sacramenti, & exterius aqua, interius Spiritu, Ecclesia consecratur. Hoc est enim quod Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*. Ecce aqua, ecce spiritus. In baptismatis igitur Sacramento, nec aqua sine Spiritu, nec Spiritus sine aqua. Qui quidem ipse spiritus significabat, qui in prima mundi creatione ferebatur super aquas. Hac igitur aqua & ipsum altare, & totum interius templum aspergitur. De sale autem quod ei additur, superius dictum est. Diximus enim: Quod prima fidei rudimenta significet. Poterant ista sola sufficere ad baptismi Sacramentum & Ecclesiæ consecrationem: sed Sancti Patres nostri, qui Spiritu Dei ista constituerant, voluerunt nobis satisfacere, non solum in his, quæ pertinent ad virtutem Sacramenti, verum etiam in illis, quæ pertinent ad significationem. Sufficit enim aqua & spiritus ad baptismi perfectionem; cetera vero quæ his adduntur, ad significationem pertinent. Non enim oleum, vel chrisma habuit Philippus Apostolus, quando Eunuchum baptizauit. Hæc tamen etiam nunc prætermittenda non sunt, quæ ad significandum aliquid, Sanctorum diligenti dispositione addita sunt.

Quid vinum significet.

Dicamus igitur, quid vinum significet. Vinum enim hoc in loco maiorem, & Spiritualem Diuinæ legis intelligentiam designat. Vnde ad nuptias vocatus Saluator noster in vinum aquas conuertit: quatenus maiori intelligentia nos erudiret, & spiritualis, nouęque doctrinę nectare satiaret. Diuina namque scriptura, ad litteram intellecta, aqua est sine sapore, & iucunditate, quę si Spiritualiter intelligatur, vinum fit, & quidem miri saporis, magnæque suauitatis. Quod enim interest inter aquam, & vinum, hoc interest inter literam, & Spiritum. Vnde Apostolus, litera, inquit, *occidit, Spiritus autem viuificat*. Hoc autem vinum Psalmista nobis promittés ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuę, & torrente voluptatis tuę potabis eos*. Itemque, *Calix tuus inebrians, quam pręclarus est*. Et Item, *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto*. Humiliat enim Dominus Iudęum, exaltat Gentilem. Quare? Quia ille litteram sequitur, quæ occidit: hic merum vinum, & Spiritualem intelligentiam bibit. Tota enim perditio Iudæorum in hoc est: quod litteræ creduli. Spiritualem intelligentiam recipere nolunt. Vnde Psalmista: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributionem & in scandalum: obscurentur oculi eorũ ne videant, & dorsum eorum semper incurua*. Hæc etenim mensa, Diuina scriptura est: de cuius delitijs animæ

animæ nutriuntur, de quibus quodcunque animal comederit vel biberit, nisi ruminauerit non viuet. Bonum est igitur hoc vinum, sed illis bonum, qui bene, & fideliter eo vtuntur. Ad hoc enim bibendum in Canticis Canticorum ipse Dominus nos inuitat dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat*. Túc igitur nos inebriari Dominus iubet; cum alibi de ebrietate fugienda dicat: *Videte ne corda vestra grauentur in crapula, & ebrietate*. Est igitur, & bona, & mala ebrietas: Neque potest esse nisi bonum quod Dominus iubet: & iterum, non potest esse nisi malum, quod Dominus prohibet. Bona est enim ebrietas mentis. Et de vino quidem quid significet sufficienter dictum est.

Quid cinis significet.

Restat nunc, vt de cinere dicamus. Sed quid cinis nisi pœnitentia? Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium est. Hinc est enim quod de Niniuitis pœnitentibus dicitur: *Quia Rex ipse surrexit de Solio suo, et indutus est sacco, et sedit in cinere*. Hinc & Dauid: *Quia cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu temperabam*. Hinc & Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis et cinis*. Hinc & peccanti homini dicitur: *Quid superbis terra, et cinis?* Babyloniæ quoque per Prophetam Dominus loquitur: *Descende*, inquit, *sede in puluere Virgo filia Babylonis, non est solium Vltra tibi*. Vnde & consuetudo in Ecclesia inoleuit, vt per singulos annos in initio quadragesimæ capita nobis cinere aspergamus. His autem & similibus facile ostenditur, quia per cinerē pænitentia designatur. Quia igitur dictum est, quid aqua, quid Sal, quid vinum, & quid cinis significet, dicamus modo, quare simul miscētur, vt eorum aspersione Ecclesia consecretur. Puto enim, quod sine his, si vel vnum defuerit, populus Domini, quod est Ecclesia, neque Sanctificatur, neque soluitur a peccatis. Et de Aqua quidem manifestum est: quia nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit Regnum cælorum. De sale quoque non dubium est, quia sine fidei condimento quod in Sale significatur, nemo vnquam saluari poterit, etiā si aqua baptismatis aspergatur. Sed quid dicam de vino? per quod spiritualis intelligentia designatur, quo qui aspersus fuerit, quicumque de eo non biberit, vel propriis auribus non crediderit, ad vitæ æternæ beatitudinem non perueniet. Cineris quoque aspersio, per quam pœnitentia intelligitur, tā necessaria est, vt sine ea non fiat remissio peccatorum: per ipsam enim peruenitur ad baptismum; ipsa est vnicum, & singulare refugium peccatoribus post baptismum. Vnde & non immerito baptismus vocatur: Dicente Euangelio de Ioanne: *Quia venit in vniuersam regionem Galilææ, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: dicebat enim; Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorū*. Sic cœpit prædicatio Ioannis. sic cæpit prædicatio Christi. In his autem omnibus soli paruuli excipiuntur, & cæteri, qui intelligentiam non habent. Hæc est igitur causa, quare hæc omnia, idest aqua, Sal, vinum, et cinis Simul misceantur, quia vt diximus, si vel vnum defuerit paruulis, nihil cætera prosunt. Quibus ita permixtis, accedit Episcopus ad altare, & accepto fasciculo hysopi hæc supradicta aqua aspergit, atque sanctificat Ecclesiam, & altare.

Quid Altare.

Sed quid Altare in templo significat? Apostolus enim dicit: *Templum Dei Sanctum est, et quod estis vos*. Si ergo templum Dei sumus, & altare habemus. Altare nostrum, cor nostrum est. Hoc est enim cor in homine, quod est altare in templo. In hoc enim altari fit sacrificium laudis & iubilationis. Vnde Psalmista, *sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritum, et humiliatum Deus non spernit*. In hoc altari fit commemoratio corporis, & sanguinis Christi. Hinc preces ascendunt in cęlum, quia ad cor respicit Deus. Hoc igitur Altare aspergitur aqua, quando corda hominum Euangelica prędicatione mundantur a peccatis.

Aqua est prędicatio.

Nam & prædicatio aqua est, secūdum illud: *Omnes sitiētes venite ad aquas*. Itemque *Aqua profunda, verba ex ore viri*. Et iterum. *Repuetur sicut pluuia eloquium meum*. Hac igitur aqua, idest Euangelica prædicatione, & Sancti Spiritus Sanctificatione, & cordis altare, & totus homo mundatur & sanctificatur. Ecce altare aspersum est, aquis baptizatum est. Restat igitur, vt confirmetur, & chrismate liniatur. Hoc enim in hominibus ipsis fieri videmus. Prius enim baptizātur: & sic postea chrismate confirmantur.

Quid oleum.

Dicamus igitur, quid oleum, & Chrisma significet. Non enim sine causa iam baptizari & a peccatorum sorde mundati oleo vnguntur & chrismate. Oleum enim, misericordiam designat, quam qui non habet: idipsum amisit quod baptizatus est. Vnde ipsa Veritas ait. *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Hinc est quod seruus ille damnatus, qui centum denarios conseruo suo dimittere noluit, dicente Domino: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nōne ergo oportuit, et te misereri conserui tui, sicut et ego tui misertus sum?* Bene autem oleum misericordiam significat, quia sicut illud in liquoribus, ita & misericordia in bonis operibus superior est. Quemcunque enim liquorem in oleum fundas, oleum semper desuper natat. De misericordia quoque scriptum est: *Suauis Dominus vniuersis, et misericordia eius super omnia opera eius*, Superexaltat enim misericordiam iudicio. Hinc est etiam quod Dominus ait: *Misericordiam volo, & nō sacrificiū*. Multa sunt, quę de misericordia dici possunt. Si quidem misericordia Domini plena est terra: *Sed quis sapiēs et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?* Hoc igitur vngatur, hoc oleo liniatur altare cordis nostri, vt semper misericordiæ memores, atque aspersionem & baptismi regenerationem non dimittamus. Quid enim prodest, quod hyssopo aspersi a Sacerdotibus Baptizati sumus, Si pater noster, qui in cœlis est, non dimiserit nobis peccata nostra? Semper igitur in misericordiæ oleo natent corda nostra: quatenus dimittantur nobis peccata nostra. Hæc autem de oleo.

Quid Balsamum.

Cui si balsamum addamus, fit Chrisma, quo Reges vnguntur, & Sacerdotes. Balsamum enim tunc iungitur oleo, quando bonus odor additur misericordiæ. Sed quid est bonus odor? Lætitia spiritualis, & bona voluntas. Vnde Apostolus ait: *qui miseretur in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus*; Tali igitur chrismate vngantur Christiani, vt vero nomine vocentur Christiani: quoniam Christianus a Christo, & Christus a Chrismate dicitur. Ille enim tali chrismate vnctus est, qui vitę honestate, et merito Sanctæ conuersationis longe circumquaque suæ bonæ famæ spargit odorē. Vnde Apostolus *Christi*, inquit, *bonus odor sumus Deo*, Qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Sic igitur Ecclesia consecratur, sic Dei populus innouatur, benedicitur, & sanctificatur.

Quid Cerei.

Duodecim autem cerei, duodecim Apostoli sunt, quorum doctrina fugatæ sunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus est mundus. Lapis autem altaris non solum Christum, sed Christi quoque membra significat: De quo lapide Scriptum est: *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper*. De quo Et Psalmista. *Speciosus forma pre filiis hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: Dilexisti iusti-*

tiam,

tiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Ergo non solum ipse, sed, & consortes eius per ipsum oleo lætitiæ vncti sunt. Vnde manifestum est: quia in illo lapide, & ipse significatur, & membra eius, quia vero Sanctorum reliquiæ in Altari ponuntur, Altare quoque cordis nostri sine Sanctorum reliquijs esse nõ debet: Sanctorum namque reliquias in corde gestamus, si eos semper in mente habemus: si eorum dicta, et exempla tenemus, & eorum verba memoriæ commendamus. Beata illa altaria, beata illa corda, quæ tales reliquias suscipere meruerunt. Quantas nobis Beatus Paulus reliquias reliquit: quantas & alij Sancti reliquerunt? quibus Vtinam nostri cordis altare repleatur, & condiatur. Hæc autem de consecratione Ecclesiæ dicta sufficiant.

Nunc autem dicendum est: Cur in olei, et Chrismatis cõsecratione ter super eam Episcopus halat. Legimus enim in Euangelio, Quod Dominus in discipulos insufflauerit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Hic igitur halitus illam in sufflationem significat. Qui ideo ter quidem fit, quia Spiritus Sanctus, a Patre, filioque procedit, & a seipso venit. Poterat enim Saluator noster sine omni sufflatione dare spiritum sanctum, quem ideo quidem insufflãdo dedit, vt ab ipso quoque, sicut & a Patre eius procedere intelligamus. Quamuis enim nesciamus, quomodo spiritus sãctus a patre, filioque procedat, (hoc enim in hac vita, in qua non videmus nisi per speculum, & in ænigmate) nulli reueletur, certissime tamen scimus, & nullatenus dubitamus eũ procedere a patre, & filio, idest, de substantia Patris & filij. Hoc enim ei proprium est, & de nulla alia substantia procedit a nullo alio mittitur, & a nullo alio datur Spiritus Sanctus. Datur enim officio sacerdotum, sed nõ datur a Sacerdotibus: Sic enim adest virtus Christi per insufflationem, quæ fit a sacerdotibus in honorem significationis Spiritus Sancti, sicut per verba, quę dicuntur in nomine suo.

His igitur ita dispositis, dicendum est; qualiter hæc Sacramenta suscipiat, qui ad fidem nouiter venit, Is enim qui ad Ecclesiam venit, prius de fide interrogatur. Qui postquam se credere respondet, sacerdos ei in faciem insufflat, vt spiritus sanctus ingrediatur, & spiritu sancto malignus spiritus eijciatur. Adest enim, vt modo diximus, spiritus sanctus, nõ solum verbis, quæ dicuntur in nomine suo, verum etiam significationibus, quæ fiunt in honore suo. Deinde in Ecclesiam introducitur, & fidelium populo sociatur: Ac sic sacerdos ei salem ponit in ore, per quod quid significetur, superius diximus. Hoc enim sal, prima fidei documenta significat, sine quorum condimento insulsus est omnis homo. Postmodum vero eius nares, & aures cum saliua tangit, quod ipse Dominus, & saluator noster tunc nobis exposuit, quando exiens de finibus Tyri, & veniens per Sydonem ad mare Galilęæ, sanauit hominem surdum, & mutum: Exspuens enim tetigit linguam eius, & ponens digitos suos in auricula eius, dixit: *Epheta, quod est, adaperire, & statim*, vt ait Euangelista, *apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè*. Saliua igitur Christi, dulcedo est verborũ defluẽtium ex ore Christi, & ipsa Diuinitas Christi nos sanat. Nares itaq; ei tanguntur, vt Diuinã veritatem suscipiat, qua bonũ à malo discernat, odorem, & sanam doctrinam separare valeat à fœtore hæreticæ prauitatis. Hinc enim Ecclesiæ dicitur: *Nasus tuus sicut turris libani, quę respicit contra Damascum*. Tanguntur autem, & aures, vt verbis Euangelicis pateant, & vanas, & inutiles fabulas à se repellant: Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Deinde ad Baptismum veniẽs, prius in pectore, & inter scapulas oleo vngitur, quatenus intelligat, sine misericordiæ oleo, etiamsi baptizatur, se tamen Deo placere non posse. Et de oleo quidem superius diximus. Bene autẽ quidem in pectore vngitur, vbi est cor, memoria, & ratio & intellectus: quatenus semper misericordiam in corde habeat, & nunquam pietatis, & misericordiæ obliuiscatur, sed quia non sufficit, vt misericordia in mente solummodo habeatur, nisi & opere exerceatur, vngitur etiam & inter scapulas, vt audiat Apostolum dicentem: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. In scapulis & super humeros feruntur onera. Hoc enim ipse Dominus ostendit, dicens de Pharisæis, *qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*. Oleum igitur a corde transfertur ad scapulas, quando misericordia quæ mente concipitur, opere perficitur. De Baptismo autẽ satis superius dictum est. Postquam autem baptizatus est homo, suscipit vestem candidam, per quam interioris, et exterioris hominis castitas, & puritas signatur, audi[illegible] scripturam dicentem. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Vngitur autem & Chrismate a Sacerdote in vertice, in quo simul et nomẽ Christi et humilitatem suscipiat. Vtrique. n. & Christus, & Christianus à Chrismate nominatur. Et bene quidẽ signum crucis, et nomẽ humilitatis in vertice describitur, vbi ipsa superbia sedere videbatur, semper enim superbia superiora appetit. Vnde inclinato capite humiles, & recta ceruice superbos stare videmus. Hos humili[illegible] inclinat, illos superbia erigit. Sed quid dicit scriptura: *Verumtamen Deus cõquassabit capita inimicorum suorum, super verticem capilli perambulantium in delictis suis*. Hac igitur vnctione superbia tollitur, & humilitas commendatur. Nunc autem sola confirmatio restat, quæ ab Episcopis fieri [illegible] in qua totius Christianorum religionis myster[illegible] plemu[illegible] pletur. In baptismo namque per spiritum sanctum datur [illegible] missio peccatorum. Hic autem ipse spiritus [illegible] niat, & domum ipsam, quam sanctifi[illegible] defendere, [illegible] bitare dignetur. Nam & ipsi Apostoli post b[illegible] perunt spiritum san[illegible]um, quem vtique in ipso baptismo acceperant in remissionem peccatorum. Neque enim [illegible] dendum est, eos baptizatos non fuisse, qui et alios bapt[illegible] & ipsum Dominum dixisse audierant, *Nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei*. Acceperunt autem iterum spiritum sanctum, quo ligarent & saluarent a peccatis. Insufflauit enim Dominus in eos, vt [illegible] Euangelista & dixit. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinue[illegible] tenta sunt*. Receperunt et iterum in die Pentecostes [illegible] rius Virtutis, et scientiæ perfectionem. Ad cuius similitudinem, & significationem hæc vltima confirmatio fieri iubetur. In quo manifestum est, quod hoc sacramentum, non iteratur, si quidem propter aliud, et aliud datur. Quamuis enim prius in vertice, et postea in fronte chrismate vngatur, non tamen iterari Chrismatis sacramentum, quia, vt superius ostendimus, propter aliud, et aliud fit. sicut et baptismum iterari non dicimus, cum toties post baptismum aqua aspergatur. Ibi enim reiteratur sacramentum, vbi ad ipsum iterum datur propter idem ipsum. Veluti si aliquis baptizatus iterum in aquis baptismatis mergeretur, quatenus ab originali & alijs peccatis solueretur: Aliter enim non rebaptizatur, etsi multoties aliquis baptismatis aquis mergatur. Hæc autem vltima consignatio ideo quidem in fronte fit; quia perfectorum est, non in occulto, sed palam & in manifesto Christi nomen semper habere. Hinc est enim quod Ioannes Apostolus ait: *Vidi supra montem Sion agnum stantem & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis*. Stare enim, & in monte stare, & cum Agno stare, perfectorum est. Ipsi enim Apostoli, antequam vngerentur, antequam Spiritu Sancto confirmarentur, nondum stabant, nondum perfecti erant, adhuc timebant, & nondum Christi nomen in Christi nomine gerebant.

Expositis omnibus, quæ superius dicta sunt: de vestibus Sacerdotalibus, & quid Sandalia, quid Amictus, & Ephod, quid Cinctorium & Subcinctorium, quid Orarium, & Tunica, quid Dalmatica & planeta, quid Pallium & acus, quid Mitra & Manipulus significent, videamus. Legimus in Euan[illegible] lio, Christi discipulos sandalijs calceatos a Domino m[illegible] calceatos vtique in præparatione Euangelij pacis. Si[illegible] calciati non essent, quomodo supra serpentes & scorpiones calcare potuissent: Respiciant igitur sandalia Episcopi, respiciant calceamenta Apostolica, cogitent cur ita calceati [illegible] mitentur eorum exempla, quorum imitantur calceamenta.

instent

insistent prædicationi, quatenus & ipsi sint calceati in præparatione Euangelij pacis: Hęc calceamenta non sunt honoris sed laboris; non ad quiescendum, sed ad iter agendum calceantur qui calceantur. Hæc est igitur causa, cur sandalijs vtantur Episcopi.

De Amictu & Ephod.

Amictus autem & Ephod, & cętera indumenta sacerdotalia, quæ ex lino conficiuntur, pene eandem significationem habent. Significant enim vtriusque hominis castitatem & puritatem, quia præ cæteris candida sunt, & frequentius abluuntur. Eandem igitur significationem habent in nouo, quã habuerunt in veteri testamento. Et Amictus quidem, quo & collum stringitur & pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat: Tegit enim cor, ne cogitet vanitates: stringit collum, ne inde ad linguam transeat mendacium. His enim duobus, i. est, cogitationibus, & mendacijs, corrumpitur anima; his amittit castitatem & incipit fornicari. Vnde ipse Dominus ait: *quę autem ex corde exeunt, hęc sunt quę coinquinãt hominem*: Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, periuria, homicidia, & similia: hec sunt quæ coinquinant hominem: non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Sentiat igitur cor linum amictum & candidũ indumentum quo premitur, & intelligat quod in eo significatur; & sic semper castitatis & munditiæ amor luxuriosis & iniquis cogitationibus non corrumpatur: Quod si aliquando corruptum fuerit, ne male tamen cogitata foris prorumpere valeant, lineus amictus collum cingit & stringit. Semper igitur collum Episcopi lineo stringitur amictu, quatenus eloquia eius sint eloquia casta, & inde mendacium transire non valeat.

Similiter autem & per Ephod castitas corporis figuratur: Quod in renibus quidem cinctorio stringitur, quia ibi præcipue luxuria dominatur. Vnde ipsa veritas ait: *Sint lumbi vestri precincti*: Lumbos enim precingere, est luxuriæ impetus castitatis imperio refrænare. Hinc & de diabolo dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius*. Necesse est igitur, vt Ephod, i. est, virtus & fortitudo castitatis illis in locis stringatur & figatur, in quibus maxime luxuria dominatur. Ab hoc autem cingulo, siue cinctorio duplex subcinctorium pendet, quia duo sunt quibus castitas roboratur, & sine quibus difficile conseruatur, idest, oratio & ieiunium. Attendant igitur ad succinctorium Episcopi, instẽt ieiunio & orationi, his armis se defendant ab impetu libidinis & spiritu fornicationis: *Hoc etenim genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio*. Domini verba sunt.

De Orario.

Sed quid per Orarium intelligamus, nisi id quod Dominus ait: *Tollite iugum meum super vos & discite a me, quia mitis sum & humilis corde; iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*: Orarium, simul iugum, simul & onus est: Iugum sacerdotibus, onus Diaconibus. Vnde fit, vt sacerdotibus circa collum, & Diaconibus circa humeros ponatur. Vt enim collo portatur iugum, sic & humeris onera feruntur: Boues igitur sacerdotes, Asini Diacones. Lege in Leuitico & videbis, solos Leuitas ferendis oneribus destinatos. Vocatur autem Orarium: quia quamuis sine alijs indumentis sacerdotalibus & baptizare & consignare, & alia multa orando facere liceat, sine Orario tamen, nisi magna necessitate cogente, nihil horum agere licet.

De Tunica.

Tunica autem in veteri Testamento hyacinthina solummodo erat, & alterius coloris non erat, per quam Angelica vita & cælestis conuersatio designatur. Cæli namque colorẽ habent hyacinthi. Et tali quidem tunica Apostolus indutus dicebat: *Nostra conuersatio in cęlis est*. Ad hanc igitur tunicam respiciat Episcopus, totusque mente & desiderio ad cœlestia transferatur. Si autem alterius coloris tunica fuerit, sit & alterius significationis.

De Dalmatica.

Dalmatica vero magis ad ornatum, quam ad significationem pertinere videtur; quæ & post alia indumenta sacerdotalia inuenta esse probatur. Fimbriæ tamen quæ in Dalmaticis a sinistro latere pendent, huius vitæ impedimenta, superfluitates & solicitudines significare possunt; quæ quoniam in altera vita non sunt, merito neque fimbriæ in dextro latere ponuntur: Per dextram namque & sinistram, vtramque vitam significari vsitatissimum est. Vnde & illud: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Quod igitur Dalmatica induitur, vtriusque vitæ recordetur, eligat meliorem, illam videlicet quæ impedimenta, superfluitates, curas, & sollicitudines non habet.

De Planeta.

Sed quid Planeta, quæ & Casula vocatur, nisi Caritatem significat? Vnde & merito superior est. Siquidem Deus caritas est. Hæc enim vestis, omnia alia vestimenta intra se claudit & continet; sicut & in caritate omnia legis & Prophetarum mandata continentur, dicente Apostolo: *Plenitudo legis caritas est*. Et Dominus in Euangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut te ipsum: In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ*. Quia igitur Planeta omnia alia vestimenta continet intra se, merito illam virtutem significat, quæ omnia legis & Prophetarum mandata continet in se.

De Pallio.

Restat nunc, vt de Pallio dicamus: per quod simul vtrumque & superhumerale & rationale intelligimus: quia enim super vtrumque Pontificis humerum iacet, superhumerale dicitur: Quia vero inde descendens in ipso Pontificis pectore iungitur, rationale vocatur. Habebat enim Aaron superhumerale & rationale: quæ catenulis aureis simul iungebantur: & superhumerale quidem ab humero vsque ad humerum extendebatur: rationale vero quadrangulum erat, & duplex, sicut & pallium duplex est. Habebat autem mensuram palmi tam in longitudine quam in latitudine: quæ mensura pectori Pontificis ornando vel operiendo sufficeret. Habet igitur Pallium eandem cum Humerali & Rationali significationem. Dicamus itaque, quid superhumerale, & quid rationale significet: & hoc breuiter: quia sufficienter de his in Exodo diximus. Quid enim superhumerale, quo humeri Episcopi ornantur & onerantur, nisi Episcopalis dignitatis onus significat? Magnum onus est dignitas Episcopalis. Isti humeri totius Ecclesiæ onera ferre, & oues languidas & populi peccata portare debent. Illi Episcopi superhumerale non habent, qui aliorum onera ferre recusant. Quales erant illi, de quibus Dominus ait: *Alligant onera grauia & importabilia & imponunt in humeris hominum, digito autem suo nolunt ea mouere*. Summus autem Pontifex ille noster tali superhumerali ornatus erat, qui relictis ouibus nonaginta nouem, vnam quæ perierat, quærere venit, quam inuentam proprijs humeris imposuit & ad pascua reduxit. Rationale vero quid significet, & nomine ipso & loco, super quem ponitur, intelligi potest: Ponitur enim super pectus Pontificis, ad cordis thesaurum & Sapientiæ Secretarium custodiendum. Hoc enim rationale supra pectus habebat ille qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi*. Vbi enim est rationale, ibi est & ratio & sapientia & scientia: hoc enim rationale significat. In quo igitur pectore & corde ista non fuerint, ibi rationale poni non debet: Si enim ponitur, inutile est, & quasi sigillum nihil custodiens. Dicitur autem rationale Iudicis: vt qui eo vtitur, rationabiliter iudicet, sapienter iudicet, vera iudicet, nihil temere, nihil incaute, nihil inordinate iudicet. Hæc autem de Rationali & superhumerali dicimus, quatenus per hæc quid Pallium significet, intelligatur. Est autem Pallium in sinistra duplex: quia quamdiu in hac vita sumus,

quæ per sinistram significatur, duplicitate carere non possumus: siquidem nunc prosperis extollimur, nunc aduersis frangimur: nunc terrena petimus, nunc cælestibus adhæremus: nunc carni, nunc menti seruimus: In dextera vero, Pallium duplex non est: quia in altera vita duplicitas nulla est: ibi enim prosperitas sine aduersitate, gaudium sine tristitia, felicitas sine miseria: Illa igitur caret duplicitate, non habens maculam, neque rugam. Fit autem Pallium ex lana, vili scilicet materia, vt habeat pretium non a se, sed in eo, quod significatur in se. Vtinam non oculis, sed menti spectabile sit; vt non ad ornandum, sed ad aliquid significandum indui intelligatur.

De Vittis.

Vittas autem, quæ in pallio positæ ante, & retro, rationale & superhumerale ad inferiora trahunt, huius vitæ curas & sollicitudines significare putamus: quibus & cor, & humeri Pontificis sic sæpissime grauantur & impediuntur, vt a proprio statu eum auertant, & vana quædam & transitoria eum cogitare & portare compellant. Has igitur vittas inspiciat Episcopus, & earum iniquo grauamine cor, humerosque excutiat.

De Acu.

Acus autem non ad pungendum, idest, propter huius vitę punctiones, vt quidam putant, sed planetam, palliumque iungendum inuentæ sunt. Quædam enim ansulæ antiquitus in Planeta positæ erant, quibus acus inserebantur, & Pallium simul cum Planeta firmabant, ne a suo loco Pallium moueretur. Possumus tamen per acus, quia tres sunt, fidem, spem, & caritatem intelligere, sine quibus pallium ab Episcopo teneri non potest. Qui igitur habet pallium, habeat & acus, quibus liget & stringat & teneat pallium. Et de pallio quidē tantum nos dixisse sufficiat.

De Mitra.

Mitra autem, quia linea est, castitatis candorem, munditiamque significat: sicut & amictus & Ephod, de quibus superius dictum est. Bene autem totus a capite vsque ad pedes lino Episcopus operitur: quia omnis eius honor & gloria, castitas & munditia est. Hoc autem ornamentum multum erat capiti necessarium, quia ibi sunt quinque corporis sensus: quibus corruptis, facile castitas violatur. Vnde Psalmista: *Auerte*, inquit, *oculos meos Domine ne videant vanitatem*. Et B. Iob: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de Virgine*. Ne igitur sensus Episcopi violentur, merito mitra castitatis eius caput ornatur & operitur.

De Manipulo.

Sed quid per manipulum nisi bona opera intelligamus? Vnde est illud: *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*. Cogitet igitur Episcopus, quid in eius manu manipulus significet: ne quando bonæ operationis obliuiscatur. Nisi enim aliquid significaret, ridiculum quoddam videretur esse, in manu manipulum portare. Est igitur hoc, sicut scriptum est, signum aliquod de manu nostra, & quasi appensum quid ante oculos nostros.

De Chirotecis.

Quæris fortasse: Cur manus lineis Chirotecis induantur? Breuiter respondeo: Vt castæ sint, mundæ sint, & ab omni sorditate immunes sint, & nitidæ.

De Annulo.

Annulus quoque in digito Episcopi quoddam signum esse videtur, per quod Christi Vicarius esse intelligitur, vt eius sponsam, quæ est Ecclesia, regat & custodiat. De hoc enim sponso & sponsa Ioan. Baptista loquitur, dicens: *Qui habet sponsam, sponsus est*; amicus autem sponsi quis . . . Est igitur Episcopus, & amicus, & Vicarius sponsi: Quod si Vicarius est, & ipse quodammodo sponsus est.

De Imperio Summo.

Summus autem Pontifex propter hoc & Regnum portat (sic enim vocatur) & Purpura vtitur: non pro significatione, vt puto, sed quia Constantinus Imperator olim B. Siluestro omnia Romani Imperij Insignia tradidit. Vnde & in magnis Processionibus omnis ille apparatus Pontifici exhibetur, qui quondam Imperatoribus fieri solebat. Hæc autem de vestibus sacerdotalibus dicta sint. Nunc autem dicendum est: quid in Episcoporum Consecrationibus Euangeliorum liber humeris impositus, & capitis, & manuum vnctio designet. Hæc enim sub figura fieri videntur, non autem ad sortes quærendas, vt stulti opinantur, Euangeliorum liber eius qui consecratur humeris imponitur, sed vt per hoc intelligatur, cui labori & oneri subijcitur; vt pondus Euangelicæ prædicationis eum circumquaque ferre non pigeat. Et quia non solum Episcopus, sed & Rex in Ecclesia constituitur, secundum antiquorum consuetudinem, eius caput vngitur, eiusque corona chrismate consecratur. De hoc enim vnguento scriptum est: *Sicut vnguentum in capite eius, quod descendit in barbam barbam Aaron*. Firmissime autem credendum est: quod hac vnctione & Christi benedictionem, & Spiritus maiorem gratiam suscipiat. Vnguntur autem & manus: vt quæcunque benedixerint, benedicantur, & quæcunque sanctificauerint, sanctificentur. Hæc autem vnctio in Episcopo otiosa esse non debet. Vngitur exterius, vngatur & interius: vngitur in capite, vngatur & in mente. Nam & mens caput est, caput vtique sed melioris & interioris hominis. De hoc enim capite Dominus ait: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum*. Vnge, inquam, sed quo oleo? non oliuæ, sed misericordiæ. Vngatur igitur mens pietatis & misericordiæ oleo: vt bonæ vitæ, & sanctæ conuersationis longe circumquaque cunctis suauem & delectabilem spargat odorem. Quæ enim mens tali oleo vncta fuerit, omnium miserebitur, & super omnes cordis compassione mouebitur. Sed quia non sufficit mente tantum & voluntate misereri, vnguntur & manus: vt misericordia, quæ mente concipitur, manibus quoque exerceatur. Vngantur igitur manus Episcopi, pietatis, & misericordiæ oleo: nemini claudantur, omnibus aperiantur. Audiat quid de Ecclesia dicitur: Manum suam aperuit inopi, & brachium suum extendit ad pauperem. Manus arida, manus auara, manus tenacitate contracta, non potest aperiri. Vngatur igitur vt sanetur; vngatur vt aperiatur, & indigentibus eleemosynas largiatur.

Explicit. Deo gratias.

SANCTI LEONIS PAPAE NONI VITA

A Sancto Brunone Signiensi Episcopo conscripta.

BRuno Signiensis Episcopus omnibus fidelibus, & Catholicis vniuersis. Gratia vobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Psalmista loquitur dicens: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum*. Qua in re manifestissime docet, vt nos quoque ad Dei laudem & magnificentiam, quoscunque possumus, inuitemus. Omnis enim laus, omnis virtus & gloria Sanctorum ad illum refertur, qui est mirabilis in Sanctis suis; qui suis quoque discipulis ait: *Sine me nihil potestis facere*. Ipse in singulis coronatur, & in omnibus honoratur, ipse in eis loquitur, ipse in eis pugnat, et vincit. Vnde & ipsi fideles, & serui ipsius non immerito dicunt: *In Deo faciemus virtutem*,

tem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Laudemus ergo Sanctos Dei, honoremus amicos Dei; siquidem ipse laudatur & magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutē & magnificentiam dedit eis. Ergo itaque. *Magnificate Dominum mecum*. Et in hac tanta sollemnitate Beati Leonis Summi Pontificis, & Vniuersalis Papę exaltemus nomen eius in idipsum.

Mundus totus in maligno positus erat, defecerat Sanctitas iustitia perierat, & veritas sepulta erat: regnabat iniquitas, auaritia dominabatur, Simon magus Ecclesiam possidebat, Episcopi, & Sacerdotes voluptatibus, & fornicationi dediti erāt non erubescebant sacerdotes vxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, & legibus eas dotabant, cum quibus secundum leges nec in vna domo simul habitare debebant. Sacri namque Canones, nullis alias mulieres simul cum hoc ordine habitare permittunt, nisi eas solas, quæ omni careant suspitione. Sed, quod his omnibus deterius est, vix aliquis inueniebatur, qui vel Simoniacus non esset, vel a simoniacis ordinatus non fuisset. Vnde etiam vsque hodie inueniuntur quidam, qui male argumentantes, & Ecclesiæ dispensationem non bene intelligentes, ab illo iam tempore Sacerdotium in Ecclesia defecisse contendant. Aiūt enim: Si omnes tales erant, id est, si omnes vel simoniaci erant, vel a simoniacis ordinati, vos, qui nunc estis, vnde huc venistis? per quos, nisi per illos transistis? non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinauerūt, ab illis, & non ab alijs suos ordines susceperunt, qui vel simoniaci erant, vel a simoniacis ordinati erant. His autem postea respondebimus, quoniam hæc quæstio nō paruam quærit disputationem. Nunc interim ea, quæ cæpimus, prosequamur.

Talis erat Ecclesia, tales erant Episcopi et Sacerdotes, tales & ipsi Romani Pontifices, qui omnes alios illuminare debebant: Omne sal erat in fatuatum, neque erat aliquid in quo condiretur. Et nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. In hoc igitur tanta tempestate beatus Leo Apostolici culminis Cathedram suscepit, vt hæc talis tantaque lucerna, vniuersali candelabro superposita, luceret omnibus, qui in domo sunt.

Erat enim hic Tullensis Episcopus Bruno nomine, nobilis genere, forma speciosus, sed speciosior sanctitate, litteris instructus, doctrina potens, moribus ornatus, & quæcumq. huic ordini necessaria sunt, simul in eo cuncta conuenerant. Et talis quidem magister necessarius erat, qui tali tempore, & tales discipulos habiturus erat.

Conuenerunt itaque viri religiosi simul cum Henrico Imperatore, viro per omnia prudentissimo, & Legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erāt, præfatum Episcopum multum deprecantes, vt pro amore Apostolorum Principum Petri, & Pauli, Romanæ Ecclesiæ subueniret, seseque pro fide, & religione Christiana periculis tradere non timeret. Timebat enim gens illa huius nostræ terræ habitationem, vt potè quæ de locis sanissimis ad loca infirma transmearet.

Beatus autem ille Episcopus, non loci infirmitatem, sed tantæ Ecclesiæ sublimitatem ascendere metuebat. Sic enim & Moyses fecisse legitur; quem cum Dominus Israelitico populo præponere voluisset ait: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Victus tandem eorum precibus, quod illi postulabant, se sub hac conditione facturum esse promisit, Ego, inquit, *Romam vado, ibique si Clerus, & populus sua sponte me sibi in Pontificem elegerit, faciam quod rogatis: aliter autem electionem nullam suscipit*.

At illi gauisi, confirmāt sententiam, & laudant conditionem. Illis autem diebus erat ibi Monachus quidam Romanus, Ildebrandus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenij, sanctæque religionis. Iuerat autem illuc, tum discendi gratia, tum etiam vt in aliquo religioso loco sub Beati Benedicti Regula militaret. Hunc igitur Beatus Episcopus vocauit ad se, cuius propositum, voluntatem, & religionem mox vt cognouit, rogauit eum, vt simul cum eo Romam rediret. Cui ille non facio, inquit. Respondit Episcopus, Quare non At ille: Quia non secundum Canonicam institutionem, sed per secularem, & regiam potestatem Romanam Ecclesiam arripere vadis. Ille autem, vt erat natura simplex, atque mitissimus, patienter ei satisfecit, reddita de omnib. sicut ille voluerat ratione.

Quo nimirum in facto Beati Petri Apostoli, cuius successor mox ipse futurus erat, exemplum imitatus est: Qui postquam Cornelium Baptizauit, hominem, scilicet gentilem, & à Iudæorum religione extraneum, ab alijs Apostolis reprehensus; quod ad hominem intrauit præputium habentem, non est dedignatus de omnibus reddere rationem.

Et tunc Episcopus Romam veniens prædictum Monachū secum adduxit, multum in hoc ipso Beato Petro Apostolo seruiens, quod illum hominem secum reducebat, cuius consilio, & sapientia Romana Ecclesia aliquando regenda, & gubernanda erat. Hic est enim Gregorius Septimus Papa, cuius prudentiam, constantiam, & fortitudinem, cuius pugnas & labores enarrare, alterius temporis, & operis est. Et secundum Romanam consuetudinem cum magnis laudibus a Clero & Populo in Pontificem electus est. Deinde vero in B. Petri Apostoli Cathedram eleuatus, Diuina, vt opinor, operante prouidentia, mutato nomine, Leo vocatus est. Vicerat enim Leo de tribu Iuda, a qua iste Leo originem ducens, factus fortissimus bestiarum, ad nullius timere occursum. Cuius quidem rugitus mox terram commouit, terruit sacrilegos, turbauit, & coniugatorum exercitum vulnerauit. Iste enim Beatissimus Pontifex, sancti spiritus igne inflammatus, maxime contra simoniacos exarsit, & vt Clericorum ordo caste & religiose viueret, antiquos Canones confirmauit, multum in hoc ipso, vbi necessarium fuit, dispensatorie condescendens & parua indicta pœnitentia, Apostolica auctoritate de præteritis parcens, ne tale aliquid vlterius committerent, admonebat. Hoc autem in exemplum suscipi non oportet, quod Pontifex non voluntate, sed necessitate agebat, nisi, et causa fortasse, & similis sit, quia multoties Ecclesiæ Rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non possunt: Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta mansuetudo, quam largus, quam affabilis, quam omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Sermo eius sale conditus, & mulcebat pios, & terrebat impios.

Sed iam nunc ad ea veniamus, quę per eum Dominus operatus est: non quod omnia scribere velimus, quæ vel de eo audiuimus, vel etiam scripta reperimus. Multa nobis beatus Gregorius Papa, cuius superius mentionem fecimus; de hoc viro narrare solebat, a quo & ea, quæ usque modo dixi, magna ex parte, me audisse memini. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipso loqueretur, cępit nos increpare, & me præcipue, ut mihi uidebatur (siquidem in me oculos intentos habebat) quoniam beati Leonis facta silentio perire pateremur, & quod ea non scriberemus, quæ Romanæ Ecclesiæ ad gloriam, & multis audientibus forent ad humilitatis exemplū. Sed quoniam in commune verba fundebat, & nulli nostrum specialiter hoc agere iubebatur, nemo fuit, qui ea scriberet quæ omnibus scribenda mandabat.

Nec ego quidem nunc ea scripsissem, nisi quodam modo, vt ea scribere coactus essem, sicut in sequentibus manifestabo. Parcat mihi vterque Pontifex, quoniam vtrumque me in hoc offendisse cognosco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partib. Gallię admirabili Dei prouidentia per eum factum audiuimus. Cum enim B. Leo ibi concilia celebraret, multique ibi Episcopi de Simoniaca hæresi accusarentur, inter cæteros accusatus est quidam, qui præ cæteris suspectus amplius habebatur: sed cum eius accusatio certis indicijs probari non posset, adiurauit eū Pōtifex, vt ipse de seipso diceret veritatē qui cū veritatē dicere nollet, et suā iniquitatē modis omnib. celare conaretur, ait ad eum Beatus Leo: Si ergo, vt asseris, Simoniacus non es, & si in Spiritum Sanctum non peccasti, dic mihi si potes: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cumq. ille dixisset: Gloria Patri, & Filio, quamuis multum conaretur, nullo modo, & spiritui sancto dicere valebat, atque idipsum sæpius repetens cum aperto ore spiritum sanctum nulla-

tenus nominare potuisset, omnibus qui aderat manifestum apparuit, in spiritum sanctum eum deliquisse, cuius nomen dicere non valebat. Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam nouum signum, tanquè inauditum miraculum, eis ostendere dignatus fuerat. Huius itaque iudicio nonnulli perterriti, ipsi per se ad Pontificem veniebant, sequè ipsos accusantes suas conscientias ei reuelabant. Tunc quoq. Cluniacensis Abbas, bonæ spei adolescens, cum a Beato Leone interrogaretur: Si de illa sua tanti Cęnobij Prælatura aliquando ambitionem habuisset? Vt veritatis discipulus, id quod erat respondit, dicens: Secundum carnem quidem habui, secundum spiritum non habui. Quæ responsio tam grata, tamque laudabilis omnibus fuit, vt statim præ nimio gaudio in corde omnium scriberetur, sequè vicissim, quid responderent, interrogabant, vt eadem ipsa verba tenere valuissent: Ipse autem non senex, & plenus dierum, cunctis venerabilis, cunctisq. amabilis, idem ipsum Monasterium Venerabile sapientissime regit adhuc, vir per omnia laudabilis, difficilis comparationis, & singularis religionis.

Aliud quoque miraculum de eodem Pontifice Beatū Gregorium dicentem audiui, quod ego quidem nullatenus prætereundum puto; Habuerat, inquit, Beatus Leo magistrum quēdam, virum sapientem & bene religiosum, qui vnum sciphum ligneum ei mandauit, postquam Romanæ Ecclesiæ Pontificatum suscepit: Hunc autem Sciphum Pontifex venerabilis mirabiliter charum habebat, & pro B. Remigij veneratione, cuius ille sciphus fuisse dicebatur, libentius in illo, quam in Vasis aureis & argenteis, bibere solebat. Factum est autē, vt incaute positus in terram cadens, in duas partes diuideretur. Cum autem secundum consuetudinem Beatus Pontifex vinum sibi afferri iussisset, stabat pincerna facie turbatus, sibique conscius de damno, quod sibi acciderat. Cui Pontifex: Quid habes? At ille: Quia sciphus fractus est. Dixitque B. Leo: Vere fractus? Et Pincerna: Fractus, mi Domine, Cui ipse; Affer, inquit, illum ad me. Qui cum attulisset, suscepit eum Pontifex in manus suas, & coaptans Particulas ad se secundum conuenientias, quibus prius ad inuicem sibi hærere videbantur, tenuit eum paulisper in manibus; deinde vero sanum, & integrum reddidit ministro, et ait. Vade & misce, Huic autem miraculo Beatus Gregorius interfuit, nobisque narrauit. Cui alius quidam non tantæ auctoritatis vir, se nihilominus interfuisse, & vidisse, postea mihi dixit.

Cum autem Beatus Leo Romæ esset, & Sedem Apostolicā in pace rexisset, multi ex Apuliæ finibus veniebant, oculis effossis, naribus abscissis, manibus pedibusque truncatis, de Normanorum crudelitate miserabiliter conquerentes. Vnde factum est, vt vir mitissimus, pietate, & misericordia plenus, illa tam immensa miserorum afflictioni compatiens, illius gentis superbiam conaretur humiliare. Collecto igitur modico quidem, sed fortium militum suæ gentis exercitu super Normannos præliaturus vadit; Zelum quidem Dei habens, sed non fortasse secundum scientiam. Vtinā non ipse per se illuc iuisset, sed solummodo illuc exercitum pro iustitia defendenda misisset. Sed quid multa? Conueniunt vtriusque partis exercitus, multi cum paucis pugnaturi. Fit cædes immensa, multus hinc, et inde sanguis effunditur, isti fortitudine, illi multitudine instant. Poterant isti dicere in morte sua, quod Saluatorem nostrum dixisse legimus in passione sua: Non haberent in nos potestatem, nisi datum eis fuisset desuper. Sed quid est hoc, quod boni vincuntur & mali vincunt? *O altitudo diuitiarum sapientię & Scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius?* Superantur illi, qui pro iustitia pugnant, superant illi, qui iustitiam impugnant. De talibus tamen Apostolus nos consolatur dicens: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Siue moriantur, siue viuant; bonum est illis; quicquid eis accidat, bonum est illis; Omnia cooperantur in bonum: Et melius quidem mors, quam vita talibus operatur; Pretiosa est enim in conspectu Domini mors sanctorum eius. Firmissime enim credendum est, & nullatenus dubitandum. Quod omnes qui pro iustitia moriuntur, inter Martyres collocantur, *Collocet eos Dominus cum Principibus populi sui*.

Multa præterimus, & ex multis pauca colligimus: quoniam non totum, sed partem de toto, scribere [illegible] stimus. [illegible] subito fama volat, repletur terra, narratur vbique Prælium esse factum, Christi milites, & sanctorum exercitum esse superatum. Tunc vero miserandus Pontifex redijt Beneuentum, ciuitatem vtique B. Petri fidelem, & familiarem. Audito itaque aduentu Pontificis, tota ciuitas obuiam [illegible], viri, & mulieres, iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus, non quasi ad processionem. Sed velut ad lacrymas, & ploratum [illegible] stant attoniti, spectant de longe venientes: & iam P[illegible] propinquabat, Episcopis, & Clericis tristi vultu, & inclinata facie procedentibus. Postquam autem Papa Venerabilis venit inter eos, & eleuata manu eis benedixit, clamor & [illegible] latus tollitur in cœlum, tota terra resonat fletu, atque pla[illegible] re. Tali itaque processione ciuitatem ingreditur, tali quoque Psalmodia ad Ecclesiam venit. Aliquantu autem tempore ibi commoratus, Romam reuertitur, atque per singulas ciuitates fletus, & lacrymæ innouantur. Quis enim a la[illegible] cohibere poterat, qui eum cum tali exercitu euntem viderat, postea vero illa tam nobili militia desolatum, cum solis Clericis redire videbat?

Veniēs igitur Romam, ad Beati Petri Apostoli Ecclesiam quantocius festinauit, suppliciter multumque deuote eorum animas ei cōmendans, qui pro eius amore sibi vsque ad mortem obedientes, pro defendenda iustitia proprium sanguinem fundere non timuerunt. Eumque ibi moraretur, per reuelationem in somnis ostensum est illi, quod cito de hoc mundo exire debuisset. Iussit igitur Episcopos & Cardinales, aliosque Clericos vocari ad se, & benigne satis hortatus est eos, vt caste viuerent, et contra Simoniacam hæresin viriliter pugnarent, & ait eis? Sciatis fratres mei, quod post paucos dies ego de hoc sæculo exiturus sum: Hac enim nocte ego infelix, & huius Ecclesiæ Sede indignus, per visionem fui in illa alia vita, pro qua iam tædet me habitare in ista vita: Gaudeo vero vehementer, quod vidi ibi inter martyres Christi illos fratres et amicos meos, qui me in Apuliam secuti pro defensione iustitiæ mortui sunt: Erant autem bene ornati, palmas in manibus habentes, vt per hoc eo victores esse intelligant, qui eos victos fuisse putabant: & re vera. *Omne enim quod natum est ex Deo vincit mundum, & hęc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*. Clamabant autē omnes magna voce ad me dicentes. *Veni dilecte nobis, & mane nobiscum: quia hanc tantam gloriam per te consecuti sumus*. Audiui autem ex aduersa parte alios quosdam dicentes. Nequaquam, sed die tertia venies ad nos. Si ergo post diem tertium in hac vita fuero, scians hoc non fuisse verum, quod vidi. Nemo autem miretur si maligni spiritus eum, cui tam læta nunciabātur, in visione terrere voluerunt, qui ipsum quoque Dominum, & Saluatorem nostrum quondam adire ausi fuerunt Sic enim ipse Dominus ait. *Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quicquam*. Deinde vero ait, *Ite fratres mei, vnusquisque in domum vestram, crastina autem die reuertimini ad me*. Tota autem illa nocte orauit ad Dominum, procumbens super genua sua. Mane autem facto, tumulum sibi parari iussit.

Conuenerunt iterum Episcopi, & Sacerdotes sicut hesterna die vir ille beatissimus eis præceperat. Quibus in Ecclesia residentibus, ipse in lecto sedens ait. Audite me fratres: & Coepiscopi nostri, simulque omnes qui huc conuenistis: Ante omnia præcipio vobis. Vt terras ecclesiæ vineas castella, domos, cæterasque res Ecclesiæ non vendatis, nullusque sibi per possessionem eas defendere velit. Non habeatis vsum iurandi. Cauete a consanguineis vestris, Seruis B. Petri, qui huc veniunt, iniuriam non faciatis, nec eos in negotijs decipiatis. Date decimas libenter de omnibus quæ possidetis. Deinde conuersus ad crucem, magnas preces pro omnibus fudit ad Dominum: suppliciter rogās & deprecans: vt omnia eorum peccata eis dimittere dignaretur. Et cum hoc fecisset, iterum aspiciens in cęlum dixit. Domine Iesu Christe, Pastor bone, qui pro nobis seruilem formam induisti, & ad conuersionem omnium gentium duodecim Apostolos elegisti, & Beato Petro Apostolo tuo dixisti. Quodcumque ligaueris super terram

erit

erit ligatum & in cęlis,& quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis,ego indignus Vicarius eius deprecor immensam clementiam tuam,vt illos seruos fratres meos,qui pro amore iustitiæ interfecti sunt,ab omnibus eorum peccatis absoluas,& in Beatorum requiem introduces. Hoc etiam Domine,quos ego excommunicaui, tu absolue,& ad veritatis viam conuerte: Simoniacam hæresim, ac omnem hæreticam prauitatem destrue: Fideles tuos Beneuentanos,qui in tuo nomine tam honeste me susceperunt, tamque affluenter mihi seruierunt, & cęteros omnes tuos fideles benedicere, & custodire dignare. Quoniam tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum Amen. Postquam autem a locutione quieuit, paululum ibi commorati, redierunt omnes vnusquisque in domum suam. Tota autem illa nocte, sicut & superiori, in vigilijs, & oratione permansit. Altera autem die,tertia videlicet,quæ Beati Leoni Summo Pontifici in hac vita vltima erat, multo maiori frequentia conuenerunt omnes.

Surgens autem Beatus Pontifex, perrexit ante altare, & quasi vnius horæ spacio multum lacrymans perstitit in oratione: Inde vero ad lectum rediens, breuem sermonem fecit eis. Quo peracto,vocauit Episcopos ad se,& facta confessione,suscepit corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Tunc reclinauit se ad lectulum, & paulo post abdormiuit in Domino. Surgens autem vnus de Episcopis, tetigit eum, putans quod adhuc viueret, & dormiret: Cumque eum iam obijsse cognoscerent,mox omnes vndique conuenerunt, & fecerunt planctum magnum super eum. Obijt autem Beatus Pontifex Decimo tertio,kal. Maij,regnante Domino nostro Iesu Christo,cui cum Patre, & Spiritu Sācto est honor,& gloria in sæcula sæculorum Amen.

Altera autem die post excessum Beati Leonis aduenit mulier quædam de Thusciæ partibus: quæ cum per gradus sursum ascenderet,cæpit vexari a dæmonio, & diras voces magnosque vlulatus emittere. Cumque Beatum Leonem nominasset,ad tumulum eius ab his,qui ibi erant, tracta est. Vnus autem Episcoporum interrogauit dæmonem qui eam vexabat dicens: Adiuro te per viuentem, & regnantem in sæcula,vt dicas nobis. Si Leo Papa inter Sanctos habet potestatem. At ille respondens ait,Vere inter Sanctos est Leo, de quo interrogas, & magnam inter eos habet potestatem: & ipse maleficus hodie me de hac domo eijcit, quā ego iam per nouem annos & menses duos in mea habui possessione.

Tunc autem mulier alia quædam infelix quæ ibi erat,cæpit Beati Leoni derogare & dicere: Leo Papa fugabit dæmonia,qui tot homines occidere fecit? Illa namque hora qua ipse dæmonia fugabit,ego vtique ero Regina,& omnes eos resurgere faciam,quos ipse suo facinore interemit. Vix autem illa verba finierat, & statim a dæmonio arrepta, mirabiliter vexari cæpit. Mox autem illa alia mulier liberata est, quam de Thusciæ partibus conuenisse diximus. Tunc omnes,qui aderant,in stuporem,& admirationem conuersi, cæperunt clamare, & dicere. *Sancte Leo parce nobis: Sancte Leo indulge nobis. Et qua multum peccauimus miserere nobis.* Eadem autem hora,duo quoque contracti sanati sūt, qui per se ambulare non poterant. Ipsa autem eadem die iā circa vesperum, venit ad tumulum beati viri homo quidam, surdus & mutus, qui etiam ad tumulum tanti mali paralysi grauissima tenebatur. Statim autem,vt ad tumulum accessit,sanus & incolumis factus,loquelam pariter, & auditum recepit. Multa quidem, & alia miracula eisdem ipsis diebus per Beatum Leonem, Christus Dominus operatus est, vt cuius esset meriti, nobis suis fidelibus reuelaret.

Illud quoque miraculum prætereundum non est, quod Ioannes vir egregius, Portuensis Episcopus mihi narrauit: dicebat enim: Quod de partibus Transalpinis Curæ ciuitatis Episcopus eisdem fermè diebus Romam venerat,in cuius comitatu erat quidem homunculus, qui ab infantia mutus,nūquam locutus fuerat. Hunc autem seruientes Episcopi super saginarios secum ferebant,quoniam ad sarcinas custodiēdas fidelis Valde & idoneus erat. Die autem quadam cum adhuc prædictus Episcopus in Vrbe moraretur, mutus ille de quo diximus,Beati Petri Ecclesiam ingressus est: Qui cum ad Beati Leonis sepulchrum turbas omnium vndique confluere conspexisset,ipse quoque accessit illuc. Tunc vero circumstantes intelligentes quod mutus esset: vt talibus hominibus, facere solent,signis ei quibusdam innuere cęperunt, vt se ad beati viri sepulchrum humiliaret,preces funderet, & pro sua salute Saluatorem omnium exoraret,significantes ei,hoc esse sepulchrum,in quo Beato Leo quiescebat. Clam enim illius virtutis fama vbique diuulgata erat, & multi vndique illuc venientes,a varijs ægritudinibus sanabantur) Cumque diutius ibi iaceret,somno grauatus obdormiuit: post paululum vero expergefactus surrexit, tamque absolute loqui cæpit, ac si linguæ impedimentum nullum alioquin passus fuisset. Stupent omnes gaudent et exultant: nec eum semel audisse sufficit, iuuat eum interrogare, & eum loquentem, & respondentem audire. Tandem ad socios reuertitur: Qui, postquam eum loquentem audiunt, læti valde, cum magna admiratione ante Episcopum eum ducunt: Interrogat eum Episcopus: qualiter hæc ei omnia euenissent? Narrat ille cuncta per ordinem, & dicit: Se vidisse Beatum Leonem: & cum ante eius tumulum obdormisset,ille veniens, in ore illius digitos posuit, & diu ligatam linguam absoluit.

Nunc autem tempus admonet, vt,quod superius promisi, exponam,videlicet:quod ego non sine imperio ista dictaorim. Hac enim præterita quadragesima cum Romæ essemus, vir valde venerabilis,Ioannes Tusculanensis Episcopus, quodam die, cum ad Ecclesiam conuenissemus, venit ad me, vbi ego stabam, præsente Vbaldo, viro religiosissimo, Sabinensi Episcopo,& alijs quibusdam,& dixit mihi: Ego ad te nuncius missus sum. Stabam autem ego attentus, quid mihi dicere voluisset. Tunc ille: Mandat,inquit,tibi Leo Papa,vt des illi centum millia solidorum. At ego: Quid narras, inquam? Et ait: Verum dico tibi, sic tibi mandat: Et tunc ea,quæ viderat, mihi per ordinem narrare cępit: Hac, inquit, nocte,cum ego dormissem, B. Leo cum Pontificali apparatu mihi in somnis apparuit,dicens: Vade & dic Signienti Episcopo: Vt det mihi centum millia solidorum. Cumque ego intra me cogitarem, te tam diuitem non esse,vt tantam pecuniam ei dare potuisses: ille,meam cogitationem intelligens,ait: Vade & dic ei: Vt det mihi centum millia, aut quinquaginta millia. Hæc mandat tibi; vide ergo quid ei respondeas. Tunc ego sollicitus, mecum ipse cogitare cępi,quid hæc talis visio mihi significaret. Et postquam paululum interrogaui Episcopum: Si B. Leo me illam pecuniam dare aut mutuari, aut reddere iussisset? Et ille respondit: Non,sed dare. Tum ego aliquantulum confortatus sum: Multum enim distat,an dare,an reddere aliquid debeamus: Timebam enim, ne forte in aliquo eum offendissem,quod ex debito soluere,& necessario reddere debuissem. Memineram prætereа,quod eius festiuitas olim in nostra Ecclesia celebraretur: in qua quoniam ego me negligenter habui,tota ibi festiuitas ipsa cessauit. Parcat ipse mihi,quoniam non parum me in hoc peccasse cognosco. Cum autem ab Ecclesia domum redirem,& hanc visionem nostris Clericis narrassem, eadem mihi exposuerunt, quæ iam ego ipse mente conceperam. Dixerunt enim: Nos nullam aliam pecuniam hanc esse putamus, quam B. Leo a te requirit, nisi vt de eo aliquid scribas,quod eius memoriæ conueniat: Hæc est enim pecunia tua: neque ipse alia pecunia indigere videtur.

Placuit mihi,quod meo intellectui,aliorum quoque intellectus concordabat. Et scientia in pecunia significatur: quod in Euangelio quoque eo loco intelligitur, vbi Saluator noster seruis suis talenta partitur. Sed quare centum millia, vel quinquaginta millia requirit? Horum enim duorum numerorum alter est perfectus,alter imperfectus: Centies namque mille,vel millies centum,fiunt centum millia;qui vterque numerus,idest,centum,& mille,ideo perfectus est,quia non habet vbi crescat. Omnis enim res tamdiu imperfecta est,quamdiu in aliquo crescere potest: Centenarius autem, vel millenarius numerus replicari quidem potest, crescere autem non

potest: Est igitur perfectus: Omnis enim qui numerat, postquam venit ad centum, vel ad mille, ibi finem facit, iterumque ab vno numerare incipit. Quinquagenarius autem numerus imperfectus est; quia in medio centenario positus est, neque finem facit, & vltra se tendere potest. Quod igitur vir beatissimus mandauit mihi, vt darem sibi quinquaginta millia solidorum; quoniam, vt sibi videbatur, & ei, cui ipse loquebatur, centum millia dare non poteram; quid aliud significat, nisi ea quæ ad ipsius laudem & gloriam pertinent, perfecte narrare incipere? Dedi igitur ei solidorum quinquaginta millia: quia dare non potui centum millia, idest: quia perfecte omnia narrare non potui. Neque enim ad meam notitiam omnia peruenerunt: vel, quædam narrain, sicut potui. Precor autem, Beatissime Pontifex: Vt grata habeas hæc munuscula mea: tuisque sanctis precibus obtineas apud Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt dimittat mihi debita mea. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

EIVSDEM SANCTI BRVNONIS EPISCOPI, Responsio ad eam Quæstionem

Cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ Status.

RESTAT autem, vt nunc ad eam quæstionem respondeamus, ad quam nos superius responsuros fore promisimus. Diximus enim: Iam nunc a temporibus B. Leonis sic Ecclesiam fuisse corruptam, vt vix aliquis inueniretur, qui vel Simoniacus non esset, vel a Simoniacis ordinatus non esset. Vnde etiam vsque hodie inueniuntur quidam, qui male argumentantes, & Ecclesiæ dispensationem non bene intelligentes, ab illo iam tempore Sacerdotium in Ecclesia defecisse contendunt. Aiunt enim: Si omnes tales erant, idest, si omnes vel Simoniaci, vel a Simoniacis ordinati erant, vos qui nunc estis? aut vnde venistis? per quos nisi per illos transiistis? non fuit via aliunde: Ergo illi qui nos ordinauerunt, ab illis, & non ab aliis, suos ordines susceperunt, qui vel Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati erant. Hæc est igitur quæstio, cui nos respondere debemus.

Sed prius, quid sint Simoniaci, & vnde dicantur, dicere oportet. Deinde vero, quia multum distat inter Simoniacos, & eos qui ordinantur a Simoniacis: si tamen non eos Simoniacos esse cognoscunt: Qui enim Episcopum aliquem Simoniacum esse non dubitat, si ab eo ordinatur, parum quid in Ordine distat ab eo, a quo ordinatur: Scit enim eum furem esse & latronem, nihilque aliud in sua ordinatione suscepisse, nisi maledictionem, & maledicendi potestatem: Sic enim Simoniaci omnes ordinantur, sicut ipse Simon ordinatus est, cui in ipsa sua ordinatione B. Petrus ait: Pecunia tua tecum sit in perditione: quia existimasti donum Dei pecunia possideri: non est enim tibi pars neque sors in sermone isto.

Sunt igitur Simoniaci: qui donum Dei, idest gratiam Spiritus Sancti emere contendunt: siue enim emant, siue non emant, si tantum pecuniam offerant, & aliquid pro hac gratia dare promittant, Simoniaci sunt. Nam neque ipse Simon aliquid emit; non enim fuit qui venderet: sed tamen, quia emere voluit, maledictus est: quam vtique maledictionem omnibus suis discipulis hæreditariam dereliquit. Ab hoc autem Simone Simoniaci dicuntur, quicunque in hoc facto imitantur. Hic enim Simon baptizatus a Philippo, adhærebat ei. Qui cum vidisset ab Apostolis multas virtutes & miracula fieri per manus impositionem, obtulit eis pecuniam dicens. *Date vos hanc potestatem mihi, vt cuicunque manum imposuero, accipiat Spiritum Sanctum.* Cui, vt modo superius diximus, B. Petrus ait: *Pecunia tua tecum sit in perditione: quia existimasti, donum Dei pecunia possideri: Non est enim tibi neque pars neque sors in sermone isto.* Hæc est igitur ordinatio Simonis: Sic ordinantur Simoniaci, qui pecuniam offerunt. Quare? Quia existimant, donum Dei pecunia possideri. Sed quam benedictionem suscipiunt? Dicat B. Petrus, cuius vox efficacissima est, cuius maledictio interiora penetrat: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditione.* Hæc benedictio datur eis: Hæc oratio eorum nefandis capitibus imprimitur: Sic benedicuntur, sic consecrantur, sic ordinantur. Simon enim vt pecuniam offerunt, cuicunque offerant, adest Apostolus eorum consecrator. Nam etsi a Catholicis fierentur Episcopis, (quod quidem sæpe contingit) adest tamen Apostolus inter eos: Dicant illi quicquid velint: fundant sanctum chrisma super capita eorum, Simon tamen Petrus non mutat sententiam: quia non ignorat quod illi obtulerint. & quantum obtulerint, & cui obtulerint: Illi benedicunt, iste maledicit: Decipiuntur illi, hic autem decipi non potest. Putant illi, eos esse Catholicos, putant Canonice electos, ac per hoc eis benedicunt; si enim eos cognouissent, ipsi quoque simul cum Apostolo dixissent: *Pecunia tua tecum sit in perditione.* Merito igitur eorum benedictio in maledictionem conuertitur; quia non ad labia, sed ad cor respicit Deus. Hoc enim timebat Iacob, qui cum a matre ad patrem mitteretur, vt ei nesciens benediceret, ait: *Nosti quod frater meus Esau homo pilosus sit, & ego lenis: Si ergo attrectauerit me pater meus, et senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducat super me maledictionem pro benedictione.* Sed non erat ei timendum: quia a matre mittebatur: Isti autem non mittuntur a matre; isti non mittuntur ab Ecclesia, qui Isaac illudunt, qui Episcopos decipiunt, qui furtim & per latrocinium, patris benedictionem subripere volunt. Vnde (& non immerito) induitur super eos maledictio pro benedictione. Illi enim soli mittuntur a matre, illi mittuntur ab Ecclesia, qui non per pecuniam, non per aliquam promissionem, non per sæcularem potestatem, sed sola Cleri & populi electione, & ipsa pura, & sine prauitate, mittuntur ad Patres, mittuntur ad Episcopos, vt ab eis benedicantur & consecrentur.

Diximus igitur de consecratione Simonis: diximus de consecratione Simoniacorum, quomodo ordinantur, quomodo consecrantur, quomodo Petrus Apostolus eos maledicit, quomodo Episcoporum benedictio in maledictionem eis conuertatur: Sic igitur ordinati, sic consecrati, sic maledicti, sic lepra infecti, ad sibi commissas Ecclesias veniunt: vbi, si tamen manifeste tales sint, præter baptismum & sana consilia, quæ ipsi quoque sæpe dant, quicquid agunt, vanum & inutile est. Hæc autem qualiter intelligantur, amodo differemus.

Baptismus namque a quocunque detur, bonus est: Quia non in fide dantis, sed in suscipientium fide consistit. Vbi autem fides Catholica non est, ibi baptismus non operatur. Vnde & qui extra Ecclesiam baptizatur, priusquam ad Ecclesiam redeat, non soluitur a peccatis. Nusquam enim, nisi in Ecclesia fit remissio peccatorum. Potest tamen fieri, vt aliquis fidelis quacunque occasione extra Ecclesiam baptizetur: qui quoniam mente in Ecclesia est, extra quoque remissionem accipiat peccatorum: Sic tamen, si corpore quoque & conuersatione ad eam redeat, a qua mente non recesserat: Alioquin, si extra baptizatur, & extra maneat, & cum baptizatur, redeundi voluntatem non habeat, huic tali homini nec ad momentum quidem fit remissio peccatorum. Sed quid mirum? cum illi quoque qui intus baptizantur (qui etiam absque dubio a peccatis omnibus emundantur) si inde exeant, &, priusquam moriantur, ad eam non redeant, pereant in æternum. Hoc autem significauit illa Arca, in qua intus posita saluata sunt omnia, extra vero inuenta, perierunt omnia. Audi etiam quid Dominus dicat: *Ego sum vitis, & vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Si ergo Christus vitis est, palmites vero Christiani; sicut palmites viuere non possunt si separentur a vite, ita neque Christiani, si separentur a corpore Christi. Corpus Christi Ecclesia est: Qui ergo non vult separari a Christo, maneat in Corpore Christi, vt possit esse membrum Christi: Si enim non manserit in corpore Christi, si non manserit in Ecclesiæ vnitate, *mittetur foras sicut palmes & arescet.* Et quid amplius? *Et colligent eum maligni spiritus.* Illis enim traditur, qui ab Ecclesia separatur. Sed quid illi facient? *Et in ignem mittent.* Ad quid? *Vt ardeat.* Verba Christi sunt, alios Canones non quæramus.

Manifestum est itaque quod in Ecclesiam nemo soluabitur, siue in ea, siue extra eam baptizatus fuerit. Vnde hoc? Dicat uerum ipse Dominus. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, et colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Si ergo ille perit, qui aliquando in Christo fuit, sed in eo non manet, quomodo ille non pereat, qui numquam in eo fuit, nec in eo mansit? Qui enim extra Ecclesiam baptizatur, nisi prius, quam de hac vita exeat, Ecclesiæ societur, hic numquam fuit, vel erit in Christo: quia numquam fuit, vel erit in corpore Christi. Membrum namque Christi non est nisi in corpore Christi: Si n. separetur a corpore Christi non est membrum Christi. Corpus autem Christi extra Ecclesiam non est, alioqui ipsa Ecclesia esset extra se ipsam, (siquidem ipsa Ecclesia est Corpus Christi) quod est inconueniens. Baptismus igitur extra Ecclesiam dari potest, prodesse autem non potest. Baptismus enim qui extra Ecclesiam datur, formam quidem Sacramenti habet, virtutem autem Sacramenti non habet. Formam quidem habet, quia fit in nomine Patri, & Filij, & Spiritus Sancti. Virtutem autem non habet, quia remissionem peccatorum non operatur.

Quare ergo non rebaptizantur, qui ab Hæreticis veniũt? Vis audire quare: Quia formam baptismi habent, idest, quia iam ad inuocationem Trinitatis ex aqua regenerati sũt, restat nunc, vt & Spiritu Sancto regenerentur, qui operetur in eis remissionem peccatorum, quod illa forma visibilis dare non potuit: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non intrabit in Regnum Dei.* Vtrumque ibi necessarium est: & forma sacramenti, & virtus sacramẽti: Vtrumque necessarium est, & aqua & spiritus; Nam neque aqua sine spiritu, neque Spiritus sine aqua soluit hominẽ a peccatis.

Forma Sacramenti et intus et extra dari potest: Virtus autem Sacramenti non nisi intra Ecclesiam datur. Vnde sancti Romani Pontifices, spiritu Dei pleni, admirabili prouidentia constituerunt; Vt hi qui ab Hæreticis veniunt quoniã formam baptismi habent, nullatenus rebaptizentur, Quia vero virtutem huius Sacramenti non habent, ad inuocationem sãcti Spiritus, qui ab hæreticis dari non potest, per manus impositionem, Sacrosancto Chrismate confirmentur. Quæris fortasse auctoritatem? Dabitur tibi: Et hoc quidem necessarium est, quoniam in hac sententia non omnes concordare videntur, videlicet. Vt quia ab Hæreticis veniunt, rebaptizari quidem non debeant, sacro autem Chrismate confirmari iterum debeant, præsertim cum Beatus Augustinus dicat? quod *nulli Sacramento iniuria facienda sit*: in qua re multũ ab alijs dissẽtire videtur? Quid est n. iniuria Sacramẽti nisi sacramẽti reiteratio: Quod autẽ quædã Sacramenta reiterentur, & exemplo abundamus & auctoritatibus, quædam autem dixi, quia Baptismi, & sacrorum ordinum reiterationem fieri non licet. Vnde & in Concilijs Africanis legitur. Non licet fieri rebaptizationem, Et Episcoporum translationes. At vero in Concilio Niceno præcipitur de Paulianistis, vt ad ecclesiam venientes iterum baptizentur, & eorum Clerici, si digni fuerint iterum ordinentur. In quo manifeste ostenditur, hoc in his tantum, & non in alijs fieri debere. Illi enim non secundum Ecclesiæ formam baptizabantur, id est, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Vnde etiam ab alijs hæreticis differebant, qui Ecclesiæ formam in baptizando tenebant. Si enim secundum hanc formam, quam modo diximus, baptizati essent, non vtique talis lex de eis specialiter promulgata esset, præsertim, cum de alijs omnibus hæreticis dicatur. Vt ad Ecclesiam uenientes, ne rebaptizentur, nec reordinentur, sed sola Episcopalis manus impositione Ecclesiæ reconcilientur. Quod autem hæc duo Sacramenta id est Baptismus, & Ordines sacri reiterari non debeant, tota Ecclesia idem sentit, nullaque inter Sanctos dissensio est. Vnde & Beatus Augustinus ait: *Manus autem impositio, sicut & baptismus reiterari non debet*: de illa manus impositione loquens, de qua ad Timotheum Apostolus dicit. *Manum cito nemini imposueris.* Nam & Chrismatis consignatio, & pœnitentium reconciliatio, manus impositio dicitur. Vnde & sacri Canones prohibent. Ne inter alios pœnitentes manus ab Episcopis Clericis imponatur.

Quod vero quædam Sacramenta reiterari liceat, & frequens vsus Ecclesiæ, & vnum Beati Gregorij exemplum apertissime manifestat. Quotidie namque Ecclesiarum consecrationes, non solum pro necessitate, verum etiam pro Episcoporum voluntate reiterari videmus. Vnde & quidam Canones de Ecclesijs præcipiunt: vt si altare motum fuerit, denuo consecretur. Beatus quoque Gregorius, sicut ipse testatur, consecrauit Romæ quandam Ecclesiam in Suburra, quoniam longo tempore ab Arrianis possessa fuerat: Cuius consecratio, siue reiteratio, quantum Deo accepta fuerit, virtutes, & miracula ostendunt, quo ipsis diebus, quibus consecrata fuerat, ibidem Dominus operatus est. Quomodo ergo verum est, quod nullo Sacramento iniuria facienda sit:

Similiter autem, quod Chrismatis consignatio in hæreticis reiterari debeat, subsequenti Sanctorum auctoritate probabitur. De qua videlicet consignatione Eusebius Papa sic ait, *Hæreticos omnes quicumque Dei gratia conuertuntur, qui in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ Regulam tenentes, per manus impositionem loquerentur*, adiunxit: *Manus autem impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est: quæ ab alijs perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus.* Nec tempore Apostolorum, ab alijs quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peracta esse. Neque ab alijs, sicut iam dictum est, quam ab illis, qui eorum locum tenent, perfici potest, aut fieri debet: Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta. Audiamus etiam, quid tempore Beati Siluestri Romæ de hac re in Concilio statutum est, Eodem, inquit, *tempore tertio decimo Kalendarum Iuliarum die, quando memoratum magnum Concilium in Nicæa Congregatum est. Canonica iam satus Papa vocatione in vrbem Romam, & ipse cum consilio Constantini Augusti congregauit ducentum septuaginta septem Episcopos, & damnauit iterum tam Calixtum quam Arrium atque Sabellium, & constituit, vt Presbyterum Arrianum resipiscentem non aliquis susciperet, nisi Episcopus eiusdem loci nomi reconciliaret & Sacro Sancto Chrismate per Episcopalis manus impositionem Sancti Spiritus gratia, quæ ab hæreticis dari non potest eum confirmaret.* Quid apertius quid manifestius dici potuit? Numquid nam hoc Sacramentum non reiteratur? Demus adhuc et alia exempla, quatenus hæc sententia, cui a pluribus contradicitur, manifestior & certior fiat. Dicat igitur Papa Siricus: *Prima igitur paginæ tuæ fronte Signasti, baptizatos plurimos ab impijs Arrianis ad fidem Catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hic, & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad Prouincia a Prædecessore meo Liberio, venerandæ memoriæ generalia Decreta prohibeant: quos nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut est in synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus Episcopalis manus impositione Catholicorum Conuentui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.*

Videamus etiam, quid Leo dicat, qui fidem iam perturbatam sua constantia, & fortitudine corroborauit: cuius sententiæ contradicere, vt opinor, nemo audebit: *Hi autem, de quibus scripsisti, non se baptizatos nesciunt, sed cuius fidei sint, qui eos baptizauerint se nescire profitentur. Vnde quoniã quolibet modo formam baptismatis acceperunt, baptizandi nõ sunt, sed per manus impositionem virtute Spiritus Sancti, quem ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.* Item idem ipse. *Nam hi qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, Sola Sancti Spiritus inuocatione per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine Sancti Spiritus virtute sumpserunt. Et hanc regulam, vt scitis, seruandam in omnibus Ecclesijs prædicamus, vt lauacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed vt diximus, sola Sanctificatio Sancti Spiritus inuocan-*

uocanda; vt, quod ab hereticis nemo accipit, a Catholicis sacerdotibus consequatur. In Laodicensi quoque Concilio sic scriptum est: *De his, qui ab hereticis conuertuntur*, id est Nouatianis, aut Photinianis, *siue baptiZati sint illi, siue cathecumeni, non ante suscipiantur, quam omnes hæreses anathematiZassent, & præcipue illam, qua detinebantur, & tunc demum hi, qui apud eos dicebãtur fideles, nostra fidei symbolo imbuantur & vncti sancto Chrismate sic mysterijs communicent Sacrosanctis*. Possemus de his alias adhuc auctoritates dare, sed, vt puto, istæ sufficiunt.

Dubitari autem potest de eo, quod Beatus Augustinus ait: *Nulli Sacramento iniuria facienda est*. Tum idem ipse alibi dicat, *hos, qui ab hereticis veniunt, ideo per manus impositionem Episcoporum in Ecclesiam recipi, ne forte sibi ab Ecclesia nihil collatum putarent, quod extra Ecclesiam non haberent*. Quid autem sit manus impositio, ipse quoque definiẽs ait, Quid, inquit, *est manus impositio, nisi oratio super hominem? Si igitur eiusdem Sacramenti oratio reiteratur super hominem, & ipsa manus impositio reiteratur*. Si quidem nihil aliud est, manus impositio, quam oratio super hominem. Non igitur reiteretur oratio super hominem in illis Sacramẽtis, quæ reiterari non licet. Dictum est autem, quod quędam Sacramenta reiterari licet, quædam autem non licet, & hoc quidem auctoritatibus probatum est. Dictum est etiam: quod ab hæreticis venientes non nisi per manus impositionẽ suscipi debeant. Et illud quidem dictum est. Quod omnia Sacramenta extra Ecclesiam, formam quidem habeant, virtutem autem non habeant. Illud autem diximus. Quod extra Ecclesiam nemo saluetur. Diximus & de Simoniacis: quando consecrantur, quod omnis benedictio in maledictionem eis conuertitur. De paruulis autem Hæreticorum si quis interroget? Quare pereant, cum baptizati sint? Respondeo: Quia in Ecclesia non sunt. Quod si dicat: Quid illi peccauerunt vt in Ecclesia non sint? Dico & ego: Quid Paganorum & Iudæorum paruuli peccauerunt, vt baptizari non mererentur? Ipse tamen Dominus ait: *Ego scio quos elegerim*. Excommunicatorum autem filij, si in Ecclesia baptizantur, nihil eis nocet parentum excommunicatio: *Filius enim non portabit iniquitatem Patris*: postquam tamen ad ætatem veniunt, vt iam sua peccata cognoscere valeant, vlterius a peccatis immunes vindicari nequeunt: Quod si extra Ecclesiam baptizantur, sunt extra Ecclesiam omnes excommunicati; nisi prius quam de hac vita exeant, per Episcopos reconciliẽtur, in magno periculo mihi esse videntur.

His autem sic expeditis, de illis nunc dicere debemus, qui quamuis non Simoniace, à Simoniacis tamen ordinati sunt. De Simoniacis namque manifestum est, quod nullo modo in suis ordinibus aliquando suscipi debeant: *Non est enim eis neque pars neque sors in sermone Dei*. Apostolus est qui loquitur. Sed dicis: Quare ergo alij hæretici in suis ordinibus suscipiuntur, & Simoniaci non suscipiuntur? Nunquid Simoniaci sunt peiores quam Arriani, quam Nouatiani, quam Donatistæ, quam Nestoriani, & Eutychiani? Ex his enim in Ordinibus suis omnibus & Episcopos & Presbyteros susceptos legimus, nec propria dignitate priuatos. Dico ergo: Vtrum Simoniaci peiores sint, nescio: Vnum tamen scio, quia magnum scelus est vendere, vel emere Spiritum Sanctum. Si enim magnum peccatum fuit, vendere vel emere Christum; magnum vtique peccatum est, vendere vel emere Spiritum Sanctum: Quales enim sunt, & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Iudas est qui vendidit: Iudæus est qui emit: Vtrumque autem, & vendentem & ementem de templo Dominus eiecit. Et multa quidem dispensatorie in Ecclesia fiunt pro temporis necessitate & negotij qualitate, quæ vtique non fierent, si districto Canonicoque iudicio fierent. Cum de frumento & zizania Dominus loqueretur, ait: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*. Magna tamen consideratione hæc talis dispensatio fieri debet. Et alij quidem hæretici in suscipiendis ordinibus non errabant: sed alia causa erat, atque doctrina, quæ eorum fidem impediebat: Simoniacorum vero hæresis & peccatum, ipsa eorum ordinatio est. Si ergo suæ ordinationi reconciliantur, quæ vtique, vt superius ostendimus, nihil aliud quam maledictio est, cui, nisi suæ hæresi, suoque peccato, & ei, quam acceperant, maledictioni reconciliantur? Non quærant igitur reconciliationem, ne forte incurrant maledictionem. Quærant gratiam Spiritus Sancti, non ad Episcopalem dignitatem, sed ad delendam iniquitatem. Merito ergo Simoniaci in suis ordinibus non suscipiuntur, quoniam ipsis ordinibus peccauerunt: Arriani vero, non in Episcopali dignitate, sed in fide Trinitatis errabant & peccabant, & alij hæretici similiter vnusquisque in sua hæresi: Soli autem Simoniaci in emendis sacris Ordinibus peccant; Vnde & merito ipsi soli nulla Ecclesiastica dispensatione in his, quibus peccauerant, suscipiuntur: Alios autem, præter ipsos Hæresiarchas, multis locis Diuinæ Scripturæ in suis ordinibus susceptos legimus. Nam & Nicænum Concilium Catharos, siue Nouatianos, per manus impositionem suscepit, & eorum Clericos in suis Ordinibus manere præcepit.

De hac autem manus impositione, sine qua hæretici non suscipiuntur, satis superius diximus. Beatus quoque Gregorius, Hiberis Episcopis de Nestorianis scribens, ait: *Hanc igitur veritatem Natiuitatis Christi, quicunque a peruerse errore Nestorij conuertuntur, coram sancta fraternitatis vestræ Congregatione fateantur: Eundem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematiZantes: Venerandas quoque Synodos, quas vniuersalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant, & absque vlla dubitatione sanctitas vestra, seruatis eis proprijs ordinibus, in suo cætu eos recipiat, vt dum & per sollicitudinem oculta mentis eorum discutitis, atque eos per scientiam veram recta, quæ tenere debeant, docetis, & per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de proprijs Ordinibus factis, eos ab inimicis hostis ore rapiatis*. Sunt autem & multa alia, quibus hoc ipsum probari potest. Sed de suscipiendis hæreticis, & proprijs honoribus non priuandis hæc duo exempla sufficiant.

Multum digressi sumus, nunc ad propositum reuertamur, & de his dicamus, qui a Simoniacis ordinati sunt. Qui enim a Simoniacis ordinantur, aut sciunt esse Simoniacos, aut putãt esse Catholicos: Si vero Simoniacos eos esse sciunt, & se ab illis ordinari permittunt, nulla venia digni sunt, vt proprijs seruatis ordinibus suscipiantur: Multum enim ambitiosi esse probãtur, qui alicuius honoris gratia ab illis se sacrari permittunt, a quibus se maledici non dubitant. Quis enim dubitat, Simoniacos esse hæreticos? Quis igitur ei parcat, qui se ab illo ordinari permittit, quem hæreticum esse non dubitat? Si vero Catholicus esse putatur, & simul cum Catholicis in Ecclesia conuersatur, ratum debet esse quod agit: Quoniam nõ ad ipsum, sed ad illius deuotionem & fidem respicit Deus, qui se illius manibus subiecit, quasi Catholico Episcopo propter Deum: Respicit etiam ad Ecclesiam, suos filios ei simplici corde offerentem, & in tali consecratione nihil mali suspicantem. Quia enim intra Ecclesiam est, adest vtique Spiritus Sanctus, qui etiam per malum hominem sacros Ordines operatur. Homo est qui loquitur, sed Spiritus Sanctus est qui sanctificat: Hoc autem totum suscipientis & offerentis fides facit. Multis enim ipsum Dominum dixisse legimus: Vt secundum eorum fidem fieret illis. Si ergo illi sua fide sanabantur, quare non isti sua fide consecrantur? Nihil enim hic contra fidem agitur, sed fidele est totum quod agitur: Si enim temere vel contra fidem facerent, merito abesset Spiritus Sanctus, Siquidem Spiritus Sanctus disciplinæ fugiet fictum.

Diximus superius de Simoniaco: Quia si dum se Catholicum esse fingit, a Catholicis Episcopis consecrantur, tota illa eorum benedictio in maledictionem ei conuertitur: quoniam non ad labia, sed ad cor respicit Deus: Non enim est in corde eorum, vt Simoniaco benedicant. Similiter igitur è contra dicere possumus: Dum Simoniacus Catholicum se esse fingens, Catholico benedicit; quamuis eius benedictio maledictio sit, omnis tamen eius maledictio in benedictionem conuertitur: Adest enim Spiritus Sanctus, qui non ad loquentis & consecrantis hæretici petitiones, sed ad suscipientis mentem & deuotionem respicit. Quod si extra Ecclesiam tale aliquid contingat, non debet hæc ratio ei subuenire, qui extra Ecclesiam a Simoniaco ordinatur; quamuis non Simoniacum esse

putet; Quoniam neque a matre Ecclesia offertur, neque eius deuotio bona est, qui extra Ecclesiam a quocunque ordinatur. Manifestum est itaque de his, qui intra Ecclesiam a Simoniacis, quos tamen Catholicos esse putant, non Simoniace ordinantur, quod eorum ordinatio rata esse debet.

Taceant igitur, qui a temporibus B. Leonis Papæ iam Sacerdotum in Ecclesia defecisse garriunt, eo quod omnes aut Simoniaci essent, aut a Simoniacis ordinati: Similiter autem & de alijs hæreticis intelligendum est. Quia si intra Ecclesiam ordinati sunt, & Catholici esse putantur, quamdiu ibi sunt, Sacramenta, quæ agunt, rata esse debent.

Nunc autem illis respondendum est, qui, quoniam ipsos sacros Ordines non emerunt, se Simoniacos non esse contendunt, quamuis Ecclesias, vel Ecclesiarum partes emissent. Sed velim respondeant: Si per illam emptionem & venditionem ad sacros Ordines peruenerunt: Vel, si in illis Ecclesijs quas emerunt, per illam emptionem sacra mysteria celebrandi potestatem susceperunt. Si enim ita est, vix se defendere poterunt, se Simoniacos non esse. Simoniacus enim est, qui per pretium ad sacros Ordines venire contendit: Simoniacus est & ille, qui eam potestatem emere nititur, per quam Sancti Spiritus dona parantur. Hic autem Episcopus quasi Canonicam electionem, vel consecrationem non pro sacris ordinibus, vt ipse fingit, sed pro terris & vineis, pro castellis & villis, pretium dedit, vel promisit. Si hoc tali modo Episcopus fieri disponebat, per pretium vtique ad sacros ordines venire contendebat: Neque enim ideo hoc faciebat, vt ea solummodo quasi laicus possideret, sed potius vt Episcopalem dignitatem aliquando pro ea haberet. Multo enim instantius hos tales, quam eos, qui canonice eliguntur, post hanc talem innasionem instare videmus, vt quantotius ad sacros ordines peruenire valeant: Qua in re suam intentionem apertissime manifestant, & quid illa emptio significauerit, ostendunt. Quocunque igitur tempore ad consecrationem veniant, adest ibi B. Petrus, qui eis more solito dicat: *Pecunia tua tecum sit in perditione, quia existimasti donum Dei pecunia possideri.* Quod si ad consecrationem non venerint, sed prius pœnituerint, & illa tam praua existimatione caruerint, dubitari quidem potest, solui autem facile non potest, an in alijs Ecclesijs præponi aliquando debeant. Considerari tamen conuenit id, quod B. Petrus dixit ad Simonem: *Pœnitentiam, inquit, age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Si enim pœnituisset, fortasse gratis postea habuisset, quod prius pretio habere non potuit: Quamuis in his verbis Apostoli sola peccati remissio significetur.

Quod autem de toto Episcopatu diximus, id de singulis Ecclesijs, vel earum partibus intelligimus, Simile namque peccatum est & cum diuite & cum paupere fornicari. Qui enim vnam Ecclesiam, vel eius partem emit, quanto libentius, si posset, totum emeret Episcopatum? Qui enim aliquam Ecclesiam emit, illam vt que potestatem emit, de qua Simon Magus Apostolis dicebat. *Date vos mihi hanc potestatem, vt cuicunque manus imposuero, accipiat Spiritum Sanctum.* Ille enim qui Ecclesiam emit, priusquam eam emeret, liberam potestatem in ea non habebat, vel baptizandi vel sacrificandi, vel alia quælibet mysteria celebrandi: Quæ quidem omnia, & dona sunt & operationes Spiritus Sancti. Emit igitur illam potestatem: Siquidem baptizandi vel sacrificandi potestatem emit, quam vtique in illa Ecclesia non habebat priusquam emeret. Sicut enim impium est, existimare, quod Spiritus Sanctus pecunia possideatur: ita & illud existimare impium est, quod eius dona & operationes pretio dari vel exerceri debeant.

Sed dicis: Ego hanc potestatem (scilicet baptizandi & similia agendi) habebam prius etiam, quam Ecclesiam emissem. Cur ergo eam emisti? Quia non concedebatur mihi hęc agere in ea prius, quam emissem. Iam cognosco intentionem tuam, & video illam intentionem Simonis quam maxime conuenire: Habebas quidem potestatem, sed nolebas habere otiosam, quoniam aut parum aut nihil tibi conferebat, nisi vbicunque eam exerceres: nunquam eam emeres, nisi lucrum inde sperares. Hæc igitur est intentio Simonis, sic ille faciebat, volebat emere, quod multum se vendere posse sperabat. Neque enim dixit: Date mihi hanc potestatem, vt habeam Spiritum Sanctum; sed quid dixit? *Date mihi hanc potestatem, vt, cuicunque manum imposuero, accipiat Spiritum Sanctum.* Nulla enim lucrandi spes ei remansisset, si eam solummodo habuisset, & dare alijs non potuisset. Similiter autem & tu, si hanc potestatem solummodo habeas, vbi eam lucratiue non exerceas, nihil tibi videtur esse quod habes: quomodo ergo Simoniacus non es? Si in hoc tanto malo Simoni similis es.

Hæc autem de illis dicta sunt, qui post ordinationes Ecclesias emunt. Si enim ante ordinationes eas emunt, & per illā emptionem ad ordines veniant, Simoniaci vtique sunt, & maxime illi, qui Ecclesiam emendo ad sacros ordines venire contendunt: Si autem non ad ordines ipsos, sed ad Ecclesiarum beneficia per pecuniam venire desiderant, (multos enim tales videmus, qui postquam Ecclesias emunt, ordinari omnino despiciunt) hi quidem non tantum Simoniaci, quantum fures & latrones dici videntur: *Qui enim non intrat per ostium, fur est & latro*: Qui vero per pecuniam intrat, per ostium non intrat: Fur est igitur & latro. Sed, siue hoc nomine, siue illo alio vocentur, Ecclesiam tamen tenere non debent: Omnes enim vendentes & ementes Dominus templi eiecit de templo. In magno quoque Chalcedonensi Concilio constitutum est: *Vt si quis quemlibet Clericum, vel Ecclesiæ dispensatorem, siue ministrum per pecuniam ordinauerit, vterque & dans & accipiens depositione; consentientes vero, anathemate feriantur.* Vide igitur, quia non solum Clerici, verum etiam dispensatores de Ecclesia eijciuntur omnes, qui sacros ordines, & qui ipsas Ecclesias earumque partes emunt vel vendunt. Cum ergo pęna similis sit, cur de nomine contentio fiat? Siue enim Simoniaci dicantur, siue non, pęna tamen eadem est.

Hæc autem ad illam quæstionem nos respondisse sufficiat, ad quam superius nos responsuros esse promisimus.

VITA SANCTI PETRI EPISCOPI ANAGNINI.

Ex ea, quam Sanctus Bruno Episcopus Signinus Composuit, per Reuerendum Dominum Gāsparē Viuianum Vrbinatem, Episcopumque Anagninæ, eiusdem Ecclesiæ breuiter descripta.

PEtrus Salerni, ex Illustrissima Principum familia natus a Parentibus, Patrui, eiusdemq. Abbatis Cęnobis Salernitani S. Benedicti tutelę fideique committitur. Puerulus vtroque orbatus parente a religioso quodam, proboq. sene eruditus: deinde adolescens optimus moribus, ac literis præditus, suas facultates eidem Monasterio tradidit, & Sancti Benedicti disciplinam amplexus, se ipse quoq. Domino dicauit. Suaue igitur Christi iugum ab adolescentia ferens, & erga omnes humanus erat, ac mitis, & religiosæ vitæ cultor egregius, quippe qui monasticas B. Benedicti leges, quas ēt memorię mādaret, accurate seruaret, atq. in Ieiunijs, pcib. sacris Lectionib. tēpus omne consumeret, vt iuri quoq. scientiam ad rerum diuinarum cognitionem adiunxerit, cum ita illum Dominus nec opinante in ad Episcopalis officij munus instrueret. Quare cū aliquando Salernum Aldebrandus S. R. E. Cardinalis, ac legatus venisset, Sancti viri fama permotus, cum ab Abbate patruo impetrat, Romamq. ad Alexandrum Secundum Pontificem perducit. A quo primum Ecclesiasticis negocijs prępositus deinde Anagninæ Ecclesiæ, licet inuitus, creatur Episcopus magna Cleri, populiq. lætitia. Pastorali igitur munere suscepto, cum de sacris ædibus instaurandis, ac de recuperandis Ecclesiæ suæ possessionibus cogitare cœpit, tum de sanctorum reliquijs conquirendis, præsertim vero de Sacro Beati Magni corpore, cuius præsentia decorari Anagnina Ecclesia dicebatur, nec tamen satis constare videbatur. Verum Deus ita omnem sustulit dubitationem. Petrus enim paralyticam quandam

dam per id tempus ad se perductam ab ipsius viro, cui nomẽ erat Franco, iubet ad sepulcrum, in quo Sancti Magni corpus conditum putabatur, preces effundere. Cumque mulier ibi cum Francone viro suo profusis lacrymis in precatione pernoctasset, ac tristes ambo Domum redijssent, postero die Beatus Magnus eidem mulieri visus est, pontificio, splendidoque vestitu, qui eam Valetudini restitutam, iussit Episcopo denunciare, ne amplius de sui corporis in Ecclesia quiescentis præsentia dubitaret. Paruit illa, & læta, cum Beato Petro, ac frequentissimo populo excito tanti fama miraculi ad Sancti Magni sepulcrum Deo benignissimo de acceptis beneficijs gratias egit. Petrus interea nonnullis Ecclesiæ suæ bonis recuperatis, cum, & suo Clero, & egentibus Paterna Charitate prospiceret, nocte quadam in templo de more orans, Magnum Episcopum, magno splẽdore fulgentem, ad se cum Dei matre Venientem adspexisset, qui ei prædixit fore, vt in Orientem ad Imperatorem missus, ab eodem morbum diuturnum pulsaret, & ad templum instaurandum quecunque vellet, impetraret. Non ita multo post ad Michaelem Imperatorem Petrus Constantinopolim Legatus Apostolicus mittitur, Cumque suo iam functus officioa e quoque exponeret, quæ in templo Anagninæ noctu vidisset. Imperator primo respondit se, quis Beatus Magnus, aut quænam Anagnina esset Ecclesia, penitus ignorare. Deinde vero ea nocte Imperatori grauissimè laboranti, vt iam prope mortuus putaretur, Beatus Magnus Pontificijs velatus infulis, & Sacratissima Dei genitrix astiterunt, monentes, vt si Saluus esse velit, legato Apostolico morem gerat. Imperator, statim vt loquendi facultatem recepit, Episcopum conqueri iubet. Cui aduenienti catena (vt erat temporibus illis vsitatum) obducta in aula regia, ita repente diffracta est, vt si fragilis aliqua materia senderetur. Ergo Imperator supplex ab Episcopo per Dei parentem ac Sanctum Magnum, Valetudinis beneficium flagitare, ac simul visa narrare. Tum Sanctus ac vere clemẽs Episcopus, implorato Sanctissimę Trinitatis auxilio, Beatissimæ Virginis, Sancti Magni, Sãctorumq. omnium quorum sacra ossa in Anagnino templo asseruantur, contrectatisque leniter male affectis membris, surge, inquit, Præclarissime Princeps, & perpetua incolumitate lætare. Surgit illico Imperator, & ad Episcopi pedes procidens Patrem illũ appellat, quem pridie, vt externum hominem prope repulerat. Ad extremum fabris, & magna vi auri, Vasisque inauratis eidem liberaliter attributis, pollicetur, se aliosque sumptus ad Basilicam absoluendam suppeditaturum: Quod, & re ipsa præstitit. Beatus verò Petrus, cum tres circiter annos & quadraginta suam optimè rexisset Ecclesiam tertio Non. Augusti migrauit in cœlum, Paschali Secundo Pontifice, a quo etiam est in Sanctorum numerum adscriptus.

PRIVILEGIVM CANONIZATIONIS Beati Petri Episcopi Anagnini.

PAscalis Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabilibus fratribus Episcopis Anagninis, & alijs per campaniã constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem Dominum excelsum habentes pre oculis, qui in amicis suis laudatur, & benedicitur, & considerantes propterea strenuæ probatæque vitæ merita, quibus uir Sanctus Petrus quondam Anagninus Episcopus de regula monachale assũptus in pastorali officio pure simpliciter solerti, vigilantia, & exemplo Deo deseruiuit: Admirantes etiam miraculorũ insignia, quibus sanctum suum ante, & post obitum diuina gratia decorauit, prout *per Brunonem signiensem Episcopum fideliter annotatur*, & vsque ad nostra tempora decorare non desinit. Auctoritate præsentium nobis licere volumus, & mandamus quatenus tertio nonas Augusti diem natalis memorandi eiusdem confessoris, et præsulis numerandi Sanctorum cathalago congrue celebrem recolaris, quatenus in præsenti gratiam, & in futuro, opitulante diuina clementia, pijs eius intercessionibus mereamur gloriam sempiternam. Data Signiæ secundo nonas Iunij Pontificatus nostri Anno vndecimo.

Ann. D. M.C.IX.

Ecclasia Anagnina Tertio Augusti solemniter Celebrat festum ipsius Sancti Petri Episcopi, sub officio de proprio Versic. Resp. Ant. Lect. & Himn.

PATRI VENERABILI PORTVENSI EPISCOPO

Bruno Peccator Episcopus Beati Benedicti seruus, Salutem.

AVditimus quod quidam de Fratribus nostris non solum non damnat ea, quæ modo contra Sanctam Ecclesiam facta sunt, verum etiam satis impudenter defendere conantur. Omnis autem qui heresim defendit, hereticus est. Nemo autem, et hanc non esse heresim dicere potest, quam Sancta, & Apostolica Ecclesia in multis Concilijs heresim nominauit, & simul cum suis auctoribus damnauit & excommunicauit. Et illa quidem specialiter dicuntur esse heresses, quæ in Concilijs iudicata, & damnate sunt. Vnde, & Guibertus non immerito heresiarcha dictus est, simulque cum suis sequacibus damnatus, & excommunicatus. Quicumque igitur Catholicam Ecclesiam relinquentes, ad partem Guiberti transierunt, & eius impiam heresim defendunt, & tenent, eos hereticos excommunicatos, & Apostolicis Vinculis ligatos esse non dubium est. Qui vero excommunicati, & ligati sunt, neque se ipsos, neque alios vel ligare vel soluere possunt. Has litteras misi ego portuensi Episcopo, in quibus nullum alium hereticum esse dixi nisi eos tantum, qui heresim defendunt, & tenent: & eos quidem fugiendos esse iudicaui, etiamsi affectu parentum, & oculorum, & manuum eos diligamus. Dictum namque fuerat nobis, quod illi, qui impij Regis proditione capti fuerant, omnes preter paucissimos, vna & consona voce dicebant, quod prædicauimus, prædicamus: & quod damnauimus, damnamus. Hos autem qui hoc dicunt, quis dubitat esse Catholicos?

PASCHALI SVMMO PONTIFICI.

Bruno Peccator Episcopus Beati Benedicti seruus, quod tanto Domino, & Patri.

INimici mei dicunt tibi, quia te non diligo, & quia de te male loquor, sed mentiuntur. Ego enim ficte diligo sicut Patrem, & Dominum diligere debeo: & nullum alium, te viuente, Pontificem habere volo, Sicut ego cum multis alijs tibi promisi. Audio tamen Saluatorem meum mihi dicentem: Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. *Vnde & Apostolus dicit.* Si quis non diligit Dominum Iesum, sit anathema maranatha. *Debeo igitur diligere te, sed plus diligere debeo illum, qui & te fecit & me. Huic enim tanto amori nihil vnquam preferendum est. Fœdus autem illud tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati, & religioni contrarium ego non laudo. At vero neque tu, sicut a pluribus referentibus audiui. Quis enim illud laudare potest, in quo fides violatur? Ecclesia libertatem amittit? Sacerdotium tollitur? Vnicum, & singulare ostium Ecclesię clauditur, aliaque multa ostia aperiuntur, per quæ quicumque intrat, fur est & latro? Habemus Canones, habemus Sanctorum Patrum Cõstitutiones a temporib. Apostolorum vsque ad te. Via regia incedendum est, neque ab ea in aliquam partem declinandum. Constitutio tua, & Constitutio Apostolorum vna est, & ipsa quidem multum laudabilis*

dabilis. Apoſtoli enim omnes illos damnant, & a fidelium communione ſegregant, quicumque per ſecularem poteſtatem Eccleſiam obtinent. Laici enim quamuis religioſi ſint, nullam tamen diſponendi Eccleſiam habent facultatem. Similiter, & Conſtitutio tua, quę de Apoſtolico fonte manauit, omnes illos Clericos damnat, & a fidelium communione ſeparat, quicumque de manu laici inueſtituram ſuſcipiunt, & quicumque eis manum imponunt. Hęc namque Conſtitutio Apoſtolorum, & tua, Sancta eſt, Catholica eſt, cui quicumque contradicit, Catholicus non eſt. Illi enim ſoli ſunt Catholici, qui Catholicę Eccleſia fidei & doctrina non contradicunt. Sicut e contra illi ſunt heretici, qui Catholica Eccleſia fidei, & doctrina obſtinato animo contradicunt. Hanc igitur tuam, & Apoſtolorum conſtitutionem, Pater Venerabilis, iterum confirma: hanc in tua Eccleſia, quę omnium Eccleſiarum caput eſt, palam, & cunctis audientibus prędica, hanc hereſim, quam tu ipſe hereſim eſſe ſępe dixiſti, Apoſtolica auctoritate damna, & mox videbis totam Eccleſiam tibi eſſe placatam, mox omnes videbis, ad tuos pedes confluentes, & cum magna lętitia, Sicut Petri, & Domino obedientes. Miſerere Eccleſia Dei, miſerere ſponſę Chriſti, & per tuam prudentiam, ſuam recuperet libertatem, quam modo per te amiſiſſe videtur. Ego autem illam obligationem & illud iuramentum, de quo iam ſuperius diximus, parui pendo; neque pro eius violatione minus vnquam tibi obediens ero.



SANCTI BRVNONIS ASTENSIS

SIGNIENSIVM EPISCOPI,

Et Abbatis Montis Caſini

SENTENTIARVM LIBRI SEX.



S. BRVNONIS ASTENSIS SENTENTIARVM LIBER PRIMVS.

DE LAVDIBVS ECCLESIAE.

PROLOGVS.



VM sint multa, & pœne innumerabilia in diuinis voluminibus, quæ sponsam Christi sanctam Ecclesiam significant, quędam tamen sunt, in quibus eius laudes, & maiora sacramenta manifestius, & plenius contineri videntur. Vt verbi gratia, Paradisus cum arboribus, fluminibusque suis, sicut, & arca, quam e. Dei præcepto Noe fabricauit. Similiter autem tabernaculum quod Moyses construxit, Similiter & templum quod ædificauit Salomon, Per mulierem quoq. figuratur Ecclesia, quod Cantica canticorum manifeste demonstrant. Ciuitas quoque sancta Hierusalem, & basilicæ quæ nunc ab Episcopis vbique dedicantur; Ecclesiam Dei aperte significant. De his igitur secundum ordinem, quo posita sunt, non omnia quidem, sed quæ tempori materiæ quid conueniant, domino adiuuante, in sequentibus exponemus.

DE PARADISO.

CAP. I.



Cripsit Moyses in libro Geneseos quod plantauerat Deus paradisum voluptatis a principio, in quem posuit hominem quem formauerat, vt operaretur, & custodiret illum. Ibi omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: ibi lignum scientiæ boni, & mali narrat esse plantatum. Inde quatuor flumina ex vno fonte procedere dicit, quibus tota illa terra irrigatur. Dicendum est igitur quid paradisus: quid Adam custos paradisi, quid illa tantarum tamque nobilium arborum genera & flumina illa significent. Paradisus namque hortus deliciarum interpretatur. De quo horto in canticis canticorum Dominus ad ecclesiam loquitur dicens: Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Quod tale est, ac si diceret. Magna sunt munera tua, grata sunt xenia tua. Alij partem mittunt, & quod eis est vile alijs tribuunt Tu vero totum hortum das, & omnia meliora filijs tuis larga manu mandas, & tribuis. De horto in eodem libro idem ipse ait. Hortus conclusus soror mea sponsa? hortus conclusus, & fons signatus. Recordant igitur latrones: recedat, & diabolus princeps latronum quæ semper circuit quærens quem deuoret. Conclusus est hortus, signatus est fons, nec poma nec aquam subripere potest. Hoc enim ipse Dominus testatur dicens. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego Dominus vitam æternam do eis. Neque rapiet eas quisque de manu mea. De his autem qui decipiuntur, & a diabolo rapiuntur, Ioannes Apostolus ait, De nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, mansissent vtiq. nobiscum. Item in eodem. Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, vt viderem, si floruissent vinea & germinassent mala punica. In Euangelio quoque de Domino dicitur. Quia egressus est trans torrentem cedron vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. His igitur, & similibus manifestum est quod per hortum, id est per paradisum ecclesia significatur. Sed quid per Adam, nisi ecclesiæ custodes, episcopos scilicet, & sacerdotes intelligamus. Audiant ergo isti qui de Adam scriptura dicit, qui ad hoc in paradisum missus est vt operaretur, & custodiret illum. Non sint ociosi, quia operarij sunt: vigilent, quia custodes sunt. Hoc & Apostolus faciebat, qui, & prædicationi instabat, & manibus propriis operabatur vnde viuebat. Vnde psalmista ait. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sed notandum valde quod dictum est a Domino de Adam, postquam peccauerat. Ne forte sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum, &c. Post peccatum interdicitur ei lignum vitæ quod prius quidem interdictum non fuerat. Lignum vitæ Christus est, de quo Psalmista. Et erit inquit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et alibi. Lignum vitæ est iis qui apprehenderit eam, & qui tenuerit eam beatus. Et Dominus in euangelio. Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Videant igitur quibus propter peccata sua Christi corpus, & sanguis interdicitur, ne forte ad lignum vitæ accedere præsumant. Audiant Apostolum dicentem. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini. Lignum igitur vitæ caro Christi est, de qua ipse dominus ait. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Lignum vero scientiæ boni, & mali peccatum inobedientię intelligitur. Quoties enim peccamus, toties de ligno hoc manducamus, quoniam Deo inobedientes sumus qui peccare interdixit. Magnum est peccatum inobedientiæ quo totus periit mundus: magna est virtus obedientiæ qua totus saluatus est mundus. Primus homo inobediens factus seipsum perdidit & nos: secundus homo factus est obediens vsque ad mortem vt saluaret nos. Vocatur autem hæc

arbor lignum scientiæ boni, & mali, quia tunc primi homines bona sua, & mala sua, id est beatitudinẽ, & miseriam suã intellexerunt, postquam de hoc ligno comederunt. Sicut n. per ęgritudinem, sanitas, per amarum dulce, & per tenebras lux intelligitur, ita & per miseriã beatitudo cognoscitur. Neque perfecte intelligit quantũ bonũ sit sanitas, qui nunquam infirmus fuit. Sed quid de ceteris arboribus dicemus, quib. locus ille delitiarũ consitus est? Legitur in scripturis antiquorũ (Solinus quoq. hoc testatur) esse arbores in partib. quibusdã quarũ odoris suauitate homines satiati cibũ aliũ non requirũt. Quantæ ergo iucũditatis, quantę suauitatis, quã odoriferas quãquæ fructiferas paradisi arbores esse putamus, si etiã illæ quæ extra sunt tales sunt. Per has aũt arbores, ecclesię filios intelligimus. Bona arbor beatus Paulus qui plus omnibus laborauit. Bona & ille qui dixit. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Sic autẽ & illi de quib. dicitur. Filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ. Tales, & illi quibus Dominus ait. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructũ afferatis: & fructus vester maneat. Ecce tales sunt ecclesiæ arbores: neque illis inferiores: immo vero tanto meliores quanto melior est quam figura. Maior odoris suauitas, maior fructus abundantia, & maioris iocunditatis dulcedo in his reperitur. Videant Christiani qui per arbores paradisi significantur ne sint infructuosi: quia in paradiso nulla arbor legitur fuisse infructuosa. Quid autem quatuor flumina de vno fonte manantia, nisi quatuor euangelistas de vno Christi pectore fidei doctrinã suscipientes intelligamus? His autem fluminibus totus mundus irrigatur, horum doctrinæ abundantia tota ecclesia fecundatur, & sanatur. Vnde psalmista ait. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Et alibi. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina voces suas. Fertur autem quod illa flumina superius nominata tantam saporis dulcedinem habeant, vt omnium potionum superent suauitatem. Et hãc quidem suauitatem non prius amittant quam in ea irruentibus fluuijs vitientur. Quoniam bene nostris fluminibus, sanctis scilicet euangelijs hoc quoque conuenire videntur: quorum quidem dulcedo hæreticorum aquis sępissime violatur, & nisi eis violata fuerint nihil est quod comparari valeat. Miser homo, qui tantam beatitudinem propter suam inobedientiam amisit; miser qui tantas delitias perdidit, & de paradiso eiectus, post infinitas miserias in mortẽ ruit. Sic enim ibi scriptum est, quia eiecit Dominus Adam de paradiso, & collocauit ante paradisum Cherubim & flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitę. Hoc enim, & in ecclesia fieri videmus, & peccatores obedire nolentes verbi Dei gladio ab ea quotidie conspicimus pelli. Si enim primo homini Deus non pepercit: quomodo alijs eum imitantibus parcet? Seruemus igitur obedientiam, imitemur obedientiæ magistrum, qui cum in forma Dei esset seipsum humiliauit factus obediens vsque ad mortem. Cui cum patre & spiritu est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

DE ARCA NOE.

CAP. II.

MErito ad Ecclesiarum dedicationem tanta populorum vndique turba concurrit. Siquidem Sancta Ecclesia per eam arcam significatur in quam tam innumerabilis omniũ animalium multitudo conuenit. Sic enim scriptum habes in libro Geneseos, quod præceperat Dominus Noe vt faceret sibi arcam de lignis leuigatis, & mansiunculas in arca faceret, & bitumine intrinsecus, & extrinsecus eam liniret. Pręcepit etiam vt ostium & fenestram faceret in ea, & in cubito consummaret summitatem eius. Ingressus est autem Noe in eam & filii eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo. De omnibus quoque animalibus mundis, & immundis in eã ingressa sunt. Videamus igitur quid arca ista significet, quid ligna leuigata, quid mansiones, & bitumen, quid ostium, & fenestra, & quid animalia munda, & immunda significent. De hac enim arca scriptum est. Surge deus in requiem tuam tu, & arca sanctificationis tuæ. Hæc igitur arca sancta ecclesia est, extra quam nemo saluatur; in qua qui in die vltionis inuentus fuerit, non peribit. Multi enim nunc in ea esse videntur, qui tunc extra eam inuenientur: Sicut illi quibus Dominus ait. Amen dico vobis nescio vos. Illi igitur erunt in ea de quibus Saluator ait. Pater volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Vnde, & alibi dicit. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent & ardet. Sicut enim prima per aquam: ita & secunda vindicta per ignem fiet. Sic igitur arca ista est ecclesia. Quid ligna leuigata nisi homines intelligimus? Homines vtique Christiani homines fidei ferramento dolati, & sancti spiritus gladio leuigati, & charitatis bitumine inuncti & iuncti. Talia ligna erant illa de quibus dicitur. Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, & nemo dicebat aliquid esse suum? sed erant illis omnia communia. Gaudeant monachi de tanto priuilegio quibus spiritus unus est, & proprium nihil est. Bituminis enim talis fertur esse natura, vt ligna quę ex eo illita fuerint, indissolubiliter iungat, & incorrupta conseruet. Merito itaque per bitumen charitas designatur quæ omnibus virtutibus maior est, & sine qua nulla virtus aliquid est. Hæc etiam inimicos coniungit, & eos quos iungit æternos, & incorruptibiles facit. Hæc igitur, & intus per dilectionem, & extra per operationem nos vngat, & iungat. Hęc in corde compatiatur, & in manibus operetur. Hoc est enim intrinsecus, & extrinsecus linies eam. Multæ enim mansiones in vna arca, multæ gentes sunt in vna ecclesia. Diuersæ sunt mansiones, & diuersi sunt ordines, & mores. Nam & ipse Dominus in euangelio dicit. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Stella enim a stella differt in claritate. Manent in mansionibus animalia munda & immunda, quiescunt, & pacem habent, nullum alii nocet, nullum alii iniuriam facit, & quod valde dolendum est, homines sæpe bestijs crudeliores sunt. Sufficiunt istis possessiones suę. Si ergo intra arcam nulla discordia vel persecutio fuit: procul dubio de ecclesia non sunt (quamuis in ecclesia esse videantur) quicumque fratres oderunt, & charitatis vinculum soluunt. Sed quid per ostium, & fenestram intelligimus? Dicat ipse Dominus. Ego inquit sum ostium, per me si quis introierit saluabitur. Non ergo saluantur qui per ostium non intrant. Nullum animal ingreditur in arcam nisi per ostium. Sed simoniaci & hæretici aliunde in Ecclesiam intrare nituntur. Hoc aũt faciunt, quia fures sunt & latrones. Fenestræ vero illi sunt, quæ ecclesię lumen subministrant, Vnde & Dominus discipulis ait. Vos estis lux mundi. Magna fenestra Beatus Paulus qui ideo a Domino excęcatus est vt multos illuminaret. Nec vacat a mysterio id quod ait Et in cubito consumabis summitatem eius. Vnus quidem cubitus vnus est Deus, in quo tota nostra consummatio & perfectio est. Excelsus super omnes gentes Dominus. & super cœlos gloria eius. Ipse est caput nostrum; nos illius membra sumus. Ideo enim arcam inferius quidem amplam, superius vero arcta, et in cubito consummata est. Quia et sancta ecclesia in subiectis quidem lata & magna est, et in vno patre magistro consummata est. Vnde et Dominus ait. Vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Denique multo plures sunt mali quam boni, plures qui terrena quam qui cœlestia petunt. Angusta via est, quæ ducit ad vitam; ampla est quæ ducit ad perditionem. Si quis etiam ecclesiæ ordines considerare velit, quomodo super Laicos clerici, super clericos presbyteri super præsbyteros episcopi super episcopos archiepiscopi, sup illos patriarchę p ordinẽ sedeãt, et tũ tãdẽ Romanũ põtificẽ sup oẽs se læ[...] cõspiciat, etiã isto modo intelligere poterit quomodo arca Dei in inferiorib. ampla paulatim se angustando in vno cubito consummatur. Iam vero animalia munda, et immunda iustos pariter et peccatores significare videntur. Nam et boni, et mali, iusti et peccatores, granum, et paleæ, zizania, et frumenta, & mixti

mul in Ecclesia Dei conuersantur, de vno pane viuunt, de vno calice bibunt, vt & se fratres esse ostendant, vna, & consona voce omnes dicunt, Pater noster, qui es in cęlis. Illud quoque non vacat a mysterio quod homines, & volucres superiorem locum in arca possederant, iumenta vero, pecora, & similia inferius habitabant. Qui enim homines, & volucres naturam imitantur: tales in sancta ecclesia superiores constitui debent. Dei igitur operam sapientię, & religioni, aluus volet, mente, & spiritu ad cœlestia erigatur, qui super alios esse desiderat. At vero illi merito inferiores sunt, omnisque honoris, & dignitatis qui carnis concupiscentijs, solisque voluptatibus dediti iumentorum naturam sequuntur, quæ quidem ipsa eorum natura prona finxit ventrique obedientia. Restat nunc de coruo dicere qui de arca egressus ad eā vlterius redire neglexit. Per hunc nimirum illi figurantur, qui pro suis offensis ab ecclesia separati ad eam vlterius redire despiciunt. Talis fuit Arrius, & Sabellius, tales, & Donatistę qui pro suis iniquitatibus ab ecclesia diuisi ad eam redire, & ei reconciliari noluerunt. Vnde non immerito omne coruinum genus immundum esse dicitur. Quid verò per columbam quę cum ramo oliuæ virentis ad arcam redijt: nisi illi significantur qui mites sunt, & sapientes, & humiles? Hi enim quia pacem, & concordiam diligūt, si Ecclesiam Dei & fratrum congregationem quolibet modo contra se commotam intelligunt mox humiliati, & per omnia satisfacere parati ad eā redeunt, pacem offerunt, & misericordiā suppliciter deposcunt. Qui ergo perire timet, & saluari desiderat ab vnitate ecclesiæ non recedat. Audiant Dominum dicentem. Mane te in ciuitate induamini virtute ex alto. Qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

DE TABERNACVLO FOEDERIS.

CAP. III.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Cum pluraliter tabernacula posuisset, mox non de multis tabernaculis, sed de vna domo subdidit dicens. Beati qui habitant in domo tua Domine in sęculum sęculi laudabunt te. Vnde, & alibi ait. Vnam petij a domino hāc requirā, vt inhabitē in domo Domini omnib. dieb. vitę meæ. De trib. tabernaculis scribit Apostolus, quorum primum in vmbra est, & figura. Secundum in figura, & veritate. Tertium autē sola veritate cōsistit: Ait. n. Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum ꝙ dicitur sancta. Post velamētum autem secundum tabernaculum quod dicitur sācta sanctorum aureum habēt thuribulum, et arcam testamēti circuntectā ex omni parte auro. In qua vrna aurea habens māna, & virga Aaron quę fronduerat, & tabulæ testamenti. De tertio vero sic ait. Christus assistēs Pōtifex futurorū bonorum peramplius, & pfectius tabernaculū nō manufactū, idest nō huius creationis, neq. p sanguinē hircorū aut vitulorū, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sācta æterna redēptione inuēta. Primū igitur tabernaculū synagoga, secūdū ecclesia, tertium vero cœlū ipsū intelligitur. Habemus pōtificē qui penetrauit cælū, vt Apostolus ait Iesū Christū Dominū nostrū, & ibi quidē nūc apparet vultui Dei pro nobis, Habet itaq. primū tabernaculū idest synagoga, cādelabra sua, per quę nimirum patriarchas, & Prophetas intelligimus, quorū doctrina, & sciētia populus ille illuminabatur, quando cęterę nationes in tenebris sedebāt, & in caligine vmbræ mortis. Et Moyses quidem non candelabra sed candelabrum posuit, Christum videlicet verum lumen significās, de quo quasi de vno hastili cuncta alia candelabra prodeunt. Hoc igitur cādelabrum, & vnū, & multa est, & vnum quidem in hastili: multa vero in calamis de vno hastili procedentib. Sed quid per mēsā, nisi legis, & prophetarū libri designātur. Panis vero propositio ipsa eorum intelligentia est. De hac aūt mēsa scriptum est. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalū litera. n. occidit, spiritus autē viuificat. Quoniam aūt candelabrum ante mēsā stabat, vt mēsam illuminaret, et panes superpositos suo lumine illustraret, quid aliud significare putamus, nisi id quod beatus Iōes in Apocalysi sua scribit dicens? Vidi librum signatum sigillis septem, & nemo dignus inuentus est neq. in cęlo, neq. in terra, neq. subtus terrā qui aperiret librū, et solueret septem signacula eius & ego flebā multum, & dictum est mihi, ne fleueris. Ecce vicit leo de tribu Iuda, Radix Dauid aperire librum, & soluere septē signacula eius. Si. n. per librum mensa significātur quid est aliud soluere librum quam mensam illuminare. Idem igitur ipse, & leo, & candelabrum est, siquidem libri solutio nihil aliud est quā mensæ illuminatio. Velum autē inter vtrūq. tabernaculū positū erat, ne forte illi qui in priori tabernaculo erāt, ea quę secūdo agebātur videre potuissent. Vsq. hodie namq. dum legitur. Moyses velamen (vt ait Apostolus) positū est ante faciem Iudæorum. Hoc autem velamen tūc sublatū est quādo velum tēpli scissum est. Et ex nūc quidē omnib. in Christo credētib. reuelata sūt sācta sāctorū, cęteri vero in sua cęcitate permāserūt, vt vidētes non videāt, & audientes non intelligāt. Nūc aūt de secūdo tabernaculo videamus. Post velamētū inquit secūdū tabernaculū est ꝙ dicitur scā sāctorū. Quātū priore tabernaculo secūdū tabernaculū potius sit ipsū eius nomē apte demōstrat. Sed quid per thuribulū aureū, nisi Apostolos, & doctores intelligamus, qui sui odoris suauitate & celū repleuerunt, & terrā. Tale thuribulum beatus Paulus qui de se, & alijs, loquitur dicens. Christi bonus odor sumus deo in omni loco, in his, qui salui fiunt, & in his qui pereunt, Alijs enim sumus odor vitę ad vitā alijs odor mortis ad mortē. Ipse quoq. dñs thuribulum portat cuius odorē ecclesia sētiēs ait. Trahe me post te, & curriem⁹ in odorē vnguentorum tuorum. Vnde, & scriptum est, quia accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris. Et ascendit fumus aromatum in cōspectu dñi de manu angeli. Angeli doctores sūt quorum pectora thuribula sunt, eorum vero sermones, & orationes quasi fumus aromatum dño deo placēt, quoniam vero arca testamēti auro purissimo intus, et extra vndiq. circumtecta erat quid aliud significat nisi ꝙ sācta ecclesia sermone & opere sapiētia, & religione tota refulget: Non sunt igitur eius membra qui vitiorum cōtagione se spōte cōmaculāt, De ipsa. n. scriptum est. Vna est colūba mea, pfecta mea, immaculata mea. Vrna vero aurea habēs māna, Christi humanitas est plena diuinitate, vt p aurū quod de terra est hūanitatē, p māna vero. quod de cęlo descēdit eius diuinitatē intelligamus. Sed quid per virgā Aarō quę frōduerat, nisi Beatam virginē Mariā intelligamus, Quæ, & sicca peperit florē, & incorrupta peperit Saluatorem, in tabulis vero testamēti omnis scientiæ plenitudo intelligatur, qm̄ decē verba in illis erant per quæ omnia vtriusq. testamenti mādata figurantur. Quia. n. omnes numeri in decē cōtinētur nō immerito per decē oīa aliqn̄ intelligūtur. Talia instrumēta erant in arca, tales reliquiæ sunt in ecclesia. Ibi thuribulū, hic Apostoli: ibi vrna aurea, hic Christus De⁹, & hō: ibi tabulæ testamēti hic oīs, sciētiæ plenitudo, ibi virga Aaron, hic autē virga de radice Iesse. Restat nunc vt ad tertiū tabernaculū trāseamus, per quod cælū significari dixim⁹ Nihil. n. pdest in istis mānsisse, nisi ad illud aliqn̄ trāseamus. Ideo enim in his laboramus: vt ad illud quādoq. perueniamus. Ibi figura nulla est, quicquid ibi fit veritas est. Nō solum enim in synagoga verum etiam in ecclesia multa in figura & significatione fieri videmus. Qm̄ enim parietes asperguntur aqua, & non simplici sed salsa aqua, quod pauimenta scribūtur, quod lapides & altaria oleo vngūtur, quod per loca duodecim totidē cęrei accēdūtur: futura & significatio est: sed hęc alio tēpore exponenda seruamus. Nunc itaq. in illam domū intrare festinemus vbi non per speculū & in ænigmate, sed facie ad faciem omnia videamus. Dicamus iterum cū Psalmista, & iterum eadē repetamus. B. qui habitāt in domo tua Domine, in sęcula sęculorū laudabūt te. Et vnā petij a Domino hanc requiram, vt inhabitē in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Non est talis ista petitio quam obliuioni tradere debeamus. In illa autem domo quanta bona sint parata Sanctis breuiter Apostolus enumerans ait. Quod oculus

non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Quæ ipse nobis præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

DE TEMPLO SALOMONIS.

CAP. IV.

VOluit Dauid ædificare templum domino, & dictum est ei. Non tu ædificabis mihi domum, quia multum sanguinem fudisti: sed filius tuus qui egredietur de lumbis tuis ipse ædificabit mihi domum, & ego ero illi in patrem & ipse erit mihi in filium. Ædificauit igitur Salomon templum domino de lapidibus magnis & quadratis. Sexaginta cubitorum fuit longitudo eius, & viginti cubitorum latitudo, & centum viginti cubitos in altitudine habuit. Domus autem dum ædificaretur, nec malleus, nec securis, nec vox ferramenti in ea audita est. Fecit autem columnas duas ante fores templi: quarum vocauit alteram Iachin, idest firmitas: alteram vero Booz, idest in quo robur. Templi autem parietes cedrinis tabulis vestiuntur: quas de auro purissimo, factis laminis cooperuit. Sculpsit autem Cherubim & palmas, aliasque cælaturas valde prominentes. Duos quoque Cherubim fecit Salomon de lignis oliuarum: quos sicut alia omnia auro purissimo vestiuit. Habebant autem duos cubitos in altitudine, qui rectis pedibus ante oraculum stantes, & in templum respicientes duabus alis se vicissim tangebant, & duabus vsque ad parietes extendebantur. Vnde manifestum est quod totam templi latitudinem alæ Cherubim extensæ occupabant. Fecit autem & mare æneum ante templum: quod boues duodecim portare videbantur, quorum quidem tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, tres ad occasum respiciebant. Non est autem huius temporis exponere omnia quæ in illo templo nobilissimo facta sunt. Septem autem annis templum domini ædificatum est, & in septem diebus dedicatum est. Hoc templum ecclesia est, hoc templum nos sumus: de nobis Apostolus dicit. Templum Dei sanctum est quod estis vos. Dominus in templo sancto suo Dominus in cælo sedes eius. Sed quid sibi volunt illę duę columnæ, quæ ante fores templi positę cum nihil sustineant, ociosæ stare videntur. Ociosum tamen non est, quod alia firmitas, & alia robur vocatur. De his primum dicendum est, quia templum ingredientibus hæ primæ occurrunt. Et ego quidem per alteram Patriarchas & Prophetas cæterosque veteris testamenti duces & principes intelligo. Tales columnæ fuerunt, Abraham, Isaac, & Iacob. Tales Moyses. Iosue, Dauid, & Daniel. Tales & multi alij qui per fidem vicerunt regna. Et quia firmi & robusti erant, nullo impetu tempestatis, nullo ventorum impulsu, a iustitia & veritate diuelli potuerũt. In altera vero Apostolus, & Martyres, Confessores, & Episcopos video, qui quam fortes & robusti fuerint, eorum acta manifeste ostendunt. Respice ad Petrum, Iacobum & Ioannem, qui columnæ ecclesiæ dicebantur. Respice ad Stephanum, & Laurentium: confessorem quoque intuere Martinum Episcopum, & patrem nostrum Benedictum & mox quid illę significant intelligere poteris. Neque enim decet vt templum quis ingrediatur, nisi prius istas cognouerit. Ideo enim scriptum est Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Horum igitur vitam & doctrinam, horum fidem & conuersationem, horum constantiam & mores semper in mente habere debemus. Sic credamus, sic viuamus, sic domino seruiamus, sic ambulemus, sic in bono perseueremus, & sufficit nobis. De reticulis vero & malis granatis quæ super capitella columnarum erant, hoc breuiter modo dixisse sufficiat, quod patres nostri & retia semper habuerunt, quibus non pisces & aues caperent: sed audientes & obedientes ad dominum traherent. Habuerunt autem & mala granata quibus animas satiarent & a libidinis æstu sanarent. Quia ergo columnas vidimus, & quid significent, audiuimus, nunc templum ingrediamur, & quid illa tanta auri compositio ibi faciat, inquiramus. Nihil ibi videtur nisi aurum. Aurum in trabibus, aurum in parietibus, ipsa quoque pauimenta auro purissimo refulgent. Non est hoc sine causa, mysterium est, significatio est non ad visum inanem pascendum, sed ad intellectum spiritualiter reficiendum: hoc totũ ad ecclesiam spectat, quę tota aurea est, & omni vitiorum corruptione libera, super niuem dealbata est. Aurum hoc virtutes sunt, quibus omnia membra ecclesiæ deaurata sunt. Teneamus fidem, spem, & charitatem, aurei sumus, sine his nec ipsi Angeli pulchri sunt, quod in illis facile probatur, qui perdita humilitate ceciderunt, & omni alia creatura turpiores facti sunt. Alij humilitate, alij patientia, alij obedientia, deaurantur & decorantur. Quamcunque virtutem habeas, ornamentum tibi est, & sine virtutibus nulla pulchritudo animæ est. Vidimus aurum, & vidisse placet, restat nunc vt cælaturas videamus. Erant inquit in parietibus Cherubim & palmæ, & aliæ cælaturæ valde prominentes. Cherubim ad scientiam, palmæ ad victoriam nos prouocant: in illis vocare, in istis pugnare docemur. Nihil in templo ociosum est quæcunque scripta vel sculpta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Ipsi parietes nos docent, & quodammodo loquuntur nobis. Sed quia de Cherubim loqui cœpimus, ad illos respiciamus, qui ante oraculum stantes ad nos respiciunt, manus habent, pedes habent, faciem hominis habent: totum hoc nobis vsitatum & familiare est. Alæ me terrent, quia in hominis imagine alas non video. Poterat hęc imago hominis videri, si solæ alæ defuissent. Quia igitur tale animal in rerum natura non est, figura tantum & significatio est. Non itaque quasi Deus colantur: sed ad quod facti sunt, hoc operentur. Duo isti Cherubim, duo sunt testamenta, & quod significant duo libri, hoc duo significant Cherubim. Cherubim namque scientiæ plenitudo interpretatur. Hanc autem scientiæ plenitudinem facilius quidem in libris quam in illis simulacris comprehendimus. Totum tamen quod in diuinis scripturis continetur, multis simulacris significatur. Tu quoque si vis Cherubim fieri potes. Melius enim ex hominibus quam ex lignis fiunt Cherubim, & multi quidem Cherubim ex hominibus iam facti sunt. Vis videre Cherubim? Respice Paulum, omnis scientiæ plenum, Doctorem gentium, & magistrum ecclesiarum qui cum sapientium & insipientium debitor sit, paruulis lac subministrat. Loquitur vero sapientiam inter perfectos. Si vis eum videre volantem, audi ipsum dicentem. Scio hominem in Christo ante annos xiiii. siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum hominem ad tertium cælum. Qui sic volat, alas habet, & qui ita loquitur, non solum sapiens est verum etiam scientiæ plenitudo dici potest. Sed quare de lignis oliuarum Cherubim isti facti sunt, nisi vt nos ad misericordiam prouocent? Magna est virtus misericordiæ sine qua nec ipsi Cherubim esse possunt. Quod enim græci ἔλαιον vnde oleum, hoc nos misericordiam dicimus. Nihil est in Cherubim quod magis attendere debeamus quam ipsam materiam de qua facta sunt, idest oliua siue misericordia. Vnde & ipse Dominus ait. Estote misericordes sicut & pater vester misericors est. Multa sunt quæ de misericordia dici possunt. Siquidem misericordia Domini plena est terra. Bene autem sub alis Cherubim arca testamẽti stare dicitur, quia nihil est quod sic Ecclesia Dei defendat & muniat, sicut sermo diuinus & scientia scripturarum. *De arca testamenti in superiori sermone satis dictum est.* Merito autem in domo Domini quãdo ædificata est, malleus, aut securis, aut vox ferramenti audita non est: quia ecclesia Dei quæ per eam significabatur, non ferro sed lingua ædificanda erat, non vox inarticulata: sed Sancti Spiritus gratia eam construxit. Malum ferramentum Arrius: malus malleus Sabellius: mala securis Nestorius: qui non ædificare, sed destruere conati sunt. Nunquam talium ferramentorum vox in ecclesia audiatur: vox potius turturis audiatur in terra nostra. Cantet nobis Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes. Nam & Pauli vocem semper me audire delectat. Augustinus quoque & Ambrosius multique alij ecclesiæ filij, satis modulate suauiterque cantent. Restat nunc mare æneum: de quo multa

dicen.

dicenda essent: sed quia iam nunc sermo e laudendus est: hoc breuiter dixerim. Mare æneum baptisma est duodecim boues duodecim Apostoli sunt, super quos tunc mare æneum, Deus posuit; quando eis præcipiens, dixit. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Quod autem alii respiciunt ad orientem, alii ad aquilonem, alii ad meridiem alii ad occasum; hoc est quod sequitur: quia perfecti prædicauerunt, vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis Quoniam vero templum Domini septem annis ædificatum est, & septem diebus dedicatum est, quid aliud significare putamus: nisi quod sancta Ecclesia quanto tempore in hac vita est, quæ septem diebus, agitur, semper, & ædificatur, & dedicatur; Siquidem alii quotidie ad fidem conuertuntur, alii baptizantur, alii per pœnitentiam & sanctam conuersationē Domino consecrantur, & a peccatorum contagione mundātur. Hoc igitur septenario finito dies sequitur octauus: dies videlicet resurrectionis, quando omnibus perfectis, & consummatis, ad vitam transferemur æternam. Quā ipse nobis præstare dignetur, qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

DE MVLIERE PER QVAM SIGNIFIcatur Ecclesia.

CAP. V.

NArrat beatus Ioannes euangelista se vidisse sanctam ecclesiam in specie mulieris, quæ erat amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & pariens cruciabatur, vt pareret. Magna laus ecclesiæ Dei quæ sole amicta perhibetur. Sole quidem amicta est; quia omni claritate & pulchritudine decorata est. Sunt autem, & illi amicti sole quibus Apostolus loquitur dicens, Induite vos Dominum Iesum Christum. Ipse est enim sol iustitiæ. De quo & alibi ait. Quicunque baptizati estis in Christo Iesu, Christum induistis. Habet aūt ecclesia lunam sub pedibus, quia mundum despicit, & pro nihilo ducit. Merito mundus luna vocatur; quia ad lunę similitudinem semper in motu est, semper mutatur, & variatur. Quid enim in mundo est quod mutabile non sit? Et cælum mutatur, & terra: mare quoque semper mutabile est, & aer nunc serenus, nunc nebulosus est. Sed quid de hominibus dicam? Sentiunt ipsi mutationes suas, nunc læti, nunc irati, nunc tristes: nunc sani; nunc ægri, & multa alia quæ numerari non possunt. Hæc omnia despicit mulier ista, quia ad ea tendit, quæ immutabilia sunt: vbi lætitia æterna, sanitas, æterna, vita ęterna, & quia ibi omnia æterna sunt, nihil ibi mutabile est. Habet autem in capite coronam stellarum duodecim, per quas duodecim Apostolos intelligimus: ipsi eam coronauerunt: ipsi eam, & reginam & dominam constituerunt: ipsi in æterni regis thalamum, eam introduxerunt. Et pariens cruciabatur, vt pareret, hoc est quod in euangelio Dominus ait. Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius? Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Tantum est desiderium pariendi, tantus est amor filios generandi; paruipendit tormenta, non timet cruciatus, mori desiderat, vt adoptionis filios Domino Pariat. Sic Rachel moriendo peperit: vt synagoga Beniamin & nos Paulum Apostolum habeamus. De hac muliere Salomon quoq. ait. Mulierem fortem quis inueniet: procul & de vltimis finibus precium eius. Talem mulierem suis temporibus inuenire non potuit: procul & post multa tempora: gentium Ecclesiarum nasci & venire cognouit. Cuius honor, & gloria omnisque beatitudo: quia in fine mundi reuelabitur? de vltimis finibus precium eius esse dixit; manum suam misit ad fortia, & digiti apprehenderunt fusum. In hoc Ecclesię sapientia manifestatur, tam bene cuncta disponit, manum suam idest eos qui fortiores sunt, & sapientiores ad maiora negocia mittit, talesque rectores, & episcopos constituit? Digiti vero fusum apprehendunt, quia illis minora negocia committit qui imperfectiores sunt, minusque periti. Os suum aperuit sapientiæ & lex clementiæ sub lingua eius. Non vana, & inutilia loquitur, sermo eius sale conditus: & sanat & reficit auditores. Lex autem clementiæ illa est, qua etia inimicos diligere, & cunctis ex corde dimittere iubemur. Nobilis in portis vir eius quamdiu sederit cum senatoribus terræ. Hæc vna laus Ecclesiæ præ cæteris laudib. maior est: quod vir eius tam nobilis est. Hæc tamen nobilitas nondum apparuit, humilis venit, & in forma serui. Nō venit ministrari, sed ministrare, & ponere animam suam redemptionem pro multis, quasi reus iudicatus est, & inter iniquos deputatus est, Tunc ergo nobilis erit: tunc eius nobilitas apparebit, cum sederit cum senatoribus terræ, cū deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ipse enim ait. Viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu. & confitebitur omnis lingua. Senatores terræ Apostoli sūt, quibus a Domino dictum est. Vos qui sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Tunc portæ aperientur: bonis quidem portę vitæ: malis vero porto mortis. Hæc autem illa mulier, illa Christi nobilissima sponsa cui in Canticis canticorum Dominus ait: Veni de libano soror mea sponsa. Veni de libano: veni coronaberis de capite amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Ecce audiuimus vnde ecclesia venerit, vbi nata, & inter quos conuersata fuerit. Isti montes hæc loca arida, & deserta, siue feræ & barbaræ gentes intelliguntur ex quibus in vnam Christi fidem sancta ecclesia collecta est, Leones, & Pardi maligni spiritus sunt, qui in eas habitabant, & domos, & cubilia in eis habebant. Non est ergo curandum quid fuerit, vel vnde venerit, sed qualis nunc sit, & quo venerit. Ordo autem verborum talis est. Veni de libano soror mea sponsa: veni de libano veni: veni de capite amana, de vertice Sanir, & Hermon: veni de cubilib. leonum, & de montibus Pardorum. Deinde vero subdendum, & coronaberis. Nemo coronabitur ait Apostolus, nisi qui legitime certauerit. Ipsum igitur venire certare est: neque enim ei facile fuit patriam parentesque relinquere pristinos mores antiquam conuersationem, & eos quos coluerat deos parentesque deserere. Pugnauit igitur quia venit, vicit, quia teneri non potuit. Coronabitur igitur & illa corona coronabitur, de qua superius dicitur. Et in capite eius corona stellarum duodecim. Possumus tamē per illam quæ de libano venit eos intelligere? qui ex Iudæis crediderunt. Quod autem Hierusalem libanus dicatur, audi prophetam dicentem, aperi libane portas tuas, & deuoret ignis cedros tuas. Quia igitur nobiles arbores viros clarissimos: reges & sacerdotes, & prophetas intelligimus. Hæc est autem illa mulier siue potius illa regina (coronata enim est, quod Reginarum proprium est) de qua Psalmista loquitur dicens. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; quoniam concupiuit rex speciem tuam. Ipse quoque Dominus & saluator noster quod de ea dixerit audiamus. Regina (inquit) austri venit a finibus terrę, audire sapientia Salomonis. Venit autem vt regum libri testantur cum equitatu, & apparatu, multo. Obtulit autem munera Salomoni: aurum verum & aromata qualia prius non allata in Hierusalem instructa tandem de omnib. quæ audire desiderabat: magnisque a Rege ditata muneribus gaudens, & exultans ad propria remeauit. Non est huius temporis exponere omnia quę istis verbis significata videntur? Imitemur hanc reginam: mater enim nostra est semperque sapientiæ operam demus, & sapientiam Salomonis, semper audire desideremus, illius videlicet Salomonis, qui ait, & ecce Plusquam Salomon hic. A finib. terræ venit illa, finiatur, & in nobis terrena omnis concupiscentia. Dicamus cum Psalmista. A finib. terrę ad te clamaui, Aurum autem Deo offerimus, si in mente, & in corpore puri sumus. Sed quid aromata, nisi virtutes intelliguntur? Non est aliud munus quod dignius offeramus Deo, immo nullum nostrum munus sine his suscipit Deus, Nihil Deo offerre possumus, quod ab eo accepimus

mus

mus, nisi quod ab eo accepimus; Quid enim habes (inquit Apostolus) quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Sua reddamus Deo, nostra non suscipit, nostrum enim nihil est nisi persectum, quod qui non habet, diuea est. Diuites igitur essemus si nihil de nostro haberemus. Sunt autem et alię mulieres quę ecclesiam sanctam significant, sicut Sara quę prius Sarai vocata est: quę princeps mea interpretatur. Sed non erat conueniens vt princeps mea vocaretur, quę omnis princeps et mei erat. Dicatur igitur non princeps mea: sed princeps nostra quia in filio quē genuit, benedicuntur omnes gentea. Similis autem et Rebecca quę multa patientia interpretatur, et Lia quę laboriosa dicitur: oculis quidem lippa, sed ventre fecunda. Rachel quoque facie speciosa, & Sephora quæ interpretatur pulchra, ecclesiæ tenent figuram. Hæc pulchra, illa speciosa vocatur. Idem tamen vtrumque nomen significat. Pulchra mater pulchros filios facit. Speciosa mater, speciosos filios parit. Si ergo parentes pulchri sunt, cur filij turpes? Negabunt aliquando isti parentes suos esse filios qui turpes erant, & eius imaginem & similitudinem non habebant. Ad quam imaginem & similitudinem ipse speciosus forma præ filiis hominum, nos reformare & innouare dignetur: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

DE CIVITATE SANCTA IERVSALEM.

CAP. VI.

SVper montem magnum & altum in spiritu exaltatus Beatus Ioannes sicut ipse testatur: vidit ibi ciuitatem sanctam Ierusalem nouo opere, & mirabili artificio ædificari. Muri eius lapide precioso, & ipsę plateæ ciuitatis auro purissimo, & vt vitro clarissimo construebantur: Habebat autem portas duodecim singulas ex singulis compositaa margaritis quarum tres ad orientem, tres ad aquilonem, tres ad meridiem, & tres ad occasum respiciebant. Hæc est illa Ierusalem quæ sicut scriptum est, ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in id ipsum. Illorum enim participatio est in idipsum, quibus est cor vnum & anima vna. Inter quos discordia nulla est, & concordia firmissima est Exaltemur igitur & nos simul cum beato Ioanne in montem magnum & altum: vt in mentis excessu eleuari: non ad litteram, sed spiritualiter hæc intelligamus Hæc ciuitas sancta ecclesia est: isti muri, & isti lapides preciosi, homines sunt: homines vtique nobiles & clari: virtutibus & sapientia prædin: quales Apostoli fuerunt & martyres, & cæteri qui per fidem & sanctam conuersationem Domino placuerunt. Sic loquitur sermo diuinus, & his translationibus vtitur, vt viros clarissimos & laude dignissimos, non homines sed Angelos vocet: nunc stellas cæli, nunc Solem & Lunam, nunc nubes, & tonitrua nunc montes, & colles, & his similia. Sic igitur in hoc loco fieri videmus: vbi sanctam ecclesiā, non ex hominibus, sed ex auro & lapidibus ædificari dicitur. Primi huius ædificij lapides Apostoli sunt, qui in fundamento positi totam ciuitatem ferre dicuntur. Vnde & Apostolus ait. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Merito ergo ipso numero notantur & declarantur, sunt enim duodecim, & cum cæteri quoque lapides preciosi sint; his tamen nulli alij comparantur. Nullus lapis in huius ædificij muris est nisi preciosus. Alij tamen alijs preciosiores sunt. Differt enim stella a stella in claritate; nec omnia membra eadem membra, sufficiat omnibus, quod preciosi sunt. Sed quid per aurum purissimum & vitrum clarissimum quo plateæ stratę erant, nisi sapientiam intelligimus. Sapientiam videlicet illam quæ clamitat in plateis, & inter sanctos dat vocem suam. Beatæ plateæ in quibus fidelium conuentus non fabulis vacat, sed sapientiæ intendit, & bibunt aquam non de fluminibus Ægypti, quæ vertuntur in sanguinem; sed de fontibus Israel salientem in vitam æternā. Notandum autem quod ijdem ipsi Apostoli & fundamenta & portæ dicuntur. Fundamenta quidem quia in toto ædificio & primi sunt & cæteros ferunt. Portæ vero quia nemo nisi per ipsos, idest per eorum fidem atque doctrinam ecclesiæ societati coniungitur, vel cæli palatium ingreditur, ipsis datæ sunt claues regni cælorum, ipsi & portæ & ostiarij sunt. Hæc autem omnia in Apocalypsim Latius exposuimus, nec modo tempus est, vt per singula disserantur. Et quis vnquam nisi Spiritus Sanctus ista dictasset, & ecclesiæ laudes tantis præconijs extollere potuisset. Sed videamus quid etiam psalmista de hac tam nobili ciuitate loquatur. Fundamenta inquit eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Iam superius de fundamentis dictum est. Fundamentum aliud (ait Apostolus) nemo potest ponere, preter id quod positum est, quod est Christus. De quo & Dominus ait. Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo ecclesiam meam. Fundamentum igitur fundamentorum Christus est; siquidem & Apostoli & Prophetę fundamenta sunt. Quę igitur ciuitas super tales fundata est, merito de ea dicitur Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Si solas portas tantum diligit; dic mihi quęso quantum diligit totam ciuitatem? Tabernacula Iacob, isti Iudęi intelliguntur, qui a Domino recedentes vbique gentium dispersi sunt: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Sed quę gloriosa, an forsitan illa quod tota ex auro & margaritis, & lapidibus preciosis ędificari dicitur? hæc vtique gloriosa sunt: alia tamen illa scilicet gloriosiora quę de ea dicta sunt. Sed via audite quę? Memor ero Raab & Babylonis scientium me. Et reuera gloriosa & plusquam gloriosa sunt hęc. Considera modo quid viri iusti de Dei misericordia sperare & pręsumere valeant, si etiam Raab & Babylonis Dominus memor erit. Altera meretrix fuit, altera Dei populum captiuatum sustinuit. Et illa quidem exploratores ne occiderentur, abscondit. Hęc vero populum pręuaricantem aliquanto tempore ex Dei pręcepto in seruitute detinuit. Talium igitur Dominus memor erit quia memor est omnium scientium eum. Neque enim aliter istarum memor esset, nisi quia eum scire, et quamuis post multa flagitia, in eum tamen credere meruerunt. Valde enim notandum est, quod ait, scientium me. Qualiscunque igitur prius fuerit, siue meretrix: siue Sanctorum persecutor, si tandem conuersus fuerit et Dominum cognouerit, saluus erit; vnde et ipse Dominus ait. Hęc est autem vita ęterna, vt cognoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Audiamus nunc et alia gloriosa quę dicuntur de ciuitate Dei. Ecce inquit alienigenę, et tyrus, et populus Æthiopum, hi qui fuerunt in ea. Hoc est enim quod Apostolus ait. Non Iudęorum Deus tantum: immo et gentium. Similiter autem et Apostolus Petrus. In veritate inquit comperi; quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum, et operatur iustitiam acceptus est illi. Quicunque igitur Deum timet, & iustitiam operatur, vndecunque veniat: ab hac pijssima ciuitate suscipitur, & non quasi alienigena: sed quasi ciuis & indigena habetur. Ita Cornelius Centurio susceptus est, qui primus de gentibus, ecclesiæ filius factus est. Hoc & illud vas significabat, quod immundis animalibus plenum erat, quando Apostolo dictum est. Macta & manduca, hoc & illæ simiæ significabant: quæ simul cum pauonibus Salomoni afferebantur. Quid Simia turpius? Quid Pauone pulchrius? In tabernaculo Domini & cilicia erant & pili caprarum. Neque hircum in holocaustū Dominus respuit: cui tauri & agni offerebantur. Aurum & lapides & ligna cæteraque quibus templum Domini constructum est, non ibi nata, sed aliunde allata sunt. Sic igitur & ecclesia ex omnibus gentibus ædificata omnes homines recipit; neminem ad se venientem repellit. Et tyrus & populus Æthiopum: ij qui fuerunt in ea. Gloriosa sunt hæc, quæ & iustis & peccatoribus magnam spem dare possunt, & immensam ferre lætitiam. Vis in Ecclesia suscipi? Tyrios imitare quorum opere & auxilio templum ædificatum est. Imitare & Centurionem, qui synagogam Iudæis ædificauit. Moyses sicut legitur, Æthiopissam duxit vxorem. Pro qua Maria soror eius quia murmurauit lepra a domino percussa extra castra eiecta est. Huius æthiopissæ filij sunt æthiopes isti de quibus

nunc

nunc dicitur. Et populus æthiopum hi fuerunt in ea. Hæc est illa æthiopissa, quæ in Canticis canticorum loquitur dicens. Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem. Hanc autem quia synagoga odio habet, ideo ipsa synagoga lepra percussa est, & vsque ad seculi consummationem, intra ecclesiæ castra non suscipietur. Hæc igitur gloriosa: immo gloriosissima sunt quæ dicuntur de ciuitate Dei, in qua serui fiunt liberi, ignobiles gloriosi. Et ibi non alibi est illa aqua quę Aethiopum possit mutare colorem. Et hæc quidem tantam hominum curam, & diligentiam habet: vt non immerito omnium mater esse dicatur. Vnde, & subditur Mater Sion dicet homo. Ac si dicatur. Hæc est mater, & vere mater quę pietatis sinum omnibus aperit, nulli materna viscera claudit omnes suscipit, omnes ex affectu fouet, et nutrit. Sequitur. Et homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Multa superius gloriosa dicta sunt de ciuitate ista: sed hoc quod modo dicitur omni gloria gloriosius est; nulla gloria huic gloriæ comparari potest: ipse altissimus qui fundauit & fecit eam: ipse homo factus est et natus est in ea. Et vnde hoc prophetas? vis audire vnde: Dominus narrauit in scripturis populorum et principum horum qui fuerunt in ea. Interroga patres tuos et annunciabunt tibi: maiores tuos et dicent tibi. Lege scripturas omnium populorum, Prophetarum scilicet Apostolorum quæ omnium communes sunt quæ ad nostram et omnium doctrinam scriptæ sunt, et docebunt te: lege Moysen, Isaiam, et Hieremiam, et inuenies. lege euangelia quæ non sunt minoris auctoritatis quã illa. Lege Paulum Apostolum Iesu Christi, qui vocatus est Apostolus, et segregatus in euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo; qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Probatum est igitur quod homo factus est, et ipse fundauit eam altissimus. Restat vnum gloriosum ad huc quod dictum est de hac ciuitate, et ipsum audiamus Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te. Nam et hoc valde gloriosum est quod huius ciuitatis habitatores perpetuam lætitiam habebunt, et miseriã nullam sentient. Vbi enim miseria, ibi lætitia locum non habet Hæc autem lætitia spiritualis est: hoc gaudium non rerum temporalium, sed æternæ felicitatis est. De qua Apostolus ait. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Lætamini ergo in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

DE BASILICIS QVAE AB EPISCOPIS dedicantur.

C A P. VII.

Scitis fratres mei, qui ad huius Basilicæ dedicationem conuenistis quod domus hæc ecclesia vocatur: quoniam ecclesiam sanctam significat. Non minus enim domus hæc siue magna siue parua sit, ecclesiam sanctam significat, quam templum illud nobilissimum Salomonis, vel ciuitas sancta Ierusalem, vel tabernaculum testimonii. Ecclesia græcum nomen est: significat autem populi conuocationem, populi vtique Dominum timentis, & Domino seruientis Sicut enim ex multis lapidibus ordine & ratione compositis vna domus efficitur: Ita ex multis hominibus, dilectionis, & fraternitatis amore sociatis: vna ecclesia constituitur. Quemadmodum enim domus ista fundamentum habet, lapides & parietes habet portas & fenestras & similia habet: similiter & sancta ecclesia Apostolo dicente secundum quandam similitudinem, hæc omnia habere dignoscitur. Sed ipse dicat: ipse nos doceat: ipse eius fundamenta & ædificium fundamentis suppositum ostendat. Iam non estis, inquit, hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Habet igitur ecclesia fundamentum, Apostolos videlicet & prophetas, & Iesum Dominum, & Saluatorem nostrum, fundamentorum omnium fundamentum. De quo Apostolus ait. Fundamentorum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Isti autem dicuntur fundamentum, quia super eorum fidem atque doctrinam tota ecclesia fabricata est. Dicuntur & portæ quia per eos cæteri ingrediuntur. Isti sunt illæ portæ, de quibus dicitur. Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Habet & infernus suas portas, de quibus Dominus ait. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et in Psalmis. Qui exaltas me de portis mortis vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Tales igitur portas habet ecclesia, quę per istas, quas hic cernitis, significantur. Habet autem & columnas, quales Petrus, Iacobus, & Ioannes fuerunt, quæ ecclesiæ columnæ ab ipso Apostolo vocantur. Has autem columnas illæ duæ columnæ significabant, quæ ante fores templi stabãt, quarum altera Iachin, altera Boos vocabatur. Has & istę columnę significant, quas hos parietes sustinere videtis. Per lapides autem quibus parietes construuntur, omnis hæc populi multitudo significatur. Et sicut illi nisi vel calce vel ferro colligati fuerint, facile ruunt, & stare non possunt, ita & isti nisi charitatis concordię, & pacis vinculo iungantur et vniantur, totum ędificium ecclesiasticum subito destruitur, et diutius stare non valet, vnde et inter omnes merito illi maledicuntur, et a Deo odio habentur, qui inter fratres discordiam seminant. Sicut enim sola pax et concordia, hos lapides ligat, ita sola discordia eos dissociat. Isti igitur parietes nos doceant: isti lapides nos instruant: qualiter nos diligere, et pacem et concordiam tenere debeamus. Per fenestras vero Episcopos et Doctores, omnesque alios intelligere possumus: quorum doctrina et exemplis, hęc domus Domini illuminatur. Ad hoc enim fenestrę fiunt, et hoc illarum officium, et hęc vtilitas est, vt luminis claritatem prebeant, et tenebrarum caliginem pellant. Talis fenestra fuit Gregorius, talis Hieronymus, et Augustinus, talis Ambrosius, et Hilarius, tales et multi alij fuerunt, doctrinę splendore mundum illuminantes. Si quis autem per singula currere velit, nulla pars in toto ędificio reperitur, quę suam non possit habere figuram. De constructione domus, hęc nos dixisse sufficiat: nunc de eius dedicatione videamus. Vidistis hodie, quid Episcopus egerit: cum ad hanc aulam consecrandam accesserit. Primum ante omnia letanias facit, et ipsum Deum omnipotentem, et matrem Domini Nostri Iesu Christi beatissimam Virginem Mariam, omnesque Angelorum Choros, et Sanctorum omnium exercitus sibi in adiutorium inuitauit; quorum pręsentiam adesse, et quorum benedictionibus hanc fieri dedicationem dubitare non debemus. Deinde vero sale imposito aquam sanctificauit: qua videlicet aqua templum hoc foris baptizaretur, et parietes aspergerentur. Foris autem dixi, quia alia aqua interius præparatur. Sal vero, quia sapientiam signat, ideo digne satis huic aquę miscetur, quę vtique vero nomine aqua sapientię vocatur. Et reuera hęc est aqua sapientię, quę sola sapientes facit, et sine qua nemo sapiens fieri potest. Soli baptizati sunt sapientes, quia ipsi soli a mundi vanitatibus, et a diabolicis astutijs liberi sunt. Tribus autem vicibus ab Episcopo circumeunte parietes asperguntur aqua, quia non est possibile vt tota domus mergatur in aquam. Hęc autem aspersio fasciculo Hysopi fieri videtur, vt adimpleatur illud quod scriptum est. Asperges me hysopo et mundabor, lauabis me et super niuem dealbabor. Hęc herba humilis est, et naturaliter in petra nascitur. Petra autem erat Christus, ait Apostolus. Significauit autem ordinem sacerdotalem quibus Dominus ait. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Qui occidi quidem possunt, ab hac petra diuelli non possunt. Tales igitur digni sunt qui ecclesiam Dei baptizare, et aspergere debeant. Percutit etiam Episcopus ecclesiæ fores virga pastorali, vt illius vicarium se esse ostendat, de quo scriptum est. Et percutiet terram virga oris

suis

sui:& spiritu labiorum suorum interficiet impium. Hac percussione diabolus pellitur, vt in vmbraculis domus domini locum iam vlterius non habeat. Fugit igitur sancti spiritus verbis incantatus quibus dicitur. Tollite portas principes vestras,& eleuamini portę ęternales & introibit rex glorię. Inde vero templum ingreditur,& aliam aquam sanctificat per quam spiritus sanctus significatur,cui non solum sal:sed vinú miscetur,& cinis. Quod autem spiritus sanctus per aquam significetur,audi ipsum Dominum dicentem. Qui credit in me,flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quod mox euangelista exponens ait. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Pulchre autem huic aquæ,per quam spiritus sanctus significatur, & vinum miscetur,& cinis,quia quos spiritus sanctus lauat,& tangit,illi proculdubio,& scientiæ vino inebriantur, & pœnitentiæ puluere asperguntur. Et valde quidem necesse est: vt nouiter baptizati tali vino inebrientur,& tali puluere aspergãtur. Hoc vino Apostoli inebriati linguis omnibus loquebantur. Ad huius vini ebrietatem nos inuitans dominus ait. Comedite amici mei,& bibite.& inebriamini Charissimi. De hoc & Psalmista dicit, Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Puluere vero aspersi sunt:qui se peccatores esse intelligunt. Hoc in suis afflictionib. frequenter antiquos patres fecisse legimus. Tali puluere aspersus Abraham dicebat. Loquar ad dominum meum cum sim puluis & cinis. Tali & Niniuitæ aspersi veniam accipere meruerunt. Vnde & in ecclesiis consuetudo inoleuit, vt in initio quadragesimæ capita puluere aspergantur. Et vide quã ordinate,& rationabiliter omnia fiant. Exterius aqua, interius spiritu domus Dei lauatur,& baptizatur, vt adimpleatur quod Dominus ait. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,quoniam vero totum alphabetum,bis in pauimento scribitur:quid aliud significat nisi quod is qui baptizatus est vtriusq. testamenti scientiam memoriæ commendare debet. Paucæ quidem literæ sunt: omnis tamen scientiæ plenitudo in eis continentur. Scribantur igitur hæ literæ in pauimento pectoris nostri per quas Dei voluntatem cognoscere, & facere valeamus. Duodecim vero cerei, duodecim Apostoli sunt: quorum scientia,fide,& doctrina tota ecclesia illuminatur. Nunc vero ad altare accedamus:& quid ibi episcopus faciat videamus. Hoc est altare in ecclesia:quod est cor nostrum in corpore nostro. Nam,& nos templum Dei sumus, dicente Apostolo: tẽplum Dei sanctum est, quod estis vos. Si vero templum Dei sumus,& altare vtique in nobis habere debemus. Altare ergo tuum o Christiane, cor tuum est. Hoc ita quod vngatur,hoc sanctificetur,hic sanctorum reliquiæ recondantur: hic odor fiat suauitatis,hic offeratur sacrificium laudis. Oleũ misericordia est:quo qui vnctus non fuerit,totus siccus,& infirmus est. In hoc igitur oleo semper natent corda nostra, vt nunquam misericordiæ [illegible]iuiscamur. Accedat ita quod Pontifex noster ad altare cordis nostri: pontifex ille magnus Iesus: de quo scriptum est. Tu es sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedech. Accedat inquam,& oleum superfũdat & dicat. Estote misericordes,sicut & pater vester misericors est. Hoc oleo ipse quoque abundabat,cum pro suis crucifixoribus oraret dicens. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hoc igitur oleo non cordis altare tantũ,sed omnia membra nostra vncta debent esse. Manus arida non aperitur inopi,& quia vncta non est misericordiam facere nescit. Multa de hac vnctione: multa de misericordiæ oleo dici possunt: siquidem misericordia Domini plena est terra. Sed quæ sunt Sanctorum reliquiæ,quæ in his altaribus reponuntur:Ego quidem sanctorum reliquias eorum doctrina, & verba intelligo. Possumus igitur non solum sanctorum verum etiam ipsius Saluatoris nostri reliquias habere in altari cordis nostri: vnde quoque ipse ait. Qui habet mandata mea:& seruat ea ipse est qui diligit me. Has reliquias in cordis sui altari ille posuerat qui dicebat, In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi. Beata illa altaria in quibus tales reliquiæ positæ sunt. Beata illa corda quæ tales reliquias suscipere meruerunt. Magnę sunt istæ reliquiæ, & multæ nimis:& mirum valde quod in tantillo vasculo includi possunt. Sed iam nunc commendemus Deo hæc altaria nostra: ipse possideat, & custodiat corda nostra, & dignetur habitare in templo pectoris nostri: Qui viuit & regnat &c.

DE EVANGELIIS.

CAP. V.

NOn est arbor bona, quæ fructus malos facit: neque arbor mala faciens fructum bonum. Docet nos Dominus,& saluator noster: quo modo bonas arbores cognoscere debemus. Bonæ arbores,boni homines sunt;& malæ arbores mali homines sunt. Ex fructu suo cognoscuntur arbores: ex operibus suis cognoscuntur homines. Bonæ arbores paradisi quę & visu pulchræ erant & ad vescendum suaues. Tales arbores gignit ecclesia:quarum pulchritudinem, & religionem nos legere & audire delectat:quarum verbis,& doctrina mentes nostræ nutriuntur, & reficiuntur. Talis arbor Beatus Paulus,qui,& visu tam pulcher est: vt nihil sibi conscius sit:& tam ad vescendum suauis, vt & paruos lacte, & cibo solido nutriat sapientes. Tales arbores,& cæteri Apostoli sunt: quorum fructus ab ipso Domino comendatur, dũ eis loquitur dicens. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos:& posui vos vt eatis,& fructum afferatis, & fructus vester maneat. Isti sunt illi fructus: hæc sunt illa poma: de quibus ad sponsum ecclesia dicit. Omnia poma noua,& vetera dilecte mi seruaui tibi. Vetera poma Prophetarum, & patriarcharum doctrina est: noua vero Apostolorum ecclesięque doctorum:& isti quidem sunt de quibus dicitur. Qui proferunt de thesauris suis noua & vetera. Tales autem arbores a fructibus suis cognoscere non est difficile: quia omnis earum doctrina, & operatio sancta est, vera est, religiosa est,sine fraude,& simulatione est. Bonæ arbores & hypocritæ aliquando esse videntur: sed quia sola terrena & transitoria quærunt,& quia sanctorum humilitatem, & patientiam non habent facile quidem deprehenduntur,& ipsa sua astutia manifestantur. Præceperat Dominus filiis Israel vt promissionis terram ingressi illius regionis arbores circumciderent,& vsque in quartum annum ab earũ esu se abstinerẽt. Nisi enim per arbores homines significarentur,ridiculum videretur quod arbores illæ circumcidi iubentur. Sed alienę arbores infideles homines sunt, quos ad nos venientes circũcidere debemus, id est a suis iniquitatibus per baptismum, & pœnitentiam emundare. Quid vero per quatuor annos nisi quatuor euangelia figurantur,per quæ quicumque nondum transijt et eorum doctrinam nondum audiuit, adhuc immundus est:adhuc eius fructus suscipiendus non est: nondum eius verbis,& doctrinæ credendum est. Quid vero de malis arboribus præcursor Domini Ioannes dixerit audiamus. Iam inquit securis ad radices arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonũ excidetur,et in ignem mittetur. Talis erat illa ficulnea,cui Dominus maledixit et aruit. Tales erant,et illi palmites,de quibus ipse ait, Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Et quid inde? vis audire quid? Si quis autem in me non manserit mittetur foras sicut palmes,et arescet,et colliget eum,et in ignem mittent; et ardet. Multi quotidie a Domino maledicuntur, et de eius corpore,quod est ecclesia tolluntur, foras proijciuntur,et in ignem mittuntur. Arborem fici plantauerat quidam in vinea sua, cumq. iam per tres annos in ea fructum quæsisset,et non inuenisset, præcepit cultori vineæ,vt eam succideret. Quæ tunc quidem fortasse succisa fuisset, nisi cultor vineæ pro ea intercessisset. Considerate ergo,et diligenter attendite,quantũ cultorib. vestris Episcopis videlicet et sacerdotib. debeatis; qui pro vobis quotidie intercedunt ne forte succidamini,et in ignem mittamini. Per tres annos expectauit, modicum vel nihil vlterius te expectat. Expectauit

ctauit te in adolescentia, expectauit in iuuentute, expectauit in senectute. Denique expectauit te mala cogitantem: mala operantem & iam longo tempore in malo perseuerantem. Quid amplius quæris? Finiti sunt anni, nouissima hora est, tamen si hodie conuertatis, quamuis indigno, venia promittitur tibi. Peccator enim in quacunque die conuersus fuerit & gemuerit, vita viuet & non morietur. Iustus quoque quacunque die a iustitia declinauerit, & se ad iniquitatem conuerterit, in iniquitate sua, quâ operatus fuerit, morietur. A fructibus eorum cognoscetis eos. Ad fructus respiciamus, opera intueamur, non qualis fuit, sed qualis est, inquiramus. Hodie bonum fructum reddere cœpit, arbor bona est. Hodie malum fructum reddere cœpit, arbor mala est. Si ea quę hodie bona est, cras malum fructum reddere cœperit dicam, & ego cras, quod mala arbor est. Quare hoc? Quia veritas ait, A fructibus eorum cognoscetis eos. Magnum igitur & verum argumentum est in arboribus cognoscendis, fructus bonus & fructus malus. Tamdiu bona est arbor, quamdiu fructus bonus in ea est. Non enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuas. Quod si aliquando contigisset, & ego spinam ficum dicerem, & rubum vitem vocarem. Quare hoc? Quia vnaquęque arbor de fructu suo cognoscitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. Quæ in corde sunt, videre non potes, cordis arcana clausa tibi sunt. Ad os respice, verba attende & quod in corde est, ore reuelabitur, ex abundantia cordis os loquitur, ex bono fonte bonæ aquæ deriuantur, ex venenoso fonte venenosæ aquæ emanant. Neque fieri poterit, vt suam arborem fructus quandoque non manifestet. Nihil opertum quod nó reueletur & occultum quod non sciatur. Quare vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico? Si bonæ arbores essetis: ea quæ dico, faceretis, mandata mea custodiretis, & non folia mihi, sed fructus redderetis. Verba folia sunt: fructus opera sunt. Melius est facere, quam dicere. Dominum me vocatis, seruos vos esse cognoscite. Boni serui illi sunt, qui Domini sui mandata custodiunt. Quicunque audit verba mea, & facit ea: dicam vobis, cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum: qui fodit in altum & posuit fundamentũ super petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non cecidit. Fundata enim erat super firmam petram. Ecce quantum potest obseruatio mandatorum Dei. Magnam turrem sibi ædificat, & munitissimam arcem sibi construit, qui Christi mandata custodit. Securus est, nullius tempestatis timet incursus, & quia firmum posuit fundamentum, nec flumina timet, nec pluuiam, nec ventum. Si vis vt ędificium tuum altius ascendat, & sublimius erigatur: fundamentum tibi in profundo quærendum est. Multum se humiliet, qui multum exaltari desiderat. In centum & viginti cubitorum altitudinem, templum Domini eleuatum est, quoniam firmum & altum habuit fundamentum. Ad hanc igitur mensuram nos extendamus: bonum fundamentum habemus, fundamentum nostrum Iesus Christus est. Fundamentum enim aliud ait Apostolus, nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Non putemus casu esse fictũ, quod templum Domini hanc altitudinis mensuram habuit. Aliqua & ipsa pulchra in hoc numero significatio est. Decies namque xii. vel duodecies. x. centum xx. fiunt. Quicunque igitur per x. ad xii. vel per xii. ad x. se extendere valet: satis altus & magnus est, altius ascendere non quærat. Hæc illi mensura sufficiat. Decem sunt verba legis: duodecim vero Apostoli sunt. Per decem igitur ad duodecim ascendit, qui per obseruantiam decem mandatorum peruenire meruit ad vitam & societatem Apostolorum. Similiter autem qui per xii. Apostolorum doctrinam Decem legis mandata custodire didicit. Per xii. vtique ad decem peruenit. Ad hanc igitur mensuram extendere, & in huius mensuræ altitudinem nos erigere ipse digenetur: qui templum suum nos esse voluit, Iesus Christus Dominus noster: qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE SERMO.


INgressus Iesus perambulabat Hierichu. Et ecce vir nomine Zacchæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse diues. Et reliqua. Homilia de eadem lectione.

EX quo tempore primus homo descendit ab Ierusalem in Hiericho, & incidit in latrones: omnes per Hiericho ambulamus, quicunque hunc mundum inhabitamus. Hiericho namque interpretatur luna, cuius tanta mutabilitas est, vt nunquam in eodem statu permaneat. Vnde & non immerito hunc mundum significat, cuius mutabilitas perpetua est, & nisi mutationibus stare non potest: vt enim de cœlo & tempore, de diebus & mensibus & anno taceamus, quæ semper voluuntur & in se replicantur, neque aer, neque terra, neque mare, neque ipsi homines suam perpetuo seruant figurã. Quorum omnium mutationem quis vnquam valeat enarrare? Merito ergo mundum istum luna significat qui ad illius similitudinem tantis semper mutationibus variatur. Hanc autem mutabilitatem Dominus & Saluator noster secundum humanitatem suscipere dignatus est, vt hominem a latronibus vulneratum sanaret, & mundum a morte perpetua liberaret: vnde & merito per Hiericho ambulasse dicitur, quia cum sit immutabilis secundum diuinitatem, nostras mutationes in carne sua suscepit. Esuriuit enim atque sitiuit, & super puteum fatigatus sedit. Et ecce vir nomine Zacchæus qui digne satis iustificandus interpretatur: quoniam a Deo vocatus & iustificatus est. Hic autem erat non solum publicanus: verum etiam publicanorum princeps. Erat insuper & diues: quem difficile est intrare in regnum cœlorum. Difficile vtique & apud homines impossibile, sed quæ apud homines sunt impossibilia, possibilia sunt apud *Deum*. Et quamuis talis esset, quærebat tamen videre Iesum. Quærebat quidem, sed videre non poterat: Sed quare non poterat? prę turba, & quia statura pusillus erat. Hæc enim duo valde impediunt hominem, ne videre valeat Iesum. Mala turba quæ a tanto talique bono hominem deturbat. Turba ista vitiorum est: quia qui circundatus fuerit, Christum videre non poterit? Statura vero pusillus est, qui ad scientiæ ętatem & perfectionem nondum peruenit. Vnde Apostolus nos admonet dicens. Nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote. Et iterum. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed necdum quidem potestis. Adhuc enim carnales estis. Qui videre vult Iesum exeat de turba: fugiat vitia & peccata, vitet malorum consortia, erigat se & extendat: crescat in fide & scientia, & proficiat in omni bonitate. Hoc enim significauit *Zacchæus*, quando præcurrens ascendit in arborem Sicomorum. In arborem quidem ascendit, quatenus inde videret, quem per se videre non poterat. Hæc arbor fides est, ad quam multi venientes, quamuis statura paruuli fuissent, & nondum in scientia multum creuissent: inde tamen videre Iesum & cognoscere meruerunt. Vndę & hic dicitur quod erat illac transiturus. Hęc est enim via, & iuxta hanc fidei arborem transit Iesus. Inde videtur & videt: inde cognoscitur & cognoscit. Eos enim Dominus respicere & ad se vocare dignatur: qui in hanc arborem ascendunt; cuius fructus sanguineus est, per quem martyres significantur, qui fidei arbori adhærentes, propter fidei constantiam proprio sanguine cruentati sunt. Tales itaque fructus fert Sicomorus; talia poma fert arbor fidei, quæ tam firmiter ei inhærent, vt potius occidi, & proprio sanguine cruentari quam a sua arbore, idest a Christi fide valeant separari. Inde igitur Dominus transiens, suspiciens vidit Zacchæum & dixit ad eum; Zacchæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Hodie inquit me quærere cœpisti, ad fidem venisti, in arborem ascendisti: hodie in domo tua oportet me manere. Verum est igitur quod per prophetam dicitur, quia peccator quacunque hora conuersus fuerit & ingemuerit vita viuet & non morietur. Quod

enim

enim tunc in Zacchæo factum eſt, quotidie in alijs peccatoribus fieri non dubium eſt: ſi tamen ex corde conuertantur, Chriſtum quærant & fidem teneant. Sequitur. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Iam enim igne fidei internus ardebat, qui ſic externus obedientiam & obſequium exhibebat. Multum iam fide creuerat, & ſi ſtatura puſillus erat. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes quod ad hominem peccatorem diuertiſſet. Omnes enim ſciebat Zacchæum eſſe peccatorem vtpote publicanorum principem. Sed iſte peccator melior erat, quam illi qui murmurabant & ſe iuſtos eſſe dicebant, hoc autem ſequentia manifeſtauit, dū dicitur. Stans autem Zacchæus dixit ad Ieſum. Ecce dimidiū bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudauerim, reddo quadruplum. Hac enim vna voce omnes illico a murmuratione ceſſauerunt, tam ſubitam publicani pœnitentiam & conuerſionem admirantes. Et fortaſſe nemo ibi erat, qui hanc tantam profeſſionem etiam coactus facere voluiſſet. Diues enim erat valde quem ipſe Euangeliſta diuitem fuiſſe teſtatur. Et tamen omnium bonorum ſuorum medietatem ſe pauperibus dare promittit, & in quadruplum reddere ſi quid aliquem defraudauit. Vide ergo a quanta perfectione cœpit, qui tunc primum Chriſtum Dominum viderat & prædicantem audierat. Verum eſt vtique quod homines vident in facie, Deus autem corda intuetur. Qualem Dominus hunc & quam iuſtum poſt modicum futurum videbat, quem tam peccatorem homines iudicabant? Ait Ieſus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt & omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, ſanata eſt, et tota interius & exterius ſanctificata eſt, eo quod ipſe qui huius domus habitator eſt iam non publicanus ſit: ſed filius Abrahæ. Abrahæ namque filij ſunt, quicunque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt, & Abraham quidem Angelos. Zacchæus vero Angelorum Dominum hoſpitio ſuſcepit. Venit enim filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Non venit vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Ideo venit, ideo de cælo deſcendit, vt peccatores ſaluaret, & liberaret, & ad pœnitentiam vocaret. De talibus dom[...] Dei ædificata eſt. De talibus ſancta Eccleſia fabricata eſt. H[...] autem & filijs Iſrael præcipitur vt ædificent altare Domino de lapidibus impolitis & quos ferrum non tetigit. Impoliti lapides peccatores ſunt qui nondum ferramento Sp[...] Sancti ad pulchritudinis normam formati ſunt. Altare Dei Eccleſia eſt quæ ex talibus lapidibus quotidie fabricatur. Ex peregrinis lignis & lapidibus aliunde aduec[t]is templu[m] conſtructum eſt. Inde eſt quod Beatus Petrus animali[a] [im]munda manducare iubetur. Inde eſt quod non ſol[a] [mun]da: ſed immunda quoque animalia in arca ſeruantur. Inde eſt quod Moyſes æthiopiſſam duxit vxorem. Inde eſt [qu]od Salomoni cum pauonibus & ſimiæ afferuntur. Denique quod faciunt cilicia in tabernaculo. Quare in deſerto inter Cedros & abietes ſpinæ quoque & vlmi plantatæ ſunt. Si hęc & ſimilia intelligere vultis, diſcite quid ſit miſericordiam volo, et non ſacrificium. Si peccatores Deus non vocaſſet, Paulu[m] [&] Matthæum, duo magna luminaria, eccleſia non habuiſſet. Lege in Canticis canticorum & audi vnde ſponſam ſuam Dominus & ex qua gente ad ſe venire præcepit. Veni inquit ſoror mea ſponſa: veni de libano veni, veni de capite amanæ: de vertice ſanir & hermon. Veni de cubilibus leonum, & de montibus pardorum, ne erubeſcas. Obliuiſcere populum tuum tantummodo, et domum patris tui, et coronaberis. Hic miſericordiæ plenitudinem Pſalmiſta quoque admirans dicebat. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei et quæ glorioſa? Memor ero Raab et Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ et tyrus et populus Aethiopum: hi fuerunt in ea. Hæc eſt igitur cauſa, hæc ratio vobis ſufficit: vobis dico qui indignamini quod ad hominem peccatorem Dominus diuertiſſet, et quod cum peccatoribus manducat et bibit magiſter Dominus et Deus noſter. Qui cum Patre et Spiritu Sancto viuit et regnat in ſecula ſeculorum. Amen.





S. BRVNONIS ASTENSIS SENTENTIARVM LIBER SECVNDVS.

DE ORNAMENTIS ECCLESIAE.

DE FIDE.

CAP. I.



RIMVM Ecclesiæ ornamentum fides est quæ in toto virtutum exercitu prima est. Omnes aliæ virtutes eam sequuntur, & sine ipsa cælestis regni palatium non ingrediuntur. Si veniat humilitas, si patientia, si castitas, si ipsa charitas, quæ ab Apostolo maior dicitur, nisi fides adsit, omnes repelluntur & ingredi non permittuntur. Quanti gentiles & Philosophi his virtutibus claruerunt qui fidei ornamentum non habentes, Domino non placuerunt? Impossibile est (ait Apostolus) sine fide placere Deo. Nam vt de cæteris virtutibus taceamus, multi tanta charitate præditi fuisse leguntur, vt pro patria, pro ciuibus, & pro amicis, morti se tradere non dubitarent, et maiorem quidem charitatem seu dilectionem (dicit Dominus) nemo habet quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Omnes autem isti quamuis multis virtutibus claruissent, perierunt tamen: quoniam fidem non habuerunt. Merito igitur sancta ecclesia neminem ad se venientem recipit, nisi prius fidei ornamento indutus fuerit. Ecce venit ad ecclesiam, baptizari vult: rogat vt suscipiatur, interrogatur an credat, an fidem Apostolicam teneat: Si se credere, si fidem Apostolicam se tenere responderit, suscipitur, baptizatur, & filijs ecclesiæ sociatur. Si vero aliter dixerit, nequaquam suscipitur, sed quasi profanus abijcitur. Quibus autem ecclesiæ portæ clauduntur, illis cæli nunquam aperiuntur. Sic enim Beato Petro Dominus ait: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Magna est igitur virtus fidei, de qua ipse Dominus ait: Omnia possibilia sunt credenti. Suæ virtutis potentiam, non sibi, sed fide ascribit, & quod ipse facit, hoc fidem facere affirmat. Multos viros & mulieres eum sanasse, & a grauibus languoribus liberasse legimus, quibus hoc tantum dicere solebat: Fides tua te saluum fecit, vade in pace. Venit aliquando (dicit euangelium) in patriam suam, & cum homines illi de eius omnipotentia dubitarent, & fidem non haberent, non multas (vt verbis euangelicis loquar) virtutes ibi facere potuit, nisi quia infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur de infidelitate illorum. Ergo ne tantum potest fides, vt ille qui omnia potest a potentia suæ virtutis illius absentia impediatur? Similiter autem cum aliquando iret Ierusalem, accessit ad arborem fici quæ iuxta viam plantata fuerat, & quia fructum in ea non inuenit, maledixit eam, & aruit. Cumque altera die discipuli illac transirent, & ficulneam arefactam viderent, dixerunt ei: Magister ecce ficulnea cui maledixisti, aruit: Quibus ipse ait: Si habueritis fidem, non solum de ficulnea facietis, sed montes quoque transferre poteritis. Multas ficulneas infructuosas quotidie Dominus maledicit, multos homines iniquos quotidie damnat, & arescunt. Montes autem transtulit, quando malignos spiritus in porcos misit, & in abyssum ire præcepit. Hoc autem & sanctorum fidem multoties fecisse, innumeris sanctarum scripturarum docemur testimonijs. Merito ergo discipuli eum pro fide rogabant dicentes. Domine adauge nobis fidem, quoniam & per fidem se omnia posse & sine fide nihil posse sciebant. Nam & Beatus Petrus cum fidei virtute super aquas ad Dominum venire cœpisset, mox vt dubitauit, & fides qua portabatur ab eo recessit, inter vndas mersus est: Quem Dominus manu apprehendens erexit, & sui mersionis causas protinus eum docuit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Ac si diceret: Si tu non dubitasses, & fides a te non recessisset, securus super aquas currere potuisses. Ecce si Domino præsente, fide autem absente Petrus mergitur, quis vnquam sine fide cunctis etiam virtutibus circumstantibus securus esse poterit? Si sine fide impossibile est placere Deo, quæ alia virtus esse poterit quæ hominem perducat ad Dominum? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, Sancti per fidem vicerunt regna. Hæc est autem victoria quæ vicit mundum fides nostra. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Si quis indiget sapientia postulet a Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat & dabitur ei: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Quod enim ex fide non est, peccatum est. Iustus autem ex fide viuit. Sed quid est fides, docet Apostolus. Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Hoc autem tale est ac si diceret. Fides est virtus quædam, per quam ea quæ dicuntur nobis & si nondum appareant, certissime tamen credimus, & fieri non dubitamus. Quæ sit autem mensura fidei, ipsum Dominum audiamus: Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, tolle te & mitte te in mare, & fiet. Parua valde videtur esse fides, si ad grani sinapis redigatur quantitatem. Et quid est quod mulieri Chananeæ dicitur: O mulier magna est fides tua, si tantulo grano fides comparatur? Aliquid ergo his verbis significatur plusquam

litera sonare videtur. Tria sunt in grano sinapis, quæ vtique digna esse videntur, quæ notare debeamus. Cum enim granum sinapis, sicut Dominus ait, minimum sit in cunctis seminibus, crescit tamen & arborem facit: ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Fructum autem non dicam trigesimum sexagesimum siue centesimum: sed vltra millesimum plerunque reddere solet. Granum vero ipsum si non lædatur vel conteratur, nullam videtur habere vim. Si vero contritum fuerit, illico eius virtus & potentia quanta sit manifestatur. Qui igitur talem fidem habuerit quæ ita semper crescat, ita bonorum operum fructum semper multiplicet, & in tempore persecutionis & contritionis, suæ virtutis potentiam & fortitudinem manifestet: ille procul dubio dignus est qui & montes transferat & malignos spiritus eiciat, & cui omnia possibilia fiant. Nihil igitur est cui elegantius quam grano sinapis fides comparari potuisset. Sed videamus nunc etiam in sanctorum exemplis, quantum semper fides potuerit. Abraham cum esset senex & vxor eius secundum naturam parere non posset, tamen quia credidit, filium contra ipsam naturam suscipere meruit. Quod vtique non potuisset nisi fides affuisset. Similiter & Moyses decem plagis admirandis, multumque stupendis flagellauit Ægyptios, mare aperuit, aquam de petra produxit, multaque alia soli Deo possibilia operatus est. Quæ vtique non fecisset nisi fides affuisset. Sic & Iosue Iordanis alueum siccauit, muros Hierico tubarum sonitu a fundamentis diruit: solem ipsum stare coegit. Quod vtique non potuisset, nisi fides affuisset. Quid dicam de Gedeon qui & ipse tubarum clangore & lampadarum splendore Madianitas strauit, fugauit, superauit? Quod vtique non potuisset, nisi fides affuisset. Sed parua sunt hæc, si ad ea respicias quæ per Apostolos, & martyres, & confessores, & virgines fides Christiana operata est. Lege euangelia, lege Actus Apostolorum, lege passiones & vitas sanctorum, & tunc videbis quid fides possit. Sed quid mirum cum ipse Dominus hoc eis promiserit, dicens: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. O miseri & per omnia infelices, qui fidem Catholicam & Apostolicam non habent, auferetur ab eis. Fidem itaque teneamus & Christum dicentem audiamus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, non morietur in æternum. Quod &c.

DE SPE.

CAP. II

MAgnum ornamentum Ecclesiæ Dei spes est, quam qui non habet omni bonitate nudus est, omnique creatura infelicior. Hanc maligni spiritus non habent, & ideo summopere nituntur, vt quoscunque decipere possunt, ad desperationem vsque perducant. Cui autem malo suo hoc contigit: Ille non ex parte: sed totus a diabolo possidetur. Hoc peccatum omnibus aliis peccatis maius est, hoc est illud peccatum, quod non dimittitur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro: vnde ipse Dominus ait: Omne peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non dimittetur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Nullum enim peccatum est, quod pœnitentia non dimittatur, & sine pœnitentia nullum peccatum dimittetur. Vnde & Psalmista, cum dixisset: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, sciens hoc se sine pœnitentia consequi non posse, protinus addidit: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Ille enim cognoscit iniquitatem suam qui pœnitet & erubescit de peccato suo. Si igitur sine pœnitentia peccata non dimittuntur, manifestum est, quod peccatum desperationis nunquam dimittatur, siquidem omnem pœnitentiam excludit & miserum hominem a sua iniquitate recedere non permittit. Satis ergo conuenienter Dominus & Saluator noster cum certissima argumentatione non in Beelzebub, sed in spiritu sancto cuncta se facere & dicere probasset, mox addidit dicens: Omne peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non dimittetur. Quod tale fuit ac si diceret: Miseri Pharisæi (illis enim loquebatur) progenies viperarum, arbores malæ, fructum malum afferentes, sic vos diabolus excæcauit, & in malitia obdurauit, vt neque spiritui Sancto aliquando credatis, neque a malitia recedatis, & hoc quidem peccatum nunquam remittetur vobis. Sed quia hoc peccatum desperationis solummodo contra Spiritum Sanctum fieri dicitur, cum sit manifestum, & in patrem peccare & in filium, quicunque peccat in Spiritum Sanctum. Vnum enim sunt, & pater & filius & Spiritus Sanctus. Ac per hoc quicunque vnam personam offendit & omnes vtique offendit. Difficilis est ista quæstio, sed Spiritus Sanctus de quo loquimur, ipse nos doceat qualiter hoc intelligere debeamus. Illud quidem iam vt arbitror manifestum est quod præter peccatum desperationis, nullum aliud peccatum est quod pœnitentia deleri non possit. Hoc autem ideo pœnitentia non deletur quia pœnitentiam non admittit. Si enim pœnitentiam recepisset hoc quoque sicut cætera per pœnitentiam deleri potuisset. Sciendum est autem quoniam sicut ad solum filium pertinuit carnem recipere vt nos redimeret, ita ad solum Spiritum Sanctum pertinuit in linguis igneis apparere, vt nos doceret & illuminaret. Vnde non solum igne, sed in linguis pariter & igne apparuisse dicitur, vt in lingua doctrina, & in igne illuminatio intelligatur, quandoquidem & per linguam doctrina, & per ignem illuminatio fit. Quod autem Spiritus Sanctus a patre filioque procedens docere mundum et illuminare venerit, Ipse Dominus ad discipulos loquens ostendit: Cum venerit, inquit, ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Hoc enim si voluisset, per se ipsum Dominus facere potuisset. Sed sic placuit summæ et indiuiduæ Trinitati vt nos filius redimeret, et Spiritus Sanctus nos doceret. Peccat igitur in Spiritum Sanctum quicunque eius doctrinam non recipit, et talis tantique magistri consiliis non obedit. Eius autem consilia sunt quæcunque in lege et prophetis, et in euangeliis scripta sunt. Quæcunque Apostoli et Doctores prædicant, cæterique omnes qui puro corde et sincera intelligentia veritatem annunciant, non hominis, sed Spiritus Sancti consilia sunt. Vnde et ipse Dominus: Non enim, inquit, vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Hodie igitur si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Audite Apostolum, immo per Apostolum loquentem Spiritum Sanctum. Secundum, inquit, duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, et reuelationis iusti iudicii Dei. Cum ergo vt modo ostensum est, omne peccatum omnisque inobedientia specialiter, maximeque contra Spiritum Sanctum fieri videantur, siquidem ipse qui magister est per omnes Ecclesiæ Doctores hoc quotidie fieri interdicit. Illi tamen soli in malo perseuerantes, et de Dei misericordia desperantes, nunquam ad pœnitentiam conuertuntur. Et hoc quidem propter sceleris huius immensitatem, cui cætera peccata si comparantur, quodammodo nec peccata quidem esse videntur. Multum enim interest inter eos qui peccant, et mox vel aliquando conuertuntur, et eos qui sic peccant, vt nunquam conuertantur. Multo melior est ille seruus qui post fugam reuertitur, illo, qui post fugam nunquam reuertitur. Ille quidem venia, hic autem omni supplicio dignus est. Quantam spem, quantamque lætitiam pariunt hæc verba: Ecce omne peccatum et omnis blasphemia dimittetur hominibus, Dominus hoc dicit, noli dubitare, vnum tantum peccatum est, quod non dimittitur. Quod est illud? In malitia perseuerare, et propter hoc de Dei misericordia desperare. Neque enim bonum aliquod sperare potest qui a peccato non recedit, et pœnitentiam non quærit, præsertim cum Dominus dicat: Nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum: Peccasti, desine, Declina a malo, et fac bonum, & esto securus. Quid sit autem spes amodo videamus. Est autem spes futurorum bonorum expectatio. Et hanc quidem expectationem illi habent, qui certi sine se aliquando recipere sperant, quæcunque a Deo promissa sunt eis. Huic autem expectationi sola peccata impedimentum faciunt. Tolle peccata, et spes certissima est. Tolle autem

si ad pœnitentiam redis. Peccator enim quacunque hora conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet & non morietur. Ecce conuersi sumus, sublatum est impedimentum, expedita est via, iam nunc securi cum Psalmista dicamus: Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te: In te Domine speraui non confundar in æternum. Domine Deus meus in te speraui saluum me fac. Conserua me Domine quoniam in te speraui. Audiamus eundem ipsum dicentem: Spera in Domino & fac bonitatem. Et sperate in eo omnis congregatio populi. Melius est enim sperare in Domino, quam sperare in principibus. Maledictus homo qui spem suam ponit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius. Spe autem ait Apostolus, salui facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam expectamus: Ipse quoque Dominus & Saluator noster per Psalmistam ad patrem loquitur dicens: In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt & salui facti sunt: In te sperauerunt, & non sunt confusi. Speremus igitur & nos: ne confundamur. Imitemur patres nostros, vt & nos saluemur, & a periculis liberemur. Sperauit in Domino Noe, & securus in diluuio fuit. Sperauit in Domino Abraham, & liberauit eum Dominus de Vr Chaldæorum. Ferunt Hebræi Abraham quia ignem adorare noluit, quem Chaldæi adorabant, in ignem ab eis fuisse præcipitatum, & sine omni læsione a Domino liberatum. Vr enim ignis interpretatur. Sperauerunt in Domino filii Israel & liberauit eos de Ægyptiorum durissima seruitute. Sperauit in Domino Dauid, & eripuit eum, vt ipse testatur, de manu inimicorum eius, & de manu Saulis. Sperauit in Domino Ezechias, & liberatus est de manibus regis Assyriorum, & percussit Angelus Domini vna nocte centum octoginta quinque millia de castris Sennacherib. Quid dicam de Iob? atque Tobia? Quid dicam de Iudith: Mardocheo & Hester? Quid de tribus pueris? Quid de Daniele, & Macchabæis dicam? Qui omnes sperantes in Domino: a summis periculis diuinitus liberati sunt. De Apostolis vero & martyribus, de confessoribus & virginibus, melius est tacere quam pauca dicere: qui totam spem suam in Domino habentes, potestatem a Domino suscipere meruerunt calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil eis nocere potuit. Quorum spes quanta fuerit si scire volueris: eorum vitas & passiones lege, & videbis quam mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dedit virtutem & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.

DE CHARITATE.

CAP. III.

QVanta sit virtus charitatis, quantumque omnibus hominibus necessaria, Beatus Paulus Apostolus ostendit, dicens: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest. His verbis Beatus Paulus apertissime ostendit, quod quamcunque eloquentiam, vel facundiam, quamcunque sapientiam vel scientiam, quamcunque fidei vel virtutum omnium plenitudinem habeat homo, si solam charitatem non habet nihil est: nihil ei prodest, & pro nihilo reputatur. Sed mirum valde si ad hanc tantam quæ putatur perfectionem sine charitate peruenire aliquis valeat. Impossibile enim videtur esse & si fortasse impossibile non sit per fidem montes transferre, omnia sua pauperibus erogare, corpus incendiis tradere, prophetiæ spiritum habere, & occulta Dei mysteria sine charitate intelligere. De linguis vero hominum, et angelorum quid dicimus? Fuit hæc gratia aliquando valde necessaria, præsertim in primitiua ecclesia quando omnibus gentibus uerbum Dei prædicare missi sunt. Quomodo enim eos docere potuissent si eorum linguam ignorassent? Loquebantur igitur variis linguis Apostoli magnalia. Vnde et Apostolus dicit, Gratias ago Deo meo, quia omnium hominum linguis loquor. Modo autem uel pauci, uel nulli inueniuntur, qui linguarum omnium peritiam habeant: Sufficit unicuique lingua sua, quia sufficit unumquemq. prædicare modo in patria sua. Quomodo autem Angelorum linguis aliquis loquatur, uel etiam quibus linguis Angeli loquantur dubitari potest. Legimus multos cum Angelis fuisse loquutos, nos eos loquentes non audiuimus, quomodo loquantur ignoramus. Ipsi qui cum eis loquuti sunt, quam facunde, quam suauiter, quam iocunde, quam expedite, et quam ornate loquantur intelligunt. Neque ego dubito, valde iocundius, suauius, et expeditius eos loquutos fuisse, quam humana lingua alicuius artis peritia loqui valeat. Vnde et Moyses, cum Angelum sibi loquentem audisset, impeditioris et tardioris linguæ se esse dixit, postquam linguæ eius, disertitudinem audiuit. Non quod eius lingua ex angelica loquutione tardior, vel impeditior facta fuisset, sed quia ad illius facundiæ, et suauitatis comparationem mutus ipse sibi, et sine lingua penitus videbatur. Possumus autem, et per homines, philosophos, cæterosque huius mundi sapientes intelligere. Per Angelos vero, patriarchas, et prophetas cæterosque omnes dei gnaros, qui verbum Dei nunciantes angelico vocabulo digni sunt. Dicat ergo Apostolus, dicat vnusquisq. nostrum. Si linguis hominum loquar et angelorum charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, quoniam aliis quidem prodesse possum, mihi autem prodesse non possum. Aes enim sonans, et cymbalum tinniens, aliis quidem prodesse possunt, vocando, adunando, delectando, ad prælia incitando, sibi autem cum sint insensibilia prodesse non possunt. Similiter autem et ecclesiæ Doctores qui cæteris omnibus meliores esse debent, etiam si linguis omnibus loquantur, et non solum philosophos et oratores, verum etiam ipsos angelos sermonis eloquentia et suauitate imitentur, tamen si solam charitatem non habeant, aliis quidem prodesse possunt, sibi ipsis prodesse non possunt. Quando igitur ea intentione loquuntur vt Deus glorificetur, & fratres ædificentur, tunc eis prodesse, et charitatem adesse non dubium est. Si vero de prædicatione sua humanam retributionem expectant, audiant Dominum dicentem. Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia: & omnem scientiam & habuero omnem fidem ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero nihil sum. Nam & Balaam, & Sibyllæ, & Cayphas, multique alii prophetiæ spiritum habuisse leguntur qui quoniam charitatem non habuerunt, nihil eis profuit: Multi quoque vsque hodie magna scientia præditi sunt: & bene sanctorum scripturarum profunda mysteria exponunt, qui quoniam charitatem non habent, nihil eis prodest. Legitur autem in Actibus Apostolorum, de filiis Scenæ, quia quamuis Christiani non essent per fidem tamen dæmones eiiciebant adiurantes eos in nomine illius quē Paulus prædicabat. Qui etiam in iudicio dicturi sunt, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus? Quibus Dominus dicturus est. Amen dico vobis nescio vos. Quod utique non audissent, si charitatem habuissent. Qui autem dæmones eijciunt, hi montes transferre intelliguntur. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quod autem dicit, nihil sum, & nihil mihi prodest, sic est accipiendum quod hæc & similia sine charitate nihil ad beatitudinem percipiendam quamuis multum prosint

ad uti-

ad mitiganda tormenta. Notandum est autem quod in facultatibus distribuendis, & eleemosynis faciendis magis syncerus affectus, quam larga manus a Domino quæritur. Audiuimus autem de Donatistis quod frequenter se flammis & præcipitiis alijsque mortis generibus tradidissent: vt non Dei sicut ipsi stulte putabant: sed potius diaboli martyres fierent. Sed vt satis ostensum est nullæ virtutes, nullaque bona prodesse possunt absente charitate. Ecce cognouimus quantum bonum sit habere charitatem: nunc autem audiamus de ipsa charitate qualis sit. Dic igitur Beate Paule qualis est charitas. Charitas patiens est, benigna est. Et vnde hoc probas? Quia non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt. Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Ecce probatum est, & egregie probatum est, quod patiens est, & benigna est, hoc solum sufficere poterat. Patiens est, quia nulli irascitur, & nullis iniurijs mouetur, sed pro suis ipsis inimicis intercedit. Si enim irasceretur vel moueretur patiens non esset. Et quia benigna est quibuscunque potest benignitatem & misericordiam facit. Cum igitur per patientiam, cunctis ignoscat & per benignitatem misereatur, quid est quod amplius facere possit? Quia enim benigna est: Ideo non æmulatur, idest nulli inuidet. Non agit perperam, quod est temere vel iniuste aliquid agere. Non inflatur in superbiam, non est ambitiosa, quia mundi honores, non appetit, non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt omnium, vt salui fiant. Sua postponit & aliena procurat. Non irritatur, alioquin patiens non esset. Non cogitat malum quod est contrarium benignitati, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, quod vtrunque ad benignitatem spectat. Omnia credit, quæ credenda sunt. Quæ sunt autem illa? quæ credenda, sustinenda, & speranda sunt. Vis audire quæ? Omnia illa quæ vtrunque testamentum credere & sperare & sustinere præcipit. Charitas nunquam excidit, hoc est autem in quo duabus virtutibus superius dictis, idest fide & spe charitas maior est. Vnde & subditur. Maior autem his est charitas. Maior quidem quia nunquam excidit, quia æterna est, quæ semper est, & finem non habet. Aliæ autem post hanc vitam necessariæ non erunt, quia ad ea solummodo pertinent, quæ expectantur & nondum apparent. Est enim spes expectatio futurorū. Fides vero substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. Vbi igitur istæ erunt, postquam nihil sperabitur, & omnia apparebunt? Erit enim Deus omnia in omnibus & ea quæ videbunt & habebunt sufficient omnibus. Sed audiamus quid etiam in Canticis canticorum sponsus ad sponsam de charitate dicat: Pone me, inquit, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est, vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius vt lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam. Præcipit Dominus & Saluator noster vt quasi signaculum semper eum super cor habeamus, & nunquam eum obliuiscamur, quod quidem ad magnam pertinet dilectionem, & hoc est quod alibi ait: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc igitur semper sit super cor nostrum: sit etiam super brachium nostrum, vt non sit charitas ociosa, & amor qui in corde est in manibus manifestetur. Prouocati hostibus occurramus, & mortem non timeamus quia fortis est, vt mors dilectio, immo vero fortior. Fortior enim est qui superat quam qui superatur Dura sicut infernus æmulatio. Quid enim per infernum nisi pœnarum omnium genera intelligamus? Vnde eos quos in tormentis maximis videmus: in inferno esse dicere solemus. Quia igitur tormentis dilectio superari non potest merito inferno & tormentis eius constantia comparatur. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Beatus Laurentius & tres illi famatissimi pueri sunt nobis in exemplum: qui igne charitatis accensi incendii flammas non timuerunt. Sic eos lampas charitatis inflammauerat intus, vt ignis illius lampades non sentirent foris. Vnde & martyr Christi dicebat: Disce miser: quia non sentio tormenta tua. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruerunt eam. Aquæ multæ populi multi sunt: nec vnus vel duo, sed tota ciuitas in martyrem insurgebat, & tantus erat ille ignis charitatis qui in corde martyris ardebat, vt tota illa inundatio furentis populi illam flammam extinguere non valeret. Huic autem sermoni finem non pono quoniam charitas finem non habet.

DE QVATVOR VIRTVTIBVS Cardinalibus.

CAP. IV.

QVATVOR SVNT VIRTVTES quibus totus regitur mundus ita sibi coniunctæ vt sine se esse non valeant. Qui vnam habet, omnes habet: cui vna quælibet deest, nullam habet. Quarum prima prudentia: secunda iustitia; tertia fortitudo; quarta vero temperantia vocatur. Est autem prudentia quæ alio quoque nomine sapientia dicitur, diuinarum, humanarumque rerum cognitio. Dico autem non sapientiam huius mundi quæ stultitia est apud Deum, De qua & Apostolus ait: Quia stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Sed eam sapientiam dico quæ ad morum honestatem & ad salutem pertinet animarum. Non eam quam Philosophi docent, & oratores. sed eam quam Apostoli prædicant & Doctores. Et isti quidem habent cognitionem diuinarum rerum, sicut ipse Dominus ait: Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Hæc est igitur vera cognitio diuinitatis, vel illum cognoscere qui est vera sapientia, & sine quo nulla est sapientia. Omnis enim sapientia a Domino Deo est, & cum eo fuit semper & est ante æuum. Talis est sapientia inter alias virtutes, quale est aurum inter omnia metalla. Vnde & non immerito in diuina pagina per aurum plerunque sapientia significatur. Respice tabernaculum testimonij: respice templum Salomonis & cum pœne omnia ex auro purissimo composita videris, tunc tandem intellige maximum decorem maximamque Sanctorum pulchritudinem esse sapientiam. Vbi ipsa non est, cæca, tenebrosa, & obscura sunt omnia. Quis ergo regnum suum, prouinciam suam, terram suam, familiam suam, vel etiam seipsum sine ea honeste regere vel gubernare poterit? Intelligite seculi potentes & sapientiæ operam date. Iustitia quoque quam necessaria sit, ipsæ leges imperatorum & canones, & decreta Sanctorum quæ ad ipsius custodiam facta sunt, satis ostendunt. Tolle iustitiam & perit mundus. Vbi iustitia non est: iniquitas dominatur: Ibi cædes & rapinæ, furta, homicidia, timor & angustiæ, & securitas nulla. Timor iniquorum iustitia est, securitas bonorum ipsa. Dicatur quid est ipsa? Iustitia est constans & perpetua voluntas: ius suum vnicuique tribuens. Qui enim hanc voluntatem semper habet, vt suum ius vnicuique tribuat, & ea quæ alterius iuris sunt neminem vsurpare permittat, iustus ille vtique est. Sed nullum ius habet diabolus in humana natura. Deus & non diabolus hominem fecit. Dei itaque iuris est homo: ipse debet regnare in nobis ipse debet possidere membra nostra. Sic enim Apostolus ait: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentijs eius. Latro est, prædator est, non est iuris eius quod possidet, pelle eum a te: redde Deo possessionem suam, & iustus eris. Siquidem ille iustus est, qui suum ius vnicuique tribuit. Ideo hoc nomen omnium Sanctorum commune est, & omnes sancti iusti dicuntur. quoniam hanc in seipsis iustitiam operantur, & vitiis expulsis quod suum est, Domino reddunt. Alioquin quomodo iusti dicerentur ad quorum iudicia nemo venit? Inde & Apostolus ait: Si nosmetipsos iudicaremus non vtique iudicaremur. Maxime autem propter iustitiam Imperatores, & Reges & aliæ

pote-

potestates ab initio constituti sunt : qui & suum ius vnicuique tribuant, & iniustitias fieri prohibeant : iniquos coerceant, bonos foueant, & æque cuncta disponant. Quod si fecerint, Beati erunt. De ipsis enim scriptum est : Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore. Itemque; Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sed quid de fortitudine dicam, sine qua & sapientia & iustitia inutiles esse videntur ? Est autem fortitudo non corporis, sed mentis constantia, qua iustitia superamus, aduersa omnia patienter toleramus, & prosperis non eleuamur. Hanc fortitudinem non habet quicunque superbia, ira, auaritia, luxuria, ebrietate, & his similibus superatur. Illi quoque fortes non sunt qui in aduersis positi contra salutem animæ liberari satagunt. Vnde & Dominus ait. Nolite timere eos qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere. Similiter autem & illi qui in prosperis se extollunt, & superflua letitia resoluuntur, fortes dici non possunt. Quomodo enim fortes sunt, qui cordis impetum celare & retinere non valent ? Fortitudo non vincitur : & si vincitur, non est fortitudo. Hanc fortitudinem habuerunt sancti ; qui nec vitijs, nec tormentis, nec blanditijs superari potuerunt. Restat nunc de temperantia dicere : quæ in suis actionibus modum non excedit : quoniam superflua nulla quærit, hæc sit igitur eius diffinitio, & hæc quidem tam necessaria est, vt mundus ipse sine ea stare non posset. Cum enim ex contrariis elementis compositus sit, nisi esset aliqua natura quæ res contrarias & inimicas temperaret in tanta discordia & tam immensa colluctatione diutius manere non posset. Sed hæc disputatio Philosophorum est, neque vno sermone concludi potest. In omnibus itaque negocijs temperantia vtilis est. Audi quid Beatus Paulus de ipsa sapientia dicat, & quomodo eam temperantia indigere ostendat. Non plus, inquit, sapere quam oportet sapere : sed sapere ad sobrietatem. De iustitia scriptum est : Noli esse iustus multum, alias nimis. Beatus quoque Benedictus, cuius auctoritas maxima est : vt pote in quo Spiritus Sanctus loquebatur, præcipit similiter. Ne quid nimis. De fortitudine vero sic habes. Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, elicit butyrum : Et qui vehementer emungit, elicit sanguinem. Et hic igitur temperantia necessaria est. Vbera vero vehementer premit, qui postquam lacte exhausta sunt, adhuc ea premere, & quod non habent ab illis exigere non cessat. Quicunque igitur ieiunijs, vigilijs, alijsque afflictionibus, seipsum vel alios plusquam sua vel eorum natura ferre valeat, premere & affligere nititur, Ille nimirum vehementer vbera premit, & vnde sperat fructum vitæ, inde multoties fructum trahit peccati mortis. Vnde Apostolus ait : Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Illud enim obsequium rationabile est : quo non ipsa natura, sed vitia perimuntur. Ecce satis breuiter dictum est de quatuor virtutibus principalibus : quales & quam necessariæ omnibus sint maximeque potentibus, quibus mundi regimina credita sunt. Videamus modo quomodo se sequantur, & quomodo sine se esse non valeant. Cui autem impossibile esse videtur vt omnes habeat, det operam quantum potest, vt vel vnam habeat : quam si habuerit, cœteræ proculdubio, eam sequantur. Fac ergo o princeps quicunque es, vt iustitiam habeas & teneas. Hæc enim tibi magis necessaria esse videtur, & mox per hanc vnam & sapiens, & fortis, & bene moderatus omnibus apparebis. Vide tamen vt qui aliis iustitiam facis, tui ipsius ne obliuiscaris, & qui in populo exerces iustitiam : exerceas etiam in te metipso. Iustus fuit Abraham : sicut enim de eo scriptum est : Quia credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quæ enim iustitia maior quam creatori suo credere & obedire ? Et quia hanc vnam virtutem habuit, cœteras quoque virtutes eum habuisse non est dubium. Fortis fuit Ioseph, qui se prouocantem libidinem superauit, in qua fortitudine, sapiens, iustus, & modestus apparet.

Iusti erant tres pueri qui contra patrias leges idolum adorare noluerunt : in quo facto quam sapientes, quam fortes, quamque modesti fuerint, reuelatum est. Sapiens erat Daniel cui sua secreta reuelauerat Deus : cuius sapientiæ ipsi Prophetæ dant testimonium. Sed quia hanc habuit : aliæ ipsi non defuere virtutes. Quoniam enim iustus fuerit, duo presbyteri probauerunt : quam fortis, quem in lacu positum, leones inuadere non audebant. Quia enim iam vitia superauerat : ideo leones eum timebant. Cuius vero temperantiæ fuerit, legumina quibus vescebatur, & illa tanta ieiunia ostendunt. Sed vis audire de illis quibus quoniam vna ex his virtutibus defuit, alias quoque perdiderunt ? Perdidit Dauid fortitudinem, quem in Bersabee carnis voluptas superauit : a quo cæteræ virtutes mox territæ fugerunt. Quis eum tunc insipientem, iniustum, & sine temperantia fuisse dubitat : qui libidine superatus tam grauia simul peccata commisit ? Sed felix qui pœnitentia ductus audire meruit ; dimissum est tibi peccatum tuum. Salomon quoque amissa sapientia qua præ cæteris pollebat, idolis immolauit. A quo statim omnis iustitia, fortitudo, & temperantia recessit. Sic igitur quære per singula, & cognosces quod quatuor virtutes sine se esse non possunt. Si autem vis eas videre bene sibi coniunctas & sociatas ; respice Apostolos & martyres, respice confessores, ecclesiæque Doctores quos quidem sic istæ circundederunt & complexæ sunt, vt occidi quidem possent, ab eis separari omnino & diuelli non possent. Hoc autem significabant illi quatuor aurei circuli qui in arca testamenti erant, per quos duo vectes inducti nunquam ab eis separabantur. Erant autem illi vectes cooperti auro purissimo. Quoniam enim arca testamenti ecclesiam sanctam significet, satis notum est. Quatuor vero circuli quatuor superius dictæ virtutes sunt, aureæ vitaque omnique pulchritudine clariores, quibus qui ordinatus non fuerit, neque clarus neque pulcher est. Duos vero vectes Petrum & Paulum intellige, cæterosque sanctos sine quibus ecclesia Dei, nec leuari, nec portari, nec regi potest. Et isti quidem aurei sunt, quia vitæ immaculatæ & sapientiæ luce refulgent. Nunquam vectes a circulis extrahuntur : quia viri sancti, nunquam a prædictis virtutibus separantur. His igitur portatur arca ; quia istorum fide, doctrina & exemplis, sancta ecclesia regitur & virtutum gradibus Episcoporum, & Sacerdotum ministerio ad cælestia subleuatur. Sed valde timendum semper est episcopis & sacerdotibus, ne sine vectibus arcam Dei ferre conentur. Sine vectibus enim arcam Dei hæretici ferunt, qui suas nenias prædicantes Apostolorum auctoritates fugiunt, & a catholica fide & doctrina recedunt. Sint semper memores quid acciderit filiis Heli, Ophni videlicet & Finees ; qui arcam Dei captiuauerunt, & ipsi in prælio perierunt. Erant enim repræhensibiles valde, & vita moribusque proterui. Vnde & non immerito Ophni discalceatus. Finees vero os mutum interpretatur. Non enim est conueniens vt ecclesiam Dei regendam suscipiat ille qui mutus est, & qui nondum pedes calceatos habet in præparatione euangelii pacis. Tales igitur ecclesiam Dei captiuant, & malignis spiritibus in seruitutem tradunt ; sed ipsi quoque in prælio moriuntur, qui cæteros a morte liberare debuerant. Quatuor illi colores quibus vela et cortinæ tabernaculi intextæ erant, qui vbique simul et nunquam separatim ponebantur, quatuor istas virtutes significabant. Hyacinthus videlicet, et purpura, coccus bis tinctus, et byssus retorta ; de quibus in Exodum sufficienter diximus. Nunc aut loquendi solummodo materiam ministramus. Illis tabernaculum ; istis vero Ecclesia ornatur et decoratur, quia sine sapientia, sine iustitia, sine fortitudine et temperantia nulla anima ornari vel decorari potest. Hæc sunt illa ornamenta de quibus dicitur. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietatibus.

DE HVMILITATE.

CAP. V.

DOcet nos beatissima virgo Maria humilitatis mater, & filia, quanta sit virtus humilitatis. Magnificat (inquit) anima mea Dominum, Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, Nō dixit quia respexit patientiam meā, pietatem meam misericordiam meam, innocentiam meam, virginitatem meam, & cæteras virtutes quibus virgo beatissima abundabat: quibus quasi regalibus ornamentis induta erat: sed hoc solummodo dicere voluit, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ad quem enim respicit Deus nisi ad humilem, & quietum, & trementē verbis eius: Multis ornamētis induta erat virgo nostra: conuenientius dicere potui Domina nostra & regina nostra, sed hoc vnum præ ceteris rutilabat quod Deū, & dominū respexisse dixit. Et hoc est fortassis quod in canticis canticorum, ad ipsam specialiter Dominus ait. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno crine colli tui: & in vno oculorum tuorum. Nusquam enim humilitas tam facile deprehendi potest, quomodo in collo, & in oculis. Hoc enim humilium proprium est, vt inclinato collo, & oculis ad terram deflexis, incedant. Sicut & contra: superbi semper erecta ceruice & superciliis eleuatis gradiūtur. Vnde & Moyses præcipit de turture & columba quando immolantur, vt caput ad collum retorqueatur. Non recipit Deus sacrificiā superborum, excelsus est, & humilia respicit, & alta, a longe cognoscit, Quid sunt alta nisi erecta & superba? & hæc quidē cognoscit Deus, sed quia per superbiam longe fiunt ab eo, respicere dedignatur. Vnus igitur crinis qui non erectus stat, sed humilis iacet, ipsa humilitas est qua collum virginis decoratur. Vnum vero oculorum dixit: quia non de plurib. sed de vna virtute loquebatur. Habet tamen duos oculos soror, & sponsa Christi, quorum altero terram, altero vero respicit cœlum. Per hos autem humilitas, & contemplatio designatur, & plus sæpe placet Deo oculus humilitatis qui terram respicit, quam oculi contemplationis qui ea, quæ scire non licet, aliquando perscrutantur. Vnde & alibi ait. Auerte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt. Si enim licitum esset omnia scire, non diceret Apostolus, quæ non licet homini loqui. Quæ enim loqui non licet, neque scire licet. Egregie autem factum est quod humilem matrem Dominus elegit: humilis filius humilem matrem habere debebat. Non enim de leæna, sed de oue nascitur agnus Nihil in animalibus oue, & agno humilius est. Percute, macta, iugula, occide nec voce queruntur nec cornu minantur, nec dente vel pedibus se defendunt. Vnde & eleganter de ipso Domino per prophetam dicitur Sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. Diabolus per superbiam quantum in ipso fuit, super omnes cœlos ascendit; Christus per humilitatem in terram descendit. Humiliauit enim se, vt ait Apostolus, factus obediens vsque ad mortem. Huius humilitate saluati sunt qui illius superbia perierunt. Ille altissimo similis fieri voluit: hic autem formam serui similitudinēque suscepit. Eua per superbiam displicuit Deo, per humilitatem Maria placuit redemptori. Illa superbiens obedire noluit nimisque audacter & impudenter ad lignum vetitū accessit. Hæc autem verecunda, & humilis obedientiam profitetur, dicens. Ecce ancilla domini, fiat mihi secundū verbum tuum. Ad hanc igitur tantam humilitatem, respexit Deus, & ideo hæc vna ex omnib. mulieribus quæcunque sunt, vel fuerunt, vel futuræ sunt: a Domino electa est, quæ & Dei mater fieret, & cœli terræque regina vocaretur. Dicat igitur virgo Beatissima. Magnificat anima mea dominū, quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Dicat enim quid gloriæ, quid honoris, quid beatitudinis inde consecuta sit, quod se eam dominus respicere voluit. Ecce enim ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vide ergo quanta sit virtus humilitatis, quæ Deum in terram descendere, & hominem in cęlum ascendere facit. hæc est quæ deponit potentes de sede, & exaltat humiles. Omnis enim qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Quoniam bene inter se conueniunt hæc duo matris, & filii testimonia, dum ea quæ mater dixerat, filius affirmat. Narrat Saluator quod duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus phariseus, & alter publicanus, vnus superbus, & alter humilis. Alter omnes despiciebat, alter nec oculos ad cælum leuare audebat. Inclinatus igitur stabat quod (sicut superius diximus) magnæ humilitatis indicium est. Et superbus quidem nihil profecit: humilis autem iustificatus in domum suam redit. Qui non intelligit quantum bonum humilitas est, hoc intelligere satagat quantum malum superbia sit. Facile enim vna quæq. res per suum contrarium intelligi potest. Humilitas autem, & superbia, contraria sunt, & de superbia quidem dicit Psalmista. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur Iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare. Malus pes, mala manus In illo cadunt omnes, ac expulsi pereunt omnes. Bonos pedes habebant primi parentes nostri antequam per superbiam peccassent. Peccauerunt, ceciderunt, & pedibus illis infirmis, & podagricis stare non potuerunt Quot sunt vitia tot sunt & superbiæ pedes, quę, & peccatoris manus nihilominus dici possunt. Iste peccator diabolus est, cuius iniqua manus multos mouet, multos impellit, multos ab honestate, & iustitia diuellit, & in mortis præcipitium trecompellit. Singulariter pedem, & manū posuit, quia vsitatissimum est scripturarum pro plurali numero singularem ponere. Secundum illud, Iminisit in eos cynomiam idest muscaniam, & comedit eos: & ranam & disperdidit eos. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem ibi auarus, ibi raptor, ibi luxuriosus, ibi sacrilegus, ibi homicida, ibi periurus, ibi adulter, & fornicator ceciderūt. Expulsi sunt enim & diabolica manu commoti: quia iam pedibus infirmi erant: stare non potuerūt. Nō enim inconueniens, si quis etiam sic intelligere voluerit, non veniat mihi pes superbiæ, id est non sit superbia mihi pes: no ipsa me ferat, quia in ipsa ceciderunt oēs maligni spiritus qui vbiq. operātur iniquitatem. Expulsi sunt de supernis, sedib. nec potuerunt stare Si quis autem hoc diligenter consideret, quare non cedrum vel abietem, quæ altissimæ sunt; se Dominus vocare voluerit; sed potius vitem quæ inter alias arbores humillima est, & alieno egens auxilio etiam in hoc cognoscere poterit, quantum semper dominus humilitatem dilexerit. Ego (inquit) sum vitis, & vos palmites Discipulis loquebatur: quos ad humilitatis gloriam inuitabat. Et tale erat, ac si diceret. De parua arbore parui rami: de gracili arbore graciles rami procedunt: tales tamen, quæ spatiosæ circa se terram valeant occupare. Hæc est enim illa vitis de qua scriptum est. Extendit palmites suos vsq. ad mare, vsq. ad flumen propagines eius Siquidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum Nulla arbor est quæ suo fructu tantū vtilitatis hominib. conferat, quantum vitis, & si parua, & humilis sit. Granum quoq, nō in arboribus sed in humili nascitur herba. De quo similiter Dominus ait. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, Si autē mortuū fuerit: multum fructum affert. Se nimirum granum frumenti esse significans. Nihil his duab. speciebus hominum vitæ in terra vtilius; per quā quia valde humiles sunt seipsum Saluator noster significare voluit. Et notandum quod pene illę arbores, quæ humiles sunt, fœcundiores, magisq. fructiferæ esse probantur. Ecce dum ista pertracto, subito in mentem venit illa arbor nobilissima quam ipsa sacra scriptura pulcherrimam vocat, quam quidem, quoniam, & ipsa valde humilis est silentio preterire non debeo Lege Leuiticum, & inuenies vbi Dominus per Moysen loquitur filiis Israel de festiuitate tabernaculorum. Septem diebus hæc festiuitas agebatur. Præcepitque Dominus filiis Israel, vt sumerent fructus

arbo-

arboris pulcherrimæ, spatulasq. palmarum, & ramos ligni, densarum frondium, & salices de torrente, & lætarentur coram Domino. Omnibus igitur diebus hanc festiuitatem agere debemus, qui eam septem diebus agere iubemur. Quid est autem festa celebrare nisi ab iniquitate cessare, & in bono opere perseuerare? Illi vero in tabernaculis perseuerant: qui in hoc mundo manere nolentes ad aliam patriam festinant, dicentes cum Apostolo. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Hanc enim festiuitatem nostram digne agere non valemus, nisi pulcherrimæ arboris fructum habeamus. Pulcherrimam vero arborem, citri arborem Hebræi intelligunt, quæ vtique, & odore, & sapore, & fronde, & flore, & ipsius fructus magnitudine, & pulchritudine tam nobilis est, vt difficile inueniatur, quæ ei digne comparari possit. Per hanc igitur pulcherrimam humilemque arborem Beatam virginem Mariam intelligimus de qua scriptum est: Et terra nostra dabit fructum suum. Itemque. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Qui arborem intelligit de fructu non ambigit. Fructus enim Christus est cuius omnis festiuitas est, & sine quo nulla festiuitas celebrari potest. Hunc igitur fructum suscipiamus in festiuitatibus nostris; hoc reficiamur, hoc satiemur, huius carne, & sanguine impinguemur, & inebriemur. Arboris quoque huius pulcherrimæ numquam obliuiscamur, ad ipsam semper respiciamus, fructum vitæ, & salutis ab ea quæramus. O vere lignum pulcherrimum quæ talem meruit portare fructum. Nos eam arborem vocamus, sed scriptura lignum appellat. Quia enim virgo peperit, non arbor sed lignum dicitur. Hanc enim significauit illa virga Aaron, quæ cum sicca esset, & flores, & frondes & nuces amigdalinas protulit. Per spatulas vero palmarum, quæ in hac festiuitate requiruntur, instrumenta victoriæ designantur. Spatula enim diminutiuum est a spata, palma vero victoriam significat. Victoriæ vero instrumenta virtutes, & bona opera sunt, quibus vitia, & maligni spiritus superantur. Sunt itaque hæ spatulæ valde necessariæ in festiuitatibus, quia tunc maxime inimicorum insidiis infestamur. Rami autem arboris densarum frondium sanctorum volumina, sermones, verba, & exempla intelliguntur. Talis arbor beatus Paulus cuius frondes densissimæ, cuius verba copiosissima sunt. Cuius folia non cadent, cuius omnia verba adimpleri oportet. Et ipse quidem tam necessarius nobis in festiuitatibus nostris, vt sine ipso vix vnum sermonem facere valeamus. Si vis scire de ipso quam humilis arbor etiam sit. Audi ipsum dicentem. Ego enim minimus Apostolorum sum, qui non sum dignus vocari Apostolus. Arborem autem densarum frondium, quantum ad litteram myrtum nonnulli intelligere volunt, quæ quidem arbor satis parua, & humilis est. Et propter hanc fortasse humilitatem, non spatas, sed spatulas palmarum dixit, quia quauis palma procera arbor est, spatula tamen diminutiuum est, in quo apertissime humilitas declaratur. Restant salices de torrente, per quas memoria figuratur, quia in memoria quæcumque in festiuitatibus fiunt & dicuntur, quasi in vno fasciculo vinciuntur, vt a corde non dilabantur, & semper in memoria habeantur. Salix enim tenacissima arbor est, & præter hoc vnum nihil in ea esse videtur, vnde etiam si velit, superbire valeat. Bene autem de torrente salices assumuntur, quia illa memoria maxime nobis in festiuitatibus necessaria est, quæ de sanctarum scripturarum fluminibus habetur. Non enim nostra, sed sanctorum verba narrare debemus, & non ea quæ trahimus de corde nostro, sed quæ haurimus de fontibus Israel. Videmus quod paruæ arbores placent Deo, videmus quod omnis superbiæ altitudo displicet Deo. Humiliemur ergo sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore tribulationis, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum.

DE MISERICORDIA.

CAP. VI.

Misericordias Domini in æternum cantabo. Quid rex & Propheta Dauid de misericordia senserit satis, his verbis declaratur: dum se misericordiæ laudes in æternum cantaturum promittit. De qua & alibi ait. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Sic misericors est Dominus, vt iustitiam non derelinquat, sic iustus est vt misericordiæ non obliuiscatur. Facit misericordiam, sed pœnitentibus & misericordiam facientibus. Fac igitur misericordiam si vis vt tui misereatur; dimitte, & dimittetur tibi: da & dabitur tibi. ipse hoc dicit: si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester dimittet vobis peccata vestra, & si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ad misericordiam nos prouocat Saluator noster, viam salutis ostendit; docet nos per quam viam ad patriam redeamus, non est alia via per quam redire possimus. Sed vide quam facilis via: dimitte & dimittetur tibi. Non vis dimittere centum denarios, vt mille talenta dimittantur tibi? Scito quod tortores te expectant qui te in carcerem trudant, neque te inde exire permittent donec vniuersum debitum soluas. Heu quo ibit modo: sunt qui quoniam in hoc sæculo dimittere noluerunt, modo dolent, modo seipsos accusant, modo pœnitent: sed talis pœnitentia sera, inutilis, & infructuosa est. Si modo diceretur eis: dimittite & dimittetur vobis: Cum quanto gaudio nunc dimitterent, suisq; debitoribus parcerent? Et isti quidem non poterunt cantare misericordias Domini in æternum: quoniam tantum in hoc sæculo misericordia eius, in inferno autem nulla est redemptio. Boni vero misericordias Domini in æternum cantabũt, quoniam sine fine gratias agent Deo: ipsum laudabunt, qui non ex meritis eorum, sed ex sua misericordia tantam beatitudinem eis præparauit. Misericors & miserator Dominus, patiens & multum misericors cum pro nobis in cruce pateretur nimia misericordia superabundans pro suis etiam crucifixoribus orabat dicens; pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Vnde & bene subditur. Suauis Dominus vniuersis: vniuersis quidem, quia ipsis quoque inimicis. Et miserationes eius super omnia opera eius. Cœlum, terram, mare, Angelos, & homines fecit Deus: sed miserationes eius super omnia opera eius. Quas miserationes propheta considerans expauit dicens. Domine audiui auditum tuum & timui; consideraui opera tua & expaui. In medio duorum animalium cognosceris. Et reuera hæc eius opera, istæ ipsius operationes, super omnia illius opera sunt, multumque pauẽda, quod rex regum & Dominus dominantium, qui ex nihilo omnia fecit pro seruis nequissimis inter iniquos deputatus est, & morte turpissima condemnatus est. Pulchre autem græci eleon misericordiam vocant, quia sicut in liquoribus oleum superius est: ita in cunctis Dei operibus misericordia superior est, sicut & modo superius dixit, quia miserationes eius super omnia opera eius. Quemcunque enim liquorem oleo superfuderis oleum semper desuper natat. Oleum igitur misericordiam significat. Ideo enim toties vncti sumus, vt nunquam misericordiæ obliuiscamur. In vertice, in fronte, & in pectore omnes communiter vncti sumus. Reges autem & sacerdotes alias præter ipsas suscipiunt vnctiones, quoniam iudices in populo Dei constituti plures & maiores misericordias quam cæteri facere debent. In vertice siquidem vncti sumus vt inde omni superbia excussa ibi misericordia sedem habeat; cui omnes sensus nostri semper obediant. Quinque enim corporis sensus in capite sunt, qui omnes misericordiæ seruire debent Seruiunt autem si & oculi super egenum & pauper-

paupe-

pauperem intẽdunt, & aures clamorem pauperum audiunt, & lingua sermones suos in iudicio disponit. Iucundus enim homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. Quæ autem in fronte vnctio est, totam hominis faciem, & exhilarare, & ad misericordiam pręparare debet, vt bona voluntas, quæ in corde est, in ipsa facie cognoscatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. In pectore vero vncti sumus, vt misericordiæ bonum nunquam a corde nostro, & a memoria recedat. Manus autem quæ vnctæ sunt pauperibus non claudantur, rapere, & ferire nesciunt, laborãt, semper quod bonum, vt habeãt, vnde tribuant necessitatem patientibus. Qui ergo post tãtas vnctiones se ad misericordiam non extendit, sed durus ad huc, contractus, infirmus, & paralyticus iacet, quia a misericordia longe est, quam indulgentia sperare potest? Qui igitur aliter non potest, vel affectu vel desiderio se extendat, Ipsi quoque parietes, & montes, & ligna ad misericordiam nos inuitant. Ideo enim altaria, lapides, & parietes vnguntur, vt homines qui per eos significantur suas vnctiones in eis intelligant, & intelligendo custodiant. Frequenter Saluator noster in montem oliuarum ascendere, & orare solebat inde etiam cęlos ascendit? ibi discipulos reliquit, quos tamẽ nunquam dereliquit. Sic igitur non solum verbis & exemplis: verum etiam ipso actu nos ad misericordiam prouocabat. Mons oliuarum mons pacis, & misericordiæ est. Valde sibi coniunctæ pax & misericordia. Vnde non immerito vtraque per oliuam significatur. Quot sunt virtutes: tot sunt & montes, in quos ascendere, & in quibus orare possumus, In monte humilitatis stant humiles, & orant. In monte patientiæ stant. & patientes & orant. In monte obedientiæ stant obedientes, & orant. Sic igitur in monte misericordię stant pacifici, & misericordes. & orant. In hoc itaque monte maneamus. Hic discipulos dominus reliquit. Hinc est via qua itur in cælum. Ne quod enim sine causa de de lignis oliuarum Cherubim fuisse referuntur quæ alis extensis in templo stantes populum docebant. Vis volare? Suscipe alas misericordiæ; istæ te ferent ad patrem misericordiæ, & ad Deum totius consolationis. Ad iudicium veniens dominus sicut verba sancti euangelij docere videntur de sola misericordia sermonem facit: alios de misericordia laudans alios quia misericordiam non habuerunt reprehendẽs, & damnans. Esuriui inquit & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes fui, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me. Venite ergo benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Illis autem interrogantibus quando sic eum viderint, vel sic ei ministrauerint, ait. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Cæteris autem qui hoc facere noluerunt sola damnationis sententia. Ecce quomodo sunt miserationes eius super omnia opera eius. Quicquid compassione, quicquid largitate, quicquid liberalitate, quicquid pietate fecimus si tamen pro Deo facimus, totum spectat ad misericordiam. Omnes scripturæ diuinæ: omnes Apostolorum, & prophetarum libri misericordiæ laudibus pleni sunt præcipue tamen liber Psalmorum qui tãtum misericordiæ laudibus super abundat, ac si alia materia non esset de qua loqui potuisset. Confiteantur igitur Domino misericordię eius, & mirabilia eius filii hominum. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius, Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Dicant nunc omnes qui timent Dominum quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Sed quis sapiens & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini? Qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DE PACE.

CAP. VII.

GLoria in excelsis Deo. & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hęc vox non est hominis, hęc vox Angelorum est, hoc angelorum cecinit multitudo, quando Christus natus; vt euangelii verba testantur. Et reuera tunc cælis gloria & terris pax reddita est: quando Princeps pacis Saluator noster de virgine natus est: quando populus quæ sedebat in tenebris vero lumine illuminatus est. Et relicta idolorum cultura creatorem laudare, magnificare, & glorificare cępit illi soli eam gloriam exhibendo: quam dęmonibus prius exhibere solebat. Et tunc quidem homines pacem habere cęperunt? Deum, & proximum diligentes iram, & odium, & discordiam a se repellentes: in vnius fidei concordiam conuenientes, sibi inuicem consentientes, vanam philosophorũ, & hæreticorum doctrinam fugientes: idipsum cum Apostolo omnes dicentes, & nemini iniuriam facientes. Talis pax in ecclesia Dei est: talis pax est hominibus bonæ voluntatis. Bestię pacem habere non possunt, quæ sanguine gaudent, & crudelitate nutriuntur. Non datur hæc pax hominibus malæ voluntatis quia non est pax impiis dicit Dominus. Ista pax sanctorum est. Ista concordia illorum est, de quibus dicitur, Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Hanc pacem habuit Hierusalem, quæ visio pacis interpretatur. Illa videlicet Hierusalem in qua ille rex pacificus habitat cuius vultum desiderat vniuersa terra, & factus est in pace locus eius: habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum. Nonne audis quod omnia instrumenta discordiæ; omnia instrumenta litis, & contentionis, confrata sunt in Siõ sola pax & concordia regnat in Hierusalem. Ideo enim tanta pax, tantæ diuitiæ, tanta sapientia, & eloquentia illi Salomoni data est qui pauco tempore habitauit in Sion & Hierusalem, quia istum nostrum Salomonem vere pacificum, vere sapientem, & eloquentem & diuitiarum omnium affluentem, significabat, de quo modo diximus. Et factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Qui suis discipulis permisit dicens. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sęculi. Sic igitur non temporaliter sed in æternum facta est in Sion habitatio eius & locus eius in Hierusalem, Qui pacem non diligit, pacis principem a se repellit, Non habitat Christus, nisi in Hierusalem, nisi in loco pacis & quietis. Neque conueniens fuit, vt alibi quam in loco pacis rex pacificus habitaret De quo videlicet pacifico rege in canticis canticorum scriptum est. Vinea fuit pacifico, in ea quę habet populos tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos, vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius, Breuiter autem sensus, & ordo verborum talis est. Vinea fuit pacifico, in ea gente quæ habet multos populos. Quis iste pacificus sit palam est, & tradidit eam, custodibus Apostolis videlicet, & doctoribus. Vir affert pro fructu eius mille argẽteos, dicens de vinea sua. Vinea mea corã me est. Dicit igit ille qui loquit ecclesię cui loquit. Illi mille argẽtei tui pacifici, & ducẽti alij dãt custodib. qui custodiunt fructus eius, ego sic iudico, sic mihi bonum videtur esse. Nunc autem singula disseramus, Dixerat ecclesia, ego murus, & vbera mea sicut turris ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Deinde sequitur. Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos. Prius inquit ecclesia quam pacem habuissem, prius quam pacificum regem cognouissem, infirma, & debilis eram, neque me ab hostib. defendere valebam, nunc autem fortis sum, & quasi murus inexpugnabilis facta sum, & vbera mea, doctrinæ meæ, quo-

ium

rum lacte nutrio filios meos, contra omnem huius mundi sapientiam, contra Philosophorum, & hæreticorum argumentationes quasi turres validissimę facta sunt. Ad hæc satis cōuenienter aliquis respondere potest. Fortis quidem es, sed omnis hæc tua fortitudo in custodibus est. De quibus subditur. Vinea fuit pacifico, in ea, quæ habet populos, tradidit eā custodibus. Iste pacificus Saluator noster est, qui mundum Deo patri reconciliauit: ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Cuius vinea ecclesia est, intra cuius terminos Hebræi, Græci, & Latini, & Barbari, omnes gentes, populi, & nationes continentur. Hanc autem custodibus tradidit, Apostolis videlicet, & doctoribus, qui eam custodirent, colerent, nutrirent, superflua resecarent, & alias vites pro aliis pastinarent. Quibus etiam custodibus vir affert pro fructu eius mille argenteos quibus omnia quæcunque in expensis, debitisque soluendis necessaria sunt, persoluere valeant. Millenarius namque numerus perfectus est, quoniam ex solis denariis constat. Decies namque centum, vel centies decem mille fiunt. Quibus igitur mille argentei dati sunt: illi nimirum omnem vtriusque testamenti scientiam, omnemque gratiarum plenitudinem suscipere meruerunt. Vir autem Christus est de quo alibi scriptum est. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum. Et ipse quidem ne vineæ suæ fructum amittat omnem hanc gratiarum plenitudinem eius custodibus largitus est. Tota laus istius vineæ in solo fructu est ideo laudatur, ideo amatur, ideo custodibus traditur & commendatur, quia multum, & bonum fructum reddit. Sicut ecōtrario illa alia vinea, inde, & damnata, & repudiata est, quia in amaritudinem conuersa, pro vuis labruscas; pro vino dedit acetum. Bonus fructus, virtutes, & bona opera sunt, cum quibus, & Angeli, & homines creati sunt. Quod autem ait, Vinea mea coram me est, tale est ac si diceret. Custodibus quidem eam tradidi: non tamen ab eius custodia destiti, semper coram me est, eam per meipsum custodire non cesso. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem in vanum vigilant qui custodiunt eam. Nunc autem videamus quid Salomō siue potius spiritus sanctus per Salomonem de custodib. ad ecclesiā dicat. Mille tui pacifici, & ducēti his qui custodiūt fructus eius. Ac si dicat. Mille argētei viri tui, regis tui, et pacifici tui de quib. superius dictū est. & super illos mille alii ducēti dentur, his custodibus qui custodiunt fructus eius Digni enim sunt qui, & illos, & istos suscipere debeant per mille argenteos, gratiarum omnium & totius scientiæ plenitudinem significari diximus. Hæc autem multos habuisse legimus, qui ad æternæ beatitudinis gloriam non peruenerunt. Sicut illi qui in iudicio dicturi sunt. Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Quibus Domino dicetur. Amen dico vobis nescio vos. Non ergo sufficiunt mille argentei ad beatitudinem suscipiendam, quamuis sufficere videantur ad ecclesiam regendā Dentur igitur sanctis, & alij ducenti, per quos omnium animarum, & corporum perfectionem & sufficientiam intelligimus, vt duplicia in terra possidentibus nihil ad beatitudinem deesse possit. Centenarius namque perfectus est numerus: quoniam ex solis denariis constat, in quibus omnes numeri continentur, cuius quidem duplicatio ad vtramque hominis perfectionem pertinere videtur. Si autem velimus dicere, quid, qualis, vel quanta sit pax, obuiat nobis Apostolus dicēs Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum: custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Quis enim dicere valeat: quid quale vel quantum sit illud quod omnem sensum exuperat, & omnem intelligentiam transcendit? Et reuera cum hæc pax quæ in primo homine perierat, vt in secundo homine Iesu Christo redderetur hominibus: tantum pretium solutum sit, vt arcanum voluntatis Dei, neque dici, neq. cogitari possit. Si ergo fieri potest, quid in nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus. Nam & si alter pacem fugiat: tu tamen si eam offeras, & habere cupias: quantum quidem in te est tu pacis beneficio non priuaris. Vnde Psalmista ait. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Beati autem pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Merito autem cum adhuc in diluuio arca fluctuaret, nihilque aliud vbique quam aquę apparerent, cum ramo oliuæ columba rediit, per quem pax reddita, & tranquillitas significabatur. In illa arca erat totum genus, omnia gentes, omnes populi, & nationes sibi erant: quibus tunc in illa columba spiritus sanctus quodammodo loquebatur, & dicere videbatur. Pacem habete, pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo videbit Deum, & Deum pacis, & dilectionis erit vobiscum. Pauca quidem estis, sed res paruæ concordia crescunt, magnæ vero discordia dilabuntur. Omnia animalia ibi erant collecta, & pauca ex omnibus electa, quæ pacem haberent & tenerent, & sibi inuicem non nocerent. Puto autem hanc pacem etiam postea quam de arca egressa sunt, aliquanto tempore inter ea fuisse. Aliqui oues, & capras, boues, & asinos, & cætera mitia animalia, leones, & griffi, tigrides, & pardi, lupi, & vrsi & alię bestiæ quæ de rapina viuere solent penitus comedere potuissent, præsentium cum non tam cito a se diuidi, & recedere potuissent, quod quidem etiam de auibus intelligi potest, sed hanc pacem eorum filii postea violarunt, pacis eius foedera ignorantes. Si igitur tanta pax inter bestias fuit in arca, quāta inter Christianos pax & concordia debet esse in ecclesia? Audiamus igitur dominum dicentem, & hoc quod dicit memoriæ commendemus. Pacem relinquo vobis, pacem meā do vobis, non quomodo hic mundus dat ego do vobis. Pax mundi temporalis est, & cito transit, pax Christi est æterna, & nunquam finitur.

DE PATIENTIA.

CAP. VIII.

Dominus, & Saluator noster ad patientię constantiam, & fortitudinem Apostolos inuitans, eis in euangelio loquitur dicens Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non sunt igitur beati omnes qui persecutionem patiuntur. Multas enim persecutiones, & faciunt & patiuntur mundi huius amatores, periuri, adulteri, & fornicatores, homicidæ, fures, & latrones, auari, sacrilegi, & raptores, tamen non beati, sed miseri sunt, quia non propter iustitiam, sed propter suas concupiscentias, & voluptates, propter mundi honores, & dignitates, & propter multas, quas faciunt iniquitates talia multoties patiuntur. Quis enim eorum miserias, & cruciatus, & exquisita omnium tormentorum genera valeat enumerare, quibus se vicissim isti filii iniquitatis excruciant, & affligunt, vt alter alterius bona possideat. Hic obscuræ carceris tenebræ, fames, & sitis, frigus, & calor membrorum abscissio: oculorū euulsio, fœtor intolerabilis, & cætera quæ filij diaboli eius martyribus, ipso cogente, & instigante inferre possint. Nam & Satanas suos martyres habet, qui quanto maiora tormenta in illius seruitio in hoc sæculo patiuntur, tanto fortiora in altero sæculo eos expectant. Hæc est eius propria, & singularis consuetudo vt qui plus ei seruiunt et maiora, et grauiora tormenta ab eo patiantur. Huius martyres fuerunt Iudas Scariothes, et Nero impiissimus, qui seipsos digno suspendio et interemptu suffocauerunt, et occiderunt. Huius et isti martyres sunt qui vsque hodie contra se non pro iustitia pugnant, sed pro sua auaritia et iniquitate seuerissime impugnant, et iniquo odio persequentes se quasi bestiæ crudeliter interficiunt. Non ergo beati sed miseri sunt qui tales, et taliter persecutiones patiuntur, quoniam nunquam introibunt in regnum cælorum. Soli itaque illi sunt beati de persecutionibus suis, qui propter iustitiam eam patiuntur. Et vnde hoc probatur, quoniam ipsorum est regnum cœlorū. Vnde & Apostolus ait. Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Beati igitur Apostoli, et martyres, beati confessores, et virgines, qui non pro rebus transitoriis, non pro diuitiis fugacibus, non pro vanis honoribus, et dignitatibus neque pro suis offensis, et iniquitatibus, sed pro sola iustitia quam prædicabāt tam dura tormenta, tantasque persecutiones passi sunt. Inter-

rogā

roga Paulum de suis persecutionibus, & respondebit tibi. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte & die in profundum maris fui in itineribus sæpe: periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, & ærumna, in vigiliis multis. Et alibi. Nolo vos ignorare fratres de tribulatione nostra quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem ita vt tæderet nos etiã viuere. Interroga eum propter quid discrimina hæc omnia passus sit & audies pro nulla alia causa; nisi propter iustitiam & veritatem, quam prædicabat, & quia Christum Dei filium esse dicebat. Lege in actibus Apostolorum: vbi Iudei præcipiunt Apostolis ne amplius loquantur in nomine Iesu, & audies Petrum respondentem. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Vnde in carcerem trusi, & flagellati ibant gaudentes a cõspectu concilii: quoniã digni habiti sũt pro nomine Iesu contumelias pati. Sed interim de Apostolis taceamus. Ad martyres veniamus, respice Laurentium super craticulam extensum, & sua sponte patientem, atque Cæsari dicentem. Infelix has epulas ego semper desideraui, et interroga quid fecerit, quid peccauerit, vt sic assari mereretur? Quid aliud respondere poterit, nisi quia iustitiam prædicauit, & idola vana, & falsa esse dixit: quæ nec sibi nec aliis adesse possunt: Hoc ipsum dicimus de aliis omnibus. Interroga vnum quenque: & nihil aliud respondebit. Beati igitur isti. Beati, & omnes alii qui propter iustitiam persecutionem patiuntur. Non dixit quibus propter iustitiam persecutiones inferuntur, quoniam non illatio beatum facit. Non qui eis fugit, sed qui patitur beatus erit, quamuis, & fugere, aliquando licitum sit. Sed alia causa beatitudinis est fugiẽti, alia vero patienti. Aliud est pugnando, & aliud fugiendo hostem inuadere, quamuis vtrumque ad salutem pertineat. Melius est pugnare, quam fugere: melius est fugere, quam negare. Sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo. Vtrumque Dominus præcipit, & fugere & pugnare. Si vos (inquit) persecuti fuerint in vnam ciuitatem: fugite in aliam. E contrario vero, nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest, & corpus, & animam perdere in gehẽnam. Bonus medicus aliter infirmis aliter sanis respondet. Bonus dux aliter equites, & aliter ordinat pedites. Beati eritis cũ vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Vnde & Apostolus ait. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam: & consolationem scripturarum spem habeamus. Cum enim audimus patriarchas, & Prophetas multas persecutiones passos esse: cum legimus sanctos patres, per multam patientiam quam habebant Domino placuisse, & de summis periculis multoties liberatos fuisse, debet & nos talis lectio instruere, & docere; & ad patientiam prouocare: & magnam spem, & consolationem in tribulationibus, Tales fuerunt Iob & Tobias: tales Esaias, & Hieremias, Tales Aggæus, & Zacharias, Tales tres pueri, & Daniel, Talis propheta Ezechiel. Tales Neemias, & Zorobabel. Quære in libris Macchabæorũ, & videbis Eleazarum virum religiosum & senem, & cuius laudes & difficile explicari valeant, quam dura tormenta patiatur: quia carnes porcinas manducare noluit. Sed quare dico mãducare noluit cum neque ad simulandum cogi potuit? Septem quoque fratres simul cum matre quia cibos illicitos, & lege prohibitos comedere noluerunt, horrendis cruciatib. necati sũt. De talibus itaque Dominus ait: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Aliis vero sufficere poterunt preciosæ mansiones quas ibi habebunt de quibus Dominus ait. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Nos vero infelices quid faciemus qui non solum tales cruciatus, sed & muscas, & pulices ferre non valemus? Quia ad facilem iniuriam, aliquando ad vnũ verbum incaute prolatum, multoties etiam ad fratris risũ & leuem subsannationem sic irascimur, vt vix aliquando placari possimus. In cibo quoque, & potu sic plerumque impatientes sumus, vt neque horam, neque mensuram custodiamus, & nisi eos quotidie non ad necessitatem, sed ad voluntatem, & superfluitatem habeamus, detrahimus magistris, & præpositis nostris, qui nobis eos præparare debuerant. Natura (ait quidam) paucis immo minimis contenta est, voluptati autem nihil satis est. In vestibus quoque patientiam non habemus; quia multoties & plures, & preciosiores quærimus quam necesse sit, neque deest inuidia, si forte aliquem fratrem meliores habere videamus. Si vero infirmitas contingat, ibi patientia nulla est. Cum vtique tunc magis necessaria sit, quando mors proxima esse timetur Non possumus omnia enumerare, quæ contra patientiæ bonum impatientes peccamus Non sumus de illis (quod valde nobis timendum, & dolendum est, sed vtinam aliquando esse mereamur de quibus Dominus ait. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et quam quæso possessionem habebit qui nec seipsum, nec animam suam habebit nec possidebit? Valde igitur homini necessaria est patientia, sine qua perdit hoc ipsum quod est. Laudat Apostolus quosdam qui rapinas bonorum suorum cum gaudio susceperunt. Et Dominus in Euangelio loquitur dicens. Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alteram, & qui abstulerit tibi tunicã, præbe ei & pallium. Et si quis te angariauerit mille passus, vade cum illo et alia duo. Hæc quidem ad litteram dici videntur, non tamen generaliter omnib. sed illis specialiter quæ sic mundo mortui sunt, vt in omni humilitate, et patientia soli Deo placere desiderent.

DE HVMILITATE.

CAP. IX.

BEatus Paulus Apostolus Doctor et magister gẽtium qui non in terris, sed in scholis cœlestibus didicit sapientiã, cum de castitate loquatur sic ait. Qui habent vxores, tanquam non habentes sint, et qui solutus est ab vxore, non ducat vxorem. Si igitur qui non habent, ducere non debent, et qui habent sic debent habere quasi non habeant, quid aliud consequitur, nisi omnes continentiæ, et castitati operam dare? Quid est ergo quod paulo ante ibidem ait? Vir vxori debitum reddat, Similiter autem, et vxor viro? Et illud Quoniam si se non continent nubant, tantum in domino? Cõtraria sibi esse vidẽtur, vir vxori debitũ reddat, et sic eã habeat quasi nõ habeat Similiter aũt, et qui solutus est ab vxore nõ ducat vxorem, et qui se non continet, nubat, contraria esse videntur. Sed vnum verbum posuit Apostolus, in quo tota hæc quæstio videtur esse soluta, hoc videlicet quod ait, qui se non continet. Qui enim se continet, et castitatem custodire potest (si tamen, et vxori eadem continentia sit) hic vtique sic debet vxorem habere quasi non habeat idest sic debet eã habere quasi sororem non quasi vxorem, non ad carnis voluptatem, sed pro coniugii necessitate. Ille quoque qui vxorem non habet, si hæc a Deo ei gratia data est, vt continentiam custodire valeat, vxorem ducere non debet, et quare ducere non debeat, hæc est causa. quia qui solutus est ab vxore cogitat idest cogitare potest quæ Dei sunt: quomodo placeat Deo. Illi vero qui se continere non possunt, et vxores ducere et debitum soluere non prohibentur. Hoc quoque ipse Dominus dicere videtur, Cum enim dixisset, vt excepta causa fornicationis vir vxorem non dimitteret, cumq; discipuli responderent, si ita est causa viri cum vxore non expedit nubere, subdidit, dicens, Non omnes capiunt verbũ hoc, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui sic nati sunt, alii qui ab hominibus facti sunt, sunt et alii, qui se-

ipsos

ipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Ex hoc quidem tale est ac si diceret. Dicitis quod non expedit nubere, verum quidem dicitis si quis est cui hæc virtus a Deo data sit, vt se continere, & castitatem custodire valeat. Sed non omnes capiunt hoc verbum, non omnes huic sententiæ obediunt: sed illi soli quibus hæc gratia a Deo data est. Sũt enim eunuchi, qui sic nati sunt idest sunt, aliqui homines qui naturaliter casti sunt, & voluptatis impetus non sentiunt. Sunt autem alii qui ab hominibus fiunt, sicut illi, qui vi monasteriis, cæterisque locis religiosis sub disciplina ab aliis ita custodiuntur, vt ita eos, etiam si nolunt, castos esse & cõtinentes necesse sit. Talis autem castitas, quia spontanea nõ est, non magnam habet retributionem. Sunt autem eunuchi & ipsi quidem meliores, qui nemine cogente, sed ipsi sua spõte seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Et isti quidem quasi in prælio constituti contra carnis voluptatem, & luxuriæ impetus viriliter dimicantes, continentiam, castitatemque custodiunt. Distat autem inter castitatem, & virginitatem, quia nec omnes casti virgines: nec omnes virgines casti sunt. Vnde Apostolus ait. Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Si enim virgo & casta idem significarent, non esset necessarium simul vtrunq. dicere. Et virgo quidem dicitur, qui se a carnis pollutione custodit, Secundum illud. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Non sufficit autem virginitas ad beatitudinem sine castitate, sufficit autem multoties castitas sine virginitate. Maior igitur est castitas, quam virginitas. Virginitas in vno membro, castitas in omnibus membris consideratur. Scriptum est enim. Eloquia Domini eloquia casta. Itemque Quis gloriabitur castum se habere cor? Sicut igitur lingua dicitur casta, & cor castum, ita oculi, aures, manus, pedes, & cætera membra casta dicuntur. Castitas autem, & circumcisio pene idem esse videntur, vt vbicumque circumcisio sit, ibi & castitas locũ habeat. Circumcidite, inquit, præputium cordis vestri. Et Moyses incircumcisum labiis se esse dicit. Et beatus Stephanus, Incircumcisos auribus, & corde Iudæos reprehendit. Arbores quoque circumcidi præcipit Moyses. Talis autem circumcisio castitas est. Videtur castus ab eo dici qui stultitia careat: stultus autem qui de statu suo tultus idest sublatus sit. Lingua igitur quæ loquitur vanitatem, quia stultitia non caret, casta dici non potest. Similiter autem, & oculus, & auris cor etiam ipsum, quando vana cogitat castum non est, quia stultitia non caret. Et ideo quidem non caret quia de statu suo sublatum est, & in naturali bonitate non manet. Illa itaque virgo quæ corde, & ore, manibus & pedibus, lingua, & oculis vaga est: quamuis virgo sit, casta tamen non est. E contrario vero quicumque honeste, & sapienter, continentiæ virtute se suaque membra custodit, etiam si vxori debitum reddat: castus quidem est: virgo autem non est. Beata virgo Maria cum dixisset: Magnificat anima mea Dominum: mox subdidit dicens: quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Nõ dixit, quia respexit virginitatem, sed potius humilitatẽ, quoniam etsi vtraque virtus magna est, humilitas tamen potior est. Multæ virgines tunc erant, sed hanc solam respexit Deus: quæ præ cæteris humilior erat. Nescio an virgo in eo quo virgo est magis vel minus casta dici possit. Si ergo ad solã virginitatem Deus respexisset, multæ virgines erant quæ Christi matres fieri potuissent. Non itaque superbiant virgines de virginitate, sed intendant ad castitatem, & humilitatem. Audiant dicentem: Quæ est mater mea, & quæ sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est; ipse meus frater, & soror & mater est. Cum autem omnes Christiani continentiam, & castitatem habere debeant, maxime tamen clericos hanc virtutem tenere, & obseruare oportet. Vnde, & Dominus Moysi præcipit: vt Aaron sacerdoti & filiis eius feminalia faciat: sine quibus ad altare numquam accederent: ne forte morerentur. Feminalia enim castitatem significant: quia illa membra in quibus maxime luxuria damnatur, coercent, & casta custodiunt. Illi sacerdotes & clerici feminalia non habent, qui hæc membra non constringunt, sed per illicita vagari permittunt. Sed valde timendum est quod dicitur; ne forte moriantur. Si non vis mori: aut castitatem custodias, aut ad altare non accedas. Hinc est quod serui Salomonis inter cætera quæ afferunt, ebur quoque ei afferre leguntur. Serui Salomonis nos sumus, qui eboris pulchritudinem, & candorem, per quæ castitas figuratur, Christo Domino vouere, & offerre debemus. Castissima animalia sunt elephantes, & non nisi semel coire dicuntur. De nobis autem dictum est. Sacerdotes mei semel nubant. Legitur de Salomone quod solium sibi eburneum fecerit, cuius excellentiæ nullum aliud poterat comparari. Duo leones erant ibi, vnus a dextris, & alter a sinistris: inter quos medius ipse sedebat. Habebat autem sex gradus super quos duodecim leunculi positi erant: sex hinc, & sex inde. Dic mihi quæ bestia illuc vnquam accedere auderet, vbi tot leones congregati erant: præsertim cum scriptum sit. Leo fortissimus bestiarum ad nullius timebit occursum. Quot sunt vitia, tot bestiæ quæ Salomonis solio insidiantur. Ego duos leones duo testamenta intelligo: quæ sua fortitudine omnes bestias interficiunt; quorum doctrina, & consilio omnes Iudæos, gẽtiles, & hæreticos superamus. Duodecim vero leunculi duodecim Apostoli sunt: qui Salomonis solium, sanctam videlicet ecclesiam die noctuque custodiunt. Ad hoc solium & ad eum qui in eo sedet nisi per gradus eburneos idest per continentiam, & castitatem ascẽdere nemo potest. Qui in tali solio sedere vult castitatem custodiat. Solium tuum & sedes anima tua: caro tua est, quæ si casta fuerit, eburnea est. In Canticis canticorum venter Christi eburneus dicitur. Venter in medio corporis est, in medio vero esse spectat ad dignitatem. Quid enim Psalmista de gradibus eburneis dicat audiamus. Myrrha, inquit, & guttæ, & casia a vestimentis tuis a gradibus eburneis: ex quibus te delectauerunt filiæ regum. Istæ quidem filiæ regum quæ regem delectauerunt per gradus eburneos idest per gradus continentiæ, & castitatis ad Deum ascendebant. Dicitur de adamante quod nec igne nec aliqua vi frangi, vel domari possit, solo tamen sanguine hyrci calido soluatur. Hyrcus fœtidissimum animal & luxuriosum est. Sanguis igitur eius luxuria est. Per adamantem vero viri fortes intelliguntur: Qui quamuis circa alia fortissimi sint, multoties tamen luxuria superantur. Quoniã fortis erat Dauid, qui visa Bersabee, luxuria resolutus est: Quam fortis, & sapiens Salomon, qui quamuis in solio eburneo, & inter leones securus sedebat, aliquando tamen a solio separatus & inter mulieres inuentus, in tantum a luxuria emollitus est, vt ceruicem miserabiliter idolis inclinaret. Quicumque igitur vult esse securus, a sede eburnea, & leonum custodia non recedat, idest continentiam, castitatem & sanctorum volumina non relinquat. Gaudeo super fortitudine Ioseph & Iudith: quorum alter ab ipsa luxuria teneri non potuit: sed eius impias manus nudus euasit. Altera vero ipsum Cupidinem viriliter decollauit. Dauid etiam vxor Vriæ Cethei de sede eburnea excussit: postea cum Abisac Sunamitide in lecto eburneo quieuit, & qui cum Bersabee incontinenter vixit: postea cum Abisac continentiam, & castitatem custodiuit. Hoc autem exẽplum omnibus sit ad imitationem, omnibus sit ad consolationem, quibuscumq. de sede eburnea cadere contigerit. Bene autem Abisac pater meus superfluus interpretatur. Sunamitis vero despecta: quia tunc nimirum castitas quæ per Abisac significatur a Dauid despecta fuerat, quoniam superflue alienas vxores insectabatur, qui tot vxores, & concubinas habebat. Fuit autem Abisac non vxor, sed filia Dauid, qui non quasi cum vxore, sed cum filia cum ea dormiebat. Dicat igitur Abisac pater meus superfluus. Sic enim interpretatur nomen eius, castitatem, & continentiam despexit in Bersabee, in me autem eam dilexit, & complexus est.

DE OBEDIENTIA.

CAP. X.

Dominus,& saluator noster ipse nos docuit quantum sit obedientiæ bonum. De quo scriptum est. Quia factus est obediens patri vsque ad mortem. Per inobedientiam primi hominis perierat mundus? per obedientiam secundi hominis Iesu Christi saluatus est mundus. Ille inobediens ad lignum vetitum accessit: iste obediens lignum crucis ascendit. Ille accedens rapuit quod non debebat, iste ascendens quæ non rapuit, tunc exoluebat. Narrat Hieremias Propheta de filiis Ionadab filii Rechab, quod eo tempore quo Nabuchodonosor cum exercitu suo venit obsidere Hierusalem, filii Ionadab de agris in quibus habitabant,fugerũt in ciuitatem. Accessit ad eos Hieremias ex præcepto domini,& duxit eos in vnam hexedram templi,& antepoſuit eis scyphos cum vino,quo illi non vtebantur. Et præcipit eis,vt biberent. At illi respondentes dixerunt. Non bibemus, quia Ionadab pater noster præcepit nobis vt vinum non biberemus, domos non ædificaremus, agros non coleremus, vineas non plantaremus, sed tantum in tabernaculis habitaremus. Et ait Dominus. Præualuit sermo Ionadab seruorum meis. Ego die nocteque per seruos meos prophetas populum istum admonere non cesso, & non audiunt vocem meam; & filii Ionadab filii Rechab præcepta patris sui tam diligenter custodiunt, & transgredi formidant. Et dixit Hieremias filiis Ionadab Quia obedistis præceptis patris vestri,hæc dicit Dominus. Non deficiet vir de semine vestro qui stet coram domino cunctis diebus, Populo vero sic ait. Quia non audistis mandata Domini,& præcepta eius non custodistis omnia quæcumque loquutus est dominus venient super vos,& super ciuitatem istam,& eritis in opprobrium cunctis gentibus. Hæc verba quamuis magnum exemplũ sint multum que proficiant ad obedientiæ custodiam, & obseruationem aliud tamen significare videntur. Iste enim Rechab qui ascendens interpretatur, illum nobis significare videtur,de quo scriptum est. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Ionadab vero qui Domini donum vel columba dedit,interpretari dicitur quid melius quam spiritum sanctum significare potest? qui & donum Dei,& columba in sanctis voluminibus, multoties vocatur? Huius autem filii sunt quicumque ex aqua & spiritu sancto renati sunt. Vnde, & beato Petro dicitur,Beatus es Simon Bariona,id est Simon filius columbe, quia bariona filius columbæ interpretatur. Merito itaque Ionadab columba dedit interpretatur,quia nihil boni habemus,nisi quod hec columba nobis dedit.Isti ergo filii Ionadab, id est Christiani,& fideles quia spiritui sancto obedientes fuerunt in cælesti Hierusalem coram Domino stabunt, in æternum. Non solum autem Ionadab, Rechab quoque filii isti dicuntur, illius scilicet de quo dicitur. Qui ascendit super cœlum cæli ad orientem. Sicut enim in filiis Ionadab probatum est obedientiæ bonum, ita in Saul,& filiis eius probari potest in obedientiæ malum. Preceperat dominus Sauli vt pugnaret contra Amalech, & omnes interficeret morte gladij, nec homini, nec pecori, nec alicui parceret animali. Ille autem expugnato Amalech, pepercit Agag regi eorum,& quæque meliora de gregibus eorum reseruauit. Vnde,& semen eius a domino reprobatum est, ne regnaret super Israel. Dicente Samuele, quia obedientiam vult Deus mag s quam holocaustum,quoniam quasi peccatum ariolandi est non obedire,& quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. Iste est Agag,de quo prophetauerat Balaam dicens.Tollatur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius. Et hoc quidem in Saule completum est: qui fuit primus rex in Israel:sed quoniam pepercit Agag regi Amalech, regnum illius destructum est,ne filii eius regnarent post ipsum. Audiant hæc inobedientes, & nec ipsa sacrificia sine obedientia Deo placere intelligant. Possumus autem per Amalech qui populus brutus interpretatur,vitiorum exercitum intelligere. Cui vtique parcendum non est,sed totus,vsque ad internicionem deleri debet. Huius autem rex vocatur Agag,qui tectum interpretatur, per quem diabolum intelligimus,cui talis exercitus famulatur, totusque in ipso quasi sub vno tecto, & vna domo collectus continetur. Inde vero in huius mundi latitudinem diffusus omnes homines vbique perturbat. Mala domus malos habet habitatores. Sed quid dicam de obedientia Noe: de quo scriptum est. Noe vir iustus atque perfectus in generationibus, suis fuit cum Deo ambulauit,& fecit omnia quæcumque præceperat ei Deus. Vide quam obediens vir iste fuerit,qui ea que sibi a Domino imperata fuerant,cuncta compleuit. Quem enim non tederet per centum annos in vno ædificio desudare? Sed longa obedientia longam,& diuturnam mercedem promeruit, & cum totus periret mundus, ipse solus cum domo sua in diluuio saluatus est. Abrahæ vero obedientia; quanta fuerit paucis verbis explicari non potest. Ipse est enim cui Dominus ait, Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui; & vade in terram quam monstrauero tibi. Fecit igitur Abraham quod sibi fuerat imperatum, & quemadmodum post ea Apostoli,relinquens omnia, iter cœpit quo nesciebat. Relinquamus igitur & nos terram nostram,relinquamus concupiscentias carnis nostræ: eamus in terram quam Dominus ostendit. De qua Psalmista loquitur, dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Cum iam senex esset vir iste beatissimus, & vxor eius quæ etiam sterilis erat,processisset in diebus suis, filium a Deo suscipere meruerunt. Qui cum adolescens factus esset vocauit Deus Abraham,& dixit ad illum. Tolle filium tuum quem diligis Isaac,& offer illum mihi in holocaustum super vnum montium quem dixero tibi. Ipsum inquit, filium tuum quem scio te iustum diligere: non Hismaelem dico,sed Isaac: ipsum tolle,& offer mihi in holocaustum: sic volo,sic iubeo, sic mihi placet. Et quid fecit tunc Abraham? Considera viri obedientiam: non expectauit vsque mane: sed de nocte surrexit, & veniens ad montem visionis,id est ad montem Sion,qui speculatio interpretatur; in quo postea Dominus crucifixus est præparabat se, vt filium suum immolaret. Dixitque ad eum Isaac. Ecce ignis,& ligna: vbi est victima holocausti? Sicut Iosephus refert iam illius erat ætatis vt si voluisset, a patre iam sene se defendere potuisset, veruntamen postquam Dei,& parentis voluntatem cognouit non restitit: sed sua sponte ligari permisit: gaudens quod Dei hostia fieri merebatur. Vtrum tibi horum duorum maioris obedientiæ fuisse videtur, cum & Abraham Deo & filius eius parenti simul obedirent, & Deo? Magna quidem in vtroque obedientia, & tali patre talique filio digna. Hæc historia non est simpliciter accipienda, aliquid,& magnum aliquid significare videtur. Quid enim per Abrahamum nisi Deum patrem intelligimus. qui proprio filio suo non pepercit,sed pro nobis tradidit eum Quid vero per Isaac nisi Dei filium saluatorem nostrum: qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis:Egregie autem fictum est, quod non Isaac, sed aries pro eo immolatus est: quia non Dei filius secundum diuinitatem,sed potius hominis secundum humanitatem,sicut agnus ad victimam ductus est,& non aperuit os suum Audiamus itaque Petrum Apostolum dicentem.Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. Quid est vt sequamini vestigia eius, nisi vt discatis,& custodiatis obedientiam eius? Longum sit, viuus sermonis quantitatem excedat si omnes ponere velimus, qui per obedientiam Domino placuerunt. Quid igitur dicent Monachi inobedientes,& suas volūtates facientes? ac per hoc Deo non placentes,cum tota monachorum religio obedientia sit? & sine obedientia monachus nihil sit? Cum viderint non solum rationales creaturas sicut Angelos, & homi-

homines, verum etiam quæ sensu, & ratione carent iubentis domini obedire voluntati? Inde est enim quod cœli enarrant gloriam Dei. Inde est quod venti, & mare obediunt ei. Inde est quod terra nostra dedit fructum suum: inde est quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Denique quod virga in serpentem, & aqua mutatur in sanguinem: quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluit. Quod asina loquitur: quod Iordanis conuertitur retrorsum, quod iubente homine Sol non mouetur: totū hoc obedientia facit. Sunt, & alia huiuscemodi innumerabilia, quæ in diuinis voluminibus, inueniri, & colligi possunt. Præsertim, qui noui testamenti paginas legerit: ibi cognoscet quantum obedientia possit: ibi videbit ad hominis imperium dæmonia fugere, mortuos resurgere, elementa mutari, leprosos mundari, cæcos illuminari, paralíticos curari. Sed quid multa? ibi videbit nihil rerum posse nec naturam contra illius voluntatem, qui creauit ipsam naturam. Sed o miseria semper lugenda, & magis lachrymis, quam verbis exponenda: Omnis creatura est obediens Deo præter illa quę facta est ad imaginem Dei. Solus diabolus, & homo inobediens, inuenitur, cum nulla alia creatura inobediens inueniatur.

DE ABSTINENTIA.

CAP. XI.

DE virtute abstinentiæ ipse Dominus in Euangelio nos admonet dicens: Videte ne grauetur corda vestra in crapula, & ebrietate. Nequaquam interdicit nobis manducare, & bibere Dominus & saluator noster: quoniam ipse scit figmentum nostrum. Manducare, & bibere non est peccatum; siquidem, & ipse manducauit, & bibit. De quo scriptum est. Qui peccatum non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius. Crapula vero, & ebrietas peccatum est, quia superflua sunt, modum excedunt, corda grauant, corpus corrumpunt, libidinem prouocant, mentem euertunt, & simul exteriorem hominem debilem reddunt. Necessaria Dominus concedit, superflua prohibet. Vnusquisque sui corporis mensuram cognouit. Si quis parum comedens crapulatur, & parum bibens inebriatur, etiam de ipso modico aliquid minuat, donec ad mensuram cuncta suscipiat, & non voluptati, sed necessitati obediat. Neque enim fieri potest, vt qui in manducando, & bibendo carnis sequitur voluptatem aliquando non veniat ad crapulam, & ebrietatem. Maiorum sententia est. Sic comedat Monachus, vt semper esuriat, & sic bibat episcopus, vt an biberit, nesciat. In talibus vt puto crapula, & ebrietas locum nō habet. Hinc est autem quod Beatus Petrus Apostolus ait. Obsecro vos tamquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis quę militant aduersus animam. Non quasi subiectis vobis precipio, sed quasi extraneos rogo, vt vos a carnalibus desideriis abstineatis, quæ militant aduersus animam, quæ bella spiritui mouent. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non quæcumque vultis, illa faciatis. In hac tali pugna, alii carni, alii spiritui assimilantur. E contrario vero spiritum opprimunt, qui carnis desideria sequuntur. Duę sunt abstinentiæ, vna animalis, altera spiritualis, vtræque magnæ, sed maior altera, quia maius est abstinere a vitiis quam a cibis. Quamuis & ciborum abstinentia tam magna sit, vt non solum a prophetis verumetiam ab ipso domino sit confirmata. Primum enim Moyses, deinde Helias, postea vero ipse dominus noster Christus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunasse leguntur. Beatum vero Ioannem Baptistam cuius abstinentiæ fuisse putamus? qui vinum, & sicetam non bibit, Cuius cibus locustæ, & mel syluestre fuisse narrantur. Primi parentes nostri ideo mortui sunt, quia abstinentiam non habuerunt. Iam mortis sententiam Niniuitæ acceperant, dicente Propheta. Adhuc quadraginta Dies, & Niniue subuertetur, & triduano ieiunio liberati sunt. Dauid quoque de sua abstinentia sic ait, Similis factus sum pelicano in solitudine. Pelicanus auis quædam dicitur esse cuius magnitudo est ad vulturis quantitatem, semper solitaria, & in solitudine moratur, quæ tantæ abstinentiæ est vt sicut aliæ aues saturitate, ita ipsa ieiuniis delectatur. Talis auis fuit Antonius talis Paulus, & Hylarion. Talis beatus Benedictus, quorum deliciæ ieiunium, quorum vita abstinentia fuit. De talibus autem, & Dominus loquitur ad Iob dicens. Quis dimisit onagrum liberum; & vincula eius, quis soluit? Cui dedi in solitudine domum & tabernacula in terra salsuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit, circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit. Quos Dauid per pelicanum, eos Dominus per onagrum significat. Est autem onager asinus syluester, numquam a solitudine recedens, qui propria vtens libertate, occidi quidem potest, vinculis hominum domari non potest. Per asinum ergo qui stultum animal est, illi intelliguntur, de quibus Apostolus ait. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt perdat sapientia, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret. Homines namque huius mundi quasi asinos, & stulta animalia hos viros clarissimos & Deo amabiles deputabant, quia dimissis sæculi voluptatibus in solitudine habitantes, non quasi homines, sed quasi pecora & bruta animalia viuere videbantur. Nudi & sine tecto, frigus, & calorem die noctuque patiebantur. Ab omni quoque mundana sollicitune liberi, & vitiorum omnium atque carnalium concupiscentiarum vinculis absoluti, per solitudinem vagabantur, cantantes, & iubilantes, & soli contemplationi vacantes. Et hoc est quod Dominus ait, Quibus dedi in solitudine domum, & tabernacula in terra salsuginis. Et isti quidem contemnūt multitudinem ciuitatis, quia mundo mortui soli Deo placere desiderant: & mente iam inter angelos conuersantes, hominum conuersationem non appetunt, dicentes cum Apostolo. Nostra autem conuersatio in cęlis est. Clamorem autem exactoris non audiunt, quia non ventri, sed spiritui seruiunt. Iste exactor, venter noster est, cui nisi debitam annonam quotidie persoluamus, quasi impius exactor nos torquere, & cruciare non cessat. Tam improbus enim est, vt tota nostra substantia vix ei sufficere possit. Illi tamen ei non obediunt, & alio cibo refecti eius clamores, & tortiones sic patiuntur, quasi eos non sentiant. Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Circumspiciunt igitur montes pascua suæ, & virentia quęque perquirunt. Isti sunt montes illi de quibus dicitur. Leuaui oculos meos ad mōtes, vnde veniat auxilium mihi. Duo magni montes duo sunt testamenta, cæteri vero tot sunt quot prophetarum libri. In his autem inueniuntur pascua semper virentia, & nunquam deficientia, quibus nulli ciborum apparatus nullæ one deliciæ comparari possunt. His igitur Dei onagri refecti clamorem exactoris non audiunt. Ad hos itaque respiciant qui abstinentiæ bonum cognoscere quærunt. De qua & Apostolus ait, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur armis lucis, sic vt in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione. Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. Nonne audis quod, & Apostolus non necessaria sed superflua interdicit? Comessationes enim ebrietates, & carnis curam non in necessitatibus, sed in desideriis, & voluptatibus superflua sunt. Dominum autem Christum induit quicunq. sapientia, iustitia, & veritate, castitate, humilitate,

& virtutum omnium honestate vestitur. Vbi abstinentia non est, ibi castitas, & honestas esse non possunt. Plantauit vineam Noe, inebriatus est: & nesciens, verenda discooperuit. Ecce verenda quæ semper operienda sunt, ebrietate manifestantur. Et ideo Apostolus ait. Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Si tantus patriarcha inebriatus verenda sua cælare non potuit, quomodo ebriosus membrorum suorum honestatemque seruabit? Loth quoque vino inebriatus filiarum pudicitiam violauit. Quem tantum vno superatum, immo vero sepultum scriptura commemorat: vt malum quod fecerat, ebrius ignoraret. Vnde, & Salomon non immerito ait. Visio Lamuelis qua erudiuit eum mater sua. Noli regib. Lamuel, noli regibus vinum dare: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas. Ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum: & mutent causam filiorum pauperis. Lamuel in quo est Deus interpretatur, per quē Apostolos intelligimus qui amici Dei appellantur. De quibus ipse Dominus ait. Vos amici mei estis: & sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Isti Isti autem a matre instructi. mater enim eorum ecclesia est, vinum regib. interdicunt. Reges isti Episcopi, & sacerdotes sunt, qui alios regentes & corrigentes, ab omni vinolentia, & ebrietate: vt se custodiant necesse est. Vnde & plenus Deo Beatus Paulus tales Episcopos & sacerdotes eligi præcipit, qui non vinolenti, sed modesti, non ebriosi, sed sobrii sint. Timotheo tamen Episcopo dicit, vt vtatur modico vino propter stomachum, & frequentes suas infirmitates. Diaconos etiam non multo vino deditos esse iubet. Sic igitur Lamuel non dat vinum regib. & dat vinum regibus. Non dat vtiq. ad ebrietatem & superfluitatem, dat aūt ad modestiam, & sobrietatem, & corporis necessitatem. Nam & Saluator noster sic a Iudæis reprehenditur quasi potator vini, & amicus Publicanorum. Et igitur non necessaria sed superflua prohibentur. Et vini, & concupiscentiæ ebrietas mala est, Quia nullum secretum est: vbi vel hæc vel illa ebrietas regnat. Tales ebrij non possunt dicere. In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi. Et multoties amisso sensu & intelligentia & bonum malum, & malum bonum dicunt; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: dicentes dulce amarum & amarum dulce: & vtroque vino inebriati peruertunt causam filiorum pauperis. Illius videlicet pauperis qui cum omnium diues esset, pauper pro nobis factus est. Cum igitur cibi potusque abstinentia tam vtilis sit, vitiorum, & voluptatum abstinentiam quam necessariam esse putabimus? Hæc enim est voluntas Dei, ait Apostolus, vt abstineatis vos a fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderii sicut & gentes quæ ignorant Deum. Vno verbo omnium vitiorum genera comprehendit. In eo enim quod ait non in passione desiderii: omnis spiritualis, & carnalis abstinentia continetur: & sine mentis carnisque desiderio raro videtur fieri peccatum. Fit tamen aliquando, dum alii alios etiam inuitos, vel vi, vel blanditiis peccare compellunt.

VBI IDEST IN QVIBVS ECCLESIA ORNATVR.


CAP. XII.

DIximus superius de Ecclesia & ornamentis eius restat nunc vt suis ornamentis eam indutam videamus, & in eius specie, & pulchritudine delectemur: de qua Psalmista ad Dominum dicit. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumamicta varietate. Hæc regina ipsa est de qua loquimur, ecclesia Dei, quę bene a dextris stare dicitur: quia læta, & prospera ipsi parantur. In iudicio, vt Dominus ait, Stabunt agni a dextris, hœdi aūt a sinistris. Multa sunt eius vestimenta, multa sunt eius ornamenta, & ideo varietate circumamicta probabetur: sed nullum ornamentum habet, quod vel aureum, vel deauratum non sit. Nullum sine auro est ei ornamentum. Sæpe iam diximus quod per aurum, aut sapientia, aut vitæ integritas, & puritas designatur, sine quibus nullum ornamentum pulchrum est, & quodcunque his non decoratur vile, et abominabile est. Talibus ornata dicitur Rebecca, cui seruus Abrahæ inaures aureas; et armillas aureas, et aurea vestimenta dedit le uariatur. Ingredere in templum Salomonis, et circumspice diligenter, nihil ibi nisi aurum, et ipsum purissimum videre poteris. Quare hoc? Quia nihil fatuum, et stultum, nihil turpe, et immundum in domo Dei apparere debet. Regina Sabba per quam ecclesia figuratur, veniens ad Salomonem attulit ei centum, et viginti talenta de auro purissimo. Pulchre igitur in vestitu deaurato ecclesia describitur, vt tota sapiens, tota munda, et incorrupta intelligatur: De qua per Salomonem Dominus ait. Vna est columba mea, perfecta mea, immaculata mea, de qua et Apostolus ait. Vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Nullum igitur ornamentum illius est, et speciosum, et pulchrum videtur, nisi aureum fuerit. Videntur enim hæretici pagani, philosophi, et Iudæi eadem ipsi ornamenta habere quibus sponsa Christi vtitur, sed in hoc differunt, quod aurea non sunt; quamuis aurea esse videantur. Nulla enim alia sapientia aurea est, nisi ea quæ euangelica et Apostolica doctrina confirmatur. Quæcumque igitur fides, quęcumque charitas, quæcumque humilitas, quęcumque misericordia, pax, patientia, iustitia, vel obedientia fuerit, si Apostolicæ doctrinę auro non splenduerit, falsa est, corrupta est, immunda est et tamquam mors et venenum fugienda est. Merito ergo in vestitu deaurato ecclesia pingitur, cuius omnia ornamenta tam purissimo auro intexta sunt. Semper autem sancta ecclesia omnibus suis ornamentis induta est, quamuis non simul omnia semper videantur. Aliquando fidei, aliquando spei aliquando charitatis ornamento induta conspicitur, cęteris quodammodo sub vna latentibus, et non apparentibus. Quando autem fidei ornamentum apparet, tunc mirabile videas, dęmonia fugere, mortuos surgere, cæcos illuminari, paraliticos curari, leprosos mundari, aliaque miracula fieri, quæ ab his qui eodem fidei ornamento vestiti non sunt omnia impossibilia esse creduntur. Hoc autem ornamento post Christi passionem longo tempore ecclesię filii vsi sunt, quoniam gentiles, et infideles maxime hoc videre delectabantur, hoc ad Christi amorem trahebantur. Ita vt manifeste intelligerent omnia possibilia esse credenti. Quando vero spei ornamentum manifestatur, tunc tota in contemplatione erigitur, et a terrenis ad cęlestia sublimatur, vt quamuis corpore in mundo sit, confidenter tamen dicere audeat, nostra conuersatio in cœlis est. Spe enim salui facti sumus. Et tunc quidem tam magna promittit vt quodammodo extra se ducat, et in desiderium obedienti inflammet audientes ita vt simul cum Apostolo quis audiens dicat. Cupio dissolui, et esse cum Christo. Et cum psalmista. Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei. Sed quid mirum, cum ea indubitanter speranda promittat, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se? Hæc autem spei contemplatio facit, vt sponsus aliquando de ea dicat. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, vt non suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Hoc spei desiderio tenebatur illa de qua ipse Dominus ait. Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Si vero in charitatis se ornamento ecclesia reuelauerit, tunc videas omnes se vicissim salutantes in osculo pacis, tunc intelligas, quam bonum sit, et quam iucundum habitare fratres

in v-

in vnum:& quomodo multitudinis credentium erat cor vnū, & anima vna:erantq. illis omnia communia :& nemo dicebat aliquid esse suum. Quādo hoc ornamentum apparet tūc idem volunt atq. idem nolunt omnes. Idem enim velle & idē nolle ait quidam firma amicitia est. Maiorem autem charitatem nemo habet dicit Dominus, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, Quoties ecclesię filij charitatis vestibus induuntur:toties odium:ira, inuidia, indignatio, furor detractio, contentiones, ęmulationes dissensiones, fugantur, & perimuntur. Conueniunt enim, sibique vicissim opitulantur charitas, & concordia, pax, & misericordia: coram quibus hæc talia portenta consistere non præualent. Sunt alia quædam ecclesiæ ornamenta tam artificiose inter se coniuncta vt vnum sine omnibus induere non valeat. Quatuor enim sunt quorum primum prudentia, secundum iustitia, tertium fortitudo, quartum temperantia dicitur. De quibus superius satis locuti sumus. His autem Ecclesiæ filij præcipue in quadragesimis, & magnis solemnitatibus, & si quando cōcilia celebrantur, indui solent. Et tunc quidem videre & audire satis suaue, & delectabile est, sapientiam prędicantem, iustitiam iudicantem, fortitudinem superantem, & temperātiam pro quibusdam viriliter interpellantem. At vero humilitatis ornamentum quando ecclesiæ filii induuntur, tūc omnis superbia confunditur, arrogantia dissipatur: præsertim cū Beatæ Mariæ Virginis sententia: Deponit potentes de sede, & exaltat humiles, & filius eius saluator noster eandem sententiam confirmans dicit. Omnis qui se exaltat, humiliabitur et qui se humiliat, exaltabitur. Tunc virginum choros, et monachorum exercitus conspicias lana, & pellibus indutos, quibus indumentis maxime humilitas gloriatur, Inter quos & pater noster Benedictus super eburneam sedens cathedram, totum humilitatis ornamentum in duodecim membra partitur. Quando autem cum misericordiæ vestibus, se manifestat tunc hospites colliguntur, nudi vestiuntur, carceres aperiūtur, infirmi visitantur, famelici satiantur, & ipsa mater humilis, & misericordissima Domini sui exempla secuta pauperib. ministrare, & pedes lauare non dedignatur. Nullum indumentum est, quo magis ornatam eam videre desiderent, quicūq. paupertate infirmitate, vel quacumq. calamitate oppressi sunt. Hoc autem vestimento ipse Dominus, & saluator noster indutus dicebat. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Et Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cęlorum. Sunt & alia ornamenta quibus huius reginæ nobilissimæ pulchritudo, & gloria manifestatur: sed tantulla nos modo dixisse sufficiat.





S. BRVNONIS ASTENSIS SENTENTIARVM LIBER TERTIVS.

DE NOVO MVNDO.

CAP. I.



Ouus homo venit in mundum qui nouũ, & veterem condidit mundum. Exiui enim a patre,& venit in mundum vt de immundo faceret mũdum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed quomodo venit qui vbiq. est?Et quæ in mundo erat,& mundus per ipsum factus est. Quomodo etiam a patre exiuit,qui a patre numquam recessit? Venire Dei apparere est,& quando se ostendit:tunc exire,& venire videtur. De quo etiam scriptum est. Hic Deus noster, & non existimabitur alius ad eum,qui adinuenit omnem viam scientiæ. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Visus est enim per humanitatem qui videri non potest secundum diuinitatem:Quia: Nemo Deum vidit vnquam. Veniens autem innouauit omnia; secundum hoc quod ipse dicit. Ecce noua facio omnia Debemus igitur,sicut Apostolus ait,In nouitate vitæ ambulare,& nõ veterẽ sed nouũ hominem imitari. Cum a Iudæis Dominus teneretur,alterius mundi se regem esse ostendens ait. Regnum meum non est de hoc mundo.Quod enim de mundo hoc nõ esse dicit: alterius mundi regnum suum esse ostendit. Est itaque alius mundus supra hunc mundum:valde excellentioris naturæ, & dignitatis quam sit iste mũdus qui in maligno positus est. De quo ipse Dominus ait.Si de mũdo fuissetis, mũdus quod suum erat diligeret.Quia vero de mundo non estis,sed ego elegi vos de mundo:propterea odit vos mundus. Quib. verbis tertium quoque ostendit mundum: per quem ecclesiam intelligimus,quæ de mundo quidem electa est sed iam nũc de mundo non est.Quia & ipse mundus est de quo videlicet mundo scriptum est Sic enim dilexit Deus mundum vt filiũ suum vnigenitum daret:vt omnis qui credit in illũ nõ pereat sed habeat vitam æternam. Non enim venit vt iudicet mũdum,sed vt saluetur mundus per ipsum. Iste enim mundus qui saluatur per ipsum nullus alius nisi ecclesia intelligi potest.Hic est igitur ille mundus de quo Dominus dicit. Ecce noua facio omnia.Quoniam si noua in hoc mundo facta sunt omnia habet igitur ecclesia nouum cælum,nouam terram; nouum solem: nouam lunam, & stellas nouas & nubes, & pluuias,fulgura,& tonitrua,montes,& syluas,& homines nouos, cæteraque omnia, quæ tamen per illa vetera significata fuerant. Et quandam cum illis similitudinem habent. Noui enim sunt cœli de quibus dicitur.Cęli enarrant gloriam dei, & opera manuum eius annunciãt firmamentum. Noua terra illa est de qua dicitur.Et terra nostra dabit fructum suũ. Vis videre nouum solem? Vobis timentibus Deum orietur sol iustitiæ. Et fulgebunt iusti sicut sol in regno Dei? Vis & nouam lunam videre: Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens,pulchra vt luna,electa vt sol,terribilis,vt castrorum acies ordinata. Beatus quoque Ioannes dicit se vidisse mulierem,quę amicta erat sole, & luna sub pedibus eius. Noua & inaudita luna quam mulier sub pedibus habet. Noua stella virgo Maria quæ stella maris interpretatur, & illa de qua dicitur.Orietur stella ex Iacob, exurget homo ex Israel. Nouum est hoc vt ex hominibus stellæ oriantur. Vide etiam nouas nubes nouasque columbas. Qui sunt isti, qui vt nubes volant,& quasi columbæ ad fenestras suas?Ecce inuenimus nouum mundum qui solus vera diffinitione dicitur mundus, quoniam ex aqua & spiritu sancto, de immundo factus est mũdus,Hic sit igitur nobis materia loquendi, & in Dei laudib. sermones componendi. Ipso adiuuante qui viuit,et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DE CÆLIS NOVIS.

CAP. II.

CÆli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciant firmamentum. Cæli vocantur sancti Apostoli,& quare cęli vocentur dicendum est. Sicut enim illius mundi qui ab initio factus est qui e cęlo constat et terra, de quo ait Moyses. In principio creauit Deus cælum, et terram. Maxima pars et nobilissima cælum est,ita et huius noui mundi de quo Dominus ait. Non venit filius hominis vt iudicet mundum,sed vt saluetur mundus per ipsum. Maiores et clariores cæteris Apostoli sunt. De quibus scriptum est.Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. Isti sunt illi senatores de quibus dominus. Nobilis in portis vir eius,quando sederit cum senatoribus terræ.

Qui-

Quib. ipse Dominus. Vos, qui secutis estis me, sedebit super sedes duodecim iudicantes, duodecim tribus Israel. Pro quibus & patrem rogat dicens Pater ego volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. Totus mundus cælo concluditur, tota Ecclesia Catholica inter Apostolicæ fidei, & doctrinæ terminos continetur. Quicunque extra hos terminos est, Prophanus, & infidelis est. Vnde & per Salomonem a Domino dicitur. Non transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui. Merito igitur Apostoli cœli vocantur, cum tantum cœli similitudinem habeant, vt quorum habent similitudinem habeant, & nomen. Celum autem, vt quibusdam placet, a cœlo dicitur, quod cœlatum idest variis cœlaturis siue sculpturis depictum, & variatum est. Ibi enim sol, & luna, ibi stellæ, & maiores, & minores positæ sunt quarum splendore, & pulchritudine sic decoratum est, vt nihil in creaturis inueniatur quod pulchritudini eius valeat comparari. Nam; & in templo Salomonis palmæ cælatæ, & alię cælaturæ valde prominentes fuisse referuntur: quæ quidem omnia Apostolis quoque conuenire videntur. In eis enim et solem, & lunam, & stellas inuenire non est difficile: Ipsi sunt quibus Dominus ait: vos estis lux mundi. Sic eorum fide, & doctrina tota Ecclesia illuminata est: sicut huius solis, & lunæ splendore tota terra illuminatur. In quibus & virtutum omnium pulchritudo quasi stellæ quædam coruscat. Si vero a celando cœli dicantur, eo quod arcana celant cœlestia, & abscondunt, audio Apostolum quoque dicentem de suis arcanis quod raptus in paradisum audierit arcana verba quæ non licet homini loqui: Quibus, & dominus sua secreta celare præcipiens. Nolite inquit, sanctum dare canibus, vel margaritas spargere ante porcos. De istis ergo dictum est, Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum. Quamuis; & illi alii suo modo, Dei gloriam narrent, & nuncient. Alios dixi, quoniam & illi multi sunt secundum illud: laudate Dominum de cęlis. Et cęli cęlorum; Laudate Dominum. Apostolus quoque tres cœlos ponit: Moyses duos, ait enim: in principio Deus creauit cœlum & terram: Ecce vnum, Secunda Die fecit Dominus firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas quæ erant super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento vocauitque firmamentum cœlum. Ecce alterum. Et hoc quidem est illud cœlum, quod per solem, lunam, & stellas, quæ in eodem fulgent & nostris oculis reuelantur. Primum enim cœlum de hoc mundo videre impossibile est, quoniam hoc quod videmus inter nos, & illud positum est. Sed cuius excellentiæ pulchritudinis illud esse putabimus cum huius inferioris tantam esse videamus? Et primum quidem cœlum statim eadem die factum, & illuminatum est dicente Domino: fiat lux, & facta est lux. Hoc autem tertia die postquam factum est, solem, lunam, & stellas suscepisse narratur. Erat igitur sine lumine vsque ad hanc diem: præsertim cum aquis omnia continentibus nondum appareret arida. Tertia namque die dictum est. Congregentur aquę quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. Nondum igitur arida apparebat: quia nondum firmamentum lumen habebat. Primum vero cęlum iam hæc sua fulgebat illa autem lux dies a Domino vocata est: dicente scriptura, vocauitque Dominus lucem diem, & tenebras noctem, dies autem sine luce esse non potuit: Quo autem instrumento lux illius cæli, & illius diei facta sit: cum nondum sol, & luna, vel aliqua luminis instrumenta facta fuissent, dubitari potest. Legimus tamen quod mundus ille non egebat lumine solis quod & nox non erat illic, vbi enim Angeli sunt, tenebræ esse non possunt. Nam de sanctis dictum est, quod Fulgebunt sicut sol in regno Dei. Ipse quoque diabolus nunc niger, & tenebrosus, propter nimiam claritatem prius lucifer vocabatur. Vbi igitur tot soles sunt, iste sol ibi necessarius non est: Quoniam autem mundus iste tertia die illuminatus est (Primus enim mundus, vt modo diximus, ex quo factus est numquam lumine caruit) hoc nobis significare videtur quod tertia (vt ita dixerim) ætate, sol iustitiæ saluator noster natus de virgine mundum illuminauit. Primus siquidem dies fuit ab initio vsque ad Moysen. Secundus a Moyse vsque ad Christum. Tertius vero a Christo Deo & Domino nostro vsque ad finem sæculi: Et tunc quidem populus gentium qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbrę mortis lux orta est eis. Quoniam Christus sol iustitiæ natus est eis. Ceteri vero dies qui præcesserant vsque ad Christum sine luce fuerunt, Primum igitur cælum, quod simul cum luce factum est. Neque enim prius cęlum postea lux, sed eadem die vtraque facta sunt) non ad istum sed ad illum mundum pertinet, Cuius habitatores Angeli sunt, cuius, & viri sancti post hanc vitam incolæ futuri sunt. Per lucem autem, et tenebras, siue per diem, & noctem, bonos, & malos Angelos intelligere possumus, qui quoniam eadem die diuisi sunt subitam malignorum spirituum ruinam significare videntur, Vnde Dominus apud Beatum Ioannem Apostolum, & Euangelistam de eorum principe ait, quod ab initio mendax fuit et in veritate non stetit. Dicit enim ad Pharisæos. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit quia non est veritas in eo. Quorum loquitur mendacium, ex propriis loquitur quia mendax est, et pater eius nostri quoque cæli ad similitudinem firmamenti nequaquam simul, et vocati, et illuminati sunt, sed iam tertio anno postquam vocati sunt, sancti spiritus illuminationem suscipere meruerunt. Nondum enim (ut beatus Ioannes Apostolus ait) scripturas intelligebant, quod Christus a mortuis, resurgere oporteret. Erant igitur sine lumine tanta adhuc oppressi caligine. Sicut ergo firmamentum illuminatum est die tertia, sic & Apostoli, anno tertio illuminati sunt. In eo etiam quod aquæ quę sunt supra firmamentum diuiduntur ab aquis quæ sunt sub firmamento, firmamenti similitudinem Apostoli habere videntur: In medio namque quodammodo positi, aquas ab aquis diuidunt, quia nouum a veteri separant testamentum. Aquas enim ab aquis Apostolus diuidit, quando veteris testamenti doctrinam, et ritum interdicit. Ait enim, Ego Paulus dico vobis si circumcidamini, Christus vobis nihil prodest. Littera enim occidit, Spiritus autem viuificat: Hoc enim firmamentum, isti cœli nos docuerunt, quantum aquis legis, & Euangelii aquæ distarent inter se se. Isti igitur sunt illi cœli qui enarrant gloriam Dei: Sed quo docente, quoue instruente, dicat Psalmista, Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam. Dies igitur est ille qui docet, dies sunt illi qui docentur. Ille qui docet vnus est: illi qui docentur multi dies sunt: sed melior est dies vna in atriis Domini super millia. Dies itaque Christus est, dies Apostoli eius sunt: quoniam ipse lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ; qui suis quoque discipulis ait: Vos estis lux mundi: si autem lux & dies sic autem superius scriptum, quia vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Dies igitur eructat verbum Domini: quia Dominus saluator noster: vera lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum fidei doctrinam, & verbum prædicationis discipulos docet, & ecclesiam instruit, quæ quidem non immerito propter fidei vnitatem singulariter dies dicitur: quamuis multos in se, & pene innumerabiles dies contineat, tot enim sunt dies quot, & sancti. De quibus dicitur. Dies formabuntur, & nemo in eis. Nemo enim inter eos est nisi dies: nemo inter eos nisi clarus, & splendidus. Fulgebunt enim sicut sol in Regno Dei. Sed o stultitia, o impietas, o insania? Quamuis dies Diei eructet verbum: quamuis ipsa veritas per filium Dei, & per ipsam sapientiam manifestetur, Sapientia enim prædicat in plateis, tamen nox non erubescit indicare suam scientiam: siue potius suam insipientiam, nocti. Adhuc enim Scribæ, & Pharisæi prædicant! quia cæci sunt & duces cæcorum: seipsos & alios secum in noctis ignorantiæ tenebras mer-

gunt. Nox enim sunt isti cæci sine luce, nihilque aliud quam tenebras habent: Ideoque nihil aliud quam errorem docent & prædicant. Dictum est autem qui sint cæci: quid nuncient, a quo acceperint ea quæ narrant & nunciant: restat nunc vt audiamus quibus linguis, quibusue sermonibus ea annunciant. Non sunt (inquit) loquelę neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Hoc est enim quod in actibus Apostolorum legitur. Quoniam loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei. Omnibus linguis loquebantur, idest omnem scientiam docebant, Sed vbi? Vis audire vbi? In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Et quid dicebant? In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo: Exultauit vt gigas ad currendam viam. In sole, inquit idest, in luce, in claro, in manifesto, posuit tabernaculum suum idest carnem, & humanitatem suam, in qua velut in tabernaculo diuinitas occultata latebat, vt adimpleretur quod scriptum est, Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri Erat supra solem, & videri non poterat Humiliauit se, & descendit, vt in sole videretur, & per carnem quam assumpsit manifestaretur. Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultauit ad currendam viam factus vt gigas, fortis videlicet, & insuperabilis, & non secundum hominum opinionem, sed secundum rei veritatem duplicis naturæ. Deus pariter, & homo. Gigantes enim secundum hominum opinionem, & dii & homines esse putantur. Potentes a sæculo sicut scriptū est viri famosi. Processit igitur tanquam sponsus de thalamo suo, quia non solus, sed coniugatus de virginis vtero exiuit. In quo videlicet vtero Dei filius nuptias fecit, vxorem duxit, & priusquam nasceretur, humanitatem nostram sibi coniunxit. Exultauit autem ad currendam viam; quia vt hominem redimeret, & saluaret ipsam cum gaudio sustinuit passionem. & ipse quidem veraciter dicere potuit, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Hic est enim ille beatus vir qui non abijt in consilio impiorum & in via peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. In hac via cucurrit ipse, in hac exultauit: in hac & nos currere docuit. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. Hoc est enim quod ipse ait. Exiui a patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Denique a summo ad summum est occursus eius? quia per omnia æqualis est patri secundum diuinitatem: de quo & Daniel ait. Aspiciebam in visu noctis & ecce in nubibus cæli filius hominis venit: & datum est ei regnum, & honor & potestas, & vsque ad antiquū dierum peruenit. Vsque ad antiquum namque dierum perueniet dominus quando similis patri, & æqualis per omnia apparebit. Si enim esset aliquid secundum diuinitatem in quo differt ab ipso, non vtique perueniret vsque ad ipsum. Peruenit igitur vsque ad ipsum quia in nullo distat ab ipso. Beati illi cæli qui sic enarrant gloriam Dei.

DE NVBIBVS NOVIS.

CAP. III.

POsuit dominus tenebras latibulum suum in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua, in nubibus aeris. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt: grando & carbones ignis. Nouus mundus nouas tenebras habet, vetera transierunt & facta sunt omnia noua. Iste mundus ecclesia est in qua cæli noui, & terra noua, & homines noui, & terra noua, & homines noui, & omnia noua & munda sunt. Quid igitur nubes nisi apostolos intelligamus. De quibus scriptum est. Qui sunt isti qui ut nubes volant & quasi columbæ ad fenestras suas: Et cæli & nubes & montes & fontes & multis alijs nominibus vocantur Sancti Apostoli propter quasdam sibi conuenientes significationes. Sed quo volant; Dicat Psalmista. In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Vnde veniunt. Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit. Istę nubes pluunt super bonos & malos; & terram infæcundam & infructuosam doctrinæ pluuijs fæcundam faciunt. Misera illa terra, quæ harum pluuijs non irrigatur. Misera Iudæa & synagoga: de qua scriptum est. Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. Vnde & Apostolus dicit. Vobis primum oportebat prędicari verbum Dei: sed quoniam repellistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Volant igitur apostoli quasi nubes vbique complventes, totam terram irrigantes, tonantes, ad fidē vocantes, miraculis coruscantes, & fulgura in pluuiam facientes. Fulgura namque in pluuiam fiunt quando miracula doctrinam sequuntur. Sic enim de Apostolis in euangelio dicitur. Quoniam profecti prędicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis. Per nubes igitur Apostolos, per pluuiam doctrinam, per tonitrua voces, & per fulgura miracula intelligamus. Vnde etiam Iacobus, & Ioannes Boanerges idest filij tonitrui vocantur, quorum altisonis vocibus quasi magnis quibusdam tonitruis mundus perterritus ab infidelitate ad fidem conuersus est. Similiter, & Bartholomeus filius suspendentis aquas interpretatur. Mirabili enim, & ineffabili modo aquas in nubibus suspēdit. Quas videlicet aquas quomodo nubes eleuent, quomodo teneat quōdo dosu [illegible] loge est ab humana scientia. At si vt Beatus Bartholomeus filius suspēdētis aquas, noua nubes atque fœcunda, de fonte vitæ, de fontibus Israel aquas hausit, salientes in vitam æternam: quas & tenere & fundere suo tempore nouit. His aquis irrigatur tota nostra terra, lauatur corpus, & anima nostra. Has autem nubis auster dominus, & aquilo fugat, de quo scriptum est. Ventus aquilo dissipat pluuiam. Ab aquilone pandentur mala super omnes habitatores terræ. Ponam (inquit diabolus) sedem meam ad Aquilonem, & ero similis altissimo. Ipse est igitur qui nubes fugat qui sanctos persequitur; qui de infidelium ciuitatibus Apostolos pellit, & ad alias ciuitates fugere compellit. Hoc enim & ipse Dominus eis præcipit. Si vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Sed si dominus surgens a somno imperet ventis, & mari, illico fiet tranquillitas magna. Et dicetur aquiloni: Surge aquilo immo fuge: & veni auster perfla ortum meum, & fluent aromata illius. Sunt ergo venti boni & venti mali. Nubes bonæ, & nubes malæ. Malę nubes hæretici, & schismatici qui non pluuiam sed grandines ferunt. Ex quibus fulgura & fulgura procedentia non vitia sed animas interficiunt. Boni venti de thesauris Domini producuntur, de quibus dicitur. Qui producit ventos de thesauris suis. Talis ventus est, haritas, pietas, & misericordia, cæteræque virtutes quæ de thesauris cælestibus producuntur. His autem feruntur nubes, his Apostoli ducuntur, istæ cogunt eos volare, mundum peragrare, & euangelium prædicare, vnde & Apostoli non possumus non loqui ea quę audiuimus, & scimus. Charitas enim Dei vrget nos. Valde conueniens est, vt talibus ventis tales nubes circumferantur, de quibus scriptum est. Viderunt te aquę Deus, viderunt te timuerunt & turbati sunt abyssi Multitudo sonitus aquarum vocem dederunt nubes. Sed quomodo viderunt aquæ Dominum, vel quibus oculis eum videre potuerunt? quare etiam timuerunt? Quæ sunt istæ aquæ insensibiles videre & timere non possunt idest aquæ multæ (dicit scriptura) populi multi. Merito populi aquæ vocantur qui semper ad inferiora currunt, & ad mortem festinant: De Iordane tamen dicitur Et tu Iordanis quia conuersus es retrorsum. Vsque infernus currebas: nunc te ad superiora conscendere video. Quid enim per Iordanem nisi populus baptizatus significatur? Ibi cœpit baptismi sacramentum. Ibi Dominus baptizatus est. Solus igitur iste fluuius, solus populus Christianus superius ascendit, & ad cœlestia scandit, cæteri vero aquæ, cæterique populi in mare demerguntur, & in infernum præcipitantur. Istę autem aquæ de quibus dicitur. Viderunt te aquæ, & timuerunt, bonæ aquę esse videntur, quæ dominum cognoscere, & timere meruerunt, vnde, & turbatæ sunt abyssi quia multi

multitudo facta est sonitus aquarum. Hæc inquit fuit causa quod abyssi turbarentur, quod infernus, & maligni spiritus formidarent, & confunderentur, quia aquæ illæ de quib. modo diximus, omnium viderunt, & timuerunt. Insuper, & multitudo facta est sonitus aquarum Deum laudantium, & confitentium, & se ad fidem conuertentium. Hoc autem totum factum est, quia vocem dederunt nubes, quia Apostolorum tonitrua audita sunt, quia verbi Domini sagittæ iaculatæ sunt, & quia miraculorum coruscationes visæ sunt. Hoc est enim quod ait: Etenim sagittæ tuæ pertransierunt, vox tonitrui tui in rota, illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra. Quid est commota est, & contremuit terra, nisi hoc, quod modo dixit. Viderunt te aquæ Deus viderunt te aquæ, & timuerunt? Bene igitur cōmota est, & contremuit terra. Sic enim commoueri, & sic tremiscere ad salutem pertinet animarum. Vox autem tonitrui in rota facta est, quia Apostolorum prædicatio (ipsi enim sunt tonitrua Dei) per totam huius mundi rotunditatem audita est. Isti ergo sunt, qui vt nubes volant. Istæ nubes claræ, & præfulgidæ. Isti sunt illi Cherubim super quos dominus ascendit, & volauit, volauit super pennas ventorum. Et qui prius posuit tenebras latibulum suum, siquidem obscura & tenebrosa erat aqua in nubibus aeris, modo per nubes lucidas & præfulgidas cunctis est gentibus manifestatus. Et quem antea ipsum suum tabernaculum videre non poterat, modo reuelata facie ipsi gentiles eum cognoscunt. Cherubim autem scientiæ plenitudo interpretatur. Sicut igitur vocantur Apostoli nubes, quia fidei doctrinæque aquis abundant, ita etiam Cherubim vocantur, quia sapientia, & scientia pleni sunt. Super hos autem Dominus ascendens volauit, quod gloriam sui nominis cunctis gentib. per eos reuelauit, volauit autem super pennas ventorum quia Principes, & sapientes huius seculi in inimicos derelinquens, pauperib. & insipientib. se manifestauit. Vnde Apostolus ait. Videte vocationē vestrā fratres, quia nō multi nobiles nō multi sapiētes, sed quæ stulta sunt mūdi elegit Deus, vt cōfundat sapiētes, & infirma mundi elegit Deus, vt cōfundat fortia, vt ea, quæ sunt, destrueret. Egregie autem potentes huius seculi, & sapientes venti vocantur, quia ipsi sunt, qui hoc mare magnum, & spatiosum, idest mundum vbique ventilant & perturbant. Latibulum autem Dei legis, & prophetarum libri ante figurantur qui ideo quidem latibulum vocantur, quoniam Dei virtutem & sapientiam Iesum Christum saluatorem nostrum ibi latētem Iudæi comprehendere nequiuerunt quamuis die noctuque eos legerent, & meditarentur in eis. Et hoc est quod ait. In circuitu eius tabernaculum eius. Tabernaculum Dei synagoga fuit, quæ circa hoc latibulum vsque hodie residens totum vitæ suæ tempus casso labore legendo consumit, Vnde, & Dominus eis dicebat. Erratis non scientes scripturas neque virtutem Dei. Tenebrosa enim aqua est in nubib. aeris & valde obscura scientia est in libris prophetarum quæ nisi per spiritum sanctum intelligi non valet. Nostræ vero nubes claræ, & lucidæ sunt, quarum pluuia suauis est, quorū doctrina melliflua est quarum prædicatio, & sapientibus, & insipientibus cōueniens est. Et hoc est quod dicit. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt. Quo aūt transierint iam superius dictū est. In omnem terrā exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū. Sic igitur volant, & sic trāseūt nubes Dei. Illis aūt transeūtib. grando & carbones ignis vbiq. subintelliguntur sparsi sūt. Istæ sūt illæ nubes de quib. dicitur. Nūquid nosti semitas nubiū, magnas, & perfectas sciētias. Viæ namq. nubiū, magnæ, perfectæq. scientiæ illæ sunt, quib. nos Apostoli celestia petere & æterna cuncta despicere docent. Has sūt vias sublimes & magnas, & scientias plus quam perfectas, ipse quoq. Dominus atq. saluator nos docuit dicens. Si vis perfectus esse vende omnia quæ habes & da pauperib. & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Nā & ipse nubes est sicut de ipso scriptum est. Ecce Dominus ascendit super nubem leuem & ingredietur Aegyptū, & corruent omnia simulacra eius.

DE MONTIBVS NOVIS.

CAP. IV.

Leuaui oculos meos ad montes vnde veniet auxilium mihi. Et isti montes noui sunt, & de nouo mundo sunt ad quos oculos leuare, & a quibus auxilium expectare debemus. Isti montes patriarchæ, & prophetæ, Apostoli, & doctores intelliguntur quia terrenis omnib. eleuati, & cœlo propinquiores effecti mundana omnia despiciunt. De quibus Dominus ait. Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & dicant montibus cadite super nos, & collibus operite nos. Isti sunt montes qui exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium. Sed quare exultauerunt quia a facie Domini mota est terra a facie Dei Iacob. Non sicut lupi, & leones aliæque bestiæ exultauerunt quæ sanguine gaudent, & de crudelitate viuunt. Talis est enim tyrannorum, & hæreticorum exultatio, sed sicut oues, sicut agni sicut mites, & absque macula exultauerunt Montes quidem, sed non superbi, colles sunt sed mites, & hoc quidem per arietes, & agnos significatur. Lætantur autem quod commota est quia ab infidelitate ad fidem, & ad vitæ pascua festinant peccatores. Sicut enim sancti vocantur cælum ita, & peccatores vocantur terra. Isti sunt montes æterni de quibus dicitur. A montib. æternis conturbati sunt insipientes corde. Ceteri mōtes nō sunt æterni. Præterit enim figura huius mundi. Cælum, & terra transibunt. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominū est merces eorum. Ab his autem omnes insipientes corde: Iudæi videlicet, & gentiles ore sapientes, corde insipientes philosophice loquētes, & nihil intelligētes turbati sunt. Quare turbati sunt? Propter signa quæ videbant, & quia eis resistere non valebant. Non enim ipsi loquebantur sed spiritus sanctus in eis: quibus os, & sapientiam Dominus dederat cui non poterant resistere & contradicere omnes aduersarij eorum. Turbati sunt igitur: alij bene, & alij male. Alij credentes, & alij fruentes. Et propterea non timebimus dū conturbabitur terra, & transferentur montes, & in cor maris. Quia Deus noster refugium est, & iustus adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Quid enim cor maris nisi reges, & principes cæterisque potentes huius seculi intelliguntur? Sic enim sunt isti in hoc mundo sicut cor nostrum in corpore nostro. Eorum consilio credunt omnes eorum voluntati obediunt omnes. Isti sunt enim cor maris illius videlicet maris de quo dicitur, Hoc mare magnum, & spatiosum illic reptilia quorum non est numerus. Quando ergo montes nostri, montes æterni sancti Apostoli videlicet transferuntur in cor maris, in huius pelagi profundam voraginem cum trahentur ante reges, & principes quando terra conturbabitur, & ecclesia pertota contremiscet, tunc vtique non erit timendum nobis, quia Dominus refugium nostrum est. Sonuerunt quidem, & turbatæ sunt aquæ eius vnde ipsi quoque montes ad momentum conturbati sunt in fortitudine eius. Sed neque sic timendum quia Dominus adiutor noster est in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Quanto maior tribulatio est tanto amplior est & consolatio. Sonabant aquæ maris: non vnus vel duo, sed tota ciuitas in martyres fremebat: montes autem quid faciebant, quid in tanta tempestate martyres agebant? Conturbati sunt inquit montes in fortitudine eius. Hoc est enim quod ait Apostolus. De tribulatione quæ facta est et in Asia quoniam supra modum grauatus est super virtutem: ita vt tæderet eum etiam viuere. Et quid faciebat terræ mons iste fortis Timus cū tot & tantæ insurgerent in eum procellæ. Audi ipsum dicētem. Quia neque mors, neque vita, neque aliqua fortitudo poterit me separare a charitate Domini quæ in Christo Iesu. Merito itaque supra tales montes Ecclesia fundata est, dicente scriptura. Fundamenta eius in montibus sanctis. Vnde & ipse Dominus ait. Ego autem constitutus sum rex a Deo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum Domini.

mini.

mini. Venite ergo ascendamus in montem Domini, & ad domum Domini Iacob. Nam & ipse Dominus mons vocatur, mons vtique Selmon, mons Domini, mons pinguis. Vt quid suspicamini montes coagulatos, vt Sina mons est iste, in quo beneplacitum est Domino habitare in eo. Etenim Dominus habitabit vsque in finem. Et iste quidem mons Dominus est, cæteri vero non Dominus, sed currus Domini sunt. Illis loquitur Propheta qui Heliam, & Hieremiam, & Ioannem Prophetam Christum esse putabant. Præcedentia videamus vt hæc planius intelligamus. Dum inquit discernit cælestis reges super eam niue dealbabuntur in Selmon. Quis est iste cælestis? noster Dominus Iesus cælestium, terrestrium, & infernorum rex & Dominus. Qui dum discernit, disponit, & ordinat reges & magistros super ecclesiam suam ea quæ superius in hoc psalmo continentur locutus est. Lege a principio psalmum & intelliges. Isti autem reges niue dealbabuntur. Quid est niue dealbabuntur? hoc est nimis candorem & pulchritudinem suscipient. Hunc autem candorem & hanc pulchritudinem suscipiunt sancti, quando baptizantur, quando super niuem dealbantur, & ab omni vitiorum macula mundantur. Hæc autem fit purificatio in Selmon, idest in Christo. Ipse est enim qui lauat nos a peccatis nostris in sanguine suo. Nemo enim baptizatur, Nemo a peccatorum contagione mundatur nisi in ipso & per ipsum. Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Selmon imago fortitudinis vel vmbra offendiculi interpretatur. De Christo enim dicit Apostolus. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius. Ipse quoque lapis offensionis est, & petra scandali in quo non illuminati, sed cæci offendunt, qui non ipsum sed eius vmbram intuentur, idest non diuinitatem, sed solam eius humanitatem cognoscunt. Vmbra enim non spiritus, sed corporis est. Hic est ergo mons Selmon, mons Domini, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Ipsa verborum replicatio manifestissime ostendit quanta sapientiæ & scientiæ vbertate, quanta virtutum omnium fœcunditate, quantaque gratiarum pinguedine mons iste abundet. In ipso enim (vt Apostolus ait) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Ipse est flos de radice Iesse super quem requiescit spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis & spiritus timoris Domini. Stulti ergo sunt qui illos alios montes quamuis coagulati sint, quamuis pingues & vberes sint, quamuis melle & lacte fluant, quãuis arbores multas nutriant, quamuis oues & boues & multa animalia pascantur in eis, quamuis sapientiæ & scientiæ fontes deriuentur ab eis. Stulti inquam sunt qui illum montem hos esse suspicantur in quo beneplacitum est Domino habitare, non quasi diuersum in diuerso, sed quasi idem in eodẽ. Vnde idem ipse Dominus ait. Ego sum in patre, & pater in me est, & ego & pater vnum sumus. Illi vero alii non Dominus, sed currus Domini sunt, milites Domini, equites & equi Domini. De quibus dicitur. Qui ascendit super equos tuos & quadrigæ tuæ saluatio. Sunt autem & alii montes per quos virtutes intelligimus, ad quos ascendere nos oportet, si volumus videre Christum pugnantem & vincentem, & discipulos eligentem. Si volumus eum videre de paucis panibus multa milia hominum reficientem, & si volumus simul cum Apostolis eum videre super cælos ascendentem. Denique & quando transfiguratus est super montem, eum ascendisse Euangelista testatur. Assumpsit enim Petrum, & Iacobum, & Ioannem & duxit eos in montem seorsum & transfiguratus est coram eis. Securus Abraham in montibus habitauit. In planitie Loth ab hostibus captus est, sed ab iis liberatus qui in montibus habitabant. Dauid quoque fugiens Saulem in locis tutissimis solisque ibicibus peruiis demorabatur. Sic & Iacob immolaturus Domino super montem Bethel ascendisse legitur. His igitur & similibus edocemur si securi esse volumus, si Domino placere & eius gloriam videre desideramus ad montem nobis fugiendum esse. Multi sunt montes, multæ sunt virtutes, in quamcumque earum ascenderis securus eris. Abraham in monte fidei saluatus est, in monte mititatis Moyses, in monte mansuetudinis Dauid, in monte patientiæ Iob, & in monte misericordiæ Tobias saluati sunt. Beata quoque virgo Maria in monte humilitatis ab Angelo inuenta est, sicut ipsa ait. Magnificat anima mea Dominum; quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Audiamus prophetam dicentem. Supra montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Ego montem excelsum charitatem intelligo de qua Apostolus ait. Adhuc excellentiorem viam vobis ostendo, sequimini charitatem. In hunc igitur montem ascendant qui euangelizant Sion. In hunc montem ascendant prædicatores ecclesiæque Doctores. In hunc Beatus Petrus ascenderat, quando ei Dominus oues suas commendauit. Prius enim ter a Domino de charitate interrogatus est, prius charitatem ter professus. Et sic pascendarum ouium curam suscepit. In montem Oliueti frequenter ascendere, & discipulos secum Dominus ducere consueuerat, vt nos quoque in montem olei in montem pacis & misericordiæ ascendere, & illic manere gaudeamus, & inde Domino ascendente viam notemus per quam post ipsum scandere valeamus. Sunt autem alii montes in quos ascendere, & ad quos appropinquare periculosum est. De quibus propheta ait. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ transmigra in montes sicut passer? Et Dominus in euangelio. Si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis, montes quoque transferre poteritis. Mali montes in quibus Loth inebriatus filias proprias violauit. Mali montes Gelboe quos Dauid maledicens ait. Mõtes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniat super vos, vbi ceciderunt fortes Israel, Saul, & Ionathas. Gelboe lubricum interpretatur. Fiant (inquit, Psalmista) viæ eorum tenebræ & lubricum. Montes igitur Gelboe hæretici sunt montes volubiles, montes lubrici & instabiles. In quibus quia veritas non est, facile cadunt quicunque in eos ascendunt, eis credunt & ad eos confugiunt. Ibi ergo cecidere, ibi vsque hodie cadunt fortes Israel, sicut ipse Dominus ait. Surgent pseudochristi, & pseudoprophetæ & dabunt signa & prodigia multa, ita vt in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi. Talis mons fuit Arrius, talis Sabellius & Simon magus. Tales & multi alii, in quibus ipsi quoque Episcopi innumerabiles cecidere. Tales montes maledicti sunt super quos si ros cœlestis gloriæ, vel pluuia veræ spiritualisque doctrinæ cecidisset, nequaquã maledicti essent. Hos igitur montes fugiamus, & ad montes catholicos redeamus, ad montes æternos, ad montes pingues et vberes, et videamus agnum stantem super montem Sion, & cum eo centum quadraginta millia. Ego, inquit, constitutus sum rex ab eo super Sion montem Sanctum eius prædicans præceptum Domini.

DE ARBORIBVS NOVIS.

CAP. V.

POstquam de montibus locuti sumus conueniens erat vt de arboribus loqueremur. Sed quia satis (sicut nobis videtur) de arboribus superius diximus. Illo videlicet in loco vbi de bonis & malis arboribus Dominus loquitur, quibus boni & mali homines significantur, eadem hic repetere non videtur necessarium, & facilius est chartas reuoluere quam eadem ipsa iterum scribere.

DE ANIMALIBVS NOVIS.

CAP. VI.

ADiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum vt non suscitetis neque euigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit. Nunquam sic filias Ierusalem Salomon sapientissimus adiurasset, nisi per hos ceruos & capreas aliud intelligere voluisset. Quis enim per istos adiuratus tali exorcismo a propriæ voluntatis intentione reducatur?

Quæ

Quæ enim ceruis & capreis reuerentia exhibenda est, vt tanta per eos adiuratio fieri debeat. Noui igitur cerui & nouæ capreæ Apostoli videlicet & Doctores per istos intelliguntur, quos quidem tanquam patres honorare & velut ijs qui nos Domino genuere, omnem reuerentiam eis exhibere debemus. Vnde Apostolus ait. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Itemque. Et si multos pædagogos habetis, sed non multos patres. In Christo enim Iesu per euangelium ego vos genui. Nihil igitur maius post Dominum inuenire potuit, cui filiæ Ierusalem obedire debuissent. Sunt autem filiæ Ierusalem animæ Sanctorum, quæ pacem & concordiam diligunt. Siquidem Ierusalem visio pacis interpretatur, & omnem discordiam, lites & contentiones a se repellunt. Dilecta vero omnis anima intelligi potest quæ per fidei Sacramentum Deo desponsata & coniuncta est. Hæc autem dilecta tunc dormire dicitur, quando terrenorum omnium oblita quasi suauissimo somno in sola Domini contemplatione insoporata quiescit. A tali igitur somno eam suscitare, & a tanta quiete separare & ad mundi curas velle reuocare perfectum est, nisi forte ipsa velit alio zelo commota & non aliqua vi, sed fratrum precibus inclinata vt pro multorum salute Ecclesiastica regimina aliquando suscipiat. Hoc autem apertius in euangelio significatur vbi cum Martha dixisset ad Iesum. Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Neque eam surgere coegit, neque surgere vetuit illius voluntati derelinquens vtrum horum duorum potius elegisset. Hoc igitur exemplo tales viri rogari quidem possunt, cogi non possunt. Dicat ergo Propheta. Adiuro vos filiæ Ierusalem, filiæ concordiæ & pacis per capreas ceruosque camporüm, quorum fide & doctrina ad hanc tantam gratiam peruenistis, vt de malis seruis sponsæ & filiæ vocemini, vt nō suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Nullam vim ei faciatis, in illius deliberationem & potestatem omnia ponatis. Quando autem Apostoli sicut cerui vel capreæ, vel vnicornes, vel cameli, vel onagri, equi vel boues, oues, vel arietes, vel huiusmodi aliquid vocantur, tunc in illis animalibus quærendum est si fortasse tale aliquid in illorum natura inueniatur quod virtuti conueniat, et Apostolicæ dignitati non sit contrarium. Omnia enim hæc et bonam et malam significationem habere possunt. Fertur quod Plato leues homines et instabiles capreas et ceruos vocare consueuerat. Crudeles vero et immites, Leones. Pigros et fatuos asinos. Luxuriosos vero porcos et hircos vocabat. Vnde factum est vt quidam stulti verba eius male intelligentes ad tantam insaniam peruenissent, vt homines in bestias et bestias in homines post aliquanta sæcula conuerti crediderint. Hoc illi dixerint, nos autem quare Apostoli cæterique sancti cerui vel capreæ, vel tale aliquid dicantur videamus. Cerui namque et capreæ munda animalia et innocua sunt, quæ cum multam ab alijs persecutionem patiantur, nullam tamen alijs persecutionem faciunt, præter hoc quod cerui serpentes interficiunt, quod quidem Apostolis conuenire maxime videtur, qui vitia et malignos spiritus persequentes aliam discordiam habere nesciunt, cum ipsos suos diligant inimicos. Sunt autem cerui agiles ad currendum, sed non quantum Apostoli qui paruo tempore non vnam tantum Prouinciam, sed et totum mundum peragrarunt. Capreæ quoque quas Græci dorcadas vocant acutum visum habere perhibentur, sed acutiorem illi habent qui Deum ipsum et cuncta inuisibilia mentis oculis contemplantur. Non sunt itaque Apostoli cerui, sed propter hęc et similia cerui vocantur. Sicut enim vt ait Psalmista, Ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Ecce alia similitudo propter quam anima iusti, ceruus appellatur. Vocantur autem Apostoli et leones non quod sanguine gaudeant et crudeles sint, sed quia fortissimi bestiarum ac nullius timent occursum. Hoc enim de leone scriptum est. Nulli leones tam fortes quam Apostoli fuerunt, nulli tantas bestias interfecerunt, nulli tantos in deserto rugitus dederunt. De istis leonibus est etiam Marcus Euangelista. Isti sunt qui sua fortitudine sedem Salomonis, Ecclesiam Domini defendunt. Vocantur autem Apostoli et vnicornes, quoniam vno fidei cornu omnes ventilant potestates. Hoc enim animal vnum cornu in fronte super nasum habere dicitur. Vnde & Rhoniceros græce vocatur quatuor pedum altitudine ita validum & acutum vt nulla alicuius animalis fortitudo ei vnquam resistere valeat, cum etiam ipsos elephantes eius impetu perforet & prosternat. Maior tamen fortitudo est in cornu & in fide Apostolorum, quibus Dominus dedit potestatem, sicut in euangelio dicitur, calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Nulla virtus excipitur omnis virtus inimici hoc vno fidei cornu prosternuntur. Sancti enim, per fidem vicerunt regna. Et omne quod natum est ex Deo vincit mundum. Et hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra. Hæc est igitur causa quare vnicornes Apostoli dicantur, & non solum Apostoli: verum etiam ipse Dei filius vnicornis vocari non dedignatur. Vnde est illud. Et ædificauit sicut vnicornis sacrificium suum. Bene autem sicut vnicornis, quia ipse Dominus fortis & potens Dominus potens in prelio. Talis virtus & fortitudo necessaria fuit, vt tantum ædificium fundaretur. Alibi quoque de eo scriptum est. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani. Et comminuet eas tanquam vitulum libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium. Ecce attende quanta huius vnicornis sit fortitudo, qui sola voce tantas talesque cedros confringere potest. Quid enim per has cedros, nisi mundi huius virtutes & potestates intelligamus? quarum quidem alię bene, alię male confractæ sunt, voce euangelica super eas intonante. Et illæ quidem bene confractæ sunt, de quibus templum ædificatur, male vero quæ exciduntur & in ignem mittuntur. Vitulus vero libani ille, mihi esse videtur qui in festiuis diebus ad templum oblatus, in frusta diuisus & comminutus, Domino offerebatur. Ad huius igitur similitudinem arbores istæ comminuuntur, siue seipsos immolando Domino, siue in ignem mittantur iubente Domino. Vocatur autem libanus Ierusalem, dicente Propheta. Aperi Libane portas tuas & deuoret ignis cedros tuas. Quando enim potentes Ierusalem qui per cedros significantur, in ipsa ciuitate ab hostibus trucidabantur, tunc etiam quasi vitulus immolandi, cedri libani comminuebantur. Quod autem sequitur. Et dilectus filius sicut vnicornium, tale est ac si diceret Dilectus Dei filius sic veniet, sic pugnabit; sic sua fortitudine cuncta prosternet & superabit, sicut vnicornis vnicorniumque filius. Nam & Dauid cæterique Reges & Iudices Israel ex quibus secundum carnem Saluator noster originem traxit, quasi vnicornes omnes gentes circa se sua fortitudine vicerunt, & prostrauerunt. Dicitur autem de vnicorne quod nullo ingenio capi vel teneri queat; sed virgo speciosa opponitur ei ad quam cum omni mansuetudine conueniens, dum in eius sinum se humiliat a venatoribus capitur, vel tenetur. Similiter autem & Saluator noster nunquam teneri potuisset nisi in virginem venisset, & carnem de ea suscepisset. Vocantur autem & Apostoli Onagri, asini siluestres. De quibus ipse Dominus ad Beatum Iob loquitur dicens: Quis dimisit onagrum liberum & vincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum & tabernacula in terra salsuginis: Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ & virentia quæque perquirit. Hæc autem superius exposuimus in illo sermone, qui de abstinentia editus est. Et quod viri sancti onagri dicantur satis hæc verba aperte manifestare videntur. Equi præterea & boues vocantur Apostoli, quoniā per ipsos & bella sua fecit, & agrum suum coluit Dominus. Nullum animal tam idoneum ad bellum sicut equi, nullum tam idoneum ad agriculturam sicut boues, inuenitur. Isti sunt illi equi de quibus dicitur. Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Hos ille equus albus significat in Apocalypsi super quem Dominus cum arcu sedere describitur, cui corona datur, qui ad hoc exiuit vt vinceret. Isti sunt de quibus scriptum est. Nesciui. Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Interpretatur enim Aminadab, spontaneus populi sui. Ipse est autem Saluator noster qui spontaneam mortem sustinuit, vt populum suum a morte perpetua liberaret. Hunc autem synagoga non cognouit.

uit, quia sicut ipsa dicit, cum vili apparatu & rusticano comitatu eum incedere vidit. Isti sunt illi duodecim boues a quibus mare æneum portatur, per quod baptisma significatur. Isti sunt de quibus Apostolus ait. Non alligabis os boui trituranti. Canes quoque vocantur Apostoli, quoniam oues Domini contra lupos, latronesque custodiunt. De quibus dicitur. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Vocantur autem & arietes de quibus scriptum est. Omne pecus cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi. Et Salomon. Aries, inquit, succinctus renes non est rex qui resistat ei. Quales sunt isti arietes qui & Domino ministrant, & contra reges pugnare non timent? Tales arietes sunt Petrus & Paulus qui gladio spiritus succincti, Neronem ipsum regem omnium nequissimum & crudelissimum superauerunt, & Simonem Magum de aere præcipitauerunt. Interpretatur autem Nabaioth Prophetia principij, illius videlicet principij qui ait. Ego principium qui & loquor vobis. De cuius prophetia, quicunque biberit valde dignum est vt Domino ministret. Si velimus omnia animalia per quæ Apostoli figurantur scribere non sermonem, sed magnum volumen nos edere oporteat. Addat igitur vnusquisque ad hæc quod sibi placuerit, nobis autem tantula dixisse sufficiat.

DE POTESTATIBVS NOVIS:

CAP. VII.

ECce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Vos, inquit, Dominus qui reliquistis omnia centuplum accipietis in hac vita & posthæc vitam æternam possidebitis. Et quia secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Nouus mundus, nouum imperatorem, nouos reges, nouos duces, nouos principes, & iudices habet. Noui autem reges, duces, principes, & iudices Apostoli sunt. Ed;o Domino quidem noui, quia omnibus mundi huius potestatibus quæcunque fuerunt, sunt vel erunt sapientiores, potentiores, fortiores, iustiores, & ditiores sunt. Sapientiores quidem sunt, quia omnem virtutem edocti sunt sicut ipse Dominus ait. Cum autem venerit ille, spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Sapientiores item sunt, quia os & sapientiam a Domino susceperunt, cui non possunt resistere, nec contradicere omnes aduersarij eorum. Vnde Apostolus ait. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sunt autem & potentiores quia non solum in terris, verum etiam in cælis obtinent potestatem. Sic enim ipse Dominus ait. Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis Non sufficit eis terra, ipsi cæli in eorum principatu & imperio continentur. Habent potestatem claudere cælos & aperire, suscipiunt quos volunt, quosque volunt excludunt. Quid de eorum fortitudine dicam, quos ipsi etiam maligni spiritus formidant? Eis quippe venientibus fugiunt et ante eorum præsentiam stare non possunt. De diuitijs autem quid attinet dicere, cum tam diuites sint, vt nihil amplius habere concupiscant? Sunt enim vt Apostolus ait. Sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes. Ille ditissimus est cui sua sufficiunt. Sola necessaria habebat Diogenes, & cunctis imperatoribus ditior erat, quia nihil amplius habere volebat. Pauper est qui mendicat, mendicant autem Imperatores, non quidem voce (quamuis aliquando & voce) sed desiderio, quia huiusmodi pro vna domo quam habent, centum desiderant. Contra autem Dominus ait. Vos qui reliquistis omnia centuplum accipietis in hac vita, quia satis habebant & nihil amplius cupiebant. Ipsa autem sufficientia plusquam centuplum computatur. Susceperunt igitur sancti non solum centuplum. Verum etiam plusquam centuplum, quia cum Christo adhærent omne ipsorum desiderium finitum est, quod eis auaritia suscitare poterat. Maior est sufficientia omnibus diuitijs. Qui igitur sufficientiam habet, omnes & plusquam omnes diuitias habet. Habent ergo non solum centuplum, verum etiam plusquam centuplū. Sequitur. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Illi soli digni sunt iudicare qui sequuntur Iesum. Qui eadem post ipsum via incedunt. Qui veritatem & iustitiam diligūt, & hominis personam non respiciunt. Tales sunt iudices nostri, tales sunt sancti Apostoli qui sedentes super sedes duodecim, iudicant duodecim tribus Israel. Sed quare super sedes duodecim? Quia totidem sunt mundi partes secundum illud, quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel. Duodecim igitur mundi partes fecit, quia tantus est numerus filiorum Israel. Hanc autem diuisionem tūc Dominus fecit quando ad prædicandum discipulos ire præcepit dicens eis. Ite in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Nullam mundi partem reliquit qui mundum vniuersum prædicari iussit. Sic igitur diuisit Dominus gentes & ita separauit filios Adam, vt alii per Petrum, alii per Ioannem, atque alii per alios conuerterentur ad fidem. Hoc autem & illud significare videtur quod in psalmis de Christo legitur. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii Constitues eos principes super omnem terram Pro patribus enim Saluatori nostro filii nati sunt, quia secundum numerum patrum factus est & numerus filiorum. Duodecim quippe fuerunt filii Iacob ex quibus Synagoga tota manauit. Duodecim sunt, & filii Christi ex quibus ecclesiæ multitudo pullulauit. Non dedignatur Saluator noster eos dicere patres, ex quibus secundum carnem originem duxit. Audi ipsum dicentem. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Vocantur igitur Apostoli & reges & principes. Vocantur autem duces & iudices, vocantur & alijs nominibus quæ viris conuenire valeant. O iudices super omnes iudices qui non solum homines, sed ipsos quoque Angelos iudicabunt. Hoc enim & Apostolus dicit. Nescitis quia & Angelos iudicabimus, in illo tremendo iudicio, cui omnis rationalis creatura astabit, quando & Angeli & homines simul omnes in vnum conuenient, quando nobilis in portis ecclesiæ sponsus & Dominus cum his Senatoribus terræ iudicibus sedebit. Ille quoque superbus cum omni suo exercitu ibi astare necesse habebit, qui supra cælos ascendere & sedem suam ponere minabatur. Ad istorum sententiam damnabitur ille qui eos ipsos qui sibi seruiunt & quos in peccato viuere consulit quotidie accusare non cessat. Isti ergo soli reges & principes. Isti soli duces & iudices dicendi sunt. Isti sunt de quibus dicitur. Principes Iuda duces eorum. Princeps Zabulon, & princeps Nephtalim. Isti sunt illi reges de quibus dicitur. A templo tuo in Hierusalem tibi offerent reges munera. Sunt autem Apostoli & pastores, non qui oues pascant herbis, sed qui animas reficiant spiritualibus verbis. Si pastores sunt & oues habent. Oues eorum nos sumus, si tamen oues sumus. Si vero oues non sumus de eorum gregibus non sumus, quoniam isti pastores non custodiunt nisi oues. Vnde & Petro a Domino dicitur. Si diligis me pasce oues meas. Et Dominus de seipso ait. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. Vis esse ouis? Esto humilis & innocens: esto patiens & mansuetus. Pelle superbiam & rapacitatem, nulli noceas, nulli iniuriam facias, lacte tuo viuant pauperes Christi, & lanis tuis calefiāt. Tales pastores tales oues diligunt. Sunt autem negociatores, & tales qui terrena cælestibus & transitoria æternis commutare valeant. Isti sunt illi negociatores qui inuenta vna preciosa margarita, venditis omnibus, eam emerunt. Isti sunt quibus Dominus peregre proficiscens tradidit bona sua dicens. Negociamini dum venio. Cui redeunti omnem pecuniam multiplicatam restituunt. Vnde & vnicuique eorum Dominus congratulans ait. Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. De ecclesia scriptum est, quia facta est quasi nauis negociatoris, seu institoris, de longe portans panem suum. Isti negociatores neminem fallunt, & incomparabiles magnasque diuitias vili precio vendunt. Architecti quoque sunt sancti Apostoli non inferiores Beseleel & Ooliab, quos omni sapientia Dominus impleuit ad tabernaculum testimonii construendum. Illorum structura & operatio iam nimis vetu-

vetustate consumpta & soluta est, horum autem ædificium manet in æternum. Illi auro & gemmis, isti virtutibus induūtur Sacerdotes: De quibus dicitur. Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent. Illi tamen istos figurabant, quorū operatio si spiritualiter intelligatur, non illorum, sed istorum est. Qualis Architectus Beatus Paulus qui de seipso loquitur dicens. Secundum gratiam quæ data est mihi, vt sapiens Architectus fundamentum posui. Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. Et vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, qui superædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hæc verba longa indigent expositione, in quibus iam a pluribus laboratum est. Ego tamen quod intelligo breuiter dicam. Fundamentum Christus est, super quod tota Ecclesia & boni & mali fundati sunt. Vnde ipse Dominus ait. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Ostendens etiam malos palmites per baptismi sacramentum in se esse fundatos. Et quamuis aliquando tollendi sunt, adhuc tamen in Christo sunt, quoniam in ecclesia sunt. Aurum autem, argentum & lapides preciosi bona opera sunt, lignum vero fœnum & stipula peccata intelliguntur. Magnam igitur iniuriam facimus huic tam nobili fundamento, quando illud in nobis peccata nostra portare & sustinere cogimus. De ipso tamen scriptum est, quod peccata nostra portauit & pro nobis dolet. Sustinet enim & libenter expectat, tantum vt conuertamur & pœnitentiam agamus, & sarcinam inutilem abiiciamus. Quod si fecerimus, salui erimus, sic tamen quasi per ignem. Quicunque enim digne conuersus fuerit & pœnitentiam egerit, non solum a minoribus, vt quidam intelligere voluerunt, verum etiam a maioribus peccatis liberabitur, & saluus erit. Omne enim peccatum dicit Dominus & omnis blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ, per quam in malo perseuerantia intelligitur, non dimittetur. Ecce omne peccatum dimittitur, dicit Dominus, vnum tantum excipitur quod illi quidem faciunt qui pœnitere nolunt. Dimittitur quidem per pœnitentiam omne peccatum, sed non penitus dimittitur pœna peccati. In baptismo vero vtrumque dimittitur. De martyribus quoque nulla post martyrium pœna exigitur. Potens est igitur Dominus & breuiare quantum voluerit & penitus dimittere cui voluerit & pœnam peccati. Beatus igitur ille cui non imputauit Dominus peccatum. Gaudeant itaque pęnitentes quia peccata dimissa sunt eis, timeant tamen quia nesciunt an adhuc pœna peccati dimissa sit eis. Quacunque enim die conuersi fuerint, si tamen digne conuersi fuerint, salui erunt. Et hoc quidem per ignem. Salui igitur sunt, sed ignis manet, peccatum dimissum est, sed non pœna peccati. Legimus quosdam post mortem miraculis claruisse, & tamen purgatorio deputatos fuisse. De quibus dubitari non potest, & peccata eis dimissa fuisse, & pœnam peccati dimissam non fuisse. De talibus igitur dictū est, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse vero saluus erit, sic tamen, quasi per ignem. Cæteri vero homines quorum opera ardebunt, non vtique saluabuntur per ignem, sed potius æternum mittentur in ignem. Cęteri inquam omnes præter eos qui pœnitentiam egerunt de peccatis suis. Pœnitentiam agere dico sine pœnitentiæ remedio de hac vita non exire. Qui enim sine pœnitentia moriuntur, sine fine cruciabuntur. Hoc est enim illud vnum peccatum quod non dimittitur hominibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Vigilate itaque dicit Dominus, quia nescitis diem, neque horam. Sunt autem & alia nomina Apostolis valde conuenientia quæ his quæ dicta sunt superaddere potest qui longiorem vult facere sermonem.

DE MARI NOVO, ET NOVIS PISCATORIBVS.

C A P. VIII.

HOc mare magnum & spatiosum: illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla & magna: illic naues pertransibunt. Narrat Mathęus Euangelista quod Dominus & Saluator noster transiens iuxta mare Galileæ vidit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, & vocauit eos dicens. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Quando audio homines pisces vocari, & Christi discipulos piscatores hominum fieri quod ad litteram quidem intelligi non potest, necessario nouum mare, & noua retia, nouos piscatores, & nouos pisces intelligere cogor. Nouum igitur mare mundus iste est, de quo modo superius diximus. Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Retia euangelia, pisces homines, piscatores vero Apostoli sunt. Tantum est hoc mare quantus & mundus, in quo animalia magna sunt & vt in Genesi legitur Cete grandia, per quæ reges & principes cæterique maiores & potentiores homines intelliguntur. Pusilla vero animalia & reptilia quorum non est numerus, cætera hominum multitudo infinita vniuscuiusque sexus, cuiuscunque ætatis, cuiuscunque ordinis & conditionis, cuiuscunque linguæ & nationis intelligi potest. Sicut autem pisces maris alii mites sunt & simpliciter viuunt, alii vero raptores sunt qui alios persequuntur & deuorant, ita & in hoc mundo inter homines fieri videmus, & simplicem turbam a latronibus & iniquis hominibus quotidie deuorari multisque modis perturbari conspicimus. Est autem in hoc mari & draco ille magnus, serpens antiquus qui est diabolus & satanas, quem Dominus formauit ad illudendum ei. De quo & ad Beatum Iob ipse Dominus loquitur dicens. Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedit. Ipse est principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt, omnes bestiæ agri ludent ibi. Creatura Domini est diabolus, ipse eum formauit, ipse eum fecit, sed non qualis est, talem eum fecit. Quod enim ait: draco iste quem formasti ad illudendum ei, non de prima eius creatione intelligendum est, sed quia per superbiam eleuatus in veritate non stetit, talis postquam cecidit, est formatus. Ideo ad talem formam talemque suæ infirmitatis mensuram redactus est, vt iam homines illudere possint. Nisi enim sic ligatus a Domino teneretur, quis illius superbiæ astutiæque resistere potuisset? Vnde & dictum. Qui fecit eum, applicabit gladium eius. Si enim gladius eius plicatus non fuisset, quis tanti acuminis vulnera ferre potuisset? Gladii igitur applicatio virtutis illius infirmitatem ostendit. Omnes autem illi illudunt, quicunque eum fugiunt, & ad pęnitentiam redeunt. Quoniam bene Beatus Paulus ei illusit, qui cum ecclesiam persequeretur in ore eius, & intra illius dentes iam stringebatur, mox ad fidem conuersus tristem eum reliquit. Sic & Maria Magdalena eum decepit, quæ cōuersa ad Dominum optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Vno sermone illuditur ei, & vno verbo iam deuorata de ipso eius ventre reiicitur præda. Sufficit peccatrici suam culpam dicere, & ab eo vlterius teneri non potest. Valde ergo illuditur ei multumque complicatus est gladius eius. Vocatur autem Behemoth quod bestia interpretatur quoniā crudelis est & sensu bestiali vtitur. Angelica namque dignitate priuatus bestias crudelissimas per omnia imitatur. Ecce inquit, Behemoth, quem feci tecum, quem feci sicut & te (vnus est enim vtriusque creator) fœnum sicut bos comedit Dicit propheta. Vere fœnum est populus, siccatum est fœnum & cecidit flos. Non ergo viros & sapientes, sed populum stultum & indisciplinatum comedit Behemoth. Ipse est enim principium viarum Domini. Ipse ante alias creaturas factus esse creditur, quod sic tamen intelligi potest, ac si diceretur, ipse est causa atque principium vt via Domini quæ vna erat, in duas vias diuideretur, vt iam non omnes per vnam viam

cælos

cælos ascenderent, sed alii per aliam viam in infernum descenderent, cum aliis dicatur, Ite, aliis dicatur venite. Et huic montes herbas ferunt. Mali montes qui diabolum nutriunt & draconi cibum ministrant. Cibus diaboli & refectio eius peccatum est. Qui plus peccat, maiora ei conuiuia parat. Nulli igitur sic ei seruiunt sicuti mali reges & principes, sicuti omnes auari & diuites qui per montes significantur. Isti enim non solum peccant, sed & alios secum peccare compellunt. Considera modo quanta homicidia, quantæ rapinæ, quanta perturbatio per eos vbique fiat. Vnde & bene subditur. Omnes bestię agri ludunt ibi. Bestię agri vitia sunt & maligni spiritus. Istæ igitur bestiæ ludunt ibi idest in montibus supradictis in cordibus videlicet iniquorum. Ibi delectantur, ibi suauiter requiescunt, ibi theatra faciunt, & palatia construunt. Illuc socios introducunt, vt faciant eorum nouissima, peiora prioribus. Misera illa pectora, miseræ illę animæ quę tam crudelium bestiarum habitatio facta sunt. Tales pisces habitant in hoc mari vbi reptilia, quorum non est numerus, vbi animalia pusilla & magna, vbi & draco iste quem Dominus formauit ad illudendum ei. De quibus vsque modo locuti sumus. In magnum & profundum pelagus mittuntur piscatores populi qui in hoc mare piscatum veniunt. Difficilis piscatio est vbi & pugnare & piscari necesse est. Hinc ponunt retia ad pisces capiendos. Inde gladios extendunt ad hostes pellendos. Quid dicam, quod quidam pisces sua sponte capiuntur & retia ingrediuntur, qui postea eadem retia scindere & dissipare nituntur? Tales pisces fuere Arrius, Sabellius, & Manichæi & multi alii qui Apostolicam prædicationem & Catholicam fidem euacuare conati sunt. A quibus Sancta Ecclesia nauesque Apostolicæ magis fatigatæ & concussæ sunt quam ab ipsis etiam tyrannis, qui cruentis eas gladijs persequebantur. Hanc tam immensam perturbationem præuiderat propheta cum diceret. Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsque ad cælos & descendunt vsque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Statuit procellam eius in auram & siluerunt fluctus eius, & lætati sunt quia siluerunt, & eduxit eos in portum voluntatis eorũ. Paucis verbis Apostolorum prædicationem, miraculorum efficaciam, tyrannorum sæuitiam & cælitus datam consolationem Psalmista comprehendit. Quando enim Sancti Apostoli aliique Doctores in huius maris profundissimum pelagus ad prædicandum descendebant facientes operationem in aquis multis, idest in populis multis, per singulas videlicet ciuitates, mortuos suscitantes, cæcos illuminantes, leprosos mundantes, paralyticos curantes, & alia mirabilia facientes, tunc ipsi viderunt opera Domini & mirabilia eius quæ in hoc profundo Dominus per eos operabatur. Dixit & stetit spiritus procellæ & exaltati sunt fluctus eius. Eo namque iubente stetit, ideo non transiit, sed perseuerauit spiritus procellæ. Ipse est enim de quo scriptum est. Ego Dominus qui conturbo mare & intumescunt fluctus eius. Sic igitur & tunc eo iubente turbatum est mare & exaltati sunt fluctus eius, alii bene, alii male. Alii per ipsos, alii contra ipsos. Alii dicebant, dimittantur quia boni sunt, alii dicebant, occidantur quia mali sũt. Alii vidẽtes signa quæ faciebant Deos eos vocabant, & vsque ad cælos laudibus exaltabant, alii indignantes & super eos impetum facientes in abyssum mergere conabantur, & hoc est quod ait: Ascendit vsque ad cælos & descendit vsque in abyssum. Vnde & anima illorum in malis tabescebat tantos aliquando cruciatus ferre non valens. Inde est quod apostolus ait. Nolo vos ignorare fratres de persecutione quæ facta est nobis in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, ita vt tæderet nos etiam viuere. Turbati sunt itaque & moti sunt sicut ebrius non calice vini inebriati, sed calice passionis & afflictionis. Et omnis sapientia eorum deglutita est sicut & beatus Iob de seipso loquitur dicens. Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Bonæ namque cogitationes quibus vir Sanctus in Dei contemplatione vacare solebat, tantarum angustiarum afflictione dissipatæ erant. Tantaque erat vis passionis & dolorum numerositas, vt nihil aliud cogitare posset. Sic igitur & in hoc loco omnis eorum sapientia dolorum immensitate aliquando deglutita est. Cumque eam ferre non possent clamauerunt ad Deum & exauditi sunt, & eduxit eos Dominus in portum voluntatis eorum. Aliquando enim nec ipsi tormenta sentiebant quæ illis ab impiis inferebantur. Quod bene quidem in euangelio significatum est quando discipuli clamantes dixerunt. Domine salua nos perimus. Qui surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Hæc autem maris huius tam immensa perturbatio a temporibus Apostolorum vsque ad tempora Constantini Imperatoris Sanctam Ecclesiam instanter perturbauit, & vix aliquando quieuit. Inde vero pax & tranquillitas facta est, Christi piscatores quieti & securi, vbique piscari & sagenam ad terram trahere cœperunt. De qua in euangelio dicitur. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta fuisset educentes & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras misere. Sed nondum sagena plena est, adhuc pisces ingrediuntur, cum autem plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus fiet, tuncque malis piscibus reprobatis, boni ad vitam ducentur æternam.

DE AVIBVS NOVIS.

CAP. IX.

Legimus in Genesi Dominum præcepisse vt aquæ producerent, & pisces in genere suo, & aues secundũ species suas. Et factum est ita. Benedixitque eis Deus & ait. Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram. Pisces & aues vnam originem habent & vtraque ex aquis creata sunt. Alteri profunda petunt, alterę ad cælestia eleuantur. Boni sunt illi & illæ, quia inter omnes alias creaturas isti primam benedictionem suscipere meruerunt. Per hos igitur viri Sancti significantur qui ex aquis regenerati sunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, in regnum Domini non intrabit, qui & profunda scripturarum quæ per aquas significantur, penitus rimantur, & virtutum alis ad cælestia eleuantur. Sed satis de piscibus modo superius locuti sumus. Dignum est vt de auibus amodo loquamur. Nisi per istas aues quæ ante nos volare videmus aliæ aues significarentur, longe melioris dignioris que naturæ, nunquam ecclesia columba vocaretur dicente Domino. Vna est columba mea. Nunquam Ioannes Euangelista Aquila diceretur. Nunquam Dauid rex & Pelicanus, & nycticorax, & passer vocaretur sicut vocatur testante scriptura. Similis factus sum pelicano in solitudine, & sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum sicut passer vnicus in ædificio. Et non solum homines, verum etiam ipsi Angeli auium speciem atque naturam suscipere videntur. Vbique alatos & pennatos eos esse videmus. Volare quoque magis quam incedere describũtur, quod auium quidem proprium est. Vela quoque tabernaculi opere plumario facta leguntur. Et quatuor animalia in Ezechiele & Apocalypsi plena oculis ante & retro senas habere alas scribuntur. Et primum quidem animal simile est homini, secundum simile leoni, tertium vero simile vitulo, quartum autem simile est aquilæ volanti. Similiter autem & Isaias. Vidi (inquit) Dominum sedentem super solium excelsum, & plena erat omnis terra maiestate eius, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Aues igitur in mari, aues in terra, aues in cælo, & aues super cęlũ. Omnia elementa nos volare docent, omnia nos ad superiora & ad cælestia prouocant. Quis igitur mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo et requiescam? Iam aues facti sumus, quia in aquis regenerati sumus. Alæ solummodo desunt nobis, illas quæramus, quoniam sine alis & pennis volare non possumus.

mus. Penna Struthionis similis est pennæ accipitris & Herodij qui inter alias aues velocissimi sũt. Struthio vero propter alarum infirmitatem a terris se eleuare non valet. Habet igitur alas, sed infirmas, habet pennas debiles. Tales sunt hypocritæ & hæretici, qui accipitres & Herodij esse videntur, sed Struthiones sunt, neque habent alas, quibus volare valeant, vel ad cælestia erigantur. Alæ itaque virtutes sunt, alæ bona opera intelliguntur, sine quibus volare non possumus. Ipsæ nos ferant, ipsæ ad cælestia eleuent. Habes humilitatem, ala tibi est. Habes misericordiam, ala tibi est. Habes patientiam, ala tibi est, quot virtutes habes, tot alas habes. Si habes charitatem vt Deum & proximum diligas, duas alas habes quæ tibi ad volandum sufficere possũt. Seraphim tamen & quatuor animalibus non sufficiunt duæ alæ, senas enim habent, quoniam aliis volant, aliis capita pedesque tegunt. Per caput & pedes initium & finem intelligimus. Velant igitur animalia caput suum, ne forte ab eis quærere velimus ea quæ ante mundi initium facta sunt. Velant autem similiter & pedes quoniam ea quæ post mundi finem in hoc mundo futura sũt, nequaquam nobis pandere volunt. Vnde & Isaias Deos gentium irridens ait. Dicite mihi quæ prima fuere, & vltima quę futura sunt, & dicam quod Dii estis vos. Sed non potestis & ideo nihil estis. Superfluum igitur esse videtur, vel ea quærere quæ ante mundi initium fuere, vel ea quæ post finem futura sunt. Nam etsi quæras, nemo est qui tibi dicat. Si posses a capite & a pedibus animantium istorum alas amouere, tunc forte & prima & vltima scire possis. Solent enim homines hæc quærere, & quamuis ex superabundanti in talibus laborare scire cupientes, an post mundi finem cœlum voluatur, sol & luna & stellæ solito more circunferantur, an flumina currant, fontes prorumpant, vitium arbores & herbæ sint, & multa alia quæ hominum curiositatem mouere solẽt. Hęc autem interrogantibus honestissime respondetur: Seraphim & quatuor animalium pedes obuolutos esse & videri non posse, expectandum autem esse donec alæ amoueantur. Volant autem duabus alis, illis videlicet quæ in medio sũt, quia de omnibus quæ in hoc mundo fiunt a principio vsque ad finem plenissime loquuntur. Sunt autem plena oculis ante & retro quia & futura vident & præterita non ignorant. Quicquid in eis est, lumen & claritas est. Quot verba, tot oculi in eis sunt. Quicunque ea non credunt, cæci & sine lumine sunt. Vnde & quibusdam Dominus ait Erratis non scientes scripturas neque virtutem Dei. Sunt igitur oculi in scripturis intelligentiæ videlicet spirituales quibus viri sancti illuminati errare non possunt. Hos autem oculos Pharisæi non habẽtes, cæci a Domino vocantur & duces cæcorum. Di um est autem quid per animalium alas, & quid per oculos significetur. Vtinam & nos alas ad volandum habeamus & oculos ante & retro, quibus & recto itinere ad Deum veniamus, & peccatorum memores simul cum Psalmista dicamus. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper. Et ante quidem oculos habemus, si via regia incedimus, si mala fugimus & bona tenemus. Vnde Salomon ait. Sapientes oculi in capite ipsius, stultus in tenebris ambulat. Retro vero oculos habent qui antiquorum memores patrum eorum vitam & sanctam conuersationem imitari conãtur. Sicut ille qui dicebat. Cogitaui dies antiquos & annos ęternos in mente habui. Retro enim oculos habebat quando dies antiquos cogitabat, ante vero oculos, quando annos ęternos in mente habebat. Si solum istum versiculum custodiamus & ante & retro oculi pleni simus. Nec vacat a mysterio quod animal primum hominis faciẽ habere describitur per quod videlicet Matthæum Apostolum & eius euangelium intelligimus. Ipse enim a Christi natiuitate incipiens perfectum hominem & de hominibus natum eum ostendit esse, totam eius ab Abraham vsque ad ipsum genealogiam describens. Marcus vero leonis faciem habere videtur, in cuius euangelij principio vox in deserto clamare describitur. Lucas autem bouis faciem habet, quoniam a sacerdotio scribere incipit, quod maxime propter sacrificia institutum est. Bos autẽ inter alia sacrificia maior hostia est. Quare autem aquilæ faciem Ioannes habet? ipsius euangelii initium apertissime ostendit. In principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Qui sic loquitur longe sublimius quam aquila volat. Istæ tamen quatuor animalium facies tam diuersæ aliquid nobis conferre videntur, quoniam homo ad rationem, leo ad fortitudinem, & aquila ad contẽplationem nos prouocat. Homo denique prædicare, leo pugnare, bos laborare, & aquila volare nos docet. Has igitur aues imitemur, istæ nobis sint in exemplum. Non respiciamus ad struthionem cuius alæ infirmæ sunt, non attendamus ad hypocritas qui se fingunt esse quod non sunt, quibus tunc alę deficient quando eis maxime necessariæ erunt. Alas potius accipitris & Herodii suscipiamus, non vt aliquid rapiamus, verum vt obedientiam nobis iniunctam celerrime faciamus. Talium enim auium alarumque omnium quæ de rapina viuunt, alæ quidem & pennæ bonam significationem habere possunt, vngues vero & rostra & actionem & significationem impiam gerunt. Per tales enim significantur maligni spiritus, quorum omnis operatio furtum & rapina est. Istę sũt illæ aues, quas abigebat Abraham. Istæ sunt quæ rapiunt bonum Dei verbum de corde hominum, ne credentes salui fiãt. Talibus auibus totus hic aer plenus est, quæ quoniam veloces & inuisibiles sunt, magnam vbique cunctis hominibus persecutionem faciunt.


DE FLVMINIBVS NOVIS.

CAP. X.

FLuminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Legitur in Genesi quod fluuius egrediebatur de paradiso qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen primo Phison: secundo Gyon: tertio Tigris: quarto Eufrates. His autem irrigatur & fertilis redditur tota illa terra. Legitur autem similiter in Apocalypsi quod de illa nobilissima ciuitate cuius muri ex lapidibus preciosis ædificati sunt, cuius singulæ portę ex singulis margaritis factæ sũt, cuius plateæ ex auro purissimo stratæ sunt, quod fluuius inde egrediatur, cuius aqua lucidissima est quasi crystallus. Sũt autem et per ripam fluminis arbores nobilissimæ, quæ ferũt fructus duodecim per singulos menses, quarum ipsa folia gentibus sunt ad sanitatem. Hæc ad litteram intelligere ipsa littera prohibet, nobisque aliud valde sublimius quam id quod littera sonat, significare videntur, præsertim cum alibi scriptum sit, flumina plaudent manibus in idipsum. Quomodo enim flumina quæ manus nullas habent, manibus plaudere possunt? Noua sunt ista flumina & de nouo mũdo sunt. Nouus mundus hæc ciuitas Dei est, quam fluminis impetus letificat. Hoc autem flumen Christus est, cuius affluentissima sapientia et scientia sanctam Ecclesiam lætificat. Vnde et alibi dicitur. Sapientia prædicat, foris clamitat, in plateis dat vocem suam. Hæc et in templo clamat dicens. Si quis sitit, veniat et bibat et de eius ventre fluent aquæ viuæ. Hic est ille fons de quo dicitur. Quoniam apud te est fons vitæ. Qui et mulieri Samaritanę loquitur dicens. Qui biberit ex aqua, quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquę salientis in vitam æternam. Hic igitur fluuius quo paradisus mundatur et ecclesia lætificatur, in quatuor capita diuiditur, per quę quatuor euangelia significantur. Et primum dicitur Phison quod oris mutatio interpretatur. Euangelica namque prędicatio ora hominum linguasque mutauit, vt qui prius falsos Deos laudabant et prędicabant, nunc vnum et verum Deum eiusque mirabilia laudent et prædicent. Quid enim, nisi euangelium, Beati Pauli os mutauit, vt qui prius circuncisionem prædicabat, postea mutato ore loquitur dicens. Circumcisio nihil est, et pręputiũ nihil est. Lege sãctorum historias et videbis illum qui paulo ante Iouẽ vt Deum omnipotentẽ laudabat, mox ore mutato Iouẽ ipsũ nõ deũ esse, sed demonũ affirmare. Videbis et illũ qui vanas poetarum fabulas ludendo & musitando cantare solebat, hymnos & psalmos cum fletibus iubilare: Hanc autem oris & linguarum mutationem facit Phison, quia sermo

euangelicus & ora mutorum soluit, & linguas infantium disertas facit. Quanta tunc eius mutatio facta est quando Apostoli qui vix vna lingua vtpote pauperes & rusticani loqui nouerant, mox diuinitus inflammati omnibus linguis loqui coeperunt? Gyon autem pectus interpretatur. Respice nunc ad pectus Pontificis et vide ibi rationale. Quære etiam quare Pontifices de sacrificiis pectusculum in partem suscipiant. Ideo fortasse quia de Pontificis pectore Gyon iste fluuius qui pectus dicitur, fluere debeat. Et reuera semper de pectore pontificis fluuius euangelicus manere debet, cuius impetu populus christianus et Domini ciuitas lætificetur et saluetur. Cor enim in pectore est, in quo est sedes et fons totius sapientiæ atque scientiæ. De hoc fluuio bibebat Beatus Ioannes quando super pectus in cęna recumbens vidit illud quod postea scripsit. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Quandocunque de fluuio Gyō bibere volumus, ad pectora pontificum respiciamus. Ideo.n. sic ornata sunt vt magnum ibi sapientiæ thesaurum reconditum intelligamus. Tigris vero sagitta dicitur, quoniam hic fluuius quasi sagitta velocissimus est. Sed quid tantæ velocitatis, vt euangelica prædicatio, quæ quocunque discurrens, satis breui tempore mundum vniuersum impleuit? Iam ab Ierusalem vsque Illiricum nobilis ille sagittarius Beatus Paulus prędicauerat euangelium, cum se in Hispaniam proficisci velle dicebat, vt ibi quoque euangelii sagittas effunderet. Misit enim Dominus sagittas suas et dissipauit eos. De quibus et alibi dicitur. Etenim sagittę tuę pertransierunt. Quid enim aliud quam sagittæ sunt euangeliorum verba? quibus maligni spiritus fugantur, et totus vitiorum exercitus perimitur et dissipatur? Vnde scriptum est. Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et parauit illum, et in ipso parauit vasa mortis et sagittas suas ardentibus effecit. Istæ sunt illæ sagittæ, in manu potentis acutæ cum carbonib. desolatoriis. Sicut enim sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum. Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis non confundetur dum loquetur inimicis suis in porta. Verba Dei in sagittas conuertuntur quibus nullæ iniquorum munitiones resistere possunt. Vnde et discipulis Dominus ait. Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes aduersarii vestri. Restat nunc Eufrates qui fertilitas interpretatur, quæ interpretatio quantum euangelii conueniat, omnibus patet. Respice in mundum vniuersum, euangelica prædicatione, ab errore ad fidem conuersum, et tunc intelliges quam fertilis fuerit Eufrates, quantumque nobis sua fertilitate contulerit. Hanc autem fertilitatem psalmista admirans ait. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Vnde & alibi ait. Annunciaui & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Hinc & Dominus discipulis ait. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Hinc est etiam quod per Salomonem de ecclesia dicitur. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Quoniā enim ager Dei, vinea Dei, hortus Dei sancta videlicet Ecclesia tam fructifera est, hoc facit iste Eufrates, cuius flumine perfunditur & irrigatur. Hæc sunt quatuor flumina paradisi de vno fonte procedentia, & de vno Christi pectore emanantia, quibus totus irrigatur mundus. Ab his autem & multa alia flumina sunt. Tot enim sunt flumina quot & librorum volumina. Habet autem & vetus testamentum suos fluuios, qui nisi istis fluminibus commixti fuerint, simulque conuenerint, mortiferi sunt & insuaues ad bibendum. Littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Apostoli verba sunt. Si autem simul conueniant, omnem superant potionem. Sunt autem & alia flumina & ipsa mortifera quorum aquæ quia amarę sunt, homines interficiunt. De quibus in Apocalypsi Ioannes Apostolus ait, se vidisse stellam magnam ardentem quasi faculam in tertiam partem fluminum de cælo cecidisse. Nomen autem stellæ dicitur absinthium. Mortui sunt autem multi homines de aquis, quia amaræ factæ sunt. Per hæc autem flumina omnium hæreticorum, philosophorum & poetarum erronea scriptura intelligitur. Quæ quoniam duobus noui & veteris testamenti fluminibus non conuenit, non immerito tertia pars fluminum vocatur. Fuge has aquas christiane, amaræ & mortiferæ sunt, nota sunt flumina, nota sunt Sanctarum Scripturarum volumina, notæ sunt aquæ salientes in vitam æternam, de quibus qui biberit, non sitiet vltra.





S. BRVNONIS ASTENSIS SENTENTIARVM LIBER QVARTVS.

DE FESTIVITATIBVS FESTIVITATVM.

DE SANCTA TRINITATE.

CAP. I.

SERMO I.



AVdi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Non habebis Deum alium absque me. In Psalmis quoque scriptum est. Israel si me audieris non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, ego enim sum Dominus Deus tuus. Hæc Iudæi legentes & non intelligentes irrident Christianos, quasi qui non vnum, sed tres Deos colant. Quibus digne satis in euangelio Dominus ait. Erratis non scientes scripturas neq; virtutem Dei. Nos enim non tres Deos, sed Deú vnum in tribus personis colimus & adoramus patrem, & filium & Spiritum Sanctum. Deus quidem vnus est, sed personæ tres sunt. Nam & pater Deus est, & filius Deus est, & spiritus Sanctus Deus est, nó tres tamen Dei, sed vnus est Deus. Tres enim istæ personæ vna essentia sunt, vna deitas, vna virtus, vna maiestas, vna sapientia, vna fortitudo, vna omnipotentia, vnum lumen, vnum principium, vna claritas, & quęcunque aliæ sunt præter personalem proprietatem, quæ de vna persona dicuntur, & de omnibus pariter dicuntur. Et qualiter enim pater, taliter & filius & Spiritus Sanctus Deus est, omnipotens est, fortis, magnus & sapiens est, & quæcunque alia simili modo dici possunt. Non tamen tres Dii, vel tres omnipotentes sunt; sed vnus Deus, vnus omnipotens, vnus fortis, magnus, & sapiens. Personalis autem proprietas hæc est, vt pater genitor, filius genitus, Spiritus vero Sanctus, nec genitor, nec genitus, sed ab vtroque procedens credatur & intelligatur. Hæc autem fides nostra non argumentis, non syllogismis, non humanis rationibus edita est, sed solis Sanctarum Scripturarum auctoritatibus non ab homine inuentis, sed diuinitus inspiratis firmata. Vnde & iudæis non credentibus sibique contradicentibus Dominus ait. Si crederetis Moysi, crederetis vtique & mihi, de me enim ille scripsit. Si quis quærat vbi de ipso scripserit Moyses. Audiat ipsum dicentem. In capite libri scriptum est de me. Ab ipso cœpit Moyses. Ipsum in capite posuit vt iudæus cito facileque inueniat quem inuenire non vult nec laborat quærendo, cum nisi per ipsum ad cætera quæ ibi scripta sunt peruenire non valeat, legendo. In principio, inquit, fecit Deus cælum & terram, & spiritus Dei ferebatur super aquas. Conueniens fortasse fuerat, vt nomen patris prius poneretur, qui vbique maxime ab ipso filio honoratur, sed noluit hoc Moyses, immo Spiritus Sanctus qui loquebatur per Moysen. Prius nomen filii posuit, ne iudæus quærendo, erraret. Sed dices fortasse, quid est principium? Ipse tibi respondeat, ipse tibi dicat. Dixit aliquando, sed non intellexisti, iterum dicat si forte intelligas. Ego principium qui & loquor vobis. Crede igitur Moysi, crede auctoritatibus scripturarum, vel ipsa auctoritas te cogat, & Spiritus Sanctus te compellat, vt vnum Deum in tribus personis confitearis. Ecce statim in capite huius libri qui inter alios primus est, vnus Deus & tres personæ positæ sunt, Deus videlicet pater qui fecit cælum & terram, & spiritus Dei per quem pater & filius disposuit, & ordinauit quęcunque facta sunt in cælo & in terra: hoc enim videtur significare quod dicitur: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Spiritus namque Sanctus a patre filioque procedens vtriusque consilio voluntateque disponit quicquid per filium pater operatur. Quia enim filius sapientia vocatur, vt tam pulchrú opus sapienter factum intelligatur, merito per filium qui sapientia dicitur, factum perhibetur, quamuis a tota Sancta & indiuidua trinitate factum esse non dubitetur. Bene autem pater & filius in Spiritu Sancto qui vtrique communis est, disponere dicuntur quæcunque eis agere placet, vt communis sit dispositio quorum communis est operatio. Fecit igitur Deus cælum & terram, per quem patrem intelligimus. *Deus* enim commune nomen est, & sicut ad patrem, ita & ad filium pertinet, & ad Spiritum Sanctum. Sed quia prædixerat, in principio, fecit, necessario pater intelligitur, quia per principium, idest per filium operatus sit. Prima itaque persona pater, secunda principium, idest filius, tertia vero spiritus Dei qui super aquas ferebatur, per quem Spiritus Sanctus manifestissime demonstratur. Si nihil amplius scripsisset Moyses, solum hoc quod in capite huius libri scriptum est, sufficere poterat ad fidei nostræ assertionem, vt vnum Deum in tribus personis colere debeamus. Pulchre igitur per psalmistam Dominus ait. Holocaustum & pro peccato non postulasti, túc dixi ecce venio vt faciam voluntatem tuam. Et quasi ab aliquo interrogaretur quis esset, ait. In capite libri scriptum est de me. Quod tale est ac si diceret. Ego sum illud principium quod in capite libri scriptum est, in quo cęlum pater creauit & terram. Qui ideo nunc patris voluntatem facere veni, quoniá per sacrificia & holocausta múdus saluari nó potuit. Hác

fidē habuit Moyses, quam fidem Dauid quoque habuerit, videamus. Verbo Domini, inquit, cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nulla differentia est inter eos quod vnus dicit, vterque dicit. Vna fides vtriusque est; vnum Deum in tribus personis vterque adorat, & veneratur. Dominus enim & verbum domini & spiritus Domini: tres personæ sunt, & vnus Deus a quibus cęlum, & terra creata sunt. Et vide quomodo vnus spiritus loquitur in vtroq. vide quomodo id quod ait Dominus. In capite libri scriptū est de me, vtroq. conueniat. In capite namque libri scriptum est de me. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deū, & deus erat verbum. Igitur quod in capite libri scriptum est, Dei filius intelligitur: vt & nos inueniamus Christum in capite libri nostri; & Iudæi eundem inueniant in capite libri sui & nostri. Quem enim Dauid & Ioannes verbum vocauerunt: ipsum Moyses principium dixit. Idem ergo per verbum, & principium significatur. Sed nobis verbum vocari debuit qui docibiles sumus, qui ipsius verbum, & doctrinam audire, & discere parati sumus. Illis vero certe debuit uocari principiū, qui eum principium esse non credebant qui eum nouiter cœpisse, ante matrem non fuisse, quadraginta annos nondum habuisse dicebant. Ecce cogūt vos o Iudęi libri uestri, auctores vestri, & patres vestri quibus contradicere non audebitis vt vnum Deum in tribus personis adoretis. Sed fortasse adhuc erratis non scientes scripturas, neque virtutem Dei, & ideo non creditis neque Moysi neque Dauid: quorum vterq. vt superius ostensum est, vnum Deum, & tres personas confitetur. Alia est enim persona patris, alia filii, alia spiritus Sancti. Vnde hoc? Quia alia est quæ loquitur, alia cui loquitur, alia de qua loquitur. Loquitur autem pater de filio vbi dicit. Ipse inuocabit me: pater meus es tu. Loquitur, & filius de patre vbi ait. Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Loquitur pater de filio vbi ait. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ipsum audite. Loquitur & filius de patre vbi ait. Pater meus vsq. modo operatur, & ego operor. Loquitur aūt. & ipsi patri vbi dicit, Pater iuste mūdus te nō cognouit, ego aūt cognoui te: quia tu me misisti. Et ibi volo pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus. Loquitur autem filius de spiritu sancto vbi ait. Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Longum est autem si omnia testimonia colligere velimus vbi filius de patre. & ad patrem & de spiritu sācto in euangelii locutus est. Sed hæc pauca nos dixisse sufficiat ad credendum, & intelligendum aliam esse personam patris, aliam filii, aliam spiritus sancti. Siquidem alia persona est quæ loquitur, alia cui loquitur, & alia de qua loquitur. Sed Iudæi filii Dei auctoritatem non suscipiunt: nos autem hāc vnam auctoritatem præ cunctis auctoritatibus habemus. Dicat igitur ipse nobis quid credere debeamus, ab ipso audiamus, ipse nos doceat fidem nostrā, videamus quid dixerit, quādo discipulos ad prędicandum misit. Ite, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine patris & filii, & spiritus Sancti. Quare in nomine patris, & filij, & spiritus sancti? Quia a quo creati sumus, ab ipso nos restaurari, & sanctificari necesse fuit. Non dixit vt baptizarent in nomine patris solūmodo, quia non solus pater nos creauit. Addidit filiū, quia & ipse creator est. Addidit, & spiritum sanctum, quia ipse quoque nihilominus creator est. Nihil amplius potuit, quia cætera omnia creaturæ sunt. Ab his trib. personis creata sunt omnia & istæ tres personæ nō tres dij, sed vnus Deus sunt pater & filius, & spiritus sanctus. Nunquam in hac parilitate has tres personas dominus posuisset: nisi per omnia æquales essent: nisi in diuinitate, in maiestate, in omni potentia & in alijs omnib. similes essent. Qualis.n. pater, talis filius, talis spiritus sanctus, immensus pater, immensus filius, immensus spiritus sanctus. Aeternus pater æternus filius, æternus spiritus sanctus Non tamen tres æterni, sed vnus æternus. Stulti, & per omnia insani qui Platonicis syllogismis, & argumētis Aristotelicis de summa, & omnipotenti trinitate disputare conantur. Aliter enim se habet substantia Dei, & aliter substantia creaturarum omnium. Illa enim sola æterna, cæteræ temporales. Illa sola immutabilis est; cæteræ mutabiles. Illa sola contraria non suscipit, aliæ vero contrariorum susceptibiles sunt. Sic enim Aristoteles substantiam diffiniuit. Substantia est quæ cum sit vna & eadem numero, susceptibilis est contrariorum secundum sui mutationem. In hac autem diffinitione, Dei substantia non continetur, quia cum sit vna, & eadem numero neque contraria, neque mutationem suscipiens est. Hanc autem quæstionem quia in hoc sermone tractare non sufficimus in alium tractandum differemus.

DE EADEM.

CAP. II.

Sermo II.

SIcut quædam sabbata dicuntur sabbata sabbatorum quia maiora sunt, & quædam sancta dicuntur sancta sanctorum, quia maiora sunt, & quædam cantica dicuntur cantica canticorum, quia maiora sunt, & beata virgo Maria dicitur, virgo virginum: quia cunctis virginibus maior est, ita quædam festiuitates possunt dici festiuitates festiuitatum, quia omnibus alijs festiuitatibus maiores sunt. Tales sunt autem omnes illæ festiuitates quas ad specialem Dei omnipotentis laudem colimus, & celebramus. Sicut est hodierna festiuitas quæ in honore sanctæ trinitatis celebratur. Diuiditur enim hęc vnitas inuisibiliter, quia quamuis personę tres sunt: Deus tamen vnus est qui non per partes diuisus, sed totus in singulis est. Quia enim vna Dei substātia in singulis personis est, diuisa quodammodo esse videtur, sed quia tota in singulis est, indiuisa esse probatur. Tota enim essentia diuinitatis est in patre, tota in filio, tota in spiritu sancto, quoniam, & pater Deus, & filius Deus, & spiritus Sanctus Deus, & hi tres vnus Deus. Quia enim non est Deus nisi vnus, non potest alius Deus prædicari de patre, alius de filio, & alius de spiritu sācto; sed idem Deus, & vnus numero de omnibus, & de singulis prædicatur. Hoc autem sic esse credere quidem omnino debemus: quomodo sit, vel fieri possit quærere penitus non debemus: quoniam nullatenus (nisi diuina inspiratione) huius sacramenti profunditatem intelligere valemus. Et hoc ideo fortasse quia in nulla alia substantia tale aliquid inueniri potest. Difficile enim creditur, quod nulla similitudine, nulloque exemplo probatur. Nulla enim alia substantia est quæcunque sit, vna & eadem numero in pluribus esse possit, vt hic homo, hic oculus, hic pes, hæc manus, hoc caput, cum vnumquodque horum sit vnum numero, nullum horum in pluribus esse potest. Si vero articulus inde tollatur qui certi numeri significatiuus est, vt non dicatur hic, vel hæc, vel hoc. sed tantum sine articulis dicatur homo, oculus, pes, manus, caput; nihil est quod vnumquodq. horum de pluribus prædicari prohibeat. Sic enim plura iam non numero sed essentia vnum sunt. Vnde & Philosophus ait. Participatione speciei plures homines sunt vnus homo. Petrus enim, Iacobus, & Ioannes cum sint plures numero, in specie quæ est homo, vnum sunt, quoniam, & Petrus homo est, & Iacobus homo est, & Ioannes homo est. Sed si addatur articulus, vel nomen proprium, & dicatur ita, Petrus, Iacobus, & Ioannes sunt hic homo, non erit verum. Similiter autem non erit verum si dicatur hi tres homines sunt Petrus, vel hi tres sunt Iacobus, vel hi tres sunt Ioannes. Manifestum est ergo, quod nulla substantia vna eademque numero, aut articulo, aut proprio nomine demonstratur. Quod autem vniuersaliter dixi nulla substantia, sic est accipiendum ac si dixissem nulla substantia temporalis, nulla substantia mutabilis, & contrariorum susceptibilis. De hac enim sola loquuntur philosophi, hanc solam diffiniuit Aristoteles. Nulla enim alia substantia, cum sit vna eademque numero, de pluribus

prædi-

prædicatur. Diuina vero substantia (quæ vtique æterna est, immutabilis est, & nullius contrarietatis susceptibilis, cum semper simplex & vna sit, eademque numero, semper tamen in pluribus est. Semper enim Deus vnus & qui nunquam potest esse sine numero, vnus, hic videlicet (vt cum articulo dicam) Deus noster qui fecit cœlum & terram, semper inquam & pater est, & filius est, & Spiritus Sanctus est, & totus pater, totus filius, totus Spiritus Sanctus. Nunquam tamen pater filius, nunquam filius pater, nunquam Spiritus Sanctus, vel pater, vel filius est. Et hoc igitur ab humana intelligentia longe est, quia tale aliquid in hac substantia temporali & mutabili inueniri non potest. Si enim hic homo, quem tibi digito ostendo, & Simon & Petrus est, & semper Simon & Petrus, semperque totus & Simon & Petrus est, necessario concluditur & Petrum esse Simonem, & Simonem esse Petrum. Hac enim collectione talis syllogismus fieri potest. Si Simon est hic homo, & hic homo est Petrus, ergo & Simon est Petrus. In diuina autem & æterna substantia aliter fit. Semper enim verum est dicere hic Deus noster (quem tibi non digito, sed fide ostendo) & pater & filius est, semperque pater & filius est, totusque & pater & filius est. Non tamen verum est dicere, ergo & pater & filius: & filius & pater. Potest enim ex his talis fieri, sed non concludit syllogismus. Si filius Dei est hic Deus, & hic Deus pater est, ergo & filius pater, & pater filius est. Quod quidem dicere vel credere falsum et impium est. Hoc autem si Arrius intellexisset, et duas istas substantias ęternam et mutabilem, tam diuersas ab inuicem diuisisset, neque ipse errasset, neque alios tam multos errare fecisset. Dum enim æternam et incommutabilem substantiam intra terminos temporalis mutabilisque substantiæ concludere voluit omnia in illa fieri arbitratus est, quæ in ista esse cognouit. Dixit igitur filium patre minorem, et patrem filio antiquiorem, quoniam inter homines hoc esse non dubium est. Nullus enim filius nascitur qui patre minor non sit, ætate et persona. Stultus qui non considerauit substantiam simplicem et æternam, neque maius, neque minus suscipere. Deus enim semper vnus est, ęternus est, immutabilis est, et quod ei proprium est, semper est hoc quod est. Vnde Moysi interroganti et scire volenti quis esset, ait: Ego sum qui sum, hæc dices filiis Israel, qui est misit me ad vos. Ille enim vera diffinitio se dicitur esse qui semper est, qui immutabilis est, qui nunquam cœpit esse, qui nunquam desinit esse, cuius tota essentia vna semper est, et eadem est. Semper enim et totus Deus sapientia est, semper et totus virtus est, veritas est, lumen est, principium est, et similia. Neque aliud est ei esse, et omnipotentem esse, et hæc omnia in ipso sunt vnum. Omnia hæc est pater, omnia filius, omnia Spiritus Sanctus. Quomodo ergo pater maior filio, vel antiquior esse potest, cum filius æternus sit, et ante æternum nihil sit? Si ante æternum aliquid esse potuit, et antequam filius esset, pater esse potuit. Sed ante æternum nihil esse potuit, non est ergo pater antequam filius. Præsertim cum filius Dei, verbum Dei sit, virtus Dei sit, sapientia Dei sit. Neque enim antequam verbum, antequam virtus, antequam sapientia, pater esse potuit. Qualis enim esset si fortis et sapiens non esset: Neque enim sine virtute fortis, neque sapiens sine sapientia esse potest. Sapientia enim in patre et filio et Spiritu Sancto vna est, et præter ipsam nulla est. Ipsa est autem de qua dicitur. Omnia in sapientia fecisti Et ipsa quidem est verbum Dei, per quod sicut scriptum est. Omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Si ergo hæc sola et non alia sapientia in Deo est, aut sine sapientia (quod nefas est dicere, vel cogitare) pater aliquando fuit, aut ante hanc sapientiam nunquam fuit, impossibile est igitur ante filium patrem fuisse. Sed dicit Arrius: prius est qui gignit quam ille qui gignitur, quoniam eum qui gignit necesse est esse, neque enim qui non est, gignere potest, ille vero qui gignitur nondum est, quia secundum Philosophorum sententiam, quod fit non est. Miser et infelix qui verbi Dei generationem sicut alias omnes generationes fieri arbitratur, Propheta de filio Dei miratur et dicit. Generationem eius quis enarrabit? Et Arrius infelix ab aliis generationibus hanc vnam singularem et admirabilem differre non putat. Possumus autem in creaturis etiam talia inuenire in quibus ille qui gignit non sit prius quam ille qui gignitur. De igne namque est calor et splendor simul cum igne. Vnde et non immerito splendor patris vocatur filius Dei, dicente Apostolo. Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantię eius. Sed melius est vt in nobis ipsis qui ad Dei imaginem et similitudinem facti sumus, hanc trinitatis imaginem requiramus. Nusquam enim Dei similitudo tam facile reperiri debet sicut in illa creatura quæ ad Dei imaginem et similitudinem facta est. Solus autem Angelus & homo Dei similitudinem habere perhibetur. Et de bonis quidem Angelis dubitari non debeat, cum de malis quoque scriptum sit. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti. De homine vero quid? Faciamus (inquit Deus) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hanc ergo similitudinem habent Angeli & homines ad Deum, quia naturaliter sapientia pleni sunt, & quia nulla alia creatura ad hanc sapientiam pertingere potest. Est autem hæc sapientia diuinarum humanarumque rerum intelligentia. Hanc autem intelligentiam præter Angelum & hominem nulla creatura habere potest. Vt enim de alijs taceamus quæ alia creatura, vel litterarum peritiam vel numerorum scientiam habere valet? Secundum hanc ergo ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus, in qua ipsius quoque Trinitatis similitudinem quandam habemus. Trinitas autem nostra hæc est, Intelligentia, memoria, & vsus. Hæc autem tria quodammodo vnum sunt, & sine se esse non possunt, neque vnum ex his prius alio vel posterius est. Et de intelligentia quidem iam dictum est, quod diuinarum sit humanarumque rerum cognitio. Memoria vero est qua ea quæ intelleximus, retinemus. Vsum autem voco naturalem quandam potentiam, per quam ea quæ intelleximus & memoriæ commendauimus, alios quoque docere valemus. Gignitur autem quasi de patre filius, ita de intelligentia memoria. Neque enim de re nõ intellecta memoriam habere possibile est. Vsus autem Sancti Spiritus similitudinem habere videtur, qui de intelligentia, memoriaque procedit. Neque enim docere quis potest id quod non intellexit, neque memoriæ commendauit. Non est tamen intelligentia priusquam memoria quamuis de intelligentia memoria fiat, quoniam nullius rei intelligentia, etiam si paruissima, sine memoria haberi potest. Vtputa nomen duarum syllabarum paruissimum quidem est, sine memoria tamen neque sciri, neque intelligi potest. Quomodo enim si memoriæ non assuetit, primæ syllabæ secunda iungetur, vel ipsa prima sine memoria scietur? Statim enim dicta, obliuiscetur, immo non obliuiscetur, quia nunquam sine memoria intelligetur. Non est ergo intelligentia priusquam memoria. Vsus quoque, idest docendi potentia, his duabus posterior non est, quia non prius aliquid intelligimus, vel memoriæ commendamus, quam etiam docendi potestatem habemus. Quia ergo nulla alia creatura hanc Trinitatem & vnitatem habere potest, non immerito secundum hanc vnitatem & trinitatem Angelus & homo Dei similitudinem habere videntur. Sic ergo etiam in creaturis inuenitur aliquid quod quamuis ex aliquo gignitur, tamen non est posterius eo ex quo gignitur.

DE EADEM.

CAP. III.

Cvm loquimur de vnitate & trinitate quæ Deus est, & inuisibilem ęternamque Dei nostri substantiam caligantibus oculis infirmisque luminibus videre desideramus, valde timendum est, ne forte nobis dicatur illud quod in Cãticis canticorum. Auerte oculos tuos a me quia ipsi me auolare fecerunt. Vnde Apostolus ait Non plus sapere quã oportet sapere, sed sapere ad sobrietatẽ. Et in ps. hmis. Accedet homo ad cor altũ & exaltabitur Deus. Et Salomon. Dixi sapiens efficiar, & ipsa longe fugit a me. Et alibi. Sicut, inquit, qui multum mel

comedit non est ei bonum, ita qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria. Loquebatur facie ad faciem Moyses cum Domino sicut loqui solet homo ad amicum suum, & tamen dicebat, si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te. Cum Dominus ait. Non me videbit homo & viuet. Deum nemo vidit vnquam. Vocem Moyses audire poterat, speciem vel imaginem aliquam videre non poterat. Audiuere & Apostoli vocem eius cum de nube loqueretur dicens. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Ipsum quidem audiuere, speciem autem non videre. Nos quoque in sanctis voluminibus eum saepe loquentem audimus, sed speciem non videmus. Non enim eum videbit homo & viuet. Non videbitur in hac vita quia istis oculis videri non potest. Videbitur autem post hanc vitam, sicut Ioannes Apostolus ait. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Et Apostolus. Videmus nunc (inquit) per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte. Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Si Moyses & Apostoli qui spiritu Dei pleni erant, in quibus & per quos Dominus ipse loquebatur, eum sicuti est, videre & audire & intelligere non potuere, temerarium valde esse videtur, de eius nos essentia iudicare, praesertim cum ipse dicat, non me videbit homo & viuet. Inuisibilis est Deus, non enim corporis, sed mentis oculis videtur. Mentis vtique innouatae & resurrectionis gloria illuminatae, & omni corruptione corporea liberatae. Talis tunc erit humana natura quae corporeis oculis Christi humanitatem & mentis oculis eius diuinitatem contemplari valeat. Considera modo quanta tunc laetitia esse poterit videntibus Deum, cum & corporeis oculis videant Christi humanitatem in vno loco manentem, & mentis oculis contemplentur eius diuinitatem omnia continentem. Neuter visus erit ociosus, vterque videbit illud bonum in quo multum valeat delectari, & quo videndo nequeat satiari. Sed interim qui de terra est, de terra loquatur, nemo se supra se extendere velit. Dicamus cum Psalmista. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Arrius miser non intellexit haec verba, sed nimium exaltauit cor suum, nimiumque exaltauit oculos suos. Et dum immundo corde & impuris oculis maiestatem videre & intelligere non potuit, blasphemare coepit, & filium a patre diuidere conatus est. Neq; timuit infelix ambulare in magnis, & in mirabilibus quae erant supra se, quae eius intelligentiam excedebant & eius ingenium superabant. Quid enim de Deo dici vel cogitari potest quod magnum & mirabile non sit? Magnum enim multumque mirabile est, quod & pater est, & filio prior non est. Quod quia iste intelligere non potuit, sanctorum auctoritatibus credere noluit, neque humilibus voluit consentire, sed exaltauit animam suam. Spreuit episcoporum consilia & in superbiam eleuatus catholicorum damnauit sententiam. Ideoque sicut ablactatus super matrem suam, ita & retributio facta est in anima eius. Quia paruuli quos interfecerat (si quos tamen interfecerat, & ad petram allidendo contriuerat) omniaque vitia quae in baptismo deposuerat, vel penitentia superauerat, iterum ad perdendam aeternisque incendiis cruciandam eius impiam animam reuersa sunt. Et sicut puer ablactatus, a lacte auulsus, importune se ingerere solet super matrem suam, vt vbera iam desiccata penitus exhauriat, ita & maligni spiritus cum omni vitiorum exercitu, huius infelicem animam lacerare, cruciare, & perdere, sine fine non cessant. Fides ergo Sanctorum nobis sufficiat, neque enim meliores sumus quam patres nostri, neque vltra ea quaeramus quae illis diuinitus sunt reuelata. Et qui nosipsos & ea quae in nobis sunt intelligere non valemus, ad ea quae supra nos sunt, nos extendere non laboremus. Audiamus prophetam dicentem. Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est & non potero ad eam. Coepi (inquit propheta) meipsum considerare, & quid vel qualis esset humana natura, volui inuestigare, & tam mirabilem scientiam in meipso inueni, vt penitus me ad ipsam extendere non valeam. Confortata enim est, omnique humano ingenio fortior & sublimior facta est & non potero ad eam. Ecce propheta nescit seipsum & tu in hac vita vis videre & intelligere ipsius diuinitatis naturam. Dic mihi si nosti, vnde oculis visus est, vnde auribus auditus, quomodo nares odorem, quomodo fauces & palatum saporem sentiunt. Quod si ista intelligis, altius ascendo. Quaere quomodo iste mundus sit factus, quo impetu quotidie caelum voluatur, & quomodo tam stabile moueatur. Quaere vbi tanta machina firmata sit, quis locus, qualis & quantus circa ipsam sit. Neque aliter volui potuisset nisi in aliquo loco inani & vacuo ab obstaculo, firmata fuisset. Et ego quidem tantam loci spatiique immensitatem circa hoc caelum videre videor, vt totus iste mundus paruum quid mihi videatur. Vnde & ipse quoque hic meus visus magnum mihi miraculum facit, quomodo sub vno momento tantum ascendere, tamque immensa spatia circa se comprehendere valeat. Nihilque aliud sentio in me, vnde magis omnium creatori Deo simul cum Psalmista dicere debeam, mirabilis facta est scientia tua ex me. Considera etiam terram quae suis librata ponderibus, sic in medio caeli firmata est, vt cum nullum habeat fundamentum, in nullam tamen partem se inclinare valeat. Vnde bene per prophetam dicitur. Quis mensus est pugillo aquas, & caelos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terrae, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Considera, si potes, quanta est illa manus, quae tantis aquis impleri non valet, quanta est illius fortitudo, qui caelos palmo ponderauit, quales sunt illi tres digiti quibus tanta moles totius terrae appensa est. Tres isti digiti, tres personae omnipotentis trinitatis sunt, quarum operatione vnus Deus fortis & potens cuncta creauit. De quibus videlicet tribus digitis scriptum est. Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et isti quidem tres digiti ad faciendum hominem inuitantur, vbi ab vno summo Deo dicitur. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Deus enim, & verbum Dei, & spiritus Dei, tres personae sunt & vnus Deus. Et iste quidem est, qui tribus digitis appendit molem terrae. Iste quidem est qui librauit in pondere montes & colles in statera. Et cum ex altera mundi parte tam immensa montium moles pondusque excreuerit, ex altera vero planities sola remanserit, sic tamen tota librata est, vt alterius partis pondera alteram partem mouere non valeant. Caelorum autem natura talis esse putatur, vt omnia ponderosa a se repellat. Vnde solem & lunam stellarumque globos sine pondere esse putamus. Sicut ergo ponderosa omnia a se repellit, ita & leuia ad se omnia trahit. Et inde est quod ignis, nubes, & nebulae semper superiora petunt. Fertur simulacrum ferreum deauratum mirae magnitudinis in quodam templo in aere positum fuisse, quod cum nullis catenis nulloque instrumento teneretur, cunctis videntibus & quomodo sic staret nescientibus, miraculum faciebat. Erant autem ibi duo lapides temperatae qualitatis quos Magnetes vocant, quorum alter in pauimento, alter in testudinis sublimitate firmatus erat. Huius autem lapidis haec virtus est, vt ferrum ad se naturaliter trahat. Dum ergo statua in medio posita esset, & ab vtroque lapide aequali virtute attento pondere, traheretur, neque sursum ascendere poterat, tenente eam inferiore, neque deorsum cadere trahente superiore. Stabat itaque in medio fixa, & sic virtute lapidum tenebatur, vt in neutram partem declinare posset. Sic fortasse de terra opinari quoque possimus, quae cum in medio sua sit naturali caelesti virtute in nullam partem valeat declinare, aut cum propter pondus vtraque pars centrum petat, altera alteram sustineat. Ego tamen magis eam firmam immobilemque stare puto virtute Dei, quam virtute caeli, quamuis & virtus caeli si qua est, non caeli, sed Dei sit.

DE NATIVITATE DOMINI.

CAP. IV.

MAximus prophetarum Esaias de incarnatione filii Dei loquitur dicens. Et dixit Dominus ad me. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et adhibui mihi testes fideles. Vriam sacerdotem & Azariam filium Barachiæ: & accessi ad Prophetissam & concepit filium, & dixit mihi. Voca nomen eius. Accelera spolia detrahe, festina prædari, quia antequã sciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum. Nunc videamus, quid ista significent. Sume inquit tibi librum grandem. Liber iste grandis, totus iste mundus intelligitur: tot sunt istius libri membranæ, quot sunt, & homines. Hæc verba non in tabulis lapideis, sed in cordibus nostris scribenda erant. Sume (inquit) tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis. Quid est stilo hominis? plano vtiq. faciliq. sermone, & quali homines inter se loqui solent: & quem omnes quicunq. audierint intelligere valeant. Et fortasse hic propheta ideo cæteris omnib. facilior est. Alii vero prophetæ non scribunt stilo hominis, quia longe est eorum scriptura atque dictatu cæterorum hominum. Scribe inquit stilo hominis: & hoc est, quod te scribere volo. Velociter spolia detrahe, cito prædare. Quoniam magnus liber, & quam pauca verba. Hæc tamen sufficiunt, si quis est qui ea intelligere, & custodire valeat. Præparemus corda nostra ad hanc scripturam suscipiendam: Vtinam sit paratum cor meum hæc in se suscipere verba, & tali atramento ibi scribantur, vt nunquam inde deleri valeant. Ecce audiuimus, & præceptum accepimus, vt simus spoliatores, & prædatores. Hoc enim significatur illis verbis quibus dicitur; velociter spolia detrahe, cito prædare. Hactenus fures, & latrones hoc officium habuere; hoc nunquam homines facere solebant. Vim tamen vi repellere nullæ leges prohibent: latrones persequi non est peccatum. Vtinam qui iniuste spoliati, & prædati sunt aliquando se vindicare valeant. Recordare illius euangelii, vbi homo ille qui descendebat ab Hierusalem in Hiericho incidit in latrones, qui etiam expoliauerunt illum. In hoc vno homine omnes homines expoliati, & prędati sunt. Hos ergo latrones persequamur, & spolia nostra in quibus gloriantur diripiamus. Dicamus cum Psalmista. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare cadent subtus pedes meos. Si aliam prædam, & alia spolia ab eis auferre non possumus, vel nostra nobis vendicemus: ab eorum impia seruitute nos ipsos liberemus. Credamus Apostolo dicenti. Sicut exhibuistis mẽbra vestra seruire iniustitię, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Bonam prædam fecimus, & magna spolia dedimus, si de istorum seruitute membra nostra liberauimus. Nullos amicos propinquiores habuimus pro quibus pugnare debuissemus Abraham persecutus est inimicos, & liberauit Loth nepotem suum de manibus eorum. Ecce Deo gratias pugnauimus inimicos expoliauimus. Exultemus igitur sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Amodo membra nostra, non vitiis, sed Deo seruiant, cuius auxilio liberati sumus. Et adhibui (inquit) testes fideles. Non enim sine testibus Iudæi credere potuissent: & homines iam superati, tam subitam de inimicis victoriam sperare non possent, vt eos quibus resistere non valebant, nunc versa vice superarent, & expoliarent. Bene igitur fecit Esaias testes fideles sibi adhibendo, qui se hęc verba a domino simul cum ipso audisse affirmarent. Hoc autem & nos facere tunc debemus quando conuersis peccatoribus veniam, & de inimicis victoriam per pœnitentiam pollicemur: si verbis nostris credere noluint, fideles testes adhibeamus, de quorum testimonio dubitare non possint. Sed quos testes? Vriam sacerdotem & Azariam filium Barachiæ. Isti duo testes, duo sunt testamenta: quorum auctoritate quicquid dicimus, confirmare debemus. Si peccator mihi non credit veniam promittenti, & se post tanta flagitia saluari posse diffidit: adhibebo Euangelicum testem fidelem, qui crediderit (inquit) & baptizatus fuerit, saluus erit. Adhibebo insuper, & alium testem. Peccator quacunque hora conuersus fuerit & ingemuerit vita viuet, & non morietur. Vnde bene Vria ignis interpretatur, per quem legem intelligimus, de qua scriptum est. In dextera eius ignea lex: Azaria auxilium dicitur per quem euangelium significatur, cuius vtique magno, & ineffabili auxilio, liberati sumus, cuius pater Barachia vocatur, qui benedictus dominus interpretatur. Euangelii pater Christus est, qui super omnia benedictus Deus, & dominus est. Et accessi ad Prophetissam, quæ concepit, & peperit filium. Egregie autem postquam hanc tantæ memoriæ tanteq. beatitudinis promissionem propheta accepit se ad Prophetissam accessisse dicit, vt illum tandem de virgine matre nasci videret in quo, & per quem hæc tanta promissio compleretur. Hæc autem prophetissa Beata virgo Maria est, quæ plena spiritu sancto, pulcherrimam nobis edidit prophetiam. Magnificat (inquit) anima mea Dominũ. Et exultauit spiritus meus in deo salutari meo, &c. Accessit autem propheta ad Prophetissam, quando a spiritu sancto ductus est, vt Christi natiuitatis sacramentum in spiritu videre mereretur. Sic enim accedebat prophetæ ad omnia quæcumque videbant. Et dixit mihi. Voca nomen eius. Accelera spolia detrahe, cito prædare, quia antequam sciat puer vocare patrem aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Ecce puer noster, cuius hodie celebramus natiuitatẽ antequã carnem susciperet & de virgine nasceretur, & priusquam secundum carnem infantiam compleret, & ad virilem ætatem perueniret, fortitudinem Damasci, & spolia Samarię abstulit, & regem vicit Assyriorum. Isti enim contra Hierusalem pugnabant, & filios Israel in illis diebus in quib. Esaias prophetabat, vehementissime affligebant. Miseri Iudæi qui eum venientem non susceperunt quem solummodo, & non alium, semper adiutorem, & defensorem habuerunt. Sed quomodo vocari debuit rex fortis, & potens noster, nisi spoliator & prædator. Ipse est enim de quo scriptum est, Ad prædam fili mi ascendisti: Ipse est qui prius Aegyptum, & postea infernum expoliauit. Illa enim prima expoliatio, hanc secundam futuram significabat. Ipse est qui per Angelum suum de castris Assyriorum centum octoginta quinq. milia interfecit, eorumque spoliis filios Israel diuites fecit. Hæc Esaias qui hæc scripsit suis oculis vidit, & hanc victoriam, hunc puerum nostrum fecisse narrauit. Senex est iste puer, & antiquus dierum, & antequam Abraham fieret ipse est. Paruulus quidem videtur modo, qui secundum carnem natus est modo: cuius natiuitas secundum diuinitatem nullum temporis habet modum. Ipse est enim de quo scriptum est In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, q. factũ est in ipso vita erat, & vita erat lux hominũ Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Ioãnes. Hic venit in testimonium, vt testimoniũ perhiberet de lumine vt omnes crederent per illum. Lege totum euangelium, & extende te, simulq. cũ beato Ioanne cuius hæc verba sunt, sume pennas aquilæ, & ascende super Cherubim vt volare valeas, super pennas ventorum, & accedens usque ad thronum gloriæ: ibi videas puerum istum qui hodie natus: qui modo ad prædandum, & expoliandum venit, in sinu, & corde æterni summiq. patris regnantem, & gloriantem, vt audias ipsum dicentem. Eructauit cor meum verbum bonum. Tecum principiũ in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.

DE CIRCVMCISIONE DOMINI.

CAP. V.

Sermo I.

POstquam impleti sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Primus omnium hominum iubente domino, circuncisus est Abraham; de quo Apostolus ait. Et signum accepit circuncisionis signaculum iustitiæ fidei. Est ergo circumcisio signum quo Iudæorum populus: qui vbiq gentium dispergendus, & in captiuitatem ducendus erat ab aliis nationibus discerneretur. Est autem signaculum, id est significatio quædam iustitiæ fidei, quoniam Christianorum iustitia quæ non per circuncisionem, sed per fidẽ habetur in illa tali circũcisione significata est. Nemo enim iustus veraciter dici potest, nisi ille qui non solum vnum membrum vt Iudæi, sed omnia membra circuncisa habet. de hac enim circumcisione scriptum est. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Vnde & Moyses incircũcisum labiis se esse dicit. Linguæ quoque circumcisionem necessariam esse significans. Hinc & Beatus Stephanus quasi non bene circuncisos Iudæos redarguens ait. Incircumcisi auribus, & corde: vos semper spiritui sancto restitistis: sicut & patres vestri, ita & vos. Sic igitur omnia membra circuncidi, & omnia superflua & nociua ab omnibus membris resecari, & purgari debent. Superflua autem & nociua sola peccata, & vitia sunt. Hęc ab omnibus membris auferantur, & bene totus circumcisus est homo Si oculi non videant vanitatem: si aures non audierint detractiones: si lingua non fuerit locuta verba ociosa atque mendacium, circuncisa est. Hæc est vera circumcisio: sic omnia membra circuncidantur: Hanc circuncisionem illa circuncisio patris nostri Abrahæ significabat, & propter hanc circuncisionem illa talis circuncisio data est: sicut & cętera omnia quæ in figura contingebant illis. Hoc signum, & hoc signaculum iam nunc necessaria non sunt, quoniam vterque populus vnus est, & paries inimicitiarum de medio sublatus est: & ex duobus gregib vnum ouile, & vnus pastor effectus est: & totum quod prius in significatione agebatur, nunc ab omnibus intelligitur, & in veritate seruatur. Quoniam autem Saluator noster hanc in carne sua circumcisione suscepit. Hæc valde rationabilis causa fuit: quia non venit legem soluere sed adimplere. Finis enim legis dicit Apostolus, Christus est ad iustitiam omni credenti. In ipso lex completa est, nihil proficiunt, qui post ipsum circumciduntur. Vnde, & Apostolus ait. Ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, vere ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Nihil ad perfectum adduxit lex. Manifestum est autem quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram Domino. Ad hoc igitur valuit circumcisio, quia quicunque in illo populo circuncisus non fuit periit de populo Dei: neque simul cum aliis Christi sanguine liberatus, & redemptus est. Omnes autem vsque ad Christi passionem, non solum ab originali peccato, verum etiam ab aliis omnibus Christi sanguine liberati sunt, quicumque illã circumcisionem susceperunt, & legem custodierunt. Si enim circumcisione vel baptismo originale peccatum deleri potuisset: Christi passio necessaria non fuisset, Sed impossibile erat sine effusione illius sanguinis, originale solui peccatum. Vnde & Ioannes Apostolus ait. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Iesus est filius Dei. Hic est qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus. Non in aqua solum sed in aqua & sanguine. Nonne audis quia Saluator noster non per circuncisionem, sed per aquam, & sanguinem venit saluare & redimere mundum. Non in aqua solum quia impossibile erat sine Christi sanguinis effusione solo baptismate hominem liberari. sed in aqua, & sanguine, vt sanguis ad precium, & ad lauacrum aqua proficeret. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra. Spiritus, aqua, sanguis: & hi tres vnum sunt. Et tres sunt qui testimoniũ dant in cælo. Pater, verbum: & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Et cęlum nobis testatur, & terra, quod filius hominis venit in hunc mundum, vt nos redimeret atque saluaret. Vnde, & Apostolus ait. Fidelis sermo & omni acceptione dignus quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum. Tres (inquit) sunt in terra qui nobis testimonium dant, certosque nos faciunt de salute nostra spiritus videlicet & aqua ex quibus in baptismo regenerati sumus, & sanguis filii Dei, quo redempti sumus. Et de baptismo quidem scriptum est. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, de sanguine vero. Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Itemque. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam ęternam. Et hi tres vnum sunt. Tres quidem isti, idest spiritus aqua, & sanguis vnum sunt, quoniam & spiritus lauat, & sanguis lauat Omnes enim in eo vnum sunt, in quo vicissim a se non differunt. Sunt igitur, hæc tria vnum, quia vnum operantur. Et tres sunt qui testimonium dant in cælo, pater, verbum & spiritus sanctus: & hi tres non tantum vnum, sed substantialiter vnũ sunt. Lege omnes scripturas vtriusque testamenti: quæ horum trium patris videlicet, & filii, et spiritus sancti, inspiratione compositæ sunt: tunc intelliges qualia quantaque in cęlo de salute nostra testimonia habeamus. Quod si plura legere non vacat illud nobis vnum interim sufficiat. Qui crediderit, & baptizatus fuerit; saluus erit. Quod enim filius dicit, hoc et pater dicit, et spiritus sanctus. Illa autem clausula quæ interposita; est qua dicitur et spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas, ad superiora respicit, vbi ait, quoniam Iesus est filius Dei. Quasi enim aliquis diceret, vnde hoc probas, quod Iesus iste tuus quem prædicas filius Dei: subdidit dicens, Spiritus qui in ipso est, in quo tanta, et talia operatur, ipse apertissime ostendit quod filius Dei est, et quod mendacium in illo non est. Et quicquid de seipso vel de aliis dicit: totum verum est.

DE EADEM.

Sermo requirendus II.

QVoniam autem circuncisio, & Castitas idem significant conueniens nobis esse videtur, vt sermonem illum, qui superius de castitate editus est huic sermoni coniungamus. Require in libro de ornamentis Ecclesiæ vbi dicitur beatus Paulus Apostolus doctor, & magister Gentium.

IN EPIPHANIA DOMINI.

CAP. VI.

AVdiuimus modo cum euangelium legeretur quod tres Magi ab oriente venerunt, quos noua stella duxit ad Iesum, qui mox apertis thesauris suis obtulerunt, ei munera aurum, thus, & myrrham: & responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Dicendum est igitur quid tres isti Magi, quid illa stella, quid tria munera, & quid itineris mutatio significet. Non enim vacat a mysterio, quod tribus solum viris extraneæ gentis, suæ natiuitatis gloriam Saluator noster manifestare voluit. Tres fuerunt filii Noe, qui tempore diluuii in arca saluati sunt ex quibus vbique disseminatum est, omne hominum genus. In tres partes totus diuisus est mundus. In Asiam, Africam, & Europam. Tres mulieres venerunt, vt vngerẽt Iesum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome.

Mulier

Mulier quoque in Euangelio abscondit fermentum in farinę satis tribus, donec fermentaretur totum. Sunt autem & multa alia quę eandem habent significationem. Tres igitur isti viri venientes ad Iesum ex omnibus mundi partibus, sanctam ecclesiam in vnam fidem colligendam, significabant siquidem ex tribus hominibus orti sunt omnes, & vnum dominum in tribus personis adorare debemus omnes, & in tribus mundi partibus habitabant omnes, quoniam ab hoc vno creati sunt omnes. Per coelos autem qui hanc nouam stellam dederunt Apostolos intelligimus de quibus dicitur. Cæli enarrant gloriam Dei. Noua autem stella eorũ fides est atq; doctrina. Cæli nobis prædicant, cæli nos vocãt, cæli nos inuitant ad Dominum. Multi sunt cæli, sed vna stella: quia multi sunt Apostoli, & doctores sed vna fides, atque doctrina. Vnum enim dicunt omnes: Vnam fidem prædicant omnes. Vnus dominus, vna fides, vnum baptisma prædicatur ab omnibus. Hanc stellam sequamur, hanc fidem, & doctrinam teneamus. Hæc nos ducet ad Iesum. Hoc lumine veniemus ad Christum. Neque nos errare in itinere permittet, tantum nos eam non deseramus, semperque ad eam respiciamus, & via regia incedamus. Ad Herodem non diuertamus, cuius consilium non audiamus: neque scribarum, & phariseorum responsa quæramus. Si enim magi hoc fecissent, si ad Herodem non venissent, si recto itinere pertexissẽt, & in domo impia Christum non requisissent, nequaquam stellam perdidissent. Hoc enim ex eo probari potest, quod postquam ab Herode magi recesserunt, & illi quorum consortium reliquerunt, confestim, vt ait euangelista, Stella, quã viderant in oriente, antecedebat eos, donec veniens staret supra, vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde. Illorum igitur error sit nostra correctio: & qui noua stella, & vero lumine, fide catholica, & doctrina Apostolica illuminati sumus, Herodis domum, hæreticorum & Iudæorum doctrinam, quę est synagoga Satanæ, fugiamus. In itinere positi sunt isti, & ad Christum festinantibus parant insidias: Sed vide quanta est iniquitas Herodis, quanta est astutia diaboli. Fingit se adorare velle, quem molitur occidere. Mittit magos ad Iesum, rogat vt ab ipso redeant ad se. Habet enim fiduciam, sicut scriptum est quod influat Iordanis in os eius. Sunt enim escę eius electæ, neque magno opere curat alios deuorare, nisi eos qui iam per fidem, & baptismum venerunt ad Iesum, & in Christi militia computati, eis signaculum suscipere meruerunt. Et intrantes domũ inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidẽtes adorauerunt eum. Nestoriani non inueniebant puerum cum Maria matre, quia non credebant Christum habuisse matrem. Vnde in detestationem eorum Beata virgo Maria vocata est theotocos, id est Dei, qui etiam homo est, mater. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Gentiles erant isti legem, & prophetas non nouerant; legis tamen & prophetarum dicta complebant. Scriptum est enim. Non apparebis vacuus ante conspectum domini Dei tui. Isti sunt de quibus scriptum est. Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Et in psalmis. Reges Tharsis, & insulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terrę: omnes gentes seruient ei. Docent nos isti viri qui primitię gentium fuerunt, & per quos omne genus hominum significatum est, qualiter debeamus quærere Christum, & quomodo ad Iesum venire debeamus Non debemus venire sine muneribus, non debemus ad eum accedere sine aromatibus. Sic regina Saba (quæ & ipsam Ecclesiam Gentium significabat,) venit ad Salomonem offerens ei aurum multum, & aromata multa, & qualia prius non fuit allata in Hierusalem. Sic & illę mulieres, de quibus iam superius locuti sumus, emerunt aromata vt venientes vngerẽt Iesum Lege Cantica canticorum, & videbis quod totus liber vnguentis optimis, et aromatibus redoleat. Vbi sponsa vnguentis suauibus delibuta sponsi odoribus delectata dicit. Trahe me post te, et curremus in odorem vnguentorum tuorum: Cuius, et sponsus odoribus nihilominus delectatus ait. Fauus distillans labia tua sponsa, mel, et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. De sapiẽtiá quoque dicitur: quia in plateis sicut cinamomum, et balsamum aromatizãs odorem dedit, et quasi myrrha electa dedit suauitatem odoris. His et similibus apparet quantum bono odore, et sanctis aromatibus delectatur Deus Bonus odor et sancta aromata virtutes sunt, sine quibus ad Christi incunabula, et ad matrem totius virginitatis accedere non licet Fides, spes, charitas, humilitas, et patientia, misericordia, et obedientia, aromata sunt, quorum odor suauissimus est: in quo, et Christus, et mater Christi multum delectantur. Valde sapientes fuerunt homines isti qui talia munera domino obtulerunt. Hos igitur imitemur et aurum, et aromata domino offeramus. Omnium metallorum aurum preciosissimum est, nec igne minuitur, nec vetustate corrumpitur. Omnia vasa tabernaculi aurea sunt, arca, mensa, altare: candelabrum, thuribulum, tabulæ, craterę, scyphi, scyphi: et ipsi Cherubim, de auro purissimo facti sunt. Sic, et in templo Salomonis omnia de auro purissimo facta erant. Nihil in toto templo nisi aurum videbatur. Ad nos fratres illa respiciunt nos sumus vasa tabernaculi, Diuitiæ Dei, arcana Dei, sapientia Dei, si in corde tuo reposita sunt: tu arca es: Si cibis spiritualibus alios pascis, mensa es. Si sapientiæ doctrinæque lumine alios illuminas, candelabrum es. Si de tua sancta cõuersatione bonum odorem circumquaque diffundis, thuribulum es. Si spiritui sancto in corde tuo habitaculum præparas, templum Dei es. Hoc enim dicit Apostolus Nescitis quia templum Dei estis et spiritus sanctus habitat in vobis? Aureos igitur nos esse oportet, siquidem tabernaculi vasa sumus. Sed videat vnusquisque quale aurum offerat Domino: ipse enim falli non potest: faber est, et filius fabri, non Ioseph, vt Iudæi dicebant, sed illius qui cælum fabricauit, et terram, sicut nos dicimus Ipse est de quo scriptum est. Et sedebit cõflans & emundans argentum, et purgabit filios Leui, et colabit eos, quasi aurum, et quasi argentum. Si cuius opus manserit, mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse vero saluus erit: sic tamẽ quasi per ignẽ, apostoli verba sunt. Quis nos in isti faciemus, qui non aurum, sed plũbum habemus. Sed potens est Dominus plumbum nostrum in aurum conuertere, qui in tot, et tam diuersa animalia solidam terram conuertere potuit. Ecce audiuimus quid Domino offerre debeamus. Audiamus etiam per quam viam in patriam redeamus: dicat Euangelista. Et admoniti, inquit Magi in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Vna via prohibetur, cęterę bonæ sunt. Redire ad Herodem malum est, hanc viam fugiamus. Hæc via non ducit nos ad patriam. Herodes iste diabolus est, Herodes iste peccatum est. Omnis via quæ ad ipsum ducit, mala est, Alias ergo vias teneamus, quæ nos sine errore in patriam perducant. Vniuersæ viæ Domini misericordia et veritas. Hæ duæ sufficiunt nobis: sed duæ vna sunt. Dominus hoc dicit: Ego sum via, veritas, et vita: nemo venit ad patrem nisi per me, Omnes igitur viæ in istam conueniunt, nulla nisi per istam ad patrem vel ad patriam perducit. Hanc ergo teneamus, vt læti tandem, et incolumes in antiquam patriam nostram redire valeamus. Ipso adiuuante qui viuit, et regnat in sęcula sęculorum. Amen.

DE OCTAVIS EPIPHANIAE DOMINI.

C A P. VII.

DEfuncto Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto dicens: Surge, & accipe puerũ et matrem eius, et vade in terrã Israel. Defuncti sunt.n. qui quærebant animam pueri. Sicut Ioannes euangelista dicit: In propria venit Dominus et Saluator noster, et sui eum non receperunt. Derelicta igitur synagoga transiuit ad gentes, et abiit in Aegyptum, vbi patriarchæ, et prophetæ peregrinati sunt, vt adimpleretur quod dictum est per prophetã dicen-

dicentem, Ecce Dominus ascendet super nubem leuẽ, & ingredietur Aegyptum, & corruent omnia simulacra eius. Vnde, & ipse Dominus ait, Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et in Psalmis. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. In templo quo vt Iosephus refert, auditæ sunt voces angelorum, dicentium, Relinquamus has sedes. Vnde & Apostolus ait. Vobis oportebat primum prædicari verbum Dei, sed quia repulistis illud, & indignos vos fecistis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Hoc igitur fuga domini significauit. Venit in Aegyptum vt populus qui sedebat in tenebris, videret lucem magnam. De quo videlicet populo per prophetam ante prædixerat. Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inueterati sunt, & claudicauerunt a semitis suis. Et alibi. Vocabo non plebem plebem meam, & non misericordiam consecutam, misericordiã cõsecutã, & quib. prius dictũ fuerat nõ popul⁹ meus vos ipsi vocamini filii Dei viui. Laudate ergo dñũ omnes gẽtes laudate eũ oẽs populi, quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. O felices illi gentium, cum quibus, & in quibus Dominus habitat. Miseri Iudæi qui eum recipere noluerunt, & clamantes dixerunt. Non habemus regem nisi Cæsarem. Miserunt insuper legationem post ipsum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Hanc impiam legationem mittunt post Iesum, & incredulo corde, & obstinato dicunt, nolumus hunc regnare super nos. Nondũ illis mortuus est Herodes, adhuc super synagogam diabolus regnat. Nondum omnes mortui sunt qui Christi animã quærunt, & eius nomen & fidem in cordibus fidelium occidere conantur. Sed sciant Iudæi, nisi omnes isti prius moriantur, & diabolus in eorũ cordibus regnare desistat, ad terram Israel & ad synagogam non veniet Iesus. Dedignatur enim Dominus cum talib. habitare, omnesq. illos fugit, super quos Herodes, & diabolus regnat. His autem mortuis reuertetur ad eos, quod quidem iuxta secundam consummationẽ Hieremias propheta futurum esse testatur. Ait enim, In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabit eum Dominus iustus noster. Si enim fuerit numerus filiorũ Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Vnde & in Psalmis legitur. Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatẽ. Et tunc quidem archisinagogi filia exsuscitabitur, per quam ipsa synagoga significatur. Tunc ille qui hircum seu caprum emissarium, tanto tempore vagabundus per desertum duxit lotis vestibus aqua munda ad castra reuertetur. Obscura sunt nisi clarius differantur. Narrat Moyses dominum præcepisse vt ante ostium tabernaculi duos hircos statueret, quorum alterum immolaret domino alterum in desertum mitteret pro homine, ad hoc officium præparatum. Homo vero ille immundus erat vsque ad vesperum, & tunc lotus aqua ad castra reuertebatur. Quam friuola hæc esse viderentur, nisi magnum aliquid significarent: Duo hirci Christum, & Antichristum significant. Hircus in lege pro peccato offerebatur, mũdum quidem animal, sed fœtidum, & luxuriosum. Munda enim animalia sunt, quæcunque vngulam diuidunt, & ruminant. Nos quasi hircum Antichristum abominamur. Similiter autem & Iudæi Saluatorem nostrum seductorem, & peccatorem dicunt. In quorum persona Isaias propheta loquitur, dicens. Et nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hic igitur hircus ad ostium tabernaculi, & ante portas templi ductus, & damnatus est, & pro peccatis nostris domino immolatus. Nunc autem de altero videamus super cuius caput filii Aaron sacerdotes manus suas ponẽtes omnes maledictiones imprecabantur. Filii Aaron nos sumus qui quotidie Antichristum damnamus, & maledicimus. Huic enim Apostolus maledicẽs ait, Et tũc reuelabitur ille iniquus filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Similiter aũt & beatus Ioannes in Apocalypsi multis maledictionib. ei maledicit. Homo vero ille qui eũ in desertum ducit, populus Iudaicus est, qui per totum mundum in captiuitatem ductus, & quasi per magnũ quoddam desertum diuisus, Antichristum, quem ipsi Messiã vocant, secum portat, illum prædicat, illum annunciat, illum ad sui liberationem venturum esse dicit. Sic igitur vsq. ad vesperum, vsque ad huius Dierũ sæculiq. finem simul cum hirco suo populus ille in huius deserti amplitudine errabit, & tunc tandem lotus aqua, & baptismate sanctificatus, & mundatus ecclesiæ castris sociabitur, & sicut superius diximus, illis saluabitur Iuda, et Israel habitabit confidenter, & tunc tandem reuertetur Dominus in terram Israel & habitabit in ciuitate Nazareth, quę munditiæ interpretatur. Hęc vna ciuitas duobus populis sufficit, vt simul omnibus in vnum collectis, fiat solummodo vnum ouile, & vnus pastor. Et tu igitur quicunq. es, si vis suscipere Christum in domum tuam, & in templum pectoris tui, esto Nazareth, esto domus pulchritudinis, & mũditiarum. Dic simul cũ Psalmista, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Audi dominum in euãgelio dicentem, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Congrue igitur per Nazareth, ecclesia tota ex vtroq. populo congregata significatur, quoniam tota munda est, tota pura est, tota super niuẽ dealbata est, de qua ipse Dominus ait. Ecce tu pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ab hac ergo Nazareth Saluator noster, vt dicit euangelista, Nazaręus dictus est. vt adimpleretur quod scriptũ est per prophetas dicentes, quoniã Nazaræus vocabitur. Pulchre aũt a Nazareth Nazaræus dictus est, quoniã (sicut diximus) Nazareth munditiæ, & Nazaræus mundus interpretatur, et mundus quidẽ a munditiis deriuatur. Multa aũt de Nazaræis loquitur Moyses, qui sicut viri valde religiosi, seipsos domino vouebant & consecrabant, & ab omnibus a quib. lex abstinere præcipit se custodiebant, neq. vinũ, neq. siceram, neque aliquid quod inebriare posset, bibebant, comã capitis sui non radebant, & ad mortuũ non accedebant. Tandem autem peracto tempore quod ex voto debebant, totius professionis hostiam Domino offerebant. Quod si forte in tẽpore consecrationis suę qualibet occasione ad mortuum accessissent, omnes priores dies irriti erant, & mox eadem die, similiter autem & die septima radebant capita sua. Die vero septima offerebant par turturum aut duos pullos columbarum. Aliter in synagoga, aliter in ecclesia Nazaræi fiunt. Et pauci quidem fiunt in synagoga, multi uero in ecclesia. Sunt enim Nazaræi quicumque baptizantur, quoniam ab omni peccato lauantur, & sanctificantur. Et quamuis omnes Christiani in baptismate Nazaræi fiunt, ad episcopos tamen & sacerdotes cæterosque clericos, & præcipue ad Monachorum ordinem hæc pertinere uidentur, qui arctiori uoto domino coniuncti ab omnibus immundiciis se præ cæteris custodire debent. Tales igitur a vino, & sicera, aliisque omnibus, quæ inebriare possunt abstinere oportet, ne forte inebriati sensum amittant suæque professionis obliuiscantur. Hoc autem non tantum de corporis, quantum de animæ ebrietate intelligi debet. Vtraque enim mala est, sed animæ peior. Qui enim vitiorum calice inebriati sunt, facile a diabolo præcipitantur. Et tali quidẽ calice ebrii sunt omnes superbi, omnes auari omnes luxuriosi, omnes raptores, omnes quibus furor, & ira dominatur. Ipse enim impetus irrationabilis, ebrios eos esse ostendit. Non est igitur Nazaręus qui a tali se non continet ebrietate. Vinum bibit Iesus, & Nazaræus erat. In quo maxime probatur per uinum, & siceram aliud significari. Interdicitur quoque Nazaręis ad mortuũ accedere, id est criminalia, & mortalia peccata committere. Quãuis sine peccato nemo esse possit, sine crimine tamẽ Nazaręum esse necesse est, quoniam si crimen commiserit, iam Nazaræus non est. Vnde, & Nazaręis præcipitur, sic si qualibet occasione ad mortuum toto tempore consecrationis accesserint, statim eadem die radantur, & septima similiter. Dies quoque irriti fiebant quos usq. ad illam diem pro uoto custodierant. Nunquã Nazaræis ante terminũ constitutum caput radere licitum erat, nisi prius fortasse ad mortuum accessissent. Qui igitur ante terminum caput radebant, nolebant apparere foris, quod se cognouerant perdidisse intus. Hos & nos imitari debemus, ut quando peccatum aliquod magnum committimus, statim

statim eadem die ad pœnitentiam curramus: neque in alteram diem differamus, sicut scriptũ est. Nõ tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Radamus capita, vt tota nuda appareat conscientia, & dolor, qui in corde est, in facie manifestetur. Sicut bonæ, comę nutriendæ sunt: ita & malæ radendæ. Bonæ comæ bonæ sunt cogitationes: de quibus dicitur. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Quas videlicet Beatus Iob, se perdidisse flebat, dicens. Cogitationes meę dissipatę sunt, torquentes cor meum. His ornatur caput torquentes cor meum. His ornatur caput interioris hominis. His amissis infirmatur anima. Ideo Sanson perdidit fortitudinem, quia talib. comis subrasus fuerat. Malæ vero comæ illæ sunt de quib. in euãgelio dominus ait. Ex corde exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, periuria, & similia. Hæ radẽdæ sunt, quia hæ sunt quæ coinquinant hominẽ, & quę Nazaræos immundos faciunt. Hæ tollantur a corde, his animæ caput radatur, & totus homo mundus erit. Debet autem caput radere qui peccauit, & prima & septima die, quoniã qui perseuerauerit vsq. in finẽ hic saluus erit. Septima namq. dies vltima est. Octaua vero die offerat par turturum, vel duos pullos columbarum: per quod videlicet intelligimus: quod cum veniet ad resurrectionem, quæ vtiq. octaua die futura est, totus, & corpore & anima mundus, quasi digna, & acceptabilis hostia domino offeretur. Multa sunt quæ de Nazaræis dici possunt. Sed hæc pauca nos dixisse sufficiat.

IN RAMIS PALMARVM. CAP. VIII.

Sermo I.

CVm venisset Iesus Bethphage ad montem Oliueti. Et reliqua. Dominus & Saluator noster fratres charissimi, veniens ad passionem pro humani generis redemptione accessit prius ad montem Oliueti, vnde præmisit duos discipulos suos Hierusalem, & ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & ibi inuenietis asinam alligatam, & pullum, soluite, & adducite mihi. Quibus adductis dum Christus, superfedisset, & Hierusalem veniret, vniuersa ciuitas in aduẽtu eius cõmota, obuiam illi venit, tãtãq. deuotionem exhibuit, vt quidã vestimenta sua in via prosternerent, alii ramos palmarum, et oliuarũ prosternendos cæderent, omnesq. & præcedentes, & subsequentes, vna voce in laudem illius, cum pueris simul clamarent: Osanna filio Dauid, Benedictus, qui venit in nomine domini osanna in excelsis. Quæ oĩa sic sunt actualiter gesta, vt tamẽ aliquid spiritualiter significarent. Mõs quippe Oliueti, cui redemptor noster prius appropinquauit, quid aliud significat, quã ipsum Saluatorem nostrũ? Quia sicut mõs cum de terra sit, terræ tamẽ eminet, sic & Saluator noster homo qui similis fuit nobis, mortalis, sed quia sine peccato fuit quia Deus, & homo, super omnes est sublimatus, & exaltatus De quo propheta ait: Mons in quo beneplacitũ est Deo habitare: in eo etenim dominus habitabit in finẽ. Ipse mons est Oliueti, quia sicut ait Apostolus: Pater est misericordiarum & Deus totius consolationis. Oleos. n. seu eleos grece, dicitur misericordia. Duo autem animalia, asina, & pullus, significant duos populos, Iudæos, & Gentes. Sicut. n. asina erat domita iugo, & solita supersedẽtẽ suscipere, pullus vero nõ: ita Iudæorũ populus iugũ legis, & prophetarũ habuerat, & vnius Dei cultũ: Gentiũ vero populus nec iugũ legis, & prophetarũ susceperat, nec Deũ, sed dæmonia adorabat: Ambo tamẽ populi sub iugo peccati erãt, sicut ait Apostolus, Omnes. n. peccauerunt, & egẽt gloria Dei, a quo iugo, vt possent solui, misit Christus duos discipulos idest, duos ordines discipulorũ, vnũ in Iudæã, alterũ in Gentilitatẽ. Vnde beatus Paulus ait, Qui operatus est Petro in Apostolatũ circũcisionis operatus est & mihi inter gentes. Hos. n. Apostoli conuertẽdo a peccatis soluerũt, & templum & sedem Dei fecerunt, Vnde diuina scriptura ait. Anima iusti sedes est sapientiæ. Post Apostolos autem subsecuti sunt & sancti martyres, qui prosternebant vestimenta sua in via, quia protestimento Dei sua corpora tradiderunt. Inde sancti confessores ramos de arborib. cædunt, dũ exempla bene viuendi de libris noui & veteris testamenti nobis assumunt. Clamãt omnes. Osanna filio Dauid, quia omnes sancti vna mente, vnoque spiritu laudant Deum, qui per misericordiam suam nos a potestate diaboli liberauit. Cũ quib. fratres: & nos pariter mortificantes carnẽ nostrã. cũ vitiis, & concupiscentiis, palmã victoriæ per verã pœnitentiam, & per opera misericordiæ quam oliua designat, contra diabolũ habeamus, vt ad cœlestem Hierusalem, redẽptore nostro duce, quãdoq. peruenire, & illic gaudere valeamus in secula seculorum. Amen.

SERMO II.

NArrat beatus Ioannes euãgelista quod turba multa quæ cõuenerat ad diem festum, cum audisset quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam & clamabant Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Bona turba quæ ad diem festũ cõuenerat, bona turba quæ Saluatori nostro obuiam processerat, quã ipsi quoq. scribæ, & pharisæi timentes, quãuis Christũ occidere cupiebant, in eũ tamen manus mittere nõ audebãt, vnde, & dicebãt, Nõ in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Ad festũ nãq. diẽ venire, Dei filio obuiã exire, et nõ solũ exire verũ ẽt cũ palmis obuiã ire, ad religionẽ, & virtutẽ pertinet. Septẽ dieb. faciebant Iudæi hãc maximam solemnitatem, in qua fermentũ comedere, & opus seruile facere nõ licebat. Sed sicut Apostolus ait. Omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt aũt propter nos. Hæc festiuitas nostra est, Iudæi Christum occiderunt, sed nobis, & propter nos occisus est Christus nobis, & propter nos immolatus est agnus qui tollit peccata mũdi, Nos igitur hãc festiuitatem celebrare debemus non in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azimis syncenitatis & veritatis idest non in vetustate literæ, quia litera occidit, sed in nouitate spiritus, quia spiritus viuificat. Debemus autem eam celebrare septem diebus hoc est omnibus diebus & quanto tempore in hac vita sumus. Quia enim non sunt dies nisi septem, ideo per septem dies, omne tempus, & omnes dies intelliguntur. Seruilia autem opera sunt, non illa quidem quæ serui faciunt, sed potius illa, quæ etiam liberos seruos faciunt. Non est enim seruile opus ignem in sabbato accendere, catinum lauare infirmos sanare, paraliticos curare, sicut Iudęi Saluatori nostro detrahentes, dicebant. Hic homo non est a Deo qui sabbatum non custodit, sicut, & Archisynagogus indiguãs, dicebat. Sex dies sunt, in quib. licet operari in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati Seruile scilicet opus existimans sanare, & ipsos miseros homines a dæmonib. liberare. Sed si vis scire quę sint seruilia opera Audi prophetam dicentem, Non occides, nec mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimoniũ dices, non concupisces rem proximi tui. Hæc sunt seruilia opera, hæc faciunt homines seruos, hæc tradunt miseros homines ad diaboli seruitutem. Hæc ergo & similia fugiamus, ab his nos custodiamus, & non faciemus opus seruile in festiuitatibus nostris. Et illi quidem qui sic festa celebrãt, digni sunt qui processionem domino faciant, & ei cum palmis obuiam pergãt. Neq. enim sine palmis licet obuiam Christo ire, quoniã in palmis victoria significatur. Vnde, & in lege præcipitur, ne iudices in iudicio personam respiciant, sed quicumque iustã causam habuerit, ei palmam dabunt. Vadant ergo illi obuiã Iesu qui victores sunt, & suos vicerunt inimicos. Si vicisti superbiam, vnam palmam habes, si vicisti auaritiam, alteram habes, si vicisti luxuriam, aliam habes, & quot vitia superasti, tot palmas habes. Si autem nullum vicisti, nullam habes. Noli ergo ire obuiam Christo, nõ te suscipiet, quia indignus es, qui in tali triumpho suscipiaris. Videamus modo quid asinus ille etiam significet, super quem rex iste humilis, & mansuetus sedere dignatus est. Animal stultum, vilis precii, ignobile, omnib. iniuriis, omniq. subditum seruituti est asinus. De sanctis

ctis autem dicit Apostolus. Videte vocationem vestram fratres: quod non multi sapientes inter vos, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt perdat sapientia, et infirma mundi elegit Deus, vt cõfundat fortia: & ea quæ non sunt, vt ea quę sũt destrueret. Et in alio loco: Si quis videtur sapiens esse in hoc sęculo, stultus fiat, vt sit sapiens. De talibus quoq; Esaias ait: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Vnde ait: Delbora (quæ apis interpretatur) Qui ascendistis super nitentes asinos, benedicite Dominum. Nitentes asini illi sunt, qui Apostolorum vestib. ornati sunt. Qualis iste est super quem modo Dominus sedet. De quo euangelista ait: quod impusuerunt Apostoli super eum vestimenta sua: & eũ de super sedere fecerunt. Apostolorum vestimenta & ornamenta, virtutes sunt: & mores honesti. Fides, spes, charitas, prudentia, fortitudo, tẽperantia, humilitas, misericordia, pax, patientia: & similia ornamenta sunt, quib. sancti Apostoli ornati sunt, & alios ornant: vt apti, & pulchri sint, super quos Deus sedere, & in quib. habitare dignetur. Qui igitur talib. ornamentis ornati sunt: illorum quidem animæ super nitentes asinos sedere dicuntur. Isti itaq. sunt sedes Dei, isti de ignobilibus, & vilissimis animalib. facti sunt thronus Dei. Nouem sunt angelorum ordines, sed super thronos nullus ordo est: Quanto melius est cum simplicibus, & mansuetis asinos Christi fieri quã cũ superbis, & arrogantib. equos & currus fieri Pharaonis: De illis enim scriptum est: Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. De istis aũt: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorũ. Deniq. super quod aliud animal debuit sedere Iesus, cum ad crucem pergeret, nisi super illud quod crucem naturaliter super se ferre videtur. Naturaliter enim hoc animal crucis signum super se designatum habet. Audiamus & quid illi significent qui ramos de arborib. cædentes, viam Domino præparabãt. De talib. precursor Domini ait: Parate viam domini: rectas facite semitas Dei nostri. Non omnium est hoc officium, neq. omnib. data sunt ferramenta quibus huiusmodi rami de arborib. succidantur, Episcoporũ est hoc & sacerdotũ: Ipsi tales ramos de arborib. cędere, & viã dño preparare debẽt, per quã, & nos ipsũ ire possimus, ut ipse ad nos venire dignetur. Arbores aũt patriarchę, & prophetæ, Apostoli, & euangelistæ intelliguntur. De his autẽ ramos succidimus, quãdo eorum fidem, & doctrinam eorum vitam: & sanctam conuersationem, aliis exponimus, & ad imitandum proponimus. Tales fuerunt arbores, Esaias, Hieremias, & Daniel. Tales fuerunt Petrus, & Paulus, & Ioannes. Talis, & ille qui ait; Ego sicut oliua fructifera in Domo Dei: speraui in misericordia Dei mei in æternum, & in sęculum sæculi. Ex qua videlicet arbore rami succiduntur, quibus illa via paratur, de qua dicitur: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Præcipitur filiis Israel, vt in festiuitate tabernaculorum, fructum arboris pulcherrimæ suscipiant, spatulasq. palmarũ, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & in ipsis lætentur coram domino. Qui ista intelligunt, non ignorant quid arbores, & rami arborum significent, quib. Domini ad nos, & nobis ad Dominum via præparatur. Quid illæ quoq. duæ turbæ significent, audiamus De quib. hic dicitur. Turbæ autem quæ præibant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Illa quæ præibat patriarcharum & prophetarum exercitus est, omniũq. illorum qui a primo homine vsque ad Christum; domino placuerunt. Illa vero quę sequebatur tota fidelium ecclesia intelligitur a Saluatoris nostri aduentu vsq. ad finẽ sæculi. Lege prophetarum libros, & videbis quomodo præcedens turba laudet Dominum, & benedicat. Lege euangeliorum volumina & Apostolorum actus, & tunc intelliges quantum in Christi laudib. sequens turba quotidie personet. Egregie itaq. factũ est quod Saluator noster in medio positus est inter vtrunq. videlicet testamentum, synagoga præcedit, ecclesia sequitur. Ipse vero in medio stat, & vterq. populus vna, & consona voce eum laudat & benedicit. Qui est benedictus in sæcula sęculorum. Amen.

IN COENA DOMINI.

CAP. IX.

PRima die azimorum quando necesse erat comedere pascha, dominus, & Saluator noster Petrum & Ioannem ante se ad ciuitatem misit, qui et hospitium, & cœnam præparent. Hæc autem cæna finis est veteris, & initium noui testamenti. Vnde & Saluatori nostro vnam cœnam suam in duas cœnas diuidere placuit, vt per primam, vetus, & per secundã nouum testamentum intelligamus. De hac autem cœna locutus est Dominus ad Moysen & Aaron in Aegypto, dicens, Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas, cætera quæ sequuntur. Mẽsis, inquit, iste aliorum mensium principium est, qui apud nos Martius vocatur. Hic autem, sit nobis primus, id est maximus & principalis anni, quia maiora in hoc mense, quam in cæteris fiunt sacramenta Loquimini ad cœtum filiorum Israel, & dicite eis. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas, sin autem minor est numerus est, quam vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui eius, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absq. macula: masculus agniculus. Iuxta quem ritum, tolletis, & hœdum & seruabitis eũ vsq. ad quartumdecimũ diem mensis huius Immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Decima namq. die tollantur agnus, & hædus, & seruantur, vsq. ad quartumdecimum diem eiusdem mensis, & tunc immolentur. Nam quia tabulæ testamenti decem verba, id est decem præcepta principalia scripta habuerunt, in quibus tota lex quodammodo continebatur, ideo frequenter per decem totum vetus testamentum intelligitur. Quia vero sunt quatuor euangelia in quib. nouum testamentum clauditur, ideo per quatuor nouũ testamentum designatur. Decima igitur dies vetus testamentum, quarta vero post decimam, nouum designat. Decima autem tollitur agnus, sed vsque ad quartam decimam immolandus seruatur, quia Christi passio in veteri testamento per figuras, & ænigmata significata, tandem in nouo veraciter est adimpleta. Ibi Christus monstratur, hic immolatur: Ibi significatur, hic sacrificatur. Ibidemque agni immolatio narratur, hic vero Christi passio prædicatur, Vetus namque testamentum eo tempore finem fecit, quo Christus Dominus noster discipulis ait. Amen dico vobis, nõ bibam de hoc genimine vitis vsq. in diem illum cum illud bibam vobiscum nouum in regno Dei. Vetus igitur vinum spernitur nouũ permittitur. Nõ quod vetus lex omnino destruatur, sed quod nouo et spirituali sensu intelligatur, hoc autem in regno Dei, quod est ecclesia. Christus autem & agnus est propter innocentiã, et hœdus dicitur propter similitudinem carnis peccati. De hoc: n. dicitur: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. De hoc similiter dicitur. Nõ coques hœdum in lacte matris suę. Ad hunc autem vescendum vicinos, & proximos inuitare debemus, vt qua charitate omniũ salutẽ desideramus, innotescat. Vicinus. n. noster omnis Christianus est; & quicunq. ab ecclesia longe non est. Est autem agnus iste absq. macula, quia sicut scriptũ est: Peccatum non fecit: nec dolus inuentus est in ore eius. Est autem masculus agniculus, quia nihil habet molle, nihil est fœmineum, nihil corruptioni obnoxium, nihil carnalis sentiens titillationis. Et agnus quidem per domos comeditur. Hœdus vero ab omni multitudine immolatur. Per quod apertissime designatur, & hoc sacrificiũ quod modo in ecclesia assidue sumitur, & illud quod a Iudæis insanientib. in ara crucis est immolatum. Quamuis enim & hoc & illud vnũ sit, tamẽ aliter & aliter sũ. Vnde & illi hœdũ occidũt inter iniquos, et peccatores mundi Saluatorem deputantes.

Sicut

Sicut scriptū est. Et inter iniquos deputatus est. Itéq. Nisi esset hic malefactor, nō tibi tradidissemus eum. Nos autem innocentem, sanctum, & iustum, & sine omni contagione peccati, Dei filium esse credimus. Agnum absque macula, & immolamus, & sumimus. Ideoque quamuis agnus, & hœdus immolatur, solus tamen agnus a populo manducatur. Illud enim sacrificium in isto sumitur, quia hoc in illud conuertitur. Est autem hæc mutatio dexteræ excelsi. Omnis autem multitudo filiorum Israel hœdum immolauit. Sed quando? Ad vesperum, quia proditor Iudas circa hanc horam cum Iudæis locutus Christum vendidit, nummos accepit, atque altera die circa horam vespertinam, id est post nonam Saluator noster spiritum emisit. Vnde Psalmista ait. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Et sumēt de sanguine agni, & ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Super vtrūque etenim postem agni sanguinem ponunt, qui, & ore, & corde illum suscipiunt. Qui vero vel indigne suscipiunt, vel etiam suscipientes Christi sanguinem esse non credunt, isti super vnum tantummodo postem sanguinem Christi ponūt. De quibus Apostolus dicit. Qui.n. mãducat, & bibit indigne iudiciū sibi mãducat, & bibit. Nos ergo, & ore sumētes, & corde sãguinē Christi esse credētes sup vtrūq. postē eū ponamus: & corpore, & mente suscipiamus. Cum autē crucis signū quæ Christi sanguine cruenta est, in nostris frontibus facimus, tunc quidem in superliminaribus domorum Christi sanguinem ponimus. Sequitur. Et edent carnes illa nocte assas igni & azimos panes cum lactucis agrestibus. Idem enim hoc loco, & per carnes, & per panes azimos intelligimus Et bene vtrunque posuit, quia de panibus hæ carnes fiunt. Has autem cum lactucis agrestibus comedunt, qui corde cōpuncto, & humiliato eas suscipiunt, & crucis amaritudinem Christo cōpatientes in cordis palato quodammodo sentiunt. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum Agni etenim carnes, si vel crudæ, vel aqua coctę edantur, facile stomachum peruertere solent. Si vero assę fuerint, & confortant, & auidius sumuntur. Qui igitur a cæteris carnibus eas non discernit, & omni cibo suauiores, & salubriores esse non intelligit: & quasi fastidiens, digne eas sumentibus salutem, & vitam præstare non credit. is, vel crudas, vel aqua coctas has carnes comedit. Ille vero assas igni eas manducat, qui vitam in eis esse credens auidissime suscipit, & suscipiendo Christi passioni communicat. Ipse enim Dominus dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Non sunt prætere a hæ carnes crudæ edendæ, quia passus est Christus, neque in aqua coctæ, quia non occulte, sed palam, & cunctis videntibus est crucifixus. Redolet caro cum assatur, redolet & passio Christi. Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis, nec remanebit ex ea quicquam vsque mane. Caput enim Christi (sicut Apostolus ait) Deus est. Pedes vero qui terram tangunt, eius carnem significant, quæ de terra assumpta est. Quid eius vero intestina omnino occulta? omnia profunda mysteria. Caput igitur illius cum pedibus, & intestinis vorant, qui & Deum, & hominem esse credunt, & quæcunq. de eo scripta sunt, digne fideliterque suscipiunt. Non enim sufficit, si & Deum, & hominem esse eum credamus, nisi intestina eius quoque suscipientes, & de virgine natum & circuncisum, & veraciter passum, & die tertia surrexisse, & cætera quæ de ea scripta sunt, indubitanter credidetimus. Vnde subditur. Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Omnia sumantur omnia credantur: nihil de hoc agno remaneat, quod in fidei pectore non claudatur. Mane autem vitæ huius finis intelligitur, quando Christus sol iustitię apparebit, & fugatis tenebris nox vlterius non erit. Tunc autem non erit tempus conuertendi, vel agni carnes comedendi: quia qui tunc credere incipient, cum fatuis virginibus audient: Amen dico vobis, nescio vos. Si quid residuum fuerit, igne comburetis. Residua enim sunt, quæ comedi nequeunt, vt est pellis, & ossa. Pellis etenim agni caro Christi est, quæ quidem qualiter Deo vnita, id est, qualiter verbum caro factum est, neque dici, neque intelligi potest. Sed quis illa ossa comedere, vel (vt ita dixerim) corrodere valeat, vt qualiter ante omnia tempora sit a patre genitus diuinissime si liceret semperque inuestigando intelligat. Sunt autem alia multa quæ quoniam comedi, & intelligi non possunt, charitatis igne fideiq. ardore comburantur. Sufficit enim credere si non datur intelligere. Plures enim credendo quam intelligendo has carnes comedūt. Comedāt igitur qui possūt, qui vero non possunt credāt, & charitatis igne comburant. Sequitur. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Est enim phase, id est transitus Domini. Renes quidem accingere est castitatis, & continentiæ cingulo luxuriam refrenare. Vnde ipse Dominus ait: Sint lumbi vestri præcincti Calciamenta vero in pedib. habent, qui quasi alio pergere parati peregrinos se in hoc mundo esse cognoscunt. Et isti quidem viam mandatorum Dei currentes, secure & sine timore, vt pote bene calceati super serpentes calcant, & scorpiones. Baculos aūt in manib. teneāt vt se ab incurrētib. aduersariis defendere valeant. Habes humilitatem, baculus est tibi. Hoc enim superbiam vincis. Habes castitatem, & hæc baculus est, quo luxuria superatur: Sed quid multa? quot virtutes, tot baculos habes. Sic igitur præparetur, sic muniatur, sic cremetur, qui has carnes comedere venit. Cito autem & festinãter comedetis eas, vt cum Dominus veniet iam pleni & saturi sitis, nec tunc credere incipiatis, quando liberari per fidem debetis. In fide namque suscipienda, nulla mora debet esse. Vigilate itaq. quia nescitis diem neque horam. Postquam autem illam cœnam, & agnum illum significantium Saluator noster cum Apostolis comedit, ad verum paschæ transit sacramentum, vt quod prius fecerat in figura, iterum faceret in veritate. Et prius quidem fecit secundum ordinem Aarō, posterius vero secundum ordinem Melchisedech, vt se vtriusque testamenti auctorem esse ostenderet. Alterum igitur sacerdotium complendo finiuit, alterum autem in æternum fieri et manere constituit. De quo scriptum est, Iurauit dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternū secundum ordinem Melchisedech Surgens igitur a cœna et accipiēs linteū præcinxit se. Deinde misit aquã in peluim, & cœpit lauare pedes, discipulorū pedes quidē, quoniã, qui lotus est, nō indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mūdus totus. Hoc enim faciebat vt pueri mundi, et digni essent ad tantum accedere sacramentum, nobis quoque exemplum tribuens vt prius nos abluamus ad eius carnem, et sanguinem accessuri, Qui enim vt Apostolus ait, manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Probet igitur se prius homo, lauet pedes et conscientiam, et sic accedat. Postquam autem pedes eorum lauit, cum iterum recubuisset antequam secūdam cœnam agere cœpisset, ait. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego Dominus, et magister laui vobis pedes, et vos debetis alter alterius lauare pedes. Et paucis verbis interpositis accipiens calicē bibit, et ait, Nō bibam amodo de hoc genimine vitis donec bibam illud vobiscum nouū in regno Dei. Quod tale fuerit, ac si diceret, Vetera transierunt, ecce noua facio omnia. Hinc est enim q́ Lucas euangelista duos calices ponit. Deinde vero accipit panē, et benedicens fregit, et dedit eis, dicens, Accipite, et diuidite inter vos, Hic est enim calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ac si diceret: Dixi vobis aliquando, Nisi manducaueritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, nō habebitis vitam in vobis, sed non intellexistis, Modo autem quod dixi expono, et quod nunc me facere videtis, illorum verborum expositio est, Quidam ex discipulis hæc verba tunc audientes, et non intelligentes scandalizati sunt et conuersi abierunt retrorsū, et amplius eum non sunt secuti, Putabant enim quod eius carnes membratim concisas, vel crudas, vel coctas comedere debuissent. Nimis adhuc carnales erant isti, nimisque carnaliter intelligebant. Ecce modo cū discipulis sedet Iesus, manducat, & bibit cū illis, & cū nihil patiatur in mēbris suis, eius tamē caro comeditur, & eius sanguis bibitur a discipulis suis.

Hoc facit potentia diuinitatis. Illa videlicet de qua scriptū est. Omnia quęcunq. voluit dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnib. abyssis. Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mādauit, & creata sunt. Sic igitur, & modo cum dixisset, Hoc est corpus meū, & Hic est sanguis meus; tanta fuit potētia in verbo eius, vt illico, & panis mutaretur in carnē, & vinū mutaretur in sanguinē. Miraris? hoc Scio quod miraris, mirabile n. ē, nihil n. fecit Deus quod mirabile non sit. Similiter autem & ego miror de te, quomodo cibus tuus, & potus tuus mutatur in carnem & sanguinem tuum. Non facit cibus tuus carnem tuam, quæ iam facta est: sed nutrit, & mutatur in eam videlicet carnem tuam quam habes, & quam suscepisti de matre tua. Sic igitur, & panis iste, & vinū quod super altare consecratur, ad imperium, & potestatem cęlestis benedictionis in Christi carnem, & sanguinē commutatur, non in aliam carnem Christi, quia aliam non habet nisi illam, quæ nata est de matre Christi. Ergo nec potuit digestio tua mutare cibū tuū in carnem tuam, & cœlestis benedictio nō potest panem, & vinum mutare in carnem, & sanguinem Christi? Quomodo ergo verum est: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Concedas igitur necesse est, quod sicut digestione mutatur cibus in carnem tuam, quam tu suscepisti, de matre tua; ita & panis iste cœlesti benedictione mutatur in carnem Christi, non in aliam quidem, quia nō habet aliam, nisi illā quā de virgine matre suscepit: Audi adhuc quod mirabilius est, cum tantus panis qui per totum mundū quotidie sacrificatur cœlesti benedictione mutetur in carnē Christi, & comedatur a fidelib. Christi, Ipsum tamen corpus Christi neq. augetur quando panis in illud mutatur, neq. minuitur quando manducatur. Illi quinq. panes sint nobis in exemplū ex quibus Saluator noster quinq. milia hominū satiauit, exceptis paruulis, & mulierib. qui in hoc numero non computātur. Si vnusquisq. ex illis panib. solūmodo in mille particulas diuisus fuisset, ego non puto vnam particulam os vnius hominis implere potuisset. Illud tamen tātillū quod singuli susceperunt, tantum in ore vniuscuiusq. multiplicatū est, vt neq. dentib. ad molendum, neq. ventri ad implendū minus esset vsque ad perfectā satietatē. Illæ quoq. paruissimę micæ, quæ de panib. cū frangerentur ceciderunt, & his qui comederant necessariæ non fuerunt, sic multiplicatę sunt, vt duodecim ex eis cophini implerentur, cum prius ne duo quidem cophini ex omnib. illis panib. impleri potuissent. Et certe poterat Dominus si ipsi placuisset ex solis istis reliquiis pascere omnes homines huius mundi, quanto tempore fuerit iste mundus: tanta est potētia domini, & tātū valet benedictio Christi, ecce inuenimus aliquid ad exemplū valde conueniens, quod a multis comedatur & nō minuatur. Sic igitur corpus Christi cū quotidie comedatur ab omnib. nullam tamen patitur diminutionem, quia sicut Apostolus ait: Christus resurgens a mortuis iam non moritur, Mors illi vltra non dominabitur. Vidi ego aliquos, & quales multos inuenire non est difficile, qui nulla ciborū abundantia, maiores vel crassiores fiebāt, quāuis multi cibi in eorū carnes conuertebantur. Hoc aūt dixi quāuis fortasse non videatur competens exemplum vt tu intelligas aliquid esse, quod nō augeatur, quāuis ei quotidie aliquid addatur. Si igitur hoc in carne mortali fieri potest, quāto magis in carne Saluatoris, & ipsa iam per resurrectionem clarificata? Nondum enim cōsummatum vel perfectum est, quod in aliquo augeri, vel minui potest. Sed quare nos in istis laboramus? Ipsius verba nobis sufficiant. Ipse enim dixit: Hoc est corpus meum, postea dicit, Hic est sanguis meus. Ipse dicit. Caro mea vere est cib. & sanguis meus vere est potus. Ipse dicit. Qui māducat meā carnem, & bibit meum sanguinem habet vitā æternā. Si Christo non credimus, cui credemus? Vbi tanta auctoritas est, ibi argumenta necessaria non sunt.

IN PARASCEVE DE IMITANDO CHRISTO in paupertate, misericordia, charitate, & cæteris virtutibus, hac die, aut alia qualibet ad fratres habendus.

CAP. X.

Sermo I.

ESTOTE imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiā Deo in odorem suauitatis. In omnibus, quę Dominus noster Iesus Christus gessit fratres charissimi, & dixit, nobis formam humilitatis, & doctrinam bonę conuersationis reliquit, sicut enim verbis nos voluit docere, ita & exemplis. Vnde scriptum est, Cœpit Iesus facere, & docere. Et quantum ad humilitatem ait ipse Dominus, Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Quinetiam cum ipse sit omnipotens atque Dominus, pro nobis pauper esse voluit, honores respuit, passiones sponte subiit, & etiam pro persecutorib. exorauit. Et hoc totum fecit, vt in omnib. eum pro capacitate nostræ infirmitatis sequi non negligamus: alioquin veri Christiani non sumus. Nā qui dicit se Christum diligere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. In hoc ergo quod ipse pauper esse voluit, nec nos diuitias pro magno habeamus, neque eas immoderatius appetamus, satis apte docuit. Nam homines huiusmodi comprobitur esse auari, de quibus dicit Apostolus, Auari, fornicatores, & immundi regnū Dei non possidebunt. Idemq. alibi. Qui volunt in hoc mundo diuites fieri, incidunt in tentationes, et in laqueos diaboli. Ecce qui volunt fieri dixit, non qui sunt. Cupiditatem damnabilem ostendit, & non diuitias. Possunt diuites esse, & boni, sed illi de quib. dicitur, Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Quales legimus fuisse Abraham, & Iacob, & Dauid, quos & diuitias cognoscimus habuisse, & eas cū non habentibus cōmunicasse. Et in Apostolo scriptum habemus. Pręcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, neq. sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo: Diuites sint in operibus bonis, facile tribuant. Ecce isti sunt boni diuites, qui non superbe sapiunt, neq. sperant in incerto diuitiarū, i. fiduciā suā nō ponūt in diuitiis, quæ sunt in incerto, quæ hodie habentur, et cras facile amitti possunt. Facile tribuant, vt de iis, quibus abūdant, inopiam fratris subleuare studeant vt de eorū vnoquoq. dicatur: Hilarem datorem diligit Deus. Et hoc est, quare cum Dominus diues esset in cælis, pauper voluit esse in terris. Quoniam etiam passionem, et crucem sponte subiit, per ipsam mortem suam de potestate diaboli nos eripuit, atq. in cruce pendens pro peccatoribus orauit, vbi nobis exemplum dedit, valde æquanimiter mala a proximis illata, hominea ab hominib. perpeti, cum ipse omnium dominus a seruis, iustus a peccatoribus tanta tā benigne pertulerit. Et nos fratres in tribulationibus positi, orationibus maxime insistere debemus, quę tribulationes geminæ sunt. Est enim tribulatio, quum patimur damna temporalium, et est tribulatio quæ longe maior est, cū ad quæcunq. crimina inclinamur. Veruntamen sic orandum est, vt oratio nostra nō vertatur in peccatum. Quoniā si perfectas eleemosynas fecerimus. Perfectæ autem eleemosynæ sunt in duob. dando scilicet, et dimittendo. Vnde dn̄s dicit in euangelio. Date, et dabitur vobis, dimittite, et dimittetur vobis. Item, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Alioquin scriptura testante, Frustra a peccatis rogans manua ad Dominum expandit, qui eas ad pauperes pro posse non extendit. Et si quis vos offendit, dimittite ex corde, vt Deus dimittat vobis vestras offensas. Quia nisi dimiseritis, nec pater de cælis dimittet vobis. Quoniam qui odit fratrem suū, homicida est: Et scimus, quod omnis homicida non habet vitam æternā in se manentem, neq. partem in regno Christi et Dei: et hęc sūt quibus peruenitur ad regnū cælorū, Ad quod perducat nos Christus dn̄s noster, qui viuit, et regnat in sęcula, etc.

In

IN PARASCEVE SIVE in resurrectione Domini.

SERMO II.

FIdelis sermo,& omni acceptione dignus, quia dñs noster Iesus Christus venit in hûc mûdû peccatores saluos facere. Beatus Apostolus Paulus doctor,& magister gentium, verba sua vera, & fidelia esse dicit,omniq acceptione digna, & quib.nemo vnquã contradicere debet,quod Dominus noster Iesus Christus ideo in hûc mûdû venit,vt peccatores saluos faceret. Non.n.venit,vocare iustos,sed peccatores, quia nó indigent qui sani sunt,medico,sed male habentes. Tota .n.intentio saluatoris nostri, quod verbû caro,factû ẽ: quod de virgine natus ẽ,ꝙ inter homines côuersatus est,quod passus est,& resurrexit:tota inquã illius intentio fuit,vt peccatores redimeret atq.saluaret.Hodie igitur côpleta est hæc intẽtio tã pia,hæc volûtas tã sancta;hæc misericordia tã immẽsa. Hoc & ipse ostendit illis verbis quib.ait:Ecce ascẽdimus Hierosolymam,& consummabûtur oia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis.Tradetur enim gentib.& illudetur, & flagellabitur,& crucifigetur,& tertia die resurgeret.Nonne audis quod in resurrectione consũmantur,quæ lex & propheta de eo prędixerãt?Non erat alia via qui homo in patriá reuerteretur: non erat aliud preciũ quo redimeretur. non erat alia medicina qua sanaretur O clemẽtissimũ medicũ qui de proprio sãguine fecit medicinã ne infirmi perirẽt:quos sanare venerat.Ipse est.n.de quo scriptum est.Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.Sanguis igitur Christi,'& preciũ est quo redempti sumus,& lauacrũ quo lauati sumus,& antidotũ quo sanati sumus.Si.n data esset lex quæ posset viuificare,vere ex lege esset iustitia.Sed nihil ad perfectũ adduxit lex,Manifestum est.n. quia ex operib.legis non iustificatur oĩs caro corã Deo.Apostoli verba sunt. Hic est igitur dicit beatus Ioannes qui venit per aquam,& sãguinem redimere,lauare,& sanare. Non in aqua solum,quia nô solo baptismate hæc tãta salus,tãta redẽptio,tanta liberatio fieri poterat,sed in aqua,& sanguine,vt sanguis, ad preciũ, & ad lauacrũ aqua proficeret. Vnde, & de latere eius simul cũ sanguine aqua profluxit.Iã Saluator noster obierat,& adhuc in ipsa sui sãguinis effusione nos prędicabat,& docebat vbi nostræ redẽptionis auxilium quærere, & credere debeamus,cũ suæ passionis mysteriũ aliqñ discipulis reuelasset, & beatus Petrus intellexisset ipsiq.displicuisset,atq dixisset: absit hoc a te dñe nõ fiat istud respõdit ei Iesus. Vade post me satana:quia non sapis ea quæ Dei sunt,sed quæ hoĩni Nõ.n. beatus Petrus cognouerat illud magnũ, & ineffabile sacramẽtũ diuini côsilii:non intellexerat ꝙ peccatũ originale,nisi Christi sanguine solui nõ poterat:Nõdũ sciebat quod oportebat pati Christũ & resurgere a mortuis,& ita intrare in gloriã suã.Si.n.hoc intellexisset nũquã eius volũtati Satanas idest côtrarius extitisset.Iuit tamẽ ipse post ipsũ,quia nõ solum in morte,verũ etiã ipsum secutus est simili morte. Illis diebus quib.Ioannes baptista decollatus est,Venerunt quidã ad Iesum dicentes:Exi & vade hinc,quia Herodes quærit te interficere.Et isti quidẽ vt hoĩs loquebãtur,& humanũ consiliũ dabãt.Quib.dominus Iesus respondens ait,Ite dicite vulpi illi,Ecce eiicio dæmonia,& sanitates perficio hodie & cras, & tertia die côsumor. Verumtamen oportet me & hodie, & cras & sequenti die ambulare,quia nõ capit perire prophetã. extra Hierusalem dicens, inquit, quod Herodes quærit me interficere,ite,& dicite vulpi illi:Dicite illi calido insidiatori, ecce eiicio dæmonia, quæ valde illo fortiora, & potentiora sunt,qui & ipsum si volo & de regno & de corporis tabernaculo eiicere possum.Hoc autẽ facio hodie,& cras, & quanto tempore mihi placuerit.Cras enim frequenter in diuina pagina,pro futuro tempore ponitur.Secundum quã significationem Iacob ad Laban loquitur dicens:Respondebit mihi cras iustitia mea Sed quid prodest Herodi si me interficeret, cum ego statim tertia die côsumar, idest a mortuis resurgã (Tãtũ enim & non amplius temporis erit, quicũque me interfecerit,inter passionem & resurrectionem meam. Verumtamen quamuis Herodes hoc facere quærat,quemuis hanc volũtatem stultã,& impiam habeat, oportet me tamen hodie, & cras ,& sequenti tẽpore post cras quantum mihi placuerit, ambulare,& prædicare, ac patris facere voluntatem: Quare hoc Quia non capit perire prophetam extra Hierusalem.Nõ capit,inquit,nõ recipit,non patitur sermo propheticus, & diuina dispositio perire prophetam extra Hierusalem.Ibi et nõ alibi passurus sum,quia & locus,& tempus, & dies, vbi, & quando,& a quibus hoc fieri debeat,statutum,& dispositum est:& aliter fieri non potest. Stultus igitur est Herodes,qui alterius officium & peccatum,sibi vendicat,& locum, & tẽpus, & cætera immutabilia mutare contendit. Multoties Iudæi voluerunt tenere & occidere Iesum,& non potuerunt. Vnde etiam eisdem ipsis signa quærentibus,& cum superbia loquentib.ait: Generatio praua,& peruersa signum quærit; & signum nõ dabitur ei,nisi signum Ionæ prophetæ.Sicut.n. fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & trib.noctib. ita erit filius hominis in corde terrę tribus diebus et tribus noctibus. Ecce audistis, quid amplius quæritis?Tribus diebus,& tribus noctibus,& non amplius erit filius hominis in corde terræ. Quid est in corde terræ:in affectu & in desiderio peccatorũ. Tribus enim diebus & tribus noctibus desuper Iudæis data est potestas,vt facerent in eum quod facere cupiebant. Sicut enim cœli vocantur iusti:ita terra vocantur peccatores.Vnde primo homini dictũ est Terra es,& in terram ibis. Fuit igitur filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus,quamuis non integris tribus diebus, & tribus noctib. Nocte enim illa qua a Iudæis insanientibus,& super eum irruentibus captus est,ex quo ipse ait.Si me quæritis, sinite hos abire,in potestate illorum fuit Saluator noster. Similiter autem, & illis duabus aliis noctibus quæ post illam sequuntur,in quibus vsque in diem dominicam ne resurgeret,custoditur eius corpus,quod dumtaxat in eorum potestate fuit. Tres quoq.dies ita computantur & sexta feria, & sabbatũ & tertij diei initium,in quo mundi creator, & dominus valde mane a mortuis resurrexit.Vsitatissimũ omniũ scripturarum est,totum pro parte,& partem pro toto,aliquando ponere.Vnde & propheta muscam,& ranam singulariter posuit: cum muscas & ranas pluraliter dicere debuisset.Immisit, inquit,in eos muscam caninam,& comedit eos,& ranam & disperdidit eos.Sufficiat vobis hoc signũ o Iudæi,neq. vlterius quæratis aliud signũ.Magnũ enim & ammirabile signũ est, quod malo vestro,& bono nostro,ad perniciem vestram, & ad salutem omniũ gentium illum tenere & ligare,& occidere potuistis;qui simul ex nihilo cuncta creauit. De quo scriptum est.Qui manet in æternũ,creauit omnia,in cuius potestate & voluntate vniuersa sunt posita, & non est qui eius possit resistere voluntati,quia dominus,et creator vniuersorũ ipse est.Sic igitur quanto tempore voluit,fuit Iesus in corde terræ.Nec antea,nec postea se alicuius tradidit potestati, quæ die tertia a mortuis resurgens iã nõ moritur,et mors illi vltra nõ dominabitur:Qui cum patre,et spiritu sancto viuit et regnat in sæcula sæculorum Amen.

IN DIE SANCTO PASCHAE.

CAP. XI.

HÆc dies quam fecit Dominus: exultemus,& lętemur in ea.Inter cunctas solẽnitates,charissimi quas ad honorem redemptoris nostri sancta ecclesia colit,& veneratur, vt præcipuam,et egregiã,et omnib.aliis excellentiorem præsentis Diei solennitatẽ celebrat,et contemplatur,sicut enim sancta sanctorum per excellentiã olim dicebantur,in quæ summus pontifex nõ nisi semel intrare quotannis audebat, sic et festiuitas ista per excellentiã potest dici festiuitas festiuitatũ. Quia per hãc expoliatus est infernus iusti qui ibi detinebãtur,et reserata fuit ianua paradisi,quæ per Cherubin gladio igneo côtra totum genus humanũ custodiebatur.Quid enim homini prodesset verbũ natum,nisi per mortẽ infernũ triumphasset,et per resurrectione suã spẽ nobis resurgẽdi dedisset? Duæ quippe vitæ erant, quarum vnam multis miseriis sub-

iacentē, omnes experimēto cognoscabamus, Alterā vero, quæ incognoscibilis, & immortalis ignorabamus. Suscepit igitur Christus hāc mortalem vitam nascēdo: recepit alterā vitā immortalē resurgēdo. Vnde Paulus ait. Christus resurgēs a mortuis iam nō moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sic, & duplex mors est, vna corporis, per quā ab anima separatur, quæ est cōmunis omnib. hominib. & iustis, & iniustis. De qua Dauid ait. Quis est homo qui viuet & nō videbit mortē: Hęc aūt mors pœna peccati est, illata, scilicet toti humano generi pro peccato primi hominis. Cui a Deo dictū est. Ex omni ligno paradisi comede: de ligno aūt sciētię boni, & mali ne cōmedas. In quacūq. n. die comederis ex eo, morte morieris, idest mortalis corporis efficieris. Homo. n. illo die quo Adā hoc comedit nō mortuus est corpore, sed mortale corpus cępit habere: qui si non peccasset, immortale corpus habuisset. Altera vero mors est animæ. s. per quā anima peccādo a Deo separatur. Vnde, & Ezechiel propheta ait. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Sicut. n. corpus ex anima viuit: sic anima viuit ex Deo. Et sicut recedente anima, corpus moritur, sic recedente Deo propter peccatum, anima moritur. Nos igitur quorū duplici morte. s. corporis, & animæ tenebamur, Christus non vtrāque suscepit, quia sic neutra nos liberasset, sed tamē vnam mortem videlicet carnis suscepit, & per ipsam nos ab vtraq. morte liberauit. Propterea. n. in monumēto nō nisi vno die, & duab. noctibus iacuit, vt per diem vnum significaretur duplex mors nostra ex peccato illo illata. Per vnicā ergo mortē Christi nos a duplici nostra liberati sumus, en ꝙ per ipsum in anima, & corpore resurgere possumus. Merito igitur Psalmista pro gloria resurrectionis nos admonet, dicēs, Hæc dies quā fecit dominus: exultemus: & lętemur in ea. Licet. n. omnes dies fecerit creando Deus: hanc tamen diē præcipue dicitur fecisse, dum in ea hominem in melius per sanguinem suum recreauit, & eum ad immortalitatem tā corporis, quā animę per vtriusq. resurrectionē reuocauit. Vnde in ea exultare debemus, quia absorpta est mors corporis in victoria per resurrectionē Christi. Et lætari debemus, quia a morte animæ per triūphū resurrectionis Christi liberati sumus. Cui domino, & Deo resurgenti, & spem nobis resurgēdi donāti, sit laus & gloria in seculorum secula, Amen.

IN ASCENSIONE DOMINICA.

CAP. XII.

Sermo I.

DOminus Iesus postquā locutus est discipulis: assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei. Redēptore nostro charissimi hodie in cælū secundum formam corporis ascendente, gaudere nobis conuenit, & exultare, quia nos, qui per peccatū primi hominis a cœli gloria deiecti eramus: iam cū capite nostro ad cæli palatiū, ad Angelorū consortium, ad ineffabilem visionem Dei reducimur, & portamur. Hodie siquidē impleta est illa prophetia Dauid dicētis. Ascendens in altū, captiuā duxit captiuitatē, dedit dona hominib. Nos quippe fratres, fuimus ista captiuitas, quia per peccatū fueramus a diabolo captiuati: sed hanc captiuitatē scilicet nos, Christus qui ascendit in cælum, captiuam duxit, idest in suā potestatē secū recepit, ad similitudinē alicuius principis triūphantis, & suos liberātis, vt fecit Abrahā. Bona quidē est fratres, ista captiuitas Christi, qua nos captiuamur, & in cęlū reportamur. Sed mala captiuitas diaboli, p quā irremediabiliter suffocamur. Vitemus ergo charissimi hāc captiuitatē diaboli; scilicet peccata: & amemus captiuitatē Christi, quæ nos de terris ad cœlū leuat, de tenebris ad Dei inaccessibilē alioqui lucē portat. Sed ad hāc lucē nullus nostrū potest ascēdere nisi imaginē ipsius redēptoris nostri in nobis sumamus: vt. s. sicut ille ambulauit, & nos ambulemus. Vnde & Ezechiel prophetam, cū esset in captiuitate Babylonie positus, vidit visionē Dei, in qua inter cętera vidit speciem electri; & in ea similitudinē quatuor animaliū, quorū vnū habebat similitudinē hominis, secūdū similitudinē vituli, tertiū leonis, quartū vero gestabat similitudinē aquilæ. Quid. n. fratres per speciē electri nisi naturā redeptoris nostri significat? In electro. n. dū duo diuersa metalla. s. aurū, & argētū iūgūtur, aurū a suo fulgore tēperatur, & imminuitur, sed argentum maiori claritate illustratur. Sic redemptor noster electrū fuit, ex auro diuinitatis, & argentū humanitatis, coniunctus. s. ex duabus naturis diuina, & humana in vnam personā. In quo Christo aurū. s. diuinitas a suo splēdore quasi imminuta est, sicut legitur in Psalmo. Minuisti eū paulominus ab angelis: sed argētū. s. humana natura in maiorē splēdorē excreuit: quia sicut ibidē legitur, Gloria & honore coronasti eum domine, & cōstituisti eū super opera manuū tuarū. Omnia subiecisti sub pedib. eius, oues boues vniuersas: insuper, & pecora campi. Volucres cęli, & pisces maris. Et beatus Paulus ait; Propter quod Deus & exaltauit illū, & donauit illi nomē, ꝙ est supra omne nomē, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestiū, terrestriū, et infernorū. In specie autē huius electri videbat Ezechiel similitudinem quatuor animalium. Ista quoq. quadrifaria similitudo redemptorem nostrum significat, qui habuit similitudinem hominis, quia verus homo, & in similitudinem hominū factus est, & habitu inuentus, vt homo, habuit similitudinē vituli, quia erat sacerdotalis hostia, in cruce velut vitulus hostia moriendo. Habuit similitudinē leonis, tertia die resurgendo de sepulchro, & corpus suū vt leo catulos rugitu viuificando. Habuit similitudinē aquilæ, in cælos quadragesimo post resurrectionē die, ascendēdo. Nos ergo fratres secūdū Paulum dicētē. Sicut portauimus imaginē terreni hominis: portemus imaginē cælestis hominis. i. Christi, vt in virtutib. vt homines nascamur, in vitiis veluti vituli moriamur, & cōtra vitia, vt leones fortiter resistētes, ad meliora resurgamus, pēnisq. virtutū, velut aquilæ, per cōtēplationē subleuemur: Adiuuante nos ipso Christo, qui in cælis, & vbiq. regnat in secula, &c.

SERMO II.

HOdierna die sicut scriptū est, Christi discipuli in montem Oliueti conuenerūt, ibiq. recubuerunt, & apparuit illis Iesus, & recubuit cū eis. Qui postquam de eorū incredulitate eos redarguit, & in vniuersū mūdū ire, oīq. creaturæ euāgeliū prædicare præcepit, vidētib illis eleuatus est, & nubes suscepit eū ab oculis eorū. Omnia opa Saluatoris nostri plena sunt sacramētis, quicquid agit, figura, & significatio est. Nō. n. vacat mysterio, hoc tā felix, tāq. lætū cōuiuiū. In quo rex regum, & dominus dominātiū simul cum vniuersæ terræ principib. recumbere dignatus est. Nā & ipse locus ipsiusq. loci vocabulum magnum aliquid significare videtur, vocatur enim Mōs Oliueti per quē excelsa misericordiæ virtus designatur, Siquidem græce Eleos, latine misericordia vocatur. Frequenter Iesus cum discipulis suis in hunc montem ascendere, & manere solebat, sicut in euangelio scriptum est quod diebus in tēplo prædicabat, noctib. autē manebat in mōte qui vocatur Oliueti. Notādum ꝙ ait secundum cōsuetudinē suā. Hāc igitur magistri cōsuetudinē, ipsi quoq. discipuli custodiebant, & frequēter in hunc mōtem olei, & misericordiæ cōueniebāt, & hinc est fortasse ꝙ ipse Dominus filius olei vocatur, dicente Propheta. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Quid est enim filio olei, nisi pacis, & misericordiæ filio? Cōsidera modo quanto misericordiæ oleo abundet, qui vt seruū dimitteret filio non pepercit. Ad montem itaq. misericordiæ dn̄s nos inuitat, in mōtē pacis, & misericordiæ nos ascendere iubet: Hinc est ꝙ propheta ait. Super mōtē excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Nemini prius euangelizare conceditur, quā super hunc montem excelsum ascenderit. Nā & si mons excelsus nō est, virtus tamē illa quæ per ipsum significatur altissima est. Merito igitur tunc Apostoli in hunc mōtē ascenderunt, quando euangelizandi officium acceptur erant. Hodie enim dictum est eis: Ite in vniuersum mundum prædicate euangelium omni creaturę. Hoc audiant episcopi hoc audiāt quicūq. officiū suscipiūt neq. prius euāgelizare præsumāt quā in montem pacis, & misericordiæ ascendāt. Neq.

sibi quisquam licitum esse putet, quod ipsis Apostolis licitum non fuit. Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est. Misericordia Domini plena est terra. Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculū misericordia eius. Magnus est iste mōs de quo Christus ad cœlos ascēdit: & ex quo via in cęlū erigitur. In hunc igitur ascendat quicunq. Christi, & Apostolorum conuiuijs interesse cupiunt. Si vis Christum venire ad conuiuia tua, recūbe in monte Oliueti: recumbe in monte misericordiæ. Ibi cū Apostolis cōuiuia præpara: frange esurienti panem tuū, & egenos vagosq. indue in domū tuam. Aderit statim Iesus, & dicet tibi: Quod vni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Vbicūq. pax & misericordia est, ibi est, & iste mons Oliueti. Sicut oleum inter alios liquores, ita & misericordia inter alias virtutes suprema est. Vnde Psalmista ait Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Hinc est enim quod tot in nobis vnctiones habemus. Hinc est quod tot vnctiones in ecclesiæ consecratione fieri videmus: Semper igitur in hoc monte fiunt cōuiuia nostra, semper in oleo misericordiæ natant corda nostra. Sunt & alii montes, ad quos ascendere, & in quib. similiter habitare debemus De quib. prophera ait. Leuaui oculos meos ad mōtes, vnde veniet auxilium mihi. Ad quos, & Iacob patriarcha domino immolaturus; filios inuitabat, dicēs. Venite ascendamus in Bethel, vt immolemus domino. Bonus mons in quo transfiguratus est dominus: bonus, & ille in quo duodecim Apostolos elegit, et octo beatitudines prędicauit. Mali montes Gelboe quib. Dauid maledicens, ait: Nec ros nec pluuia veniat super vos, vbi ceciderunt fortes Israel. Mali & illi in quib. Loth inebriatus filias grauidas fecit. Isti montes hæretici sunt, qui omnes ad se venientes perdunt, in quib. ipsi quoque fortes viri multotiens corrumpuntur. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua. Quomodo ergo dicitis animæ meæ. Transmigra in montes sicut passer? In Domino confido quia non ad hos, sed ad montes æternos transmigrabim⁹ Mōtes enim Prophetæ Apostoli sunt, super quos ecclesia fundata est, secundum illud, Fundamenta eius in montibus sanctis. Tot sunt isti montes, quot sunt vtriusq. testamenti volumina. Quia in his montib. poteris reperire, quęcunq. ad suauitatem, ad iucunditatem, ad sanitatem, & ad beatitudinē pertinent. Fides quoq. spes, & charitas, cætereq. virtutes montes sunt, quorū altitudinem dominus conspicit. Ad quos qui confugerint, securi erūt. In monte obedientiæ saluatus est Noe. In monte fidei Abrahā. In monte castitatis Ioseph. In monte mititatis Moyses. In monte mansuetudinis Dauid, & alii in aliis. Hodie tamen specialiter in montem Oliueti, in montem pacis & misericordiæ ascendere debent Christiani, vt dum pauperes pro Christo suscipiūt, ipsū quoq. Christū suscipere mereātur. Diximus quid mons Oliueti, & quid conuiuia quę in eo fiūt, significēt Nūc ad euāgelii verba redeamus. Et quid Dominus discipulis iusserit, audiuimus. Ite, inquit, in vniuersū mūdū predicate euāgeliū omni creaturæ. Quod alius euāgelista planius exposuit, dicens, Ite docete oēs gētes baptizātes eos in nomine patris, & filii, & spiritus sācti. Per omnē videlicet creaturā, oēs gētes significari volēs. Vnde & Apostolus ait Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsq. adhuc, quā uis nō de omni creatura, sed de solo homine loqueretur, qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero nō crediderit, cōdēnabitur. Credere aūt in hoc loco, quid est nisi fidē cū operatione custodire? Quia fide sine operib. mortua est. Et dn̄s quidē Iesus postq̄ locutus est eis, assūptus est in cælū, & sedet ad dexterā Dei. Vnde scriptum est, Ascendēs in altum Dominus, captiuā duxit captiuitatē. Ascendēs quippe in altū dominus, captiuitatem nostrā sua duxit virtute captiuam, & qui prius sub dura detinebamur captiuitate diaboli, ab eo in melius capti, & liberati sumus. Considera modo cū quāta gloria, quanta lætitia, quali triūpho, & quali apparatu, omnis illa militia cœlestis exercitus, creatori suo Saluatori nostro obuiam venerit, quib. laudibus, quibus hymnis, & iubilationib. vsq. ad thronū gloriæ eum deduxerit. Videor videre illā totam viam, per quam Saluator noster ascendit, omnium supernorum ordine a terris, vsq. in cælum vndiq. stipatam militib. Videor videre malignos spiritus illo tam magno, tamq. terribili exercitu perterritos, omnes in fugam conuersos, & se in tenebras præcipitantes, totumque hunc aerem quem possidere solebant vacuum & liberum relinquentes, Ascendit igitur Deus noster in iubilatione & Dominus in voce tubæ. Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

IN ADVENTV SPIRITVS SANCTI.

CAP. XIII.

Sermo I.

HOdierna solēnitate, dilectissimi, recogitare monemur, quāta dilectione redemptor noster erga nos teneatur qui & primo per habitū assumptæ carnis nobiscū conuersando, nos ad cælestia confortauit, & postea de celo spiritum suū mittēdo, de promissione sua nos certificauit. Hodie siquidē discipulis Christi in vnum orantibus, spiritus sanctus in specie ignis aduenit, & ipsos qui prius in passione Christi turbauerant, sic modo interius ardere fecit & confirmauit, vt iā non solū vocem vnius ancillæ non timerent, sed nec flagellati, conspectum Iudaici concilii formidarent, nec etiam ipsius Romæ mūdi Dominæ, minas perhorrescerent. Propterea. n. spirit⁹ sanctus in specie ignis aduenit, vt omnem eruginē peccatorū consumeret, & purgaret, & eos contra omnem mundi principatū, fortes faciēdo, accenderet, & in omni eos spirituali sciētia illuminaret. Sicut. n. ignis triplicē naturam habet, vt scilicet, consumat, calefaciat, & illuminet, sic et spiritus sanct⁹. qui ignis consumens est, & consumpsit, & purgauit in Apostulis omnē peccatorū vetustatem, & calefecit, et accēdit eos ad tātū amorem Dei, vt flagellari gauderent, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati. Illuminauit etiam eos ad tantam sciētiam, vt omnium linguis magnalia Dei loquerentur, vt linguæ gentium quæ olim in fabricatione turris Babylonię fuerant confusæ per superbiam, vnirentur modo per humilitatem Apostolorum. Vt quia totus mūdus ad agnitionem vnius veri Dei rediturus erat, vna lingua per ora Apostolica resonaret, & laudem Christi in omnē terram diffunderet. Quoniam autem spiritus sanctus quinquagesimo die a resurrectione Christi super discipulos aduenit, figuram designat veteris testamenti. Legimus enim quod populus Hebræorum a transitu maris rubri, vsque ad diem illam qua data est lex per Moysē in duab. tabulis lapideis, quinquaginta dies fuerunt, vnde & illa dies dicitur pentecoste, quia quinquagesima dies est a resurrectione Christi. Et hæc omnia decenter conueniunt, Sicut enim transito mari rubreo populus Dei liberatus est, & hostes ægyptii submersi sunt, sic & in morte redemptoris nostri, & resurrectione liberati sunt sancti de inferno, & dæmones a sua potentia detrusi perierunt, Vnde per Oseā prophetam Dominus dicit, o mors ero mors tua, & morsus tuus ero inferne. Mors enim Christi fuit interitus mortis, dū in electis suis eam penitus exterminauit, Momordit infernum, dum more mordentis, panē, partem reliquit scilicet malos, & partem extraxit, scilicet bonos. Et sicut illa lex data est in monte, cum sonitu & igne quinquagesimo die, sic & nostra lex gratia, scilicet spiritus sancti data est in cœnaculo, & in ignis specie, & repentino sonitu, Vnde in actibus apostolorum dicitur, Factus est repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis; Sed illa lex in tabulis lapideis datur, designando dura corda Iudæorum, Nostra vero data est in tabulis cordis, non in spiritu timoris (vt Paulus dicit) sed in spiritu adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater, Nos ergo fratres, si hunc spiritum sanctum habere in nobis volumus, in cœnaculo maneamus, vt quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terrā, & vnus spiritus simus cū domino, adhærentes ipsi, per omnia secula seculorum Amen.

SERMO II.

CVm complerentur dies Pentecostes erant omnes discipuli pariter in eodem loco, & factus est, repente de cęlo, sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque super singulos eorum spiritus sanctus. Sunt quædam apud Hebræos festiuitates, & ipsæ quidem maximæ, & principales, quales sunt omnes illæ quę septenario numero celebrantur, in quibus hodierna quoque festiuitas continetur, quæ septies septem completis dieb. id est septem hebdomadibus peractis, & a nobis & ab illis colitur, & veneratur. Prima eorum festiuitas est, quę omni die septimo celebratur, de qua illis in lege præcipitur, vt colant dies sabbatorum. Secunda vero pascha vocatur quæ primo mense colitur, duab. hebdomadib. adimpletis. Tertia vero pentecostes, quæ septem completis hebdomadib. celebratur. Quinta autem septimo mense colitur, quæ dicitur festiuitas tabernaculorum. Septimo vero anno quinta festiuitas est, qui annus totus ex integro festiuus habetur. Sexta vero festiuitas ipsa est iubileus, quæ anno quinquagesimo celeberrima custoditur, septies septem annorum curriculis euolutis. Inde autem septima & æterna festiuitas in cælis expectatur, quæ in istis omnib. alijs per tot, & tanta secula significatur. Constat igitur non solum apud nos, verum etiam apud huius seculi sapientes septenarium numerum sacratissimum & perfectissimum esse: quoniam, & omnia tempora, & omnes numeri in eo continentur. Constat enim ex pari, id est quatuor, & ex primo impari, id est trib. Omnis aut numerus aut par est aut impar. Omnis igitur numerus ex septenarij partib. constituitur, ac per hoc omnes alij numeri in hoc numero continentur. Hinc est igitur quod Iudæi septem dieb. comedunt azima. Hinc est quod septem dieb. celebrant festiuitates. Hinc est quod manus sacerdotum quando ordinantur, septem dieb. vnguntur, & consecrantur. Hinc est quod Pontifex tangens in sanguine digitum, septies proijcit contra propitiatorium, & fores tabernaculi. Hinc est quod leprosus concluditur septem dieb. Hinc est quod Maria soror Moysi septem dieb. mansit extra castra. Hinc est quod muri Hiericho septies circundantur, & corruunt. Hinc est quod septies in die laudem domino dicimus. Hinc est quod non solum septies, sed vsque septuagies septies nostris debitorib. dimittere iubemur. Hinc est quod templum Salomonis, septem annis ædificatur, & in septem diebus dedicatur. Hoc septem ecclesiæ, septem candelabra, septem lucernæ, septem sigilla, septem angeli tuba canentes, septem panes turbam multam in deserto reficientes, & septem gratiæ spiritus sancti significare videntur. Sunt autem & alia multa quæ eandem significationem habere possunt, quæ studiosus lector in diuinis voluminib. poterit reperire. Ille igitur festiuitates per septenarium numerum disponuntur, quæ integram & perfectam habent celebrationem. Siquidem hic numerus tam perfectus est: vt omnes numeros omnesque dies in se concludat. Nunc ad Pentecosten, & ad iubileum redeamus, & quali quantaque diligentia celebrari debeant videamus. Hæ duæ festiuitates proximæ sunt, quarum altera quinquagesimo die, altera vero quinquagesimo anno celebratur. Non possumus modo de omnibus festiuitatibus, dicere quoniam vnaquæque tanta est per se ut non communem sed proprium velit habere sermonem, dictum est enim, & adhuc dicendum est, quod Deus omnipotens per septenarium numerum has omnes festiuitates ordinare voluit, quare etiam septimum & vltimum diem festiuum, & celebrem constituit. Quod enim significat septimus dies, hoc significat septima hebdomada, & septimus mensis & septimus annus. Quod igitur septima die festa celebratur hoc significare videtur, quod finita hac vita quæ septem diebus agitur, relinquitur, vt Apostolus ait, sabbatismus, & requies populo Dei, ve sicut ipse requieuit die septima ab operib. suis, ita, & nos tunc requiem habeamus a laborib. & fatigationib. nostris. Per septenarium numerum in quo istæ festiuitates ordinatæ sunt, in quo etiam dies, & numeri omnes continentur, quid aliud significari debet, nisi quod festiuitatem nostram continuam, & perfectam esse oportet, vt quanto tempore in hoc mundo sumus, nunquam seruilia opera faciamus sed in Dei laudib. & bonis operibus vacare studeamus. Male enim celebrat sabbatum, qui vacat a bonis operib. Alter autem iubileus qui annus remissionis interpretatur celebrari non potest, nisi continuam habeat celebrationem. In hoc anno seruis redditur libertas, dominis hæreditas, omnibus omnia communia fiunt quæcunque in agris, in vineis in arborib. nascuntur. Totus hic annus festiuus iucundus, & celebris est. Nulli seruile opus facere licet vt ex ipsa sua imagine ostendat, non tam se ad hanc vitam quantum ad alteram pertinere. Quamuis in hac vita temporibus Apostolorum iubilei, festiuitas in sancta ecclesia continua celebraretur, inter eos præcipue, quibus est cor vnum & anima vna, quibus non sui ius arborum vt Iudæis, sed omnia ex integro communia sunt Christianis. Quia iam libertate & hereditate donati, non seruilia, sed liberalia opera faciunt. Est autem seruile opus, non quod seruus facit, sed illud quod etiam liberos homines in diaboli seruitutem trahit. Si non regnat peccatum in nostra mortali carne liberi sumus, & liberalia opera facimus. Statim autem incipiente iubileo per totam terram sacerdotes personabant tubis, quib. totus populus ad totius anni festiuitatem se præparabat. Hoc autem in nostro iubileo, factum est, quando nostri quoque sacerdotes, sancti videlicet Apostoli tubis primitus sonare, & gentes ad fidem, & ad baptismum vocare cœperunt: Sicut scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et alibi. Canite in initio mensis tuba: in die insigni solemnitatis vestrę, quia præceptum in Israel est. Sed si ad illam festiuitatem respiciamus: & ad illum iubilæum mentis oculo erigamus, qui post hanc vitam omnib. iam completis hebdomadibus in cęlis futurus est, tota hæc nostra festiuitas vmbra quædam, & imago esse videbitur. Mittet filius hominis angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius a quatuor ventis, a summis cœlorum vsque ad terminos eorum, & isti quidem erunt qui ęternum illum iubileum annunciabunt. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Et tunc quidem incipiet illa festiuitas, quę ęterna erit, & finem nunquam habebit: De qua videlicet festiuitate melius est silere quam pauca dicere, quia nulla lingua sufficiens est eius gloriam prædicare. Nunc autem quid ille ignis, & quid illę linguę significent videamus, quę super Christi discipulos apparuerunt, cum omnes, vt euangelista dicit: in vno essent loco congregati. Deus enim noster ignis consumens est. Meritoque spiritus sanctus in igne apparuit, vt peccata consumeret, mentis oculos illuminaret, & totum hominem in Dei amorem inflammaret. Hic est ille baptismus quem Ioannes Baptista promittebat cum diceret. Ego vos baptizo in aqua, sed alius venit post me qui vos baptizabit in spiritu sancto & igni. In linguis quoque debuit apparere spiritus sanctus, quia ipse est qui loquitur in nobis, lingua igitur est spiritus sanctus, siquidem ipse est qui in Apostolis loquitur. Quis enim loquitur nisi lingua? Hoc officium non est alterius membri. Qui hac lingua loquuntur non habent necesse cogitare quo modo aut quid loquantur. Hac igitur lingua suscepta loquebantur varijs linguis Apostoli magnalia Dei, qui viuit & regnat in sęcula sæculorum. Amen.



S. BRVNONIS ASTENSIS SENTENTIARVM LIBER QVINTVS.

DE LAVDIBVS BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE.

DE LAVDE BEATÆ MARIÆ Ciuitatis Dei.

C A P. I.



D laudem matris Domini inuitat nos dilectissimi, Spiritus Sanctus per os Dauid patris ipsius virginis, dicendo, Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Solet quippe ciuitas vocari quælibet magna hominum collectio, munita vndique muro et turribus vt illius munitionibus hostes repellant, & se per illas defendant. Non incongrue ergo virgo Maria Ciuitas Dei appellatur, quam virginitas mentis & corporis quasi murus ita ex omni parte vallauit, vt nullus vnquam libidinis accessus adesset, & omnis inimicus a suæ virginitatis corruptione deesset. Vnde & in laude ipsius Salomon applaudit dicens. Pulchra es & decora filia Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Virgo quippe Maria merito filia Ierusalem vocatur, quia ipsa fuit filia visionis pacis, idest filia & mater illius qui fecit pacem, iis qui erant longe a Deo idest Gentilibus idolatris, & iis qui prope, scilicet iudæis, qui propinqui erant Deo per cognitionem legis. Vnde in natiuitate eius ab Angelis canitur: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hæc filia Ierusalem pulchra est per internarum decorem virtutum, & decora est per exemplum virginitatis quod toti exhibuit mundo. Est etiam terribilis, vt acies castrorum ordinata, ad quam omni virtute circumstinitam non audet aliquis hostis accedere, vt quæ Spiritus Sancti protegitur adumbratione. Vnde & de hac ciuitate, iure gloriosa & magnalia dicuntur, non solum ab hodiernis, sed etiam ab antiquis patribus & Angelis. Nonne enim valde gloriosum est quod de ea ipse Dauid pater eius in hoc eodem psalmo dicit. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Impossibile enim est quantum ad alios homines, vt aliquis sit fundator ciuitatis in qua nascitur. Quia antequam sit natus non potest fundare ciuitatem. Sed Christus qui est altissimus, per hoc quod Deus est, ante omnia tempora fundauit ciuitatem hanc, idest matrem creauit, & tamen vt homo in fine temporum natus est in ea, sumendo carnem ex ea. Mirabile est ergo & gloriosum in hac ciuitate quod ille qui fundauit eam, natus est in ea. Gloriosum etiam fuit & admirabile quod in figura istius ciuitatis virga Aaron subito floruit in templo, & nuces amigdalinas produxit sine aliquo humore. Significabat enim quod hæc gloriosa virgo, quæ secundum Isaiam fuit virga de radice Iesse, genuit florem, idest Christum qui est flos campi, idest mundi, & lilium conuallium, secundum Salomonem, & eum non ex æstu mentis, sed ex superueniente Spiritu Sancto concepit. Vnde Salomon in Canticis Canticorum gloriam istius virginis decantat dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: Emissiones tuæ paradisus. Virgo quippe Maria fuit hortus in quo varii flores virtutum erant, & conclusus, quia vndique virginitate munitus. Est & fons signatus sigillo Sacrosanctæ Trinitatis. Et emissiones, idest fructus eius sunt paradisus, idest deliciæ quibus delectatur Deus. Cuius odorem longe ante odorauerat Isaac dicens: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et Isaias. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et Hieremias. Faciet Dominus miraculum super terram, femina circundabit virum, idest virgo Maria portabit in vtero Christum, quem totus mundus capere non potest. Et Ezech. Vidi portam in domo Domini clausam, quam Dominus intrauit & exiuit & clausam reliquit. Quia virgo ante & post partum. Vnde Angelus ad eam. Aue gratia plena Dominus tecum. Ecce concipies in vtero & paries filium. Sed Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi adumbrabit tibi. Recte ergo dictum est a Dauid. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Et nos ergo fratres matrem Domini gloriosam cum Patriarchis & Prophetis & Angelis prædicemus & laudemus, vt eam apud filium suum pro nobis orantem sentiamus, & ipsum filium eius pro nobis annuentem agnoscamus, in secula seculorum. Amen.

DE NATIVITATE BEATAE MARIAE.

C A P. II.

L*iber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham: Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius*. Et reliqua.

Sermo B. Brunonis Confessoris de eadem lectione.

AVdiuimus modo in lectione euangelica, de qua gente, de qua tribu; & de qua stirpe Beatissima Virgo Maria originem duxerit. De qua ipse Dominus & Saluator noster secun-

secundum carnem factus est, & verus homo inter homines conuersatus est. Et valde quidem ad rem pertinuit, vt euangelistæ hanc lineam Christi generationis tam longam componerent, & ordinarent, quatenus sciamus non solum ex patribus Dominus natus sit. Verum etiam vnde mortem & vnde vitam habeamus. Primum huius lineæ caput est Adam. Secundum vero Christus. Hęc linea incipit ab Eua, & desinit in Mariam. In principio mors, & in fine vita consistit. Mors per Euam facta est, vita per Mariam reddita est. Illa a diabolo victa est. Hæc diabolum ligauit & vicit. Cum enim ab Eua, vsque ad ipsam lineam extenderatur, in ipsa tandem ille hamus ligatus & incarnatus est, per quem captus est ille Leuiathan, serpens antiquus qui est diabolus & Satanas, vt qui per fœminam in regnum intrauit, per fœminam de regno extraheretur. Et qui fęminam illusit & suis sibi vinculis ligauit, ab hac vna fœmina illuderetur & ligaretur. Hoc est enim quod Dominus ad Beatum Iob loquitur dicens. Nunquid extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius: Nunquid illudes ei quasi aui, & ligabis eum ancillis tuis? Non tu, quasi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipsi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per vnam ancillam meam eum ligabo & fortitudine priuabo. Hæc est illa nobilis ancilla, de qua modo loquimur, Beatissima virgo Maria, quæ etiam de seipsa loquitur dicens: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vide humilitatem, ancillam se vocat, quæ cæli terræque regina a Deo constituta est. Legerat enim. Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Sed considera potentiam Dei qui tantam superbiam per vnius virginis humilitatem domuit. Noluit ad eam superandam cælestes fortitudines mittere, vnam ex ancillis mandauit, cuius humilitate & sapientia ille ligatus est, & superatus, de cuius potentia & fortitudine ipse Dominus ad eundem Iob loquitur dicens. Ecce Beemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Habet autem fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Non est potestas sub cęlo, quæ ei comparari possit. Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ. Verba consolatoria sunt, quibus Dominus beatum Iob de suis tantis afflictionibus consolatur, quibus hic hostis superbissimus & iniquissimus eum afflixit. Quædam siquidem consolatio illi est, dum audit cum quanto hoste bellum gesserit, & Domino protegente, superatus non fuerit. Ecce enim ille qui quasi bos fœnum, ita omnes populos & nationes deuorat & perdit: Hunc tamen vnum hominem totus suis viribus superare ad blasphemiam (sicut putabat) vel peccatum aliud prouocare non potuit. Vnde etiam scriptum est. Quia in omnibus his non peccauit Iob labijs suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est. Quoniam autem fœnum populos significet, testatur propheta qui ait. Vere fœnum est populus. Et quare fœnum? quia cito florem & pulchritudinem amittit, siccatur & perit. Absorbet autem Beemoth. Iste omnes fluuios & non miratur, sed insuper habet fiduciam quod influat Iordanis in os suum. Quid per fluuios intelligere debeamus, scriptura nos docet vbi ait. Aquæ multæ populi multi. Sed nō miratur Beemoth, neque pro magno hoc habet quod alios fluuios absorbet, nisi ipse quoque Iordanis in quo Dominus baptizatus est, & per quem baptizatorum populus designatur, influat in os eius. Sunt enim, sicut scriptum est, escæ eius electæ. Ipsos Christi discipulos cribrare non timuit, & ad perditionem, Iudam concitauit. Non curat latrones, & adulteros, non curat vulgus ignobile, monachos & sacerdotes persequitur, & ipsos Episcopos deuorare conatur. Non est potestas sub cęlo quæ ei comparari valeat. Solas igitur eas potestates timet, quæ super cælos sunt, & has & illas iam expertus est. Istas quidem vicit, sed ab illis superatus est. Secundū illud. Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius, & non præualuerunt, neque locus est inuentus eorum amplius in cælo. Cum illis igitur pugnat qui sub cælo sunt, & qui adhuc vanitatibus subditi sunt. Omne tamen sublime videt, cor eius exaltatum est, oculi eius elati sunt, adhuc in magnis ambulat, & in mirabilibus super se, nescit humilia cogitare. Sed si vis scire quam sublime videat, ipsum interroga, & ipse tibi respondeat. In cælum (inquit) ascendam, supra astra cæli exaltabo solium meum. Ascendam super altitudinem nubium & ero similis altissimo. Pro hac superbia deiectus est, nondum tamen humiliatus est, adhuc in eadem perseuerat. Vnde non immerito dicitur quod ipse est rex super omnes filios superbię. Omnes enim superbi, superbiæque filii seruiunt ei, obediunt ei, eum sequuntur, & ab eo reguntur. Hic tamen, tam superbus, & tam arrogans, tam potens, tam fortis, ab vna ancilla captus, & illusus, & ligatus est. O Beatissima inter mulieres hæc ancilla, hæc Dei mater & superni regis nobilissima filia, cuius hamo Leuiathan captus est, cuius humilitate quasi auis illusus est, cuius sapientia quasi latro, & vile mancipium ligatus est. In carne enim quæ ex ipsa nata est, quasi hamus in esca verbum incarnatum & absconsum est, quia verbum caro factum est. Quid igitur verbum in carne, nisi hamus in esca? Hanc escam vidit Leuiathan, concupiuit, nihil intus latere cogitauit, purum hominem esse credidit, linguam extendit, quæ videlicet lingua suæ perditionis fune ligata & suspensa est. Lingua diaboli Iudas fuit, quia per eum summis sacerdotibus locutus est dicens. Quid vultis mihi dare & ego vobis eum tradam? Sed hæc lingua fune ligata est, quia proditor infelix statim abiens laqueo se suspendit. Omnes illi sunt lingua diaboli, per quos ipse loquitur, & sua consilia reuelat. Sed has linguas Dominus ligat, quando eorum consilia destruit, et per viros catholicos eos superatos tacere compellit. Sic enim Arrius vt lingua fune veritatis ligatus est, quando eius impia hæresis, a concilio damnata est. Quod autem ait. Nunquid illudes ei quasi aui. Eadem sententia est. Nam et auis dum ad escam attendit, multoties illuditur, et suspensa laqueo suffocatur. Vnde et in psalmis dicitur. Draco iste quem formasti ad illudendum ei. Qui enim fecit eum, ipse plicauit gladium eius et ad talem formam redegit eum, cui non solum viri, verum etiam mulieres illudere possint. Quanti lattrones, quantæ meretrices, quanti adulteri et homicidæ ei quondie illudunt? quos dum se iam deuorasse, et in ventre habere lætatur, subito ad pœnitentiam conuersi, ex eius impio vtero foras erumpunt, et eum inanem et vacuum derelinquunt. Peccator enim (ait propheta) quacunque hora conuersus fuerit, vita viuet et non morietur. Tribus nominibus in hoc loco vocatur diabolus. Vocatur Beemoth, idest bestia propter crudelitatem, quia tanquam leo rugiens semper circuit quærens quem deuoret. Ipse est enim qui ait. Circuiui terram et perambulaui eam. Vocatur et draco, quia callidus et venenosus est, et nunquam recto itinere incedit. Siquidem a principio mendax fuit, et in veritate non stetit. Vocatur et auis propter superbiam, quia quamuis angelicæ dignitatis alas amiserit, adhuc tamen se erigere conatur, et quantum in ipso est superba intentione super cælos eleuatur. Considera modo quantas gratias debeamus Beatissimæ Dei genitrici: Considera quantis laudibus eam extollere et prædicare debeamus, si tamen digni sumus, quorum laudes inter omnes creaturas pulcherrima suscipere dignetur, cuius humilitate et sapientia hic tantus hostis captus, et ligatus, et de regno quod tanto tempore iniuste possederat, eiectus est. Sicut ipse quoque eius filius Saluator et redemptor noster ait. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Ipsam igitur laudemus, ipsam prædicemus, simulque cum Gabriele Archangelo dicamus. Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui. Qui cum Patre et Spiritu Sancto, viuit et regnat in secula seculorum. Amen.

IN PVRIFICATIONE SANCTAE MARIAE.

C A P. III.

POſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem vt ſiſterent eum Domino ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vuluam ſanctum Domino vocabitur. Et vt darent hoſtiam. Sicut in lege Domini ſcriptum eſt, par turturum aut duos pullos columbarum. Duo ſunt de quibus in hoc ſermone locuturi ſumus, de muliere pariente & de hoſtia quam offerre debet. Dicit enim Moyſes quod mulier quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus & octauo die circuncidetur puer. Ipſa vero manebit triginta tribus diebus in ſãguine purificationis ſuę. Si autem filiam pepererit immunda erit duabus hebdomadibus, ipſa vero ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Duæ iſtæ mulieres quarum altera maſculum, altera vero fœminam parit. Duæ partes ſynagogæ ſunt, quarum altera bona eſt, altera vero mala. Mala quidem pars illa eſt de qua in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus Smirnenſis Eccleſiæ Epiſcopo dicit, quia blaſphemaris ab his qui ſe Iudæos eſſe dicunt, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga Satanæ. Sic igitur ſynagoga in duas partes diuiſa eſt, in ſynagogam Dei, & in ſynagogam ſatanæ, in populum Dei, & in populum diaboli. Illæ ergo mulieres illa pars ſynagogæ. Illa pars illius populi bona erat, quæ ſuſcepto ſemine verbi Dei maſculum pariebat. Illa vero pars quæ fœminam pariebat, mala erat & non bona. Filii maſculi bona opera ſunt, fœminæ vero mala, opera intelliguntur. Sancti prophetæ multos filios & paucas filias habuiſſe leguntur. Sed prius de illa muliere dicamus quæ bona erat, quæ maſculos pariebat, quæ non duabus, ſed vna tantum hebdomada fuit immunda. Duæ hebdomadæ, duo tempora ſunt ſub lege videlicet & ſub gratia. Vna veteris, altera noui teſtamenti. Prima a Moyſe vſque ad Chriſtũ, ſecunda a Chriſti natiuitate vſque ad finem ſæculi. Illa ergo mulier bona, illa pars populi quæ maſculos pariebat, quæ legem cuſtodiebat, in bonis operibus ſe exercebat, ſeptem diebus immunda fuit, quia vſque ad Chriſti natiuitatem, quando illa hebdomada finita eſt, a peccato originali ſolui non potuit, neque circunciſione, neque filiorum generatione, neque alia qualibet legis obſeruatione. Nihil enim vt Apoſtolus ait. Ad perfectum adduxit lex. Non ergo toto illo tempore mulier iſta munda dici potuit, quæ tanta macula ſordebat. Habere originale peccatum, & mundam eſſe impoſſibile erat. Sed dicis. Ergo nato Chriſto mulier iſta mundata eſt, ſiquidem in eius natiuitate hebdomada finita eſt. Non eſt ita. Quare? Quia triginta tribus diebus adhuc eam manere oportuit in ſanguine purificationis ſuæ. Non enim natiuitate, ſed paſſione & ſanguine Chriſti ſolutum eſt peccatum originale. Trigeſimo namque tertio anno a natiuitate ſua Saluator noſter paſſus eſt, vt per triginta tres dies totidem annos intelligamus, & tunc quidem ab originali peccato mundati ſunt quicunque legem cuſtodierunt, & maſculos genuerunt, id eſt in bonis operibus perſeuerauerunt. Sanguis igitur Chriſti, & eos redemit qui fuerunt ante eum, & eos qui fuerunt poſt eum. Quicunque enim ante paſſionem Chriſti fidem tenuerunt & legem cuſtodierunt, eius ſanguinis effuſione & mundati ſunt, & redempti ſunt. Similiter autem illi de quibus Apoſtolus ait. Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Nunc autem videamus de muliere mala, de illa quæ non maſculos, ſed fœminas parit. Mala filia ſuperbia, mala filia inuidia, auaritia, quoque luxuria, diſcordia, inobedientia, malæ filiæ ſunt, quas quæcũque animæ pariunt mundæ eſſe non poſſunt. Ceſſent igitur a tali partu ſi mundæ eſſe volunt, alioquin duabus hebdomadibus immundæ erunt. Diximus iam quod prima hebdomada fuit vſque ad Chriſtum, in qua nulla quidem mundari potuit, ſecunda vero vſque ad finem ſæculi. Quæcunque igitur anima, neque veterem legem cuſtodiuit, neque nouum teſtamentum ſuſcepit, duabus hebdomadibus immunda eſt. Inſuper autem quia ſexaginta ſex diebus manet in ſanguine purificationis ſuæ, longe ab omni purificatione eſſe videtur. Ipſe enim numerus hoc indicat, qui tales animas præuaricatrices eſſe apertiſſime oſtendit. Decem quidem ſunt verba legis, quæ quicunque tranſgreditur præuaricator eſſe probatur. Sexies autem vndecim, ſexaginta ſex ſiunt, in quo quia denarius numerus tranſitur & præuaricatur, decalogi præuaricatio manifeſtiſſime demonſtratur. Sexies namque decem decalogo continentur, ſexies vndecim decalogum tranſeunt. Quid eſt autem decalogum tranſire, niſi legem præuaricare? Tales igitur Chriſti ſanguine non redimuntur neque lauantur. De quo in Apocalypſi Ioannes ait. Qui dilexit nos & lauit nos a peccatis noſtris, vt Dei mandata cuſtodirent, & maſculos parturirent. Non videntur autem pertinere ad Beatam Virginem Mariam ea quæ de prædictis mulieribus dicta ſunt, quamuis & ipſam legem cuſtodierit, præſertim cum non ſimpliciter dictum ſit, mulier quæ peperit maſculum, ſed cum additamento & determinatione, quæ ſuſcepto ſemine pepererit & maſculum. Hoc enim ſpecialiter dictum eſt propter ipſam, quia ipſa ſola nullo ſuſcepto ſemine peperit, quæ virgo ante partum, virgo in partu, & poſt partum virgo permanſit. Oblatio autem illa turturum & columbarum, quam ſimul cum filio Domino obtulit, maxime ad ipſam pertinuiſſe videtur, quæ & caſtitatis & manſuetudinis præcellit virtute. Hoc enim in his auibus ſignificatur, quarum altera de caſtitate, altera de innocentia commendatur. Obtulit igitur hodie Beatiſſima virgo Maria oblationem gratiſſimam Domino, quę quidem per multas alias oblationes ſignificata prius fuerat, ſed talis nunquam amplius oblata fuerat. Nos quoque qui dignam volumus offerre Deo oblationem, hanc reginam & Dominam noſtram imitari debemus. Offeramus igitur & nos par turturum, & duos pullos columbarum, & animę corporiſque integritatem, et innocentiam Domino reddamus. Docet nos Moyſes qualiter hãc oblationem facere debeamus. Vult enim vt ſacerdos, qui eã ſuſcipit, caput animæ ad collum retorqueat, & rupto vulneris loco ſuper crepidinem altaris ſanguinem decurrere faciat, veſiculam vero gutturis et plumas ad orientalem partem proiciat, axellas frangat, ſed non penitus abſcindat. Hęc oblatio perfectorum, et precipue Monachorum eſſe videtur. Venit homo cum oblatione, rogat vt ſuſcipiatur, offert turtures et columbas, promittit corporis et animę integritatem, et vt Beati Benedicti qui huius rei peritiſſimus eſt exemplo loquamur, promittit obedientiam, ſtabilitatem, et morum conuerſionem. His paucis verbis vir ille beatiſſimus totum hoc ſacrificium nobis exponit. Ecce homo turtur et columba factus eſt retorqueatur caput eius ad collum, vt inclinato capite incedat, quod eſt ſignum humilitatis. Auferatur ei veſicula gutturis vbi cibum reponere ſolebat, vt diſcat amodo ieiunare, qui prius crapulę operam dabat. Sanguinem vero ſuper altare cordis, eius decurrere facit, vt ſemper memor peccatorum ſuorum ſimul cum Pſalmiſta dicat. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, et peccatum meum contra me eſt ſemper. Sanguis enim peccata ſignificat, ſecundum illud. Libera me de ſanguinibus *Deus*, Deus ſalutis meę. Expoliatur plumis, quia omnes poſſeſſiones relinquere, et nihil proprii vlterius habere iubetur. Quas ad orientalem plagam proicit, vt poſt dorſum eas habens earum amplius non recordetur. Quia enim ſemper ad occaſum et ad finem tendimus, orientalem plagam quaſi poſt dorſum habemus. Franguntur axellę quia vagandi licentia tollitur, et loci propoſitique ſtabilitas imperatur. Sed non penitus abſcinduntur, quia ſi quando neceſſe fuerit, pro loci vtilitate adhuc iterum volare permittitur. Felices illi qui turtures et columbę ſiunt. Qui ſimul cum Dei filio a matre Domini Domino offeruntur, et in vna eademque oblatione Domino ſociantur, qui etc.

IN ANNVNCIATIONE BEATAE MARIAE.

CAP. IV.

MIssus est Angelus Gabriel a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit. Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Consideremus personam mittentis, & personam legationem fungentis, & personam illam ad quam hæc legatio facta est. Si etiam consideremus ipsam legationem, qualis & quanta sit, & quæ consilia, quæ secreta, quales & quantas vtilitates in se contineat, profecto intelligemus ex quo mundus iste factus est, nunquam aliam legationem factam fuisse, quæ huic legationi valeat comparari. Nunquam verba talia, tam læta consilia, tam profunda mysteria, huic mundo prius vel postea nunciata sunt. In hac legatione tractatum est de incarnatione filii Dei, de mundi redemptione, de humani generis restauratione, de diaboli expulsione, de inferni expoliatione, de Sanctorum liberatione, & de cælestis patriæ recuperatione. Hodie reuelatum est consilium, quo mors occideretur, quo originale peccatum tolleretur, quo vita redderetur, & homo diaboli seruitute liberatus, & a Deo in filium adoptatus in antiquam patriam reduceretur. Si intelligeret mundus, quantam gloriam sibi hic dies peperisset, supra omnes dies festiuum & celebrem hunc diem haberet. Hodie verbum caro factum est, hodie Dei filius incarnatus est, quod quidem nisi factum fuisset, nunquam nasceretur, nunquam pateretur, nunquam resurgeret, nunquam infernum expoliaret, nunquam celos ascenderet, nunquam Spiritum Sanctum Apostolis mitteret. In quo baptizati sumus, in quo & per quem fit remissio peccatorum. Hæc est igitur prima festiuitas, hæc est principium & causa aliarum omnium festiuitatum. Hanc ergo festiuitatem simul omnes celebremus, & cum Maria de tanto nuncio gratulemur. Audiamus modo quid Gabriel Archangelus dixerit, quæ verba, quam legationem, & vt ita dixerim, quas nouellas virgini nostræ de cælis attulerit. Fidelis legatus iste, verax ille a quo mittitur. Qui hanc legationem veram esse non crediderit, sit anathema maranatha. Dic ergo Gabriel, loquere ad virginem, vt audiamus. Ne timeas (inquit) Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum, ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabitur nomen eius Iesus. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et regni eius non erit finis. Ecce audiuimus legationem, audiuimus Sacramentum æterni consilij, audiuimus & verba nostræ liberationis, audiuimus etiam quod rex & propheta Dauid, huic reginæ nostræ, filiæ vero suæ, de hac legatione loquatur. Audi (inquit) filia & vide & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, quia concupiuit rex speciem tuam, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Audi (inquit) filia mea, de genere meo, de progenie mea, nobilitas, & gloria mei generis, audi quæ Angelus loquitur, quæ cælestis nuncius tibi promittit. Esto cauta, esto sollicita, diligenter ausculta, quia magna valde sunt, quæ tibi nunciantur. Vide ergo & intellige, & suscipe verbum in corde, & in vtero tuo virgo concipies, & virgo paries, quia per aurem ingredietur in te qui nascetur ex te. Verbum enim est, & via verbi auris est. Non enim aliter concepit beata Maria nisi audiendo & credendo. Si non audisset, non credidisset. Audiuit & credidit, & credendo concepit. Ecce (inquit) ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Talis fuit conceptio Christi, taliter conceptus est, & taliter verbum caro factum est. Et obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Surge & accipe puerum & fuge in Ægyptum, fuge ad gentes, quia populus tuus, & domus parentum tuorum non suscipiet te, sed simul cum filio tuo, persequetur & odiet te. Et reuera nulla creatura est, quam sic Iudæi habeant odio, sicut matrem hanc & filium. Neque enim matrem diligere possunt qui tam iniquo odio filium persequuntur. Vnde Ioannes Apostolus ait: In propria venit, & sui eum non receperunt. Dominus autem qui dicit: Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Obliuiscere igitur populum tuum, & domum patris tui: Omnia relinque, satis tibi sit filius tuus, quia ipse est rex tuus & Dominus Deus tuus, quia dilexit speciem tuam & pulchritudinem tuam. Ipse tibi sufficiat. Non amor patriæ, non propinquorum affectus te retinere valeat: Solum solum habeas, diues es, & in illo omnia possidebis. Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus. Omnes pulchræ & nobiles virgines ei se coniungere desiderabunt, & cum magnis muneribus ad eum properabunt, quæcunque sunt quibus mundi huius voluptas non placet, & se in angustiis & in carcere esse cognoscunt. Tyrus enim angustiæ interpretatur. Illæ vero animæ quæ vagæ sunt, quibus voluptas & concupiscentia placet, quæ non per angustam semitam, sed per amplam viam gradiuntur, non Christo, sed diabolo nubere concupiscunt. Et adorabunt igitur eum filiæ Tyri in muneribus, & seipsas & sua omnia ei offerentes. Et vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Quid enim mirum si diuites & nobiles virgines matris vultum & pulchritudinem desiderabunt? cum modo superius dixerit, quia concupiuit rex speciem tuam? Valde enim pulchra est, quæ sua pulchritudine Deum ipsum ad amorem sui prouocare potuit. Valde quidem conueniens fuit vt speciosus forma præ filiis hominum, speciosam sibi eligeret matrem. Considera modo cuius pulchritudinis fuerit, cuius splendor & pulchritudo cælos penetrabat. Inde Angeli admirabantur eam, inde Gabriel tecto ionere venit ad eam. Ad eam enim missus est, quæ per cæteris fulgebat, quæ pulchra vt luna, electa vt sol, omnem pulchritudinem sua pulchritudine vincebat. Non possumus modo dicere omnia quæ de ipsius laudibus in hoc psalmo continentur. Ad Euangelii verba redeamus. Hic, inquit, erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Valde enim magnus est, quoniam patri æqualis est. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum in domo Iacob. De hac sede in illo psalmo scriptum est, vbi de vtroque Dauid Dominus loquens ait. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum. Et paulo post. Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi. Erit igitur thronus æternus, siquidem. Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli. Erit igitur thronus æternus, siquidem & dies cæli in æternum erunt. Si dereliquerint filii mei legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint, et mandata mea non custodierint: Quid faciam eis? Non vtique occidam eos neque separabo a regno meo, non auferam eis gratiam meam. Quid igitur? Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Hoc est enim quod Apostolus ait. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, quasi per virgam, quasi per correctionem. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Et certe de filiis loquebatur. Quare ergo ab eo dixit, & non ab eis, nisi quia omnes in eo vnum sunt quicunque in eius corpore sunt, in eius autem corpore non sunt, qui fidem non habent, vel qui in malitia perseuerantes, ad eum per pœnitentiam redire non curant. Neque nocebo ei in veritate mea, neque prophanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non

faciam

factam irrita, semel iuraui in Sancto meo, si David mentiar, semen eius in æternum manebit. Et sedes eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cælo fidelis. Et quidem conueniens erat, vt sine iuramento crederemus, quod Dominus loquitur, placuit tamen ipsi sub iuramento verba sua firmare, quatenus de salute nostra nos redderet certiores. Ecce qui non habuit maius per quod iuraret, iurauit in veritate sua in sancto suo, in dilecto filio suo, in seipso, quia vnum sunt filius et ipse. Sed quid iurauit? quod non noceat membris filii sui, qui non prophanet testamentum suum, quod non faciat irrita verba sua, quod semen filii sui et sedes eius maneat in æternum. Quanta lætitia redundat iste psalmus, quanta in eo spes datur peccatoribus quicunque in ecclesia manserint, et ab ea non recesserint: Ipsa est corpus Christi, ipsa est semen et sedes Christi, quæ, sicut iuratum est, in æternum manebit. Alioquin prophanum esset testamentum quod sub iuramento firmatum est, si vel fallacia inueniretur in eo, vel si non omnia complerentur, quæ continentur in eo. Hic psalmus est ecclesiæ testamentum. Hic solus ei sufficere posset, si nullas alias chartas habuisset. Gaudeat igitur de testamento suo, gaudeat quod sedes Dei constituta est. Illa videlicet sedes quæ sicut Sol fulgebit in conspectu Dei, et sicut luna perfecta in æternum, et ipsa horum omnium testis erit in cælo fidelis. Non enim testatorem vel testamentum reprehendere poterit, qui hæredem ibi in tanta gloria esse videbit.

IN ASSVMPTIONE BEATAE MARIAE.

CAP. V.

QVia respexit humilitatem ancillæ suæ. Docet nos beatissima virgo Maria humilitatis mater et filia, quanta sit virtus humilitatis. Hunc sermonem quære superius in secundo libro de ornamentis ecclesiæ. Cap. V.



SANCTI



S. BRVNONIS ASTENSIS

SENTENTIARVM LIBER SEXTVS.

IN FESTIVITATIBVS MARTYRVM, CONFESSORVM, ETC.

DE MARTYRIBVS.

CAPVT PRIMVM.

SERMO I.



Nisi granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Hoc est illud granum frumenti quod virgo et inarata terra produxit. De quo Psalmista ait. Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Huius autem grani immensa multiplicatione omnia ecclesiæ horrea repleta sunt. De hoc frumenti grano ille panis conficitur, de quo ipse Dominus ait. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Constat autem hoc et ad litteram verum esse, quod frumenti granum si in arca seruetur, non crescit, si autē seminetur, si in terra soluatur et moriatur, multum fructum affert. Nihil enim infructuosum diligit Deus. Nihil in horto suo, nihil in agro suo vult esse infructuosum. Vnde et ipse alibi ait. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Et in alio loco. Ego sum, inquit, vitis vera, et pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum ● fructum plus afferat. Hæc est enim illa vitis vera, de qua totum hoc vinum profluxit, quod nobis in hoc euangelio propinatur. Hæc est illa vitis semper fructuosa, cuius omnes palmites fructiferi sunt, quicunque ei fideliter inhærent. Ideo enim infructuosi de ea tolluntur, quia quamuis per baptismi Sacramentum in ea sint, per vitæ tamen meritum in ea non sunt. Talis arbor infructuosa erat illa, de qua ad cultorem vineæ Dominus ait. Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? Quæ quidem illico succisa fuisset, nisi bonus ille vineæ cultor pro illa intercessisset, dicens: Domine dimitte illam & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum, sin autem, in futuro succides illam. Talis erat & illa ficulnea in qua quia fructum non inuenit Dominus eam maledixit & aruit. Tales sunt & multæ aliæ arbores infructuosę, quę tandem exciduntur & in ignem mittuntur. Et ego quidem non crediderim aliquam arborem infructuosam in paradiso fuisse plantatam, pręsertim cum primo hominum Dominus dicat: De omni ligno paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis, ex eo morte morieris. In eo enim quod de omnibus comedere dicit, omnes illas arbores fructuosas fuisse ostendit. Cum igitur paradisus ecclesiam significet, ecclesię quoque arbores omnes fructuosas esse oportet. Multę namque arbores sunt in ecclesia. Ibi enim est lignum vitę, de quo qui comederit, si tamen digne comederit, non morietur. De hoc enim ligno scriptum est. Et erit tanquam lignum quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et alibi. Vincenti dabo edere de ligno vitę quod est in paradiso Dei mei. Ibi est & illa arbor quę ait. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini, speraui in misericordia Dei mei in ęternum & in seculum seculi. Sed quid de illis nobilissimis arboribus dicam, quibus ipse ait. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Tales igitur arbores habet ecclesia, quas illę paradisi arbores significabant. Sic igitur crescit ecclesię frumentū, & sic in trigesimum & sexagesimum, & centesimum fructum exuberat. Cuius venter non immerito aceruo tritici comparatur. Ipsa est enim de qua scriptum est. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Tanta enim Sanctorum multitudo ab hoc vno grano frumenti multiplicata est, vt pręmultitudine numerari non possit. Vnde Psalmista ait. Annunciaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Numerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Filii tui sicut nouellę oliuarum in circuitu mensę tuę. Hoc est illud semen quod Abrahę prophetę promittebatur, cum ei a Domino diceretur. Et erit semen tuum sicut stellę cęli, & sicut arena quę est in litore maris, quę pre multitudine numerari non potest. Vnde & Propheta ait. Attendite ad cauernam de qua existis, & ad Saram quę genuit vos. Cui enim mirabile non videatur, de vno ventre tantam hominum exisse multitudinē? Lætare igitur sterilis quę non paris. Erumpe & clama quę nō parturis, quia multi filii desertę, magis quam eius quę habet virum. Totus autem hic aceruus tritici, tota hęc sanctorum omnium multitudo de vno ecclesię matris ventre progenita, vallata est. Quid enim lilia nisi Angelorum pręsidia, virtutū odores, & Doctorum candidarum exercitum intelligemus? Isti enim sunt qui hunc aceruum tritici custodiunt, & filios ecclesię a malignorum spirituum insidiis defendunt. Et tali quidem custodia populus Dei dignus esse videtur, cuius

sem-

semper odorem & pulchritudinem imitetur. Tota ecclesia foecunda est, nulla eius pars infructuosa est. Hoc enim ipse Dominus ostendit, vbi ad eam loquitur dicens: Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis foetibus & sterilis non est in eis. Vnde & ipsa ait. Omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi. Omnis enim scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Inde est quod illa animalia quæ testiculos non habent, quia non generant, & sterilia sunt, offerri Domino prohibentur. Bonus fructus humilitas, bonus fructus misericordia. Tales fructus de paradisi arboribus colliguntur, talia poma diligit Deus, & talia ipsi offerre debemus.

IN NATALI VNIUS MARTYRIS.

Sermo II.

EGo sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. & omnem palmitem qui fert fructum purgabit eum, vt plus afferat. Ecce vitis vocatur Christus, & vitis vera. Sed quare vitis, & quæ vera? Vitis vocatur quia vinum fert. Omnia enim hæc euangeliorum verba vinum sunt, & non qualecunque, sed optimum vinum, non de alia, nisi de hac vite vindemiatum & expressum. Inde est enim quod in suæ prædicationis initio aquas Dominus conuertit in vinum, quatenus noua vitis nouum vinum effunderet, quo illas nuptias & Architriclinum inebriaret. Dicitur autem & vitis vera fortasse, ad illius vitis distinctionem, quæ & pro vuis labruscas, & pro vino dedit acetum. Huius vinum dulce, semperque suaue, huius verba semper vera, & nullius falsitatis annexione corrupta. Dicit ergo. Ego sum vitis vera & pater meus agricola est. Sed quid facit iste agricola? Vis audire quid? Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Quot sunt Christiani, tot sunt & palmites huius vitis. Alii quidem boni, alii autem mali. Et boni quidem fructiferi, mali autem infructuosi. Tolluntur infructuosi, & incenduntur, fructiferi vero purgantur, & gladio spiritus putantur, vt fructum plus afferant. Gladius spiritus est verbum Dei, & iste sermo sancti euangelii. Quales palmites isti fuerunt, quorum hodie festa celebramus? quam purgati, quam putati, quam diligenter ab omni superfluitate mundati. Talem etenim vitem, tales palmites decebat habere, qui & fructibus abundarent & in sapore non degenerarent, sicut illa, de qua iam superius diximus, quæ pro vuis dedit labruscas, & pro vino dedit acetum. Non omnis vinea bona est, neque omne vinum bibere delectat. Malum vinum hæreticorum, de quo Nazaræi bibere formidant. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Nulla vinea bona, nisi illa quæ de hac vite pastinata est, quæ modo in hoc euangelio loquitur. Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est. De hac vinea scriptum est. Vinea facta est dilecto in cornu filio olei. De qua & Salomon ait: Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos, & tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti, bis qui custodiunt fructus eius. Hæc autem exposita sunt in illo sermone, qui de pace intitulatur. Quære superius libro de Ornamentis Ecclesiæ. Illę quoque vineæ bonæ sunt, de quibus ecclesia dicit. Filii matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui. Quanta charitas vt pro communi omnium vtilitate, vineæ suæ, suique ipsius aliquando aliquis negligentiam habeat? Hoc enim faciebat ille qui ait. Nemo quæ sua sunt, quærit, sed quæ omnium, vt salui fiant. Qui omnia omnibus factus est, vt omnes lucrifaceret. Fuit et illa vinea aliquando bona, de qua scriptum est. Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, et plantasti eam. Viam fecisti in conspectu eius, et plantasti radices eius, et impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, et arbusta sicut cedros Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare, et vsque ad flumen propagines eius. Fuit, inquam, hæc vinea aliquando bona, sed quia in amaritudinem conuersa est, et a prima bonitate degenerauit, ideo exterminauit eam aper de sylua, et singularis ferus depastus est eam. Vt adimpleretur quod Dominus ait. Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Hæc est enim illa mala vinea, cuius pessimi agricolæ, prius Domini sui seruos diuersis tormentis interemerunt, postea veniente hærede dixerunt. Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas. De qua et ipse Dominus non immerito ait. Vultis scire quid ego faciam vineæ meæ? Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem, auferam sepem eius, et erit in conculcationem. Diruam maceriam eius, et erit in direptionem, et ponam eam desertam. Vinea Dei Sabaoth domus Israel est. Cuius palmites Iudæi sunt, qui propter suam impietatem per vniuersum mundum dispersi cunctis gentibus in opprobrium sunt. Hanc autem malam vineam illa vinea significauit, de qua Noe inebriatus verenda dormiens discooperuit. Cuius nuditatem quia minor filius irrisit, in omni sua posteritate damnatus est. Alii vero quia sapienter et verecunde patrem operuerunt, debita benedictione donati sunt. Hæc autem ad Saluatorem nostrum respiciunt, qui passionis calice inebriatus, mortis somno in cruce quieuit. Cuius vtique verenda mortem ipsam, sputa, flagella, et crucis ignominiam, intelligunt. Hæc enim Iudæi nobis obiiciunt, et quasi multum verenda nobis improperant, qui hominem mortuum, et tam turpia tanquam verenda passum, pro Deo adoremus. Nos autem patrem nostrum operientes, dicimus hæc non verenda, sed veneranda esse. Oportebat enim pati Christum, et sic resurgere a mortuis. Quomodo enim implerentur scripturæ: quia sic oportet fieri? Hoc enim prophetæ prædixerant. Hoc nobis necessarium erat, quia aliter originale peccatum solui non poterat. Hoc tamen Iudæi non credunt, sed in sua malitia persistentes, crucis ignominiam et Christi passionem irridere non cessant. Sed quid dicit scriptura? Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis. Hoc de Iudæis dictum est, quorum omnis posteritas propter suam impietatem, cunctis gentibus in opprobrium tradita est. De aliis autem quid dicitur? Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in æternum. Qui viuit et regnat etc.

IN NATIVITATE PLVRIMORVM Martyrum.

Sermo III.

DEus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Posuerũt morticina seruorum tuorũ escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorũ bestiis terræ. Effuderunt sanguinem sanctorum sicut aquã in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret. Hæreditas Dei, templum Dei, ciuitas Dei, & hortus Dei, sãcta ecclesia est, quæ per totum mundum diffusa, multas a tyrannis & malignis spiritibus patitur persecutiones. Videns igitur Propheta per spiritum sanctum hanc nobilissimã ciuitatẽ ab impiis & iniquis hominibus dissipari: eius tantæ calamitati compatiens ait: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuã, violenter, & cum nimia crudelitate irruperunt tyranni in ecclesiam tuam: Hæreditas tua dissipatur, templum tuum polluitur, ciuitas sancta destruitur, poma tua colliguntur. Viri iusti tol-

luntur, diuersis multisque suppliciis Sancti aut interficiuntur, sola custodia relicta est paucis, qui quasi pro semine esse videntur. Hoc autem & Helias plangebat cum diceret, Domine prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & relictus sum ego solus. Quasi diceret pro custodia, & quærunt animam meam. O crudelitas, o impietas, non sufficit eis, quod tam duris & exquisitis tormentis Sanctos interficiunt, sed ad suæ iniquitatis malitiæque cumulum eos sepelire non permittunt. Sanctorum carnes canibus exponuntur, & bestiis terræ deuorandæ & laniandæ traduntur. Sanguis preciosus effunditur, siquidem preciosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius: Et quasi vile aliquid iniquorum pedibus conculcatur. In his ergo completum est, quod in euangelio Dominus ait. Ecce ego mitto vos quasi agnos inter lupos. Et Apostolus Propter te inquit, mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. Narrat beatus Ioannes in Apocalypsi, vbi omnes martyrum passiones, vbi omnes Ecclesiæ perturbationes plenissime describuntur, se vidisse equum album, & qui sedebat super eum habebat arcum in manu sua, & data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Equus iste albus pulcher totus & immaculatus Sanctorum martyrum exercitus intelligitur, in quibus Saluator noster sedet, & per eos præliatur. Sicut scriptum est. Qui ascendit super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Habet autem arcum in manu sua, per quem eius prædicatio significatur, cuius prædicationis verba atque sententiæ sagittæ quædam sunt, quibus vitiorum & malignorum spirituum fugatur exercitus. Istæ sunt illæ sagittæ de quibus dicitur: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Per coronam autem quę ipsi datur quid aliud nisi victoria significatur? Nemo enim (ait Apostolus) coronatur nisi qui legitime certauerit. In singulis Sanctis coronatur Christus, quia omnis eorum victoria ipsius est. Et hoc quod ait, quod exiuit vincens vt vinceret. Vnde & Sancti martyres alibi dicunt. In Deo faciemus virtutes, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Post istum autẽ equum exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super eum datum est ei, vt tolleret pacem de terra, & vt inuicem se homines interficerent, & gladius magnus datus est ei. Hic equus rufus Sanctorum sanguine, & saeuientis inimici calcaribus cruciatus tyrannorum exercitus intelligitur, super quos diabolus sedens in Sanctorum necem eos sine omni misericordia ruere facit. Isti sunt illi de quibus dicitur. Currus Pharaonis & exercitum eius demersit in mare. Isti sunt illi equi & muli, in quibus non est intellectus. Hic autem est ille iniquus qui pacem de terra sumit & aufert, quoniam vt discordiæ princeps & pacis inimicus humanum genus semper insidiando & tentando inquietat. Hic facit vt se homines interficiant, & inter se bella ciuilia gerant. Huic & gladius magnus datus est, quoniam multis modis miseros homines iugulando decipit, dum alium per superbiam, alium per auaritiam, alium per luxuriam, atque alium alio modo occidit, & perdit. Huius igitur consilio, huius ductu, huius iniqua machinatione Sanctorum sanguis tyrannorum gladiis funditur. De quo nunc per prophetam dicitur. Effuderunt sanguinem sanctorum sicut aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret. Et has quidem Sanctorum martyrum passiones, eorum tantam sanguinis effusionem, illa holocausta, & illæ hostiæ significabant, quas quotidie Sancti patres sine numero immolabant. Vide modo quantus animalium sanguis effusus est, quando templum Salomonis dedicatum est. Ad centum enim & viginti duo millia oues, & boues ad viginti duo millia, mactati referuntur, in illius templi dedicatione, præter illas hostias quas quotidie offerre consueuerant, quibus Christi passio significabatur. Sic igitur & in ecclesiæ dedicatione, præter illas hostias quas quotidie offerre consueuerant, multus sanguis effusus est, & multa sanctorum millia pro Christi nomine mactata sunt, quos ille animalium sanguis, & illæ hostiæ significabant. Quid est enim quod ibi legitur, odoratus est Dominus odorem suauitatis, nisi hoc quod Psalmista dicit. Preciosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius: Non enim tantum illo fumo & animalium sanguine delectatur Deus, quantum Sanctorum martyrum passione quæ illis sacrificiis significabatur. Noe Patriarcha post diluuium de arca egressus, de cunctis animalibus mundis magnum Deo holocaustum & sacrificium obtulit. Solus tunc homo immolatus non est, quia nondum venerat plenitudo temporis, quando Saluator noster immolandus erat. Omnia illa animalia munda quæ tunc vno sacrificio oblata sunt, hanc Sanctorum martyrum passionem significabant, qui de vtroque sexu, de omni ætate, de omni conditione pro Christi nomine postea mactati sunt. Tria Sanctorum martyrum sacrificia legimus, primum in significatione, secundum in passione, tertium in commemoratione. Et primum quidem faciebant sacerdotes veteris testamenti. Secundum autem tyranni. Tertium vero nostri sacerdotes quotidie in ecclesia faciunt. De hoc igitur tertio scriptum est. Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua. Et sacrificium laudis honorificabit me, illic iter est in quo ostendam illi salutare Dei. Et Propheta. Omnem (inquit) aufer iniquitatem et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Et Apostolus. Per ipsum (ait) offeramus hostiam laudis semper Deo id est fructus labiorum confitentium nomen eius. Hoc igitur sacrificium quod in Sanctorum martyrum laude, et commemoratione sancta ecclesia quotidie facit, in illa hostia sacrificatum est: in qua Moyses precepit sacerdotibus, vt prius lignorum congeriem faciant, deinde hostia quæ immolanda est particulatim diuisa, prius super ipsam struem lignorum caput ponant, postea vero cętera membra vsque ad caudam desuper ordinẽt, quæ sicut in toto corpore vltima est, ita vt vltima ponenda est. Lignorum enim congeriem facimus, quando in vnum locum populo adunamus. Quando vero martyris passionem in populum nunciamus, tunc vtique super lignorum congeriẽ iubilationis hostiam ordinamus. In qua videlicet hostia prius caput ponendum est, quia vnde natus et ex quibus parentibus, et eius vitæ primordia prius dicenda sunt. Deinde vero qualiter vixerit, quam sapiens et humilis fuerit, quomodo ab infantia Deo seruierit; quomodo bona sua cuncta pauperibus erogauerit, quantas per ipsum virtutes, et miracula Dominus fecerit, quam fortis in passione fuerit, et quam viriliter, et constanter omnia illata tormenta sustinuerit. Hic est ordo sacrificii, taliter iubilationis hostia immolanda est, et sic tandem igne supposito, vorax flamma cuncta consummat: per quod videlicet intelligitur, vt fideliter credantur: et cum amore suscipiantur quæcunque ad martyris laudem gloriam recitantur. Lege martyrum passiones, et isto ordine scripta inuenies. Sicut in Euangelio Beatus Ioannes primis ipsum caput posuit dicens. In principio erat verbum. Deinde per ordinem vsque ad passionem, eius verba et miracula, et cętera posuit. Fuit aliquando in sanctis tantus martyrii amor, tantoque desiderio ad martyrii gloriam festinabant, vt ipsi sua sponte se ingererent, et non interrogati Christianos se esse dicerent. Torquebatur et alius duris tormentis cruciabatur, et ecce subito alius de populo clamabat: Christianus sum, et pro Christo mori desidero. Vnusquisque illud in corde suo propheticum dicebat. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini inuocabo. Qui viuit, et regnat in sęcula sæculorum. Amen.

DE EISDEM.

Sermo IV.

Ecce quam bonum, et quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quoniam illic mandauit Dominus

nus benedictionem & vitam vsque in sæculum. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Sic enim se habet ordo. Nunc autem significationem videamus. Beati isti fratres super quos Dei benedictio & tanta abundantia gratiarum descendit. Isti sunt illi fratres de quibus Dominus ait. Nunciabo fratribus meis. Et alibi. Omnes vos fratres estis & patrem nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim pater vester qui in cœlis est. Ipse est autem cui quotidie dicimus. Pater noster qui es in cœlis. Et diues, & pauper, nobilis & ignobilis, Dominus & seruus, imperator & mendicus: Omnes vna voce dicunt: Pater noster qui es in cœlis, vt se vnius patris filios esse ostendant. Ille nobilior, qui melior. Multi sunt hic serui, qui in altera vita erunt Domini, & contra, multi hic Domini, qui in altera vita dura seruitute comprimentur. Quales fratres isti fuerunt, quorum hodie festa celebrantur? Boni fratres Beati Sergius & Bacchus, qui tanta pro Christo tormenta passi sunt. Boni Cosmas & Damianus, boni Ioannes & Paulus, boni Mauritius & socii eius, bonus & Dionysius & socii eius, boni & multi alii qui pro Christi nomine morti se tradiderunt. Et istorum quidem est regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & venerunt ad præmia regni, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Tales autem fratres habitant in vnum, talibus est cor vnum, & anima vna. Nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia. Fratres mali qui corpore simul sunt, sed per odium a se inuicem longe sunt. Bonum est, inquit, & iucundum habitare fratres in vnum. Vnde hoc? Quoniam illic, idest inter tales fratres mandat Dominus benedictionem suam, & vitam quæ finem non habet. Quomodo mandat? Sicut vnguentum in capite, quod de capite descendit in barbam, de barba vero vsque in oram vestimenti eius. Et sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Caput Ecclesiæ Christus est, cuius membra omnes nos sumus. De hoc autem corpore Apostolus ait, Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habet igitur barbam Christus in corpore suo, habet oculos & aures, habet manus, & cætera membra. Barba Christi Apostoli sunt. Barba quidem, quia nihil molle, nihil fœmininum in se habentes, viriles & fortes masculi sunt. Vnde & merito non barbati, sed ipsa barba vocantur. Præcepit autem Dominus sacerdotibus, vt barbam non radant, & comam non nutriant. Nutrire comas, & barbam non habere mulierum est. Sacerdotes autem non muliebres, sed viriles facies habere debent. Non solum igitur Apostoli, sed & sancti martyres, Christi barba vocari possunt, qui & viriliter pugnauerunt, & hostes potentissimos vicerunt. Vnguentum igitur de capite in barbam descendit, quia sancti spiritus gratia de Saluatoris nostri diuinitate prius in Apostolos & martyres venit. De hoc enim vnguento Dominus ait. Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare misit me. De hoc & Psalmista. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Hoc & ecclesia sentiens ait. Trahe me post te & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Hoc vnguento sanantur infirmi, hoc omnes languores & omnes infirmitates sanabat Iesus. Hoc & sacerdotes ecclesiæ consecrantur, ab hoc chrismate & Christus ipse & Christiani vocantur. Hoc igitur de capite descendit in barbam, de Christo in Apostolos. Nihil enim virtutum & gratiarum habuerunt Apostoli quod ab ipso non accepissent. Vnde & Apostolus ait. Quid enim habes, quod ab ipso non accepisti? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Alii enim datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii fides, in eodem spiritu, alii gratia sanitatum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. De Apostolis autem hæc tanta gratiarum abundantia per totum corpus ecclesiasticum in cætera membra discurrens, vsque ad vestimenti oram peruenit. Vestimenti ora, extremi illi intelliguntur, qui omnium vltimi in fine seculi futuri sunt. Vide ergo quanta sit huius vnguenti abundantia, quæ tam longo cursu defluat, & tantam gentem vngat & sanet. Hoc vnguentum Simon Magus ab Apostolis emere voluit, vnde & merito cum omni pecunia sua damnatus est. Vocatur autem Aaron Saluator noster, omnium videlicet sacerdotum primus & maximus, cuius filii sacerdotes sunt, & qui filii eius non sunt, sacerdotes esse non possunt. Interpretatur autem Aaron mons fortitudinis, quæ interpretatio illi maxime conuenire videtur, qui Dominus fortis vocatur, & potens Dominus potens in prælio. Sequitur. Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion. Hermon anathema idest diuisio: Sion vero speculatio interpretatur. Et Hermon quidem Apostolos, Sion vero ecclesiam significat. Merito autem Hermon vocantur qui primi omnium a synagoga diuisi & separati, Christum Dominum secuti sunt. Vnde Apostolus ait. Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, & reliqua. Non solum autem Apostoli, verum etiam omnes Christiani hoc nomine vocari possunt. Omnes enim in baptismo hoc nomen suscipiunt, quia ibi diabolo & pompis eius abrenunciantes, a peccatis omnibus & a vitiis separantur, & a sinistra in dexteram transeuntes ab hœdis diuisi, agnis & ouibus associantur. Vnde & in psalmo dicitur. Ad meipsum anima mea turbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonii a monte modico. Terra Iordanis & Hermonis illi sunt qui per baptismum a vitiis separati sunt, quoniam per Iordanem baptismus & per Hermon diuisio & separatio significatur. Solæ igitur baptizatorum animæ de terra Iordanis & Hermonis Deum laudant. De quibus & alibi dicitur. Tabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. De monte igitur Hermon descendit ros in montem Sion, per quem fides, doctrina, & euangelica prædicatio intelligitur, quæ ab Apostolis in ecclesiam venit. Hoc autem rore & hac pluuia tota sancta ecclesia irrigatur, fœcundatur, lauatur, atque mundatur. Mali montes Gelboe, quibus Dauid maledicens ait. Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniat super vos, vbi ceciderunt fortes Israel, Saul & Ionathas. Per hos enim hæretici designantur, qui non rore Apostolico, sed turbine diabolico perfunduntur. Beati illi fratres qui tali rore, tali pluuia, tali vnguento, & tali gratia perfusi audire meruerunt: Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Quoniam illuc mandauit Dominus benedictionem, et vitam vsque in sæculum. Quod ipse nobis præstare dignetur qui viuit etc.

DE EISDEM.

Sermo. V.

LAudate Dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Cœlum et terram et omnes creaturas quæ in eis sunt ad laudes Dei propheta inuitauerat, nunc autem materiam de qua eum laudent, et instrumenta quibus laudent, eis ministrat. Sumat vnusquisque quod sibi placet, et quod sibi conueniens et vtile esse videtur. Laudate inquit, Dominum in sanctis eius. Hanc laudandi materiam suscipite, quia in nulla alia re laudabilior esse probatur. Dicite ergo, mirabilis Deus in Sanctis suis. Deus Israel dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ Benedictus Deus. Si quis enim considerare velit Sanctorum fidem, et sapientiam, constantiam, et patientiam, et alias virtutes quas

a Deo suscipere meruerunt, facile cognoscere poterit, valde in sanctis suis Deum & laudabilem & mirabilem. Vnde alibi in sua & aliorum persona, iste qui hic modo loquitur ait: Mirabilis facta est scienna tua ex me, confortata est & non potero ad eam.

Laudate eum in firmamento virtutis eius.

Pro firmamento Dominum laudare memento.

Terra fides fortis quam dat tibi conditor orbis. Hoc enim firmamentum quod cœlum vocatur, quod sua virtute & potentia ineffabili Dominus fecit, Apostolos cæterosque Sanctos significat, qui tanta virtute & claritate ita præditi sunt, vt nulla creatura eis valeat comparari: Laudate eum in virtutibus eius.

Non tua vir virtus quæ pugnas, sed tibi Christus.

In cruce donauit in quæ moriens superauit.

Sis igitur certus, quia pugnas viribus eius.

Siue virtutes cœlorum intelligamus siue virtutes miraculorum quæ per Sanctos operatus est Deus, siue etiam sapientiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, cæterasque virtutes quibus sanctos ornatos fuisse. quibus & vitia & malignos spiritus, omnesque suos aduersarios eos superasse legimus. Valde quidem conueniens est vt in omnibus his Deus laudetur & glorificetur. Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Semper laudetur qui nullo fine tenetur.

Nescis fortasse quantum eum laudare debeas, considera quantus est, & secundum eius quantitatem laudes multiplica. Nunquam igitur a laude quiescas, quia immensus est ille quem laudas. Laudationem itaque Domini loquatur os meum, & benedicat omnis caro nomen sanctum eius, non ad tempus, sed vsque in sæculum sæculi. Laudate eum in sono tubæ.

Nunquam nostrarum sileat vox alta tubarum.

Est tuba vox alta, sonus est laudatio facta.

Post laudandi materiam consequenter instrumenta posuit, quibus laudare debeamus.

Tuba namque, psalterium, & cithara, tympana quoque chorus & chordæ, organa & cymbala, instrumenta sunt musicæ artis, diuinis laudibus conuenientia. Non omnium est tuba canere, hoc officium episcoporum est & Doctorum. Illis enim dicitur, Canite in initio mensis tuba. Et clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Ipsi sunt Angeli in Apocalypsi tuba canentes. Tubarum sonitu muri Hiericho corruerunt, & ingrediendi aditum vndique populo præbuerunt. Tubis Israelitæ ad prælium concitabantur, & tubis a præliis reuocabantur. Tubis iubileus annus nunciabatur, & ad totius anni solemnitatem populus parabatur. Hoc autem totum sacerdotum ministerio fiebat, quia episcoporum & sacerdotum voces & prædicationes significabat, quibus per Prophetam dicitur. Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam, animam eius de manu tua requiram. Laudate eũ in psalterio. Psalterium portat homo quem noua vita reformat.

Vt valeat denis verbis insistere legis.

Omnis chorda sonum reddet bene torta canorum. Cantare in psalterio perfectorum est. Hoc instrumentum Deus ipse constituit, & decem chordas suo digito in eo extendit, per quas decem verba legis significantur.

Vocatur autem Deus vnus prima chorda Et non habebis Deum alium absque me. Secunda vero: Non facies tibi simulacrum. Tertia. Non accipies nomen Dei tui in vanum. Quarta vero. Cole diem Sabbathorum. At vero quinta. Honora patrem & matrem, Quinque autem quæ sequuntur hæc nomina sunt. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui. Inter has autem tanta concordia est, vt quicunque offendit in vnam, necessario offendat in omnes. Vnde Iacobus Apostolus ait. Quicunque obseruauerit totam legem, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Aliquando in duas chordas peccauerat Dauid adulterium simul & homicidium perpetrando, & psalterium totum amiserat. Sed postquam ei dictum est: Dimissum est peccatum tuum, mox ad psalterium accedens ait. Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.

Vere magna gloria illi est, qui hæc decem verba custodire potest, & qui has chordas sine offensione tangit & modulatur. Vnde Apostolus ait. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Ille enim in psalterio non delinquit quem conscientia non accusat. Laudate eum in psalterio, & cithara.

In cithara cantat, qui corda tumentia placat.

Nam citharæ furijs soluerunt pectora regis.

Decem chordas sicut modo diximus habet psalterium. In cithara vero tres chordæ sufficiunt, per quas trinitatis mysterium signatur. Vnde quatuor illa animalia & ipsi Seraphim die & nocte modulando dicunt. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra maiestatis eius. Multi autem in cithara cantant, qui psalterium ferire non valent Psalterium ad operationem, cithara ad sermonem pertinet. Qui bene prædicat, & male viuit is citharam quidem habet, psalterium autem non habet. Est autem psalterium iocundum cum cithara, quando vox operationi, et operatio voci concordat. Alioquin parum citharędus proficit sibi, quamuis multis aliis cantando proficiat. Laudate eum in tympano.

Tympana nos clare mortalia mortificare.

Membra docent carnis corium quia sunt animalis.

Hoc instrumentum proprie martyrum est, quamuis et illorum esse videatur qui carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis.

Tympanum enim verberibus sonat, et nisi feriatur et percutiatur non sonat. Est enim corium siccum et extensum, quod frequenti percussione longius resonat. Si autem te delectat audire vocem tympani bene sonantis, et Deum laudantis, audi Apostolum dicentem: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum. Beati quoque Stephani tympanum cum percuteretur et a Iudęis lapidaretur, tam magnum sonum reddidit vt ante thronum *Dei* sublimius audiretur. Ait ergo. Ecce video cęlos apertos et Iesum stantem a dextris Dei. Tales igitur in tympanis Deum laudabant, qui carnem suam prius ieiuniis afflictam et siccatam tyrannorum verberibus flagellandam tradebant. Laudate in tympano et choro.

Non chorus vllus erit, vbi clero gloria desit.

Ordine namque sedent, ergo ordine viuere debent.

Illi itaque laudabant in choro, de quibus dicitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum et anima vna. Illi enim clerici, et monachi, qui se diligunt, qui se honorant, qui sibi mutuo obediunt, et seruiunt. qui sibi assurgunt, qui inuicem alter alterius onera portant, qui sub regula et disciplina viuunt, illi inquam in choro Deum laudant. Non enim tantum ad vocum consonantiam quantum ad animorum mentisque concordiam respicit Deus. Laudate eum in chordis. Torquentur Sancti manibus siquando tyranni, Chordis laudatur Dominus, nam chorda vocatur Carnis tortura, carnis vexatio dura. Per has igitur chordas nulla alia instrumenta, nisi ipsa Sanctorum martyrum corpora intelligimus, quæ multoties in eculeo, in catastra, et in cruce, tanquam quædam chordæ in psalterio extendebantur. Illi igitur qui talia patiebantur, in chordis proculdubio Deum laudabant. Laudate eum in chordis et organo.

Organa nostra Deum laudent sine fine dierum.

Organa Doctorum voces dicuntur eorum.

Quos resonant linguis conceptos follibus imis.

Organa et tympana vnam habent significationem. Vtraque enim significant mortificationem carnis, siue per abstinentiam siue per martyrii passionem. Illæ namque Episcoporum prædicationes in organo fiunt, quæ de corpore per abstinentiam desiccato et mortificato procedunt. Vnde Apostolus ait. Castigo corpus meum, et in seruitutem redigo, ne forte dum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar. Illa igitur prædicatio reproba est, quę non de corpore castigato, et mortificato, sed de carne impinguata & delicata procedit. Organa enim ex mortuo-

morum pellibus & siccis coriis conficiuntur. Vnde & merito illos significant qui in multis abstinentiis viuunt. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Cymbala quippe Dei resonantia sunt duo cleri.
Hic nouus, ille vetus, hic Paulus & hic bene Petrus.

Olim cantauit cum nos iudamque vocauit, ille enim in cymbalis bene sonantibus laudat, qui verba sua & sermonem suum, vtriusque testamenti authoritate confirmat. Duo namque testamenta, duo cymbala sunt, quæ tunc quidem suauiter sonant, quando alterum alterum tangit, sibique mutuo respondent. Hinc est quod abyssus abyssum inuocat. Hinc est quod inter medios cleros dormire iubemur. Hinc est quod duo Cherubim se mutuo respiciunt, & bini discipuli a Domino mittuntur.

Omnis spiritus laudet Dominum.
Spiritus omnis eum benedicat, nunc & in æuum.
Laudet, amansque colat, quem Rachel mater adorat.
Nunc secunda quidem, & sterilis sine semine pridem. Hoc pater, hoc flamen, hoc filius audiat. Amen.

DE MARTYRIBVS ALIVD THEMA.

SAncti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Quanta sit virtus fidei, his paucis verbis intelligere possumus, quibus nos Apostolus docet omnem Sanctorum virtutem, constantiam, fortitudinem, victoriam, iustitiam, miraculorum potentiam, & tantam in tormentis patientiam, ad fidem referendam esse. Hunc sermonem quære superius in libro de Ornamentis Ecclesiæ, cuius initium est.

Primum Ecclesiæ ornamentum fides est &c.

DE MARTYRIBVS ITERVM ALIVD Thema.

BEati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quære superius libro De Ornamentis Ecclesiæ, in sermone de patientia: Vbi dicitur Dominus & Saluator noster ad patientiæ constantiã, & fortitudinem Apostolos inuitans ait. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam &c.

DE CONFESSORIBVS.

CAPVT SECVNDVM.

SERMO I.



AVdiuimus modo cum Euangelium legeretur Dominum dixisse discipulis suis. Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita. Quam pulchra, & quam conuenientia nomina suis discipulis Dominus ponit? Quam dignum & conueniens erat vt talibus talia nomina imponerentur, qui ad condiendam & illuminandam totius mundi amplitudinem mittebantur. Vos, inquit, estis sal terræ, vos estis hominum condimentum vestro exemplo instrui, vestra sapientia doceri, vestra humilitate & patientia cæteri homines componi debent. Sal etenim non solum in diuina pagina, sed etiam in litteris secularibus sapientiam significat. Vnde & quidam comicus ait. Qui habet salem, quod in te est, salem videlicet pro sapientia ponens, vnde & de alio quodam dicitur, quod sale multo Vrbem defricuit, pro eo quod scilicet sapienter & digne redarguit, quoscunque in tota vrbe reprehensione dignos esse cognouit. Egregie autem sal pro sapientia ponitur quia sicuti cibi sine sale fatui sunt, & saporem non habent, sic cæteræ virtutes sine sapientia inutiles sunt, minimeque proficiunt. Vnde & pueri ad fidem venientes, statim a principio sale cibantur, quia nec fidem habere, nec Deum ipsum cognoscere sine sapientia possunt. Non loquimur modo de sapientia mundi quæ stultitia est apud Deum, sed potius de illa sapientia quæ ducit homines ad vitam æternam. Non loquimur de illa quam docuit Plato & Aristoteles: Sed potius illam quam per Spiritum Sanctum docuit Petrus & Paulus. Hæc sapientia facile discitur quia credendo inuenitur. Nisi enim crediderit is, ait Propheta, non intelligens. Vis esse sapiens? Time Deum & obserua mandata eius. Quia initium sapientiæ est timor Domini. Sapientiores sunt piscatores, & rustici, Deum timentes, quam ipsi Episcopi & Sacerdotes valde literati & salutem negligentes. Hæc est sapientia Christianorum declinare a malo & facere bonum. Hanc sapientiam non habent Iudæi & Gentiles, et ideo cæci sunt et in tenebris ambulant. Omnis cibus sine hoc sale fatuus est, omnis virtus sine sapientia inutilis est. Habent enim et aliæ gentes humilitatem, patientiam, iustitiam, misericordiam, et alias virtutes, sed quia hanc sapientiam non habent, quicquid habent, inutiliter habent. Hæc enim sola ducit homines ad regna cęlorum, de qua ipse Dominus ait. Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos. De qua similiter dicitur. Omnis igne salietur, et omnis victima sale salietur. Vnde et per Moysen dicitur. Non auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio tuo. In omni sacrificio offeres sal. Manifestum est igitur quod nullum sacrificium, nullum seruitium, nulla nostra munera placent Deo, sine hoc sale, sine fideli et humili sapientia. Aquæ Hiericho (sicut legitur) amaræ et steriles et infirmæ erant. Sed venit heliseus, rogatus est ab hominibus loci illius, vt aquarum sterilitatem sanaret. Accepit igitur sal et misit in aquas, et mox ab omni nociua incommoditate mundatæ sunt. Quid est autem quod aquæ istæ sine sale sanari non potuerunt? Aquæ multæ dicit Scriptura, populi multi. Totus mundus infirmus erat, sterilis et amaritudine plenus. Sed venientes Apostoli quibus modo dicitur. Vos estis sal terræ, postquam huius sapientiæ sale aquas condiuerant, et populos asperserant, omnis amaritudo effugata est, omnis infirmitas sanata est. Et qui prius steriles erant fœcundissimi facti sunt, et fructum bonum reddere cœperunt. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur. Hoc igitur illud sal, et illæ aquæ significabant. Hinc est igitur quod ecclesiæ sine sale dedicari non possunt. Non enim potest ecclesia alia aqua lauari et baptizari, nisi illa quæ sale condita et aspersa est. Ipsa est igitur aqua sapientiæ qua et potamur et lauamur. Et bene aqua sapientiæ dicitur quæ sale sapientiæ condita est, quæ sola homines sapientes facit, et sine qua nemo sapiens esse potest. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, nõ intrabit in regnum cœlorum. Stulta est omnis sapientia quæ alio tendit, et aliam viam ostendit, quam illam quæ ducit ad regna cœlorum. Quoniam vxor Loth in statuam salis conuersa est, multum nobis ad exemplum et cautelam proficere debet, vt illius pœna nostra salus et medicina fiat. Neque retro respiciamus, vel ea quæ iam reliquimus mente et desiderio quæramus. Sed ad ea quæ ante nos sunt extendentes, ad promissam nobis beatitudinem festinemus. Quoniam autem sal terræ et lux mundi vocantur Apostoli, vnum idemque videntur significare, quoniam diuina sapientia, et lumen nobis est, et condimentum. Qui ipsum non habet cęcus est, qui ipsam non habet, insulsus, ineptus, et fatuus est. Significantur autem SS. Apostoli, et Doct. per illam quoq. ciuitatem quæ super montem posita est. De hoc autem monte scriptum est. Venite ascendamus

ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos suas vias &c. Et alibi. Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Ierusalem. Ipse quoque Saluator noster de seipso loquitur dicens. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius. Mons igitur Ecclesia, Ciuitas vero Apostoli sunt, & Doctores: quorum munimine & fortitudine cæteri defenduntur, & ad quos quasi ad præsidium inexpugnabile, omnes confugiunt. Tot sunt igitur Ciuitates quot sunt Episcopi & Doctores, quoniam qui super montes positi sunt, abscondi & celari non possunt. Vnde est illud. Fili hominis speculatorem posui te domui Israel. In monte sedebat iste qui in specula positus erat. Inde Episcopi superintendentes vel intendentes interpretantur. Non solum autem Ecclesiæ, verum etiam singulæ quæque virtutes montes dici possunt. Magnus mons humilitas, magnus mons misericordia, similiter autem pax & patientia. Ad hos igitur montes inuitantur Episcopi & Sacerdotes quando per Prophetam dicitur. Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion. Prius itaque in montem ascendat, qui vult euangelizandi officium suscipere, Hoc enim significabat Saluator noster, cum toties non solum discipulos, verum etiam turbas quæ eum sequebantur, in montes secum ducebat. Videns (inquit Euangelista) Iesus turbas ascendit in montem. Et in alio loco. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & ascendit in montem. Vnde & Euangelista dicit eum secundum consuetudinem in montem Oliueti ascendisse. Notandum autem quod ait secundum consuetudinem suam. Hanc autem consuetudinem discipuli quoque tenuerunt, & frequenter in hunc montem conueniebant. Ibi eos recumbentes inuenit Iesus quando cælos ascendit. Mons Oliueti, mons misericordiæ interpretatur, quoniam græce oleos, latine misericordia dicitur. Beata illa ciuitas, Beatus ille Episcopus, qui in hoc monte positus est. Hic est mons excelsus de quo Dominus cælos ascendit, de quo nobis recta via præparatur in cælum, qui in hoc monte habitat securus est. Requiretur in iudicio, in quo vnusquisque monte habitauerit. Sed nullius montis habitatores tantam in iudicio gloriam habebunt, quantam qui habitant in monte Oliueti, in monte misericordiæ & pacis, in monte charitatis & pietatis, pax enim pietas & misericordia & charitas, pœne idem significare videntur. Et vide modo quid in iudicio dicturus est Dominus: Venite benedicti patres mei, percipite regnum. Quare? Quia esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes fui, & collegistis me, infirmus & visitastis me, nudus, & cooperuistis me, & in carcere fui, & venistis ad me. Hæc autem opera cuius sunt, nisi misericordiæ, charitatis, pietatis & pacis ac sanctimoniæ, sine qua, vt Apostolus ait, nemo videbit Deum. Dicat igitur Propheta, & iterum dicat. Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Vis prædicare? vis euangelizare? vis vt credatur tibi, vis vt tuus sermo, & tua prædicatio suscipiatur? Ascende prius in hunc montem excelsum, esto misericors & pius, dilige pacem & pietatem & charitatem & tunc prædica & confidenter loquere, omnes enim obedient tibi, & verba tua libenter suscipient. Multi enim bene prædicant, sed male viuunt, de quibus Apostolus ait: Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum mœcharis. Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Quare ergo qui alium doces, te ipsum non doces? Isti tales in montem excelsum non ascenderunt. Propheta tamen omnes prædicatores in montem excelsum ascendere iubet. Dominus autem & Saluator noster non solum prædicatores, verum etiam omnes homines secum in montem trahit, & ducit. Cum inquit, exaltatus fuero a terris, omnia traham ad me ipsum. Cui etiam ecclesia dicit. Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum. Videmus igitur quod montes diligit Dominus. Qui ergo in Iudæa sunt, fugiant ad montes. Non omnibus ad omnes montes ascendere datum est, multi enim sunt. Ascendisti in montem fidei, transi in montem misericordiæ, sequere Iesum inde ascendentem. Qui sequitur eum non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quod ipse præstare dignetur, qui &c.

DE EISDEM.

Sermo. II.

NEmo accendit lucernam & ponit sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Dominus & Saluator noster paulo superius in hoc Euangelio dicit quod regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Erat igitur Salomon lucerna ardens, & lucens, qui super totius regni candelabrum positus, cunctas in circuitu gentes, suo fulgore illustrabat, suaque sapientia illuminabat. Venit autem hæc regina sicut in libris regum scriptum est, cum comitatu multo, camelis diuitias multas portantibus. Dedit autem regi Salomoni centum & viginti talenta auri purissimi, multosque lapides preciosos, & aromata multa & qualia non sunt illata prius in Ierusalem. Venit autem vt interrogaret regem de multis quæstionibus, quas habebat in corde suo. De quibus omnibus postquam sufficientem responsionem accepit, ait. Verus est sermo, quem de te audiui in terra mea, & media pars sapientiæ tuæ mihi non nunciata. Videns autem domos, familias, ministros, cibos regios, & holocausta quæ offerebantur, non erat vltra in ea spiritus. Dedit autem Salomon quæcunque petiuit ab eo præter illa quæ obtulerat munere regio. Dicendum est igitur quid significat regina Saba, quid comitatus, & cameli eius, quid diuitiæ, quid lapides preciosi, et aromata quæ secum attulit. Dicendum est præterea quid Salomon, quid domus, familiæ ministri cæteraque significent. Hæc regina Sancta Ecclesia est, de qua Psalmista: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate, Hæc autem venit a finibus terræ. Hæc venit ab ortu solis, et occasu ab aquilone et meridie, vt audiret sapientiam Salomonis, illius scilicet Salomonis, qui de seipso ait, ecce plusquam Salomon hic. Illi autem cameli tantas diuitias afferentes, Patriarchæ et prophetæ esse videntur. Isti sunt illi cameli de quibus eidem ecclesiæ dicitur. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Omnes inquit venient de Saba, sequentes hanc de qua loquimur, reginam Saba. Si vis videre diuitias quas isti cameli attulerunt nobis et regi nostro, aperi thesauros quos ipsi portant, et videbis diuitias inæstimabiles. Thesauros autem libros vocamus, in quibus aurum purissimum, lapides preciosi, aromata multa reposita sunt, per quæ videlicet omnia diuitias spirituales omnisque sapientiæ scientiæque plenitudinem, et omnia quæcunque ad ornatum et sanitatem animæ sufficere possunt intelligimus. Tot sunt igitur thesauri, quot sunt et Prophetarum libri. De his autem thesauris ipse quoque Dominus et Saluator noster aliquando sibi necessaria suscipiebat. Cum enim post resurrectionem suam duobus discipulis de quibus Euangelium loquitur in specie peregrini apparuisset, ad eorum fidem corroborandam, incipiens a Moyse, & omnibus prophetis interpretabatur illis omnibus scripturis quæ de ipso erant. Hoc autem faciens, in thesauros vtique prophetarum manum mittebat, & diuitias illas inde trahebat, quibus infirmas mentes discipulorum sanabat, & in fidem, amoremque suum corroborabat. Camelorum autem, vnicum, & singulare officium est, onera portare: cui seruitio nullum aliud animal tam idoneum esse putatur. Si quis

hæc

hec tam magna camelorum nostrorũ onera considerare velit, merito per camelos, sanctos patriarchas & prophetas significare intelliget. Solus enim Moyses, quinque, vt ita dicam, saccos attulit nobis tantis diuitijs refertos, tantoq. auri pondere, plenos, vt vix omnes huius mundi homines leuare, & portare valeant: quos solus iste camelus ferebat. Similiter autem Isaias. Hieremias, Ezechiel, cæterique prophetæ, magna nobis cunctarum diuitiarum pondera attulerunt: quę regina Saba sancta videlicet ecclesia mater nostra quotidie saluatori nostro vere regi pacifico, qui per illum Salomonem significabatur, offerre non cessat. Psalmus ille qui pro Salomone titulatur, de hoc Salomone intelligi debet, quoniam de primo Salomone intelligi non valet. Quomodo enim de illo intelligetur? Adorabunt eum omnes reges terrę: omnes gentes seruient ei. Et dominabitur a mari vsque ad mare, & a flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Huic ergo offeramus aurum nostrum, huic seruiat sapientia nostra, puritas, & religio nostra: si quos mores honestos habemus, huic offeramus. Semper cum odoribus, semper cum aromatibus veniamus ad eum: sicut fecit hæc regina saba, sicut fecerunt Maria Magdelene, & Maria Iacobi, & Salomæ: quæ emerunt aromata vt venientes vngerent ipsum, scilicet Iesum. Interrogemus eum de quæstionibus nostris; ipse nos doceat ipse nobis respondeat, alium magistrum non quæramus. Quem veritas docet, errare non potest. Omnis sapientia ab ipso est., & cum eo fuit semper, & est ante æuum. Vidimus domos eius, vidimus famulos & ministros eius, gustauimus de cibis mensæ eius. Accessimus ad holocausta, & sacrificia eius, quorum omnium solam figuram cum videret regina saba, præ nimio stupore, & admiratione spiritum amisit. Amittamus igitur & nos spiritum nostrum spiritum inflationis, & superbiæ, vt eius spiritum habere mereamur. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorum, Ille spiritus malus est, cuius paupertas bona est. De quo & alibi dicitur. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Domus eius famuli, & famulæ, & ministri eius nos esse debemus. Non solum domus, sed & templum Dei dicuntur sancti. Nescitis, inquit, Apostolus quia templum Dei estis, & spiritus sanctus habitat in vobis? De talibus autem ministris ipse Dominus loquitur dicens, Volo pater vt vbi ego sum, ibi sit & minister meus. Ministri igitur Apostoli sunt, ministri Episcopi, & sacerdotes sunt, diacones quoque ministri interpretantur. Nam & ipse Dominus minister fieri dignatus est, sicut ipse ait. Non veni ministrari, sed ministrare, & ponere animam meam redemptionem pro multis. Mensæ illius vtriusque testamenti paginæ sunt: de hac mensa scriptum est. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Duas mensas magnas habemus nouum, & vetus testamentum. Quarum cibi suauissimi, & refectioni, & sanitati proficiunt. Super hanc mensam per singula sabbata panes calidi poni iubentur, antequam candelabrum positum est, ad illas tantas delitias illustrandas. His cibis Deo gratias, iam assueti sumus, eorum dulcedinem atque saporem cognoscimus. Hæc mensa ostendit nobis panem viuum qui de cœlo descendit. Hæc docuit & monstrauit nobis calicem noui testamenti. Ad hanc mensam ministrant Apostoli ad hanc ministrat Paulus seruus Iesu Christi: de hac suscepit illam sapientiam quam loquitur inter perfectos. Tantum aurum attulit Regina Saba vt si diuidatur, vnicuique Apostolorum decem talenta in partem veniant. Centum nanque & viginti duodecies decem faciunt. Qui vero decem talenta habet quid amplius habere potest? Illi enim, qui habet decem mnas, cum vnam dominus dari iussisset, responsum est. Domine habet decem mnas: quasi diceret, quid huic amplius dari potest: qui ad totius perfectionis summam peruenit; Similiter autem & rex Tyri, centum & viginti talenta de auro purissimo Salomoni attulit è quibus vasa templi fabricata sunt. Non fuit hoc sine mysterio, quod Rex Tyri & Regina Saba in hoc numero cócordatunt. Dominus & Saluator noster, cui nihil aliud nisi pater solus & Spiritus sanctus comparari potest cum dixisset: Regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; egregie satis addidit dicens: & ecce plus quam Salomon hic. Quomodo enim Salomone maior non erat qui ipsius Salomonis creator, & Dominus? Ipse hoc dixit de seipso, ecce plusquam Salomon hic. Et ego dico, & veraciter dico, non de ipso, sed de seruo eius: de illo seruo videlicet, cuius hodie festiuitatem celebramus, Beatissimo Benedicto, & ecce plusquam Salomon hic. Quæris fortasse, in quo maior sit iste? In sapientia, in iustitia, in fortitudine, in temperentia, & super hæc omnia ditior illo & potentior illo. Non dico de sapientia huius mundi quæ stultitia est apud Deum: ad quam iste numquam accedere voluit: sed de illa sapientia quæ vera est, & quæ ducit hominem ad vitam æternam. Neque dico de diuitijs temporalibus quæ de templo sublatæ sunt ab Ægyptiis, & Chaldæis: sed de diuitiis æternis semperque mansuris; quæ ab Angelis reponuntur in cęlis. His diuitijs abundauit beatus Benedictus. His semper ditissimus fuit, ibique eas reposuit, vbi fures non effodiunt, nec furantur. De talibus diuitibus Apostolus ait. Sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Ego sapientem, & iustum illum vocare non audeo, qui relicto Deo patrum suorum præter quem alius Deus non est, Deos gentium, quæ nihil aliud quam dæmonia sunt, coluit, & adorauit. Quis fortitudinem, & temperantiam habuisse dicat, qui inter fœminas effœminatus in tantum a libidine superatus est, & mulierum blanditiis emollitus, vt vxoribus suis templa construeret, in quibus illæ tentis Dei inimicis suis Idolis immolarent? Verum est quod sancti patres nostri, de hoc homine dicunt, quod ex bonis initiis, malum finem habuit. Sunt tamen (quod vtinam verum sit) qui eum postea & disciplinam elegisset, & penitentiam egisse affirment. Clemens enim est Deus, & facile ignoscit, pęnitentes recipit, & neminem ad se venientem repellit. Peccator enim in quacunque hora conuersus fuerit, vita viuet, & non morietur. O si regina ista Saba venisset ad beatum Benedictum, & audiuisset sapientiam ex ore eius, & si vel nunc venire posset, & videre domos eius, famulos, & ministros eius, filios, & fratres eius, mensas, & cibos eius, qualiter omnia sunt ordinata, quam bene disposita, quomodo omnibus est cor vnum, & anima vna & nemo dicit aliquid esse suum, sed sunt illis omnia communia, quomodo se diligunt omnes, quomodo sibi inuicem obediunt omnes, quantus amor, quanta charitas est inter omnes, quanta dilectio. Si inquam illa regina Saba tam prudens, tam sapiens, tam religiosa, tam Deo deuota, hæc omnia videre potuisset: vere totum priorem spiritum amisisset, quia sancti spiritus gratiam suscipere meruisset. Venit tamen quotidie ad nos regina Saba, immo non venit, quia semper nobiscum est, cuius membra nos sumus, ipsa est mater nostra, sancta videlicet ecclesia, & per illam reginam significata est, ferens & offerens aromata multa Saluatori nostro Iesu Christo. Cui est cum patre, & spiritu sancto, honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

D E E I S D E M.

Sermo I.

NEmo accendit lucernam, & ponit sub medio, sed super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt. Vbi oculi non sunt, ibi lux necessaria non est. Vbi non sunt homines, ibi superflue resonant voces. Vbi qui comedant nulli sunt, ibi mensa, et cibi ponendi non

sunt. Merito igitur Sancti canones, non in vili, & humili loco, sed per ciuitates & loca populosa, ipsos ordinari præcipiunt. Hoc est enim super candelabrum lucernam ponere, in loco excelso Episcopum ordinare, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Non ergo ponatur sub modio, sed super candelabrum vt qui ingrediuntur, lumen videant. Quid autem per lucernã intelligere debeamus ipse Dominus subdidit dicens. Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Habet iste mundus suos oculos, solem videlicet & lunam quibus corporaliter omnia illuminantur, De quibus in Genesi scriptum est. Et fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti. Habet similiter & ecclesia suos oculos per quos vt modo diximus, Episcopi significantur. Corpus quoque nostrum suos oculos habet, similiter autem & anima suis oculis decoratur. Considera modo vbi mundi oculos Dominus posuit, in cœlo vtiq; in loco sublimiori, vt inde videatur ab omnibus qui in domo sunt. Nostri quoque oculi vbi positi sunt? nonne in capite & quasi lucerna super candelabrum in loco sublimiori? Similiter igitur Ecclesiæ oculi non sub modio, sed super candelabrum, super locum magnum & populosum constitui debent. Noluit ecclesiam suam cęcam esse omnipotens Deus, oculos ei dedit qui eam illuminarent & ei veritatis viam ostenderent, qui eam errare non permitterent, & qui recto itinere ad regna cælestia eam perducerent. Videte homines quantum episcopos & prælatos vestros diligere debeatis, lumina vestra sunt, oculi vestri & lucernæ vestræ sunt. Sic igitur eos quasi oculos vestros diligere debetis. Nihil est quod homines magis diligant quam oculos suos. Sed videant episcopi ne oculos suos claudant, ne lucernam abscondant, ne pecuniam sibi creditam subfodiant terræ. Non intra, sed extra velum mensa, candelabrum posita sunt, vt & cibi communes sint omnibus, & lumen videatur ab omnibus. Qui abscondit frumentum, maledicitur in populis. Interpretetur episcopus nomen suum, quatenus in specula positus omnes, et omnia desuper videat. Ad hoc in paradiso primus homo positus est, vt operaretur & custodiret illum. Nunc autem de nostrę mentis oculis videamus, per quos sapientiam, rationẽ, intellectum, & intentionem sanctam & simplicem intelligimus. De hoc enim oculo Saluator noster dicere videtur, si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quamuis enim mali episcopi plurimis noceant, & eorum nequitia infirmorum oculi tenebrescant, præcipue tamen mentis oculi si nequam fuerint, totum hominem tenebrosum faciunt. Quid enim luminis vel claritatis in illo esse potest, in quo ipsa sapientia, ipsa ratio, ipsa intelligentia, totaque intentio mala est? Inde enim huius sæculi sapientes stulti esse dicuntur, quia tales oculos habent, & omnia opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur. De quibus ipse Dominus ait. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Ille igitur oculus, illa sapientia, illa ratio simplex est, quæ peccata fugit, bona transitoria despicit, æterna desiderat, & se recto itinere ad Deum ducit. Merito ergo Dominus ait. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quod tale est ac si diceret. Sicut lucerna mundi est sol & luna, & lucerna ecclesiæ Episcopi & Doctores, & lucerna corporis tui est oculus tuus, ita & lucerna animæ tuæ sapientia est, ratio est, & intentio bona. Hic est oculus simplex qui hominem errare non permittit. Nemo enim (vt ait quidam) cum ratione insanire potest. Et sicut in euangelio Dominus dicit. Omnis qui male agit, odit lucem, idest a ratione sapientiaque discedit. Qui vero a sapientia discedit, ille proculdubio oculum simplicitatis, veritatisque amittit. Ratio igitur & sapientia nunquam fallitur, intentio vero etiam illa, quæ bona esse videtur, multoties fallitur. Bona enim intentione Apostolus Ecclesiam Dei persequebatur, quia zelo legis hoc faciebat, fallebatur tamen quia non sapientia, sed errore ducebatur. Similiter autem Helias bona intentione (vt ipsi videbatur) prophetarum sanguinem & suas persecutiones vindicare volebat, non tamen illa eius voluntas & ille tantus zelus Domino placebat. Factus est enim sermo Domini ad Heliam dicens. Quid hic agis Helia? At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel. Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait ei. Egredere & sta in monte coram Domino. Egressus est ille & stetit in monte. Et ecce Dominus transijt & spiritus grandis & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum, non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio, non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus. Ecce audiuimus modo tres zelos, idest tres animi commotiones & perturbationes, quæ Domino non placuerunt. Si enim placuissent, nequaquam diceretur non in spiritu, non in commotione Dominus, non in igne Dominus. Commouentur enim & conturbantur viri religiosi, & contra alios & contra seipsos plusquam necesse sit, quæ quidem turbatio aliquando cito transit, aliquando vero in tantam flammam exurgit, vt vix extingui, & sedari valeat. Tanto enim zelo in prophetas Baal, & in populum præuaricantem Helias vir sanctus commotus erat, vt si ei a Domino potestas data fuisset, omnes eos absque misericordia interfecisset. Sicut & alia vice eodem zelo quadringentos & quinquaginta prophetas Baal, & quadringentos prophetas lucorum iuxta torrentem Cyson suis manibus interfecisse legitur. Duos quoque quinquagenarios, & bis quinquaginta viros qui cum eis erant, igne cœlitus misso eum consumpsisse sacra nihilominus narrat historia. Præcepit igitur Dominus vt egrederetur, & in monte staret, in monte videlicet nunc & pacis. Qui enim in his montibus stant, omnes homines ex corde diligunt, nullius hominis mortem quærunt. Neque peccatoris mortem volunt, sed potius vt conuertatur & viuat. In hos ergo montes ductus est Helias, vt eius animæ illa tanta commotio mitigaretur. Et ecce Dominus transit. Sed priusquam Dominus transiret, spiritus grandis & fortis subuertens montes & conterens petras erat ante Dominum. Hic igitur spiritus grandis & fortis qui montes subuertebat & petras conterebat, Heliæ zelum & spiritum significabat, qui quantum in ipso erat, non solum populum, verum etiam viros potentes, qui propter altitudinem montes, & propter fortitudinem petræ vocantur, submergere, conterere, delere volebat & perdere. Sed non in spiritu Dominus. Quia enim in illo spiritu Dominus non erat, neque simul cum ipso spiritu transire volebat, manifeste Helias intelligere potuit, quod ille talis zelus, talisque spiritus Deo non placebat. Similem autem spiritum Apostolus quoque habuisse legimus, quando Samaritani recipere Dominum noluerunt, dicentes. Vis iubemus vt ignis descendat de cœlo & consumat eos, sicut Helias fecit? Quos Dominus increpans ait: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Notandum quod ait cuius spiritus estis. Hoc enim tale est ac si diceret. Spiritus ille qui in vobis est, non est zeli & vltionis, sed misericordiæ & pietatis. Post spiritum autem commotio non in commotione Dominus. Commotio quoque non bona esse ostenditur, dum non in ea Dominus esse dicitur. Tali autem commotione ipse Helias contra seipsum commotus ait. Obsecro Domine tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei. Hoc enim nõ tam alterius vitæ desiderio dicere videtur, quam odio Iezabelis, cuius iam persecutiones ferre non poterat. Dominus autem in Euangelio non eos qui persecutiones fugiunt beatos dicit, sed eos potius qui persecutiones patiuntur propter iustitiam. Beatus denique Iob cum tantis angustiis premeretur, non tamen ad impatientiam prouocari potuit, quamuis vxor illius diabolica persuasione ad blasphemiam eum prouocaret dicens: Benedic Deo & morere. Cui ipse patientissime, & nullatenus commotus ait: Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Quod enim beatus Paulus dixit, cupio dissolui & esse cum Christo, non vtique tædio persecutionum commotus vel conturbatus dicit, sed potius illius beatitudinis desiderio. Illa igitur

tur

tur commotio mala est, quæ patientiæ bonum excludit, siue tyrannorum persecutione, siue quolibet corporis passione. Vnde, & dominus Discipulis ait. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Multos homines mala commotione commotos, sibi mortem imprecari audiuimus. Non erat autẽ illa cõmotio talis: qua quidam sanctorũ in passionib. positi, vt eorum spiritum Dominus susciperet, rogabant, quoniam martyrii passionem libentissime sustinebant, sed de sola carnis fragilitate timebant. Sequitur. Post commotionem vero ignis, nõ in igne Dominus. Iste ignis, ille est, de quo superius diximus, qui tanta commotione aliquando inflammatur, vt extingui non valeat, per quem videlicet ira inueterata, & odium significatur. Hoc autem vitio plerumque laborare videmus, etiam eos, qui religiosi esse putantur. Hoc igne Lucifer Caralitanus Episcopus cum Arrianos suscipere noluisset ab Ecclesia diuisus est. Multoties alij in sancta ecclesia dispensationes valde necessarias facere nolunt, quas alii hoc igne succensi potius in sua perfidia perire voluerunt, quam vt ad catholicæ ecclesiæ pacem redirent. Merito ergo dicitur. Non in igne Dominus, quia in tali iracundia, & furore, Deus non est. Post ignem autem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. Iste enim est ille oculus simplex, de quo in hoc Euãgelio modo Dominus dicit. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum lucidum erit. Docet nos Poeta ille nobilis de hominibus graui æstu, magnoque labore fatigatis, quã gratus eis sit sibilus auræ tenuis. Ait enim, Nam neque me tantum venientis sibilus austri, Nec percussa iuuant fluctu tã litora quantum. s. tua carmina. Quid igitur per istum sibilum austri venientis, nisi sancti spiritus afflationem intelligamus? qui videlicet quoscumque tangere dignatur, ita ab omni iræ, indignationis, commotionisque æstu refrigerat, & compescit, vt pro ipsis quoque suis inimicis nos orare compellat, secundum hoc quod Dominus ait. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filii patris vestri, qui in cælis est. Huius tenuis & delectabilis auræ suauitate ipse Dominus, & Saluator noster afflatus, inter ipsa tormenta cum pateretur pro suis crucifixoribus orabat dicens. Pater ignosce illis, nõ enim sciũt quid faciunt: Beatus quoque Stephanus huius auræ sibilo confortatus, pro suis lapidatoribus inter ipsos lapides clamabat, dicens. Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et vt intelligas, quid hic dicitur, ibi Dominus. Audi ipsum dicentem. Ecce video cęlos apertos, & Iesum stantem a dextris Dei. Cum autem vidisset quod in hac vltima commotione Dominus transisset: manifeste intelligere potuit, & quid respuere, & quid tenere debuisset, & quod magis misericordia quam vindicta Deo placuisset omnibus suis fidelibus, eamque promittat. Hæc igitur vltima commotio, hæc pietatis intẽtio, hic est ille oculus simplex de quo modo Dominus ait. Si oculus tuus fuerit simplex, totũ corpus tuum lucidum erit. Et talibus quidem oculis videbitur Deus. Tales oculos habent illi de quibus dicitur. Beati mũdo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Qui viuit, & regnat in secula seculorum, Amen.

DE IISDEM.

SERMO IV.

Legitur in Genesi quod serui Abraham fodiebant puteos. Philistijm vero implebant eos terra. Multos autem puteos foderunt serui Abraham, quos diuersis nominibus ipse vocauit, alium siquidem vocauit calumniam, alium inimicitias, alium latitudinem, alium Bersabee idest abundantiam, vel satietatem, alius viuentis, & videntis vocatus est. Ista nomina quæ puteis imposita sunt apertissime ostendunt, aliud præter literam hoc in loco esse quærendum. Dicamus ergo quid Abraham, quid pater quid Philistei, & putei isti significent. Abraham qui pater multarum gentium interpretatur, Deus omnipotens est omnium creaturarum pater, & Dominus. Eius autem serui de illis dico qui puteos fodiunt, Apostoli intelliguntur, Episcopi, & Doctores. Inter quos beatus Paulus in tali opere peritissimus fuit, multamque huius artis peritiam suo nobis ingenio & exercitio dereliquit. Isti putei prophetarum libri & alta illa diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei profunditas intelligi potest, ad quam pauci fodiendo peruenire potuerunt. Philistei autem hæretici sunt, Iudæi quoque & Philosophi: qui Apostolorum, & prophetarũ doctrinam non intelligentes, & exponentes, semper has aquas obstruere conãtur. Vnde & merito Philistei cadẽtes poculo interpretantur, quia de vinea sodomorũ, & calice Babylonis inebriati per errorẽ vbique cadentes firmis gressib. in via veritatis incedere non valent. Putei aũt & multi sũt, & vnus quia q̃uis multi vtriusq. testamẽti libri sint, vnã tamẽ dicunt oẽs vnã fidẽ, vnã doctrinã nũciat oẽs: similis aqua similisq. scẽtia inuenitur in oib. Nomina quidẽ diuersa sũt, sed fides, et doctrina vna ẽ, vbi igitur in diuina scriptura aliquid ẽ q̃ Iudęi & hæretici male, & puerse intelligẽtes nobis calũniãtur ibi nimirũ puteus ille est, qui calũnia vocatur. Velut cũ de trinitate loquimur, illico Iudæi aduersũ nos calũniã faciẽtes scripturã illam nobis obiciunt qua dicitur, Audi Israel dñs deus tuus Deus vnus est. Similiter aũt & arriani cũ dicimus patrẽ & filiũ esse æquales, ipsi⁹ filij auctoritatẽ nobis subiiciũt vbi, ait quia pater maior est me. Inde ẽt inter nos & illos inimicitiarũ puteus ponitur, nobis fodiẽtib. illis implẽtib. De illo vero puteo qui latitudo vocatur, dicit scriptura Philisteos non contẽdisse. Hic est igitur ille puteus latitudinis de quo dicitur: Latũ mãdatũ tuũ nimis. Pauca. n. sũt in quib. hæretici, & Iudæi nobis cõtradicãt, si ad cãpũ sanctarũ scripturarũ earũq. amplissimã latitudinem respiciamus. Nã, & ipsi Saluatori nostro cũ adhuc inter eos cõuersaretur de hoc solo calũniã Iudæi facere solebãt q̃ in sabbato curaret, & Dei filiũ se esse diceret. In illo ergo puteo quæ latitudo vocatur, tota illa scriptura intelligitur: in qua & nos & illi idẽ sentimus nobisq. ad inuicem nõ contradicimus. Vbi vero inter nos & illos contẽtio, ibi calumniæ & inimicitiarũ putei sunt. At vero puteus Bersabee, qui satietas, vel abũdantia interpretatur, totam vtriusq. testamẽti plenitudinem significat, qua quotidie abundantissime reficimur. Idẽ aũt significat puteus ille qui viuentis & videntis dicitur. Omnis enim diuina scriptura omnisq. sapientia illius est qui semper viuit, & oia videt. Vnde etiã scriptũ est. Quoniã omnis sapientia a dño Deo est, & cũ eo fuit semper, & est ante æuũ. Iuxta hũc puteũ Bersabee habitabat Abraham, qñ Abimelec venit ad eũ, vt cũ eo pactũ faceret. Deditq. ei septẽ agnas quas cũ ille de manu eius suscepisset ait Abraham. Hæ erunt in testimoniũ mihi, quia ego fodi puteũ istũ, sic igitur, & nos si quando hæretici, Iudæi, & gentiles nobiscũ pactũ facere volunt, ad puteum accedamus, ad euangelia veniamus simulq oẽs de vno fonte bibamus, & vnam fidem teneamus. Suscipiant septẽ agnas de manib. nostris, per quas septẽ gratiæ sancti spiritus significãtur, quas quidem nulli alii præter Christianos, vel dare, vel habere possũt. Nullo alio modo inter nos & illos pactũ, & concordiã fieri licet. Soli illi has agnas suscipiunt qui ex aqua & spiritu sancto regenerãtur. Hæ sunt nobis in testimoniũ, de quo puteo hæc bibemus, & quã fidẽ teneamus. Seruus Abrahæ ad puteũ inuenit Rebeccam; per quã sancta ecclesia significabatur: quæ inter hos puteos habitura, & nũquam ab eis recessura erat. Cũq. iam rediens domui appropinquaret, ecce Isaac ad meditandum in agrum exierat, pergebatq. per illã viam quæ ducit ad puteum, cui viuentis, & videntis nomen est. Non est sine causa quod omnes viri & mulieres ad puteos tendunt, & ad aquas festinãt. His enim & lauamur & satiamur, & quod maius est creatori oim associamur. Similiter autẽ & Iacob fugiẽs Esau, & veniens in Mesopotamiã iuxta puteũ inuenit Rachel. Ipsa enim pascebat oues, & amoto lapide ab ore putei, quo puteus claudebatur, & adaquauit oues, & osculatus est eam, indicãs ei, quod frater eius esset. Non vacat a mysterio quod Iacob vir sanctus sororem & vxorem ad puteum inuenisse narratur. Nulla enim anima, Saluatoris qui per Iacob significatur, soror vel vxor esse poterit, nisi prius ad baptismatis aquas, & ad sanctarum scripturarum puteos accedẽs, bibat aquam de fontibus Israel. Ipse est enim qui ab ore putei vtriusque testa-

menti

ria, et intellectus, in solo intellectu cōsistūt. Qui igitur habet vnum talentum idest intellectum ipse habet, & duo talenta .i. memoriā, & intellectū. Ipse habet & quinq. visū videlicet: auditū, gustū, odoratū, & tactū. Qui .n. vnū illū habet, oēs habet: & qui nō oēs habet, illū vnū habere nō pōt. Vt .n. de maioribus taceamus vnum verbum duarū syllabarū, nō possumus nos sine memoria intelligere. Vt verbi gratia cū dicitur homo, nisi primam syllabā memoriæ comēdemus, vt sequēti syllabæ eā coniūgere valeamus: nūquā proculdubio totū nomē intelligemus, cuius partes in memoria non habam Manifestū est ergo q sine memoria intellectus haberi non pōt. Qui igitur vnū talētū habet, & duo quidē necessario habet, duo vero .i. memoria, & intellectus, sine quinque sensib. esse non possunt. q .n. insensibile est, neq. intellectū neq. memoriā habere potest. Habet igitur & quinq. qui duo habet. Idem igitur significatur per vnū talentum quod per quinq. & per duo significatur. Cui ergo datur intellectus, illi datur memoria simul & intellectus, illi preterea datur, & quinq. sensus spūales. Vnde alius Euangelista nō quinq. vel duo talenta, sed vnū tantū talētū posuit: quod nō talētū, sed mnā vocauit. Ait .n. Homo quidā proficiscens vocauit seruos suos, & dedit illis decem mnas. Decē erāt talenta, decem erant & serui, non decē singulis, sed singulis singula dedit. Hoc aūt ex eo intelligitur, q reuertenti dño dicunt. Domine mna tua decē mnas acquisiuit, & mna tua fecit quinq. mnas. In eo .n. quod vnam singulariter ponunt, non decem, sed mnam tamen se accepisse ostendunt. Et bene decem talenta & decem serui esse dicuntur, quia omnes numeri in hoc numero continentur. De quo iam sepe locuti sumus Quod autem ait quod homo iste peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua si de quinq. sensib. intelligatur inconueniens esse fortasse videbitur. Quomodo n tunc saluator noster suis discipulis hos sensus dedit, quos iā in ipsa natiuitate acceperant: & quos nō solum Christi, sed serui quoque diaboli similiter habēt? Hoc igitur non de corporis, sed de animæ sensibus intelligatur, per quos vt iam diximus spiritualis intelligētia significatur. Et hanc quidē dedit Dominus seruis suis peregre proficiscens quā nullus hominū habere potest, nisi ab ipso & per ipsum. Hāc autē intelligentiam non habet Iudæus: hæc propria christianorum est. Vnde Apostolus ait. Litera .n. occidit, spiritus aūt viuificat. Hanc autem intelligētiam illi habēt, qui nō terrena sed celestia quærunt, & in omnib. quæ agunt, semp Deo placere desiderāt. Ecce pecunia data est, videat vnusquisque quomodo operetur in ea. Cito & post modicum venturus est Dominus rationem ponere cum seruis suis. Sed quis putas est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suā vt det illis cibū in tempore Beatus ille seruus quē cum venerit Dominus, inuenerit sic facientem. Beatus quē pecuniā suā, cibū suū, annonā spiritualem, & epulas diuini eloquii fideliter ministrantem inueniet. Ipse enim audire merebitur. Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudiū Domini tui Et tūc quidem alij super decē, alij super quinq. ciuitates cōstituuntur. In quo nimirū ipsa sāctorum gloria quis magna satis omnib. sit alijs tamen maior, & alijs minor esse monstratur. Differt .n. (ait Apostolus) stella a stella in claritate; sic & resurrectio mortuorū. Alia est .n. claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum, Sed quāuis claritas in gloria diuersa sit, beatitudo tamē, nō diuersa, sed omnino eadē erit, quoniā vniuscuiusq gloria omniū cōiter gaudiū, & lætitia erit, qualis .n. nūc concordia est inter oīa membra corporis nostri, talis erit inter omnia membra illius supernæ ciuitatis. Videamus modo quid illi quoq. dñs dicturus sit, qui talētū suū abscōdit, & pecuniam dñi sui terræ cūstodit. Accedēs, inquit, Euangelista, & ille qui vnum talentū acceperat ait. Domine vnum talentum tradidisti mihi, quod in sudario repositum custodiui, ecce habes quod tuum est, timui .n. te quia homo austerus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti. Cogitaui ergo mecum, ne si diceret in corde meo, abscōdere eloquia tua, ne si inuanū pecuniam tuā expenderem, & verba tua nō obedientib. nunciarē, mihi quidē labor solummodo esset, illis vero maior inde poena fuisset, quod iam vlterius excusationem habere non possent, vt pote illi qui, & scirent & intelligerent voluntatem Domini sui. Cum enim etiam illos iudicaturus, & damnaturus sis, super quos non seminasti, & super quos verbi tui semina non sparsisti, quid illis te facturum esse putamus, qui verba quotidie audierunt, illis tamē obedire noluerunt. Talis autē excusatio q vana, & inutilis sit, ipsius Domini responsione monstratur. Serue male, & piger. Sciebas quod ego homo austerus sum metens vbi non seminaui, & colligēs vbi nō sparsi, quare ergo nō dedisti pecuniā meā ad mensā, & ego veniens, vnq. cum vsuris exegissem illam? Si me, inquit, talem esse sciebas, quomodo me offendere non timebas? Non timor hoc, sed pigritia fecit. Piget enim propter frigus arare noluit, mendicabit igitur æstate & non dabitur ei. Siue ergo obediant siue non obediāt subiecti prælatis, tamen tacendum non est, Vnde ad Ezechielem Dominus ait. Fili hominis speculatorem posui te domui Israel. Nisi annūciaueris iniquos iniquitatem suā animā eius de manu tua requirā. Si aūt annūciaueris, et ipse te audire noluerit, ipse in iniquitate sua morietur, tu aūt animā tuam viuificabis Nemo igitur pecuniam sibi creditā: nemo talētū sibi cōmissum abscondere velit. Qui abscondit frumētū maledicitur in populis. Nemo lucernam sub modio ponat. Mensa propositionis nō intra velū recōdita, sed extra posita est. Dicitur de sacerdote qn ingreditur vel egreditur de sanctuario nisi tintinabula audita fuerint, morte morietur? Tintinnabula sacerdotum linguæ voces, & sermones sunt. Isti sunt quib. dicitur. Qui reminiscimini dominum ne taceatis, & ne detis silentium ei. Omnes de talentis istis aliquod habemus, nemo se excusare potest, nisi forte qui sensum, & intelligentiā non habet. Quæ qui non habet pecore inferior est, siquidem, & pecora habent sensum & intellectum. Quod est sensus in corpore, hoc intellectus in anima est. Nemo sine his, bonū aliquod vel malum agere potest. Neque ad iustitiā vel ad peccatū eis imputatur, qui sine his aliquid operatur. Modo talētū suū quilibet abscōdere potest. Sed venturus est dominus, qui id q dedit non ignorat. Ab vno quoque requiretur quicquid facere potuit & facere noluit. A malis seruis, & pigris auferetur tūc talentum & retributio talēti, & dabitur ei qui habet decē talenta. Qui vero fidelis fuerit; & in talento sibi tradito bene laborauerit, gaudens & exultans a Domino audiet. Euge serue bone, & fidelis quia super pauca fuisti fidelis; supra multa te constituā; intra in gaudium Domini tui. Qui &c.

DE EISDEM. Ser. VII.

Vigilate quia nescitis qua hora dñs vester venturus sit. Illud aūt scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur ventret vigilaret vtique & non sineret perfodi domū suam.

Deus manifestus veniet, Deus noster, & non silebit Hoc autem erit in iudicio, sed & nunc quotidie venit Dominus, quotidie seruos suos vocat, et eos quos reperit vigilātes, & in bonis opib. perseuerātes secū ad cœlestia ducit, et sicut sequētia manifestāt. Sup oīa bona cōstituet eos. Beatus inquit, ille seruus que cū venerit dñs inuenerit vigilātē. Amē dico vobis sup oīa bona sua cōstituet eū. Si ad vltimū aduentū respiciamus, et bonos, et malos oēs vigilātes inueniet Nō erit tūc tēpus dormiēdi, siue boni siue mali aliquid agēdi, sed solūmodo timēdi, et iudiciū expectādi. Ergo dnū tēpus habemus (vt ait Apostolus) op eremur bonū ad oēs. Hoc est .n. vigilare, in bonis opib. perseuerare. Illa .n. dormit imo quasi mortua iacet quæ negligēs, et desidiosa est, et nihil boni operatur. Vigilāt hoīes, vt custodiāt domos suas, et nō vigilabūt, vt custodiant animas suas: Et tū diuitiæ maiores et latrones fortiores sunt hic q ibi. Illę diuitiæ temporales sunt, istæ æternæ Illi latrones visibiles sunt, isti videri nō possunt. Inimicus .n. noster diabolus tanq leo rugiēs circuit quærēs quē deuoret. Sed vigilare quilibet potest, siquidē et latrones vigilant. Vnde quidam ait.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones,
Vt teipsum serues non expergisceris?

Sed istæ vigiliæ sūt malæ. Ille aūt bene vigilabat qui ait. Media nocte surgebā ad cōfitēdū tibi. Iste enim nō solū vigilabat, sed et vigilādo Deū laudabat. Illæ vigiliæ bonæ sunt, quæ ociosæ no sunt, et in Dei laudib. fiunt, De quibus et alibi ait.

ait. Si dedero somnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, & requiẽ tẽporib. meis. Donec inueniã locũ domino tabernaculũ Deo Iacob. Iste ergo ideo vigilabat vt in sui pectoris habitaculo dignã Deo domũ ædificaret: non vt verbis ociosis & vanitatibus vacaret. Tales vigilias, & Apostolus quærit vbi ait. Hora est iam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies aũt appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur armis lucis, sic vt in die honeste ambulemus. Et reuera ipse bene vigilat qui diaboli, & tenebrarum operationes fugit: & lucis veritatisq. armis indutus honeste & cõposite Domino seruit. Vnde, & alibi dicit. Euigilate iusti, & nolite peccare. Melius est enim non vigilare, quã vigilare, & peccare. Vigilate, & state in fide, viriliter agite, cõfortamini in domino, & omnia vestra charitate fiant. Ille bene vigilat qui hæc omnia operatur, qui ita vigilat, non est ociosus. De ipso enim Saluatore dicit scriptura, quod pernoctabat in oratione in mõte oliueti. i. monte pacis, & charitatis in monte misericordiæ & pietatis. Illi qui in hoc mõte vigilat, & orãt, in iudicio audituri sunt. Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratũ est ab origine mũdi. Quare? Quia bene vigilastis, & orastis quia simul mecũ in monte misericordiæ habitastis. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: &c. Tales vigiliæ bonæ sunt, tales ociosæ nõ sunt tales Domino placẽt, & tales nos facere iubet. Tales vigilias faciebat Iudith. quæ Holofernem dormientem interfecit, relinquens nobis exemplum quatenus, & nos si fornicationis spiritum perdere volumus ieiuniis et orationibus operam demus. His armis vicit illa, his superatus est ille. Dicitur de muliere forti per quam ecclesia intelligitur, quod nõ extinguetur in nocte lucerna eius. Dicitur etiam quod de nocte surrexit, & dedit prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. In quo nimirum eius vigiliæ apertissime cõmẽdãtur. Saluator noster quando natus est non dormientibus, sed vigilantibus apparuit. Dicit enim Euangelista quod pastores erant in regione eadem, custodientes vigilias noctis super greges suos. His autem apparuit angelus Domini, & ait illis. Ecce annuncio vobis gaudiũ magnũ quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator mũdi qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Audiãt hoc pastores ecclesiæ, audiãt hoc Episcopi, & sacerdotes, vigilent super greges suos, vigilent semper, & solliciti sint super populum sibi commissum. Audiãt Apostolũ dicẽtẽ, Præter illa quæ extrinsecus sunt, instãtia mea quotidiana, sollicitudo oĩm ecclesiarũ. Ipse Saluator noster ad discipulos veniens eosq. dormiẽtes inueniẽs, vigilare eos præcipiens ait. Vigilate, & orate ne intretis in tentationem. Multum ergo contra oẽs diabolica tentationes possunt vigiliæ, & orationes. Si dño in nauicula dormiẽte discipuli timuerũt, & donec vigilaret securi esse nõ potuerũt, quomodo dormiẽte, vel vigilãte pastore esse poterũt oues securæ? Noe dormiẽs vere cunda discooperuit, quod Cham eius filius vidit, & irrisit. Vigilẽt igitur prælati ne forte subiectorum risus, & opprobria fiãt. Loth quoq. dormiens filias corrupit, qui si vigilasset, & sui ipsius memoriam habuisset, nũquã tantũ scelus facere voluisset, vel potuisset. Et tu igitur homo quicũq. securus dormis, & vtrãq filiam, animam videlicet, & carnem violas, & perdis, dũ eas per illicita vagari, & fornicari permittis. De diuitib. scriptũ est. Dormierũt somnũ suum, & nihil inuenerũt omnes viri diuitiarũ in manib. suis. Quotiẽs ergo diuites dormiũt, quoties ipsi sapientes qui cœlestibus thesauris diuites sunt, ocio & negligentiæ se tradũt: toties veras & spirituales diuitias amittunt. Duæ meretrices coram Salomone cõtẽdebãt inter se, quarum altera filium interfecerat: dormiens quippe oppressit eũ, altera aũt tã negligẽs et sõnolẽta fuit, vt de sinu eius ipsa nesciẽte filius eius subtrahi potuerit. Ambæ malæ, ambæ meretrices erant istæ, quæ tã sõnolentæ, & tã negligentes erãt. Altera tñ peior, quæ postquã filium interfecerat alterius quoq. filiũ occidere conabatur. Duæ istæ meretrices, duo Episcopi mihi esse videtur, quorũ alter quãuis stultus, & negligẽs catholicus tamẽ sit, alter vero hæreticus, qui neque suis, neq. alienis filiis parcat. Bene autẽ vterq. meretrici comparatur, quoniã neuter matronalẽ grauitatẽ, & diligentiã custodit, dũ tanto somno tantæq. cæcitati se tradunt. Et hæretici quidẽ omnes suos filios interficiũt, quoniã erroris somno oppressi, & excæcati, simul cum illis in foueam cadunt. Alienos autem filios non totos, sed ex parte habere volunt, quoniam in ecclesia eos esse, & catholicis communicare præcipiunt, sed suis erroribus credere persuadent. Hoc autẽ quod aliud est, nisi quod mulier illa dicebat: nec mihi nec tibi, sed diuidatur? Diuidũt. n. filiũ alienum, dũ eũ per errorẽ sibi sociãt & p cõronẽ ecclesię dereliquũt. Catholicus aũt partẽ nõ recipit, sed si totũ habere nõ põt totũ a se excõicãs repellit. Sed reuocatur iste talis, & matri redditur, aliq̃do gladio Salomõis si sapiẽtis alicuius verbo correptus & ratione, iterũ ecclesiæ reconciliatur. Quando autẽ hæreticus aliũde venit, & in ecclesiæ nescientis sinũ se ingerit: tũc vtiq. cõpletur illud quod dicitur: quod meretrix illa tulit filiũ suũ qui mortuus fuerat, & alterius in sinũ collocauit. Peccat igitur episcopus & multũ peccat, si per negligẽtiæ somnũ suũ filiũ hæreticis tradit: aut hæreticorũ filiũ in suã cõmunionẽ recipit. Hoc aũt quod de episcopo diximus de se quoq. vnusquisq. intelligere potest, qui sic quidẽ filiũ suũ dormiẽs occidit, quãdo bona opera suã p negligẽtiã dissipat, & perdit. In euãgelio aũt scriptũ est, q̃ homo quidam seminauit bonũ semẽ i agro suo, & dũ homines dormirẽt venit inimicus & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Gaudeant igitur vigilãtes, & prouidi, in quorum messem inimicus intrare nõ valet, quorũ bona opera suæ falsitatis semine violare non potest. Timeãt autẽ dormientes, & negligẽtes, ne bonũ semen verbi Dei, quod in suis pectorib. seminatũ est in hoc inimico diripiatur: et sicut alibi in Euangelio legitur: veniat diabolus & tollat verbũ de corde eorũ ne credẽtes salui fiãt. Beati. n. qui audiũt verbũ Dei, & custodiũt illud. Quod ipse nobis præstare dignetur, qui viuit, &c.

DE EISDEM. Ser. VIII.

DOminus, & saluator noster in euangelio loquitur dicẽs. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Vnde Psalmista ait. Cor mũdũ crea in me Deus, et spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Illud cor mundũ nõ est, q̃ odio, & iniquitate, et malis cogitationibus plenum est. De quo ipse Dñs ait. Ex corde exeũt cogitatiões malæ, fornicationes, furta, homicidia periuria, adulteria, falsa testimonia, et similia, quę coinquinãt hoĩem. Talia igitur corda mũda nõ sũt. Ex abũdãtia enim cordis, os loquitur. q̃ ex corde abũdat, ore manifestatur. Illud cor mũdũ est ĩ quo nõ vana, et falsa, sed sermones, et eloquia Dei reposita sũt, Quale videlicet habebat ille qui dicebat, In corde meo abscõdi eloquia tua, vt nõ peccem tibi, Vnde et Salomon ait: Omni custodia serua cor tuũ, quia ex ipso vita procedit. Ibi est vita tua, illud custodi: si vis habere, et seruare aiam tuã: Ibi sunt radices boni, et mali, inde et mors, et vita procedit, Quod si mũdũ fuerit, et vana, et inutilia nõ cogitauerit, securus esto, Si vero se aperuerit, et vanas cogitationes intrare permiserit, mox diabolus aderit, quẽ et si volueris postea sine labore magno expellere nõ poteris. Beatus igitur, qui tenebit, et allidet paruulos suos ad petrã, Ideo ille in euãgelio publicanus percutiebat pectus suũ dicẽs, Deus propitius esto mihi pc̃tõri, quia pectoris cordisque cõsilio, se peccasse, et Deũ offẽdisse intelligebat. Hinc est igitur, q̃ sacerdotes de omni oblatione, pectusculũ, et armũ dextrũ suscipiũt, vt bene cordati, et pectorosi cũctis ad se venictib. de bono thesauro cordis sui bona et vtilia, cõsilia reddere valeãt, Multa corda illis necessaria sũt, qui aliorũ hoĩm corda suis consiliis replere, et oĩbus se interrogãtibus de tam multis quæstionibus respõdere debẽt, Hic est itaq. thesaurus noster, hic repositæ sunt diuitiæ nostræ, ideoq. omni custodia, et diligẽtia seruemus et custodiamus corda nostra, Inter alia ornamenta sacerdotalia ratione iudicii iubẽte dño factũ est, quo pectus, et cor põtificis ornaretur, et muniretur, et quasi signo superposito thesaurus internus repositus ostenditur. Erat autem Rationale iudicii quadrangulum, et duplex ad mensuram palmi; factum ex auro et hiacintho, purpura coccoque bis tincto, et bisso retorta, opere polymito. Habebat autẽ lapides duodecim in quatuor ordinibus positos, in quibus sculpta erãt duodecim nomina filiorũ Israel: Ipsũ nomen

eius

eius magnū aliquid in hoc ornamento significari ostenditur in eo videlicet quod non solum rationale, sed rationale iudicij vocatur. Considerare nanq. debet ille cuius pectus, tali ornaméto ornatú est: vt iudicia quæ inde exeũt rationabilia fiant, & nunq a ratione iustitiaq. recedát. Respiciát sép Episcopi ad rationale: legát in libro pectoris sui, videát quó vocetur: magna sapiétia est, multũq. proficiés cognoscere nomé eius. Hic solus liber sufficere posset: si tamen esset qui intelligeret, quod per ipsum, & in ipso significatur. Videbant Iudæi rationale hoc, sed non intelligebant quod per ipsũ significaretur. Illi hoc intelligũt, quib. dñs ait. Vobis datũ est nosse mysteriũ regni Dei; cæteris aũt in parabolis. Quicquid in vtroq. testaméto cõnnetur, totũ hoc in ornamétũ figuratur. Vnde, & bene super pectus & cor pótificis ponitur: vt in illo diuini voluminis secretatio totius veritatis & sciétiæ plenitudo esse intelligatur. Huc oẽs accedát: hic oẽs sapientiá quærát ad pótificis pectus, & ad ornamétũ superpositũ, & nõ tantũ eius pulchritudiné videre sufficiat: interrogent per singula, quid illi colores quid aurũ, quid lapides, & cætera queq. significét. Nã neque ipsa mensura significatione caret. Ad mésuram palmi factũ est, illius videlicet de quo scriptũ est. Quis mésus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit: Cęli ergo, & rationale vnius mensure sunt. Cœli enarrát gloriã Dei, & opera manuũ eius annũciát firmamentum. Hãc scilicet gloriam, quę in ratione cõnnetur. Si quadrãgulũ rationale nõ esset, libri specié, & formam nõ haberet. In cuius quatuor angulis, quatuor euãgelia posita sunt. Habes ergo nouũ testamentũ. Vetus tibi ostendũt illa duodecim noĩa filiorum Israel: ex quib synagoga tota processit. Duplum est rationale, vt & tu in vtroq. testamento duplicem intelligentiã quæras. Non enim ad literã solã intelligere sufficit: nisi & spiritualis addatur intellectus. Vides ibi aurum ad puritatem, & pulchritudinem, ad totius aĩæ corporisque decorem, & claritatem te inuitat. Exemplũ tibi dat q̃ purus & ab oĩ corruptione mũdus esse debeas. Si qua adhuc corruptio est in te, illam tolle donec ad auri puritatem, & pulchritudinem totus redigaris. Quatuor aũt colores quos ibi vides, quatuor sunt virtutes principales. i. prudentia, iustitia, fortitudo, & temperátia. His quatuor virtutibus, regitur mundus, quæ ita inter se cõiunctæ sunt, vt vna sine reliquis esse nõ valeat. Vbi. n. sapientia est, ibi iustitiã, fortitudinem, & temperátiá esse oportet. Similiter autem vbi iustitia est, ibi sapientia est, fortitudo, & temperantia. Sic est in alijs. Et hiacinthus quidem quia est aerei coloris, ad sapientiã te prouocat, quę desursũ est, quia omnis sapientia a dño Deo est. De qua Salomõ ait. Mitte eam de sede magnitudinis tuę vt mecũ sit & mecum laboret. Ipsa. n. cæteris virtutibus altior est, & eius fulgore cętere illustrátur. Purpura vero iustitia est, quoniam & purpura & iustitia ad reges pertinet, qui & legũ conditores sunt, & purpura specialiter induuntur. Quib. etiam dicitur. Diligite iustitiam qui iudicatis terrã. Coccum autem rubri & sanguinei coloris ad fortitudinem nos inuitat, qua sãcti martyres armati, occidi quidem potuerunt, vinci non potuerunt. Est autem coccum bis tinctum, quia duplex est martyrij genus, quoniam non solũ illi martyres sunt, quos tyranni interficiunt: verũẽt illi, qui carnem suã cũ vitijs & concupiscétijs crucifixerunt: At vero per lini candoré temperantia figuratur: quæ semper læta, & asperũ nihil ostédens oĩa ad cõcordiam, & pacem trahere conatur. Valde vtile est, hos colores semper inspicere, & quid significent intelligere. Quid uero lapides significent, ipsa quæ in eis scripta sunt nomina ostendunt. Duodecim igitur lapides, duodecim patriarchę erant, per quos duodecim Apostoli significãtur. Hos aũt videre, hos semper in memoria habere, horũ fidé & conuersationé tenere, q̃ vtile sit, quá necessarium, quid attinet dicere: Nõ solũ auté duodecim patriarchæ, & duodecim Apostoli in illis lapidibus significati sunt: verũẽt tota vtriusq. testamenti sanctorũ omnium multitudo: quę ab istis viginti quatuor senioribus originé ducit. Inter hos. n. & martyres omnes, & cõfessores cõputantur. Ibi Stephanus, & Laurentius. Ibi Martinus, & Benedictus inclusi auro, multo splendore, multoque candore fulgentes, magnã nostris mentib. ædificationis lucé infũdũt. Ad hos semper intendamus, ad hos mentis oculos dirigamus; simulq. cum Psalmista dicamus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in méte habui. Beati, qui semper hos lapides in pectore ferunt. Beati qui horum memoriã in corde semper: & in pectore gerunt. Vtinã beati Benedicti nomé, & memoriã semper in corde habeam⁹: quatinus, dum eius memores sumus eius vitã, & sanctã cõuersationé imitari semper & tenere possimus. Quod aũt in quatuor ordinib. terni lapides per singulos ordines dispositi erát, quid aliud significat, nisi quod quatuor euangeliorũ libri, trinitatis mysteriũ laudare nõ cessát: Sed simul cõcorditer vna voce, sine intermissione, die nocteq. clamát, & dicũt. Sanctus, sanctus, sãctus, dñs deus oĩpotés, plena est oĩs terra gloria eius, qui &c.

SERMONES VARII. Cap. III.

Sermo de quouis Sancto.

SImile est regnum cœlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna preciosa margarita, abijt & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eã. In exéplo, & similitudine vnius negociatoris docet nos Dominus, & saluator noster quales ecclesiæ negociatores fieri debeant. Dicit enim, vnũ negociatoré fuisse, qui in emédis margaritis operã dabat: Cũq. vna preciosa margarita multũ ei laudata fuisset, & prouinciã vbi eã quæreret, & horum a quo illã emeret didicisset; abijt & védidit oĩa quæ habuit, & emit eã. Talis margarita nõ ĩuenitur, vbiq. Propriũ. n. locũ habet: in quo sine labore nõ reperitur. Via quoq. lõga, & difficilis é: quæ ad eã peruenitur. Multi latrones, multa pericula, loca deserta, bestiæ diuersi generis sũt in itinere, & ipsa via angustissima est quia negociatores ad eã perducit. Sed beatus ille qui ad eam peruenire, & eã habere potest. Nõ est magna quæstio de precio, & magno & paruo precio cõparatur, & diuites, & pauperes emere eã possunt, & multoties pauperes facilius q̃ diuites eã acquirunt. Magis affectu, & animo, q̃ precio adipiscitur, tãtũ valet quãtũ habes. Ille digne eã emere, & possidere meretur, qui omnib. venditis eam emit. Ne timeas omnia dare, ipsa tibi sola sufficiet. nihil tibi deerit, si eã habueris, Omnia in illa possidebis; quæcũq. tibi in desiderio fuerint. Hypocritas fugit, auaros respuit. Qui vel ficte eã quærũt, vel plusquã ipsã, qui aliud cũ ea diligunt, eã habere nõ possũt. Sponte se offert, ex amore quęrentib. eã, & qui multũ eã diligit, nũquã ad eã veniẽdo in itinere errare potest. Et, quod valde laudabile in ea est, ipsa a periculo eos defendit, qui eã cũ amore, & desiderio emere veniũt. Neq. magnopere curat si corpore occidantur, quia facile ipsi est eos a mortuis suscitare. Hostes visibiles parũ impédiũt qui in solo corpore potestaté habét. At vero inuisibiles hostes magnũ impedimétũ faciũt, negociatorib. quærentib. eã. Insidiátes enim in itinere; diuersis generis bestias post eã mittũt. Alios auaritia, alios luxuria, alios superbia, alios inuidia, alios vanagloria, alios ingluuie, atque alios inobedientia retardát. Sũt & multæ aliæ bestiæ, quas maligni spiritus negociatorib. opponũt, ne ad hanc desiderabilé margaritã peruenire valeát. Hic est ille calculus, quem dñs se dare promittit. Hoc. n. in Apocalypsi Ioannes Apostolus ait. Vincenti dabo calculũ cãdidũ, & in calculo nomé nouũ scriptũ, quod nemo scit, nisi qui accipit. Datur igitur vincentibus hæc margarita, & nisi vincétib. non datur, vbi victoria ibi pugna. Nemo. n. coronatur nisi qui legitime certauerit. Sic pugnauit hęc virgo cuius hodie festiuitas colitur, & ideo calculum candidum suscipere meruit, & in calculo nomé nouum scriptũ est, quod magis suscipiédo, q̃ legendo didicit. Hæc igitur margarita, vita æterna, beatitudo, & sũmũ bonũ intelligi põt. quod vtiq. proculdubio quale sit, nemo scit, nisi qui accipit. Vnde Apostolus ait. Quoniã oculus nõ vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascédit: quæ præparauit De⁹ diligétib. se. Nemo. n. id scire põt quod in cor hominis nõ ascendit. Tales aũt sunt negociatores ecclesiæ Dei: qualis iste negociator est, qué dñs ad exéplũ proposuit, qui inuéta preciosa margarita vendidit omnia bona sua, & comparauit eã. Sic Petrus & Andreas, Iacobus, & Iões, quos de piscatione, vocauit: mox relictis omnib. secuti sunt eũ. Sic, & cæteri Apostoli; sic martyres, & cõfessores, sic & monachorũ ordo, qui nõ solũ sua relinquũt, verũ ẽt seipsos huius margaritæ desiderio seruituti subijciũt. Hic est ille thesaurus in agro absconditus, qué qui inuenit homo abscondit, et véditis omnib. eũ emit. De quo et

Salua-

Saluator noster cuidã se interrogãti respõdit. Si vis perfectus esse vade, vẽde omnia quæ habes, & da pauperib. & habebitis thesaurũ in cælo. Quid est enim habebis thesaurũ in cælo nisi habebis margaritã illã preciosam, habebis vitã æternam beatitudinẽ, summũ bonũ, calculũ cãdidũ, & in eo nomẽ scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit? His verbis apertissime docemur, ꝙ saluator noster ipse est, qui, & margaritã, & locũ eius & precium eius, & viã per quã ad eã veniretur negociatorib. ostẽdit. Nã & ipse negociator est, & tales ẽt margaritas vẽdere solet, Vnde ẽt in Apocalypsi, laodiciæ episcopo dicit: Suadeo tibi emere a me aurũ ignitũ, probatũ, vt locuples fias Sed iste bon⁹ negociator omni pietate: & misericordia plenus cõtra aliorũ cõsuetudinẽ vilius vẽdit, & carius emit. Vili precio vẽdit sua, magno aliena. Vnde & nobis qui eius sanguine empti sumus apostolus loquitur dicẽs. Empti.n. estis precio magno glorificate, & portate Deũ in corpore vestro. Si enim in hac commutatione quæ inter eius sanguinẽ, & nostram redẽptionẽ facta est, cõsiderare velis, quid datũ, & quid acceptũ sit, facile intelliges, maxima pro minimis cũ dedisse. Venit igitur iste nobilis negociator afferẽs secum maximas merces, quib. mũdus perditus redimeretur. Sed quid emit? Res vilissimas, oues debiles, & infirmas, Nõ ꝙ ei necessariæ essẽt, sed ut eas sanaret, recrearet, & in loco pascuæ collocaret. Ipse est. n. ille pastor bonus, qui posuit animã suã ꝓ ouib. suis, qui relictis nonagintanouẽ in deserto, vnã venit quærere, quæ perierat Vnde & eius natiuitas primum pastorib. nũciata est. Decebat enim vt homines eiusdẽ officii primi venẽti occurrerẽt. Talis est enim hominũ consuetudo vt ad loca extranea venientes, primũ sui officii homines quærant. Dato igitur magno precio, paucas oues emit, sed bonas, & fœcũdas, & ex quibus multi greges ouiũ nati sunt. De qualib. in cãticis cãticorũ dicitur. Dentes tui sicut greges tõsarũ ouiũ quæ ascẽderunt de lauacro omnes gemellis fœtib. & sterilis nõ est in eis. Bonæ oues quæ baptizatæ, & sup niuem dealbatæ sunt. Bonæ oues quæ tonsæ & expoliatæ omnia propter Deum relinquẽtes, nihil ꝓpriũ habere volũt. Bonæ oues inter quas nullas sterilis est, quarũ vnaquæq; gemellis fœtib. doctrina, s. & operatione decoratur. Et tales quidẽ debẽt esse ecclesiæ dẽtes, tales debẽt esse episcopi, & sacerdotes, & quicumque in ecclesia dẽtiũ officiũ susceperũt, & qui cibis spũalibus alios nutriũt, ita cendidi, ita mũdi, ita fœcundi: ita omni sarcina superflua, & nociua expoliati, & tonsi, Omnes.n. ad illarum ouium pulchritudinẽ, formãdi sunt, quæ primæ de lauacro ascẽderunt, p quas videlicet sãctos Apostolos intelligim⁹ & cęteros, qui illis teporib. crediderũt, quib. omnib. erat cor vnũ & anima vna, & nemo dicebat, aliquid esse suũ, sed erãt illis oĩa cõia. vñ & Apostol⁹ ait. Imitatores mei estote, sicut ego Christi. Has igitur oues imitari debemus, quia ex illis geniti sum⁹ In Christo n. Iesu ait Apostol⁹, p euãgeliũ ego vos genui, in grege enim Dei, in populo Dei, nõ nisi oues sũt. Esto patiẽs, & innocẽs esto humilis, & mãsuetus: lacte tuo nutriãtur infãtes, & lanis tuis vestiãtur pauperes. Bona ouis beat⁹ Paulus, qui lupus fuerat nata de tribu Beniamin, qui lupus rapax interpretatur. Duo sũt ꝓpter q̇ saluator noster in mũdũ venit, vnũ videlicet vt oues emeret, alterũ vt negociãdi artẽ doceret. Vtrũq; factũ est, quia illę emptæ, & redẽptæ sũt & isti docti & instructi sunt. Iste est qui pegre ꝓficiscẽs vocauit seruos suos, & tradidit bona sua dicẽs. Negociamini dũ venio. Docuit eos, quid emere debeãt, & vbi veras diuitias inueniãt. Dedit precium, viã ostẽdit, & vbi margarita tã preciosa inueniatur edocuit. Illã quærendã, illã emẽdã, illã tenẽdã, illã cũctis diuitiis & honoribus præferẽdã monuit, quia illa sola est quæ possessores suos beatos & æternos facere potest. Illa ducit homines ad sũmũ bonũ, supra ꝙ nõ est aliud bonũ, in quo habẽtur, & possidẽtur oĩa bona Hoc bonũ in hoc mũdo inueniri nõ põt, Nemo .n. in hac vita tã diues, & tã fœlix, & tã potẽs aliquando fuit, cui aliquid nõ deesset ꝙ habere voluisset. Cui vero aliquid deest, & cui sua nõ sufficiũt, nõdũ ad vltimũ, & sũmũ bonũ peruenit. Si enim ad vltimũ bonũ peruenisset, nullũ bonũ deesset, ꝙ desiderare potuisset. O quãta bona sũt, quæ ditissimi, & potentissimi huius mũdi ardẽtissime cõcupiscũt & habere nõ possũt? Aut enim sanitatẽ, aut sapiẽtiã, aut aliquid aliud ꝙ enumerare lõgũ est semp hi tales min⁹ habẽt. Nõ sũt igitur beati neq; ad sũmũ, & vltimũ bonũ puenire valẽt, qui in talibus nouissimisq; deficiũt. Soli itaq; nostri negociatores: soli negociatores regni cœlorũ sunt sapientes, qui caduca, trãsitoria, & fugitiua bona despicientes, mundi huius honores, & dignitates pro nihilo ducẽtes: ad illud solũmodo bonum intendunt quod est summum, & supra quod non est aliud bonum, in quo se possidere cofidunt omnia bona Quod nobis, &c.

DE APOSTOLIS, EVANGELISTIS, ET DOCT. Ser.

SImile est regnum cælorũ sagenæ missæ in mare & ex oĩ genere piscium cõgregãti quã cũ impleta esset educẽtes, & secus litus sedẽtes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorũ, & mittẽt eos in caminũ ignis: ibi erit fletus, & stridor dẽtiũ. Quære in libr de nouo mundo in illo sermone qui de mari, & piscatorib. nouis inscribitur, Cui initium est. Hoc est mare magnum.

DE DOCTORIBVS, ET PRÆDICATORIBVS. Ser.

Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis ẽ prisfamilias qui profert de thesauro suo noua, & vetera.

REgnũ cœlorũ, regnũ angelorũ, regnũ Apostolorũ. sãcta ecclesia est: quoniã cælis muniuntur cælis clauditur cælis regitur & defẽditur, de quib. scriptum est. Cęlis enarrãt gloriam Dei. Omis igitur scriba doctus, oĩs ecclesiæ prædicator qui in regno cælorum, in regno sanctorũ Apostolorum, prædicãdi, & docẽdi officiũ suscipit, similis esse debet homini patrifamilias, qui ꝓfert de thesauro suo, de secreto pectoris sui, de secretario cordis sui noua, & vetera, Cõsiderare debet vbi sit in quo regno, et in qua domo sermonem facit, Aliter enim in regno cœlorũ, et aliter in synagoga Iudæorũ loquẽdum ẽ: aliter in palatiis imperatorũ, et aliter in tuguriis pauperum diuitiæ dispẽsãdæ sunt. Cogitet qui magistri, qui principes, qui dispẽsatores in illo regno et in illa familia fuerunt ante se Illos imitetur, illorum mores, et vitã sequatur, Illorum lingua et sermone loquatur, Nõ sunt inquit loquelæ neq; sermones quorũ nõ audiãt voces eorũ. Proferebãt igit de thesauris suis noua, et vetera, sed de oĩ loquela, et sermone oĩ loquebãtur, Mõ noui mõ veteris testamẽti diuitias proferebãt. Inde igitur ẽ ꝙ spõsa ad spõsum loquit dicẽs, Omnia poma noua et vetera seruaui tibi dilecte mi, Hic et Psalmista ait, In corde meo abscõdi eloquia tua vt non peccẽ tibi, Peccant igit qui verba Dei in corde nõ retinẽt, et tã magnum thesaurum nõ bene custodiendo amittũt. Sed videamus, quid significat id ꝙ virgo Christi spõsa, et dilecta Christi ait, Qui poma vetera, et noua dilecte mi seruaui tibi, Si noua poma, et vetera poma sunt nouas quoque arbores et vetere arbores esse necesse ẽ. Veteres arbores patriarchæ, et prophetę, nouæ vero Apostoli, et doctores intelligunt, Habẽt illi sua poma habẽt, et isti sua. Vtraque bona sunt et hęc et illa seruãda et custodiẽda sunt, Sicut arbores diuersæ, ita, et poma diuersi generis inueniũtur, Quędãm enim sunt quæ cruda et simul cum cortice manducari possunt, quædã vero nisi cocta et cortice expoliata fuerit, ad cõedẽdum idonea & suauia nõ sunt, Hoc autẽ in arborib⁹ nostris, et in arborib⁹ vtriusq; testamẽti reperire non ẽ difficile. Quorum quidẽ poma sunt sermones, et sentẽtiæ. Lege in libris Moysi et diuersi generis poma inuenies: quæ neq; ab oĩbus neque vno modo comedi possunt, Quædã.n. ibi sunt, quę ipsi quoq; infãtes sine oĩ difficultate suscipiũt. Qualia sunt honora patrẽ, et matrẽ, Non occides, nõ męchaberis, nõ furtum facies, nõ falsum testimonium dices, nõ cõcupisces rẽ proximi tui. Hęc.n. quia secundum literã intelligunt, nulli ad cõedẽdũ difficilia sunt. Ipsum autẽ intelligere cõedere est. Quædã vero ibi reperies quæ vix ipsi iuuenes rodere possunt, & paucorum ẽ ea coquere et cortice expoliare. Hoc.n. Episcoporum, et sacerdotum officium est Velut cũ legit de domo leprosa, de arborib. circumcidẽdis, de agris nõ diuerso semine serẽdis, et multis aliis, quæ si ad literã intelligãt, vana ẽe videntur, Si autẽ spũaliter infirmis mẽtib. proficiẽtur. Dat legem Moyses in quodã loco, vt: siquis intra ciuitatẽ quæ muros habet domum suã vẽdiderit, vsq; ad cõpletum annum redimẽdi

habeat potestatẽ. Finito vero anno nec redimere, nec in iubilæo recuperare poterat. Cui ita his lex nõ videt̃ ẽe iniusta, nisi aliud significaret? Hæc aũt ciuitas ecclesia est, cui⁹ murus ex lapidibus pciosis ẽ. Vñ ẽt scriptũ est. Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponet̃ in ea murus et antemurale. Hãc aũt suã domũ vẽdit, qui criminalia peccata cõmitt. In cui⁹ ẽt persona Apostol⁹ ait. Lex quidẽ spũalis est: ego aũt carnalis sũ venũdatus sub peccato: Qui.n. facit peccatũ seru⁹ est peccati. Annus aũt i quo redimẽdi domũ potestas dat̃, tota vniuscuiusq; vita pręsẽs intelligit. Potest igitur homo redimere domũ suã, carnẽ suã, seipsũ totũ quãto tẽpore i hac vita est. Hac vero vita finita iã redimẽdi potestatẽ nõ habet. Redẽptio aũt in sola penitẽtia est, & ideo qui sine penitẽtia morit̃, nulla ei redẽptio manet nec in ipso quidẽ iubileo, qñ vltima sẽtẽtia suscepta, ad æternę festiuitatis gloriã trãsferẽt̃ sãcti. In villa autẽ .i. extra ecclesiã oi tẽpore redimẽdi potestatẽ habẽt, qui quacũq; die baptizati fuerit a peccatis oib. Christi sãguine redimũtur. Huic aũt sẽtẽtiæ simile illud esse videtur, q in euangelio dñs ait. Ambulate dũ lucẽ habetis, ne vos tenebræ cõprehẽdãt. Et Apostolus dũ tẽp⁹ habem⁹ operemur bonũ ad oẽs. Et alibi. Secũdũ duritiã tuã, & cor impenitẽs, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; secũdũ opera sua. Ecce ista noua, & illa vetera sunt. Sed si velim⁹ videre ditissimũ prẽfamilias de thesauro suo noua; & vetera proferẽtẽ, audiam⁹ Saluatorẽ nrũ de cęlo dicẽtẽ. Audistis quia dictũ ẽ antiquis nõ occides, qui aũt occidit re⁹ erit iudicio. Ego aũt dico vobis quia is qui irascit̃ fratri suo, reus erit iudicio q autẽ dixerit fratri suo racha, reus erit cõsilio, q autẽ dixerit fatue re⁹ erit gehẽna ignis. Et illa qdẽ q antiquis dicta sunt, vetera sunt q autem ipse dicit, noua sunt, Vetera pcepta homicidiũ interdixerũt noua vero nõ solũ homicidiũ, verũ etiã irã, & oẽm iniuriã phibẽt. Et quicũq; fratrẽ suum offẽderit, & cõtra se cõmotũ, & indignatũ intellexerit sim sua malitia, & superbia perseuerauerit, & fratri suo recõciliari despexerit qa charitatis pacisq; vinculũ soluit, sine qua (vt Apostolus ait) Nemo videbit deũ, re⁹ erit, nõ solũ iudicio vel cõsilio, verũet gehẽna ignis. Hoc.n. ipse Dominus manifestat cũ dicit ptinus. Si offeres munus tuũ ad altare recordatus fueris quia frater tu⁹ habet qd aduersũ te relinque ibi mun⁹ tuũ ante altare, & vade pri⁹ recõciliari fratri tuo: & tũc veniẽs offeres munus tuũ. Qui.n. peccãt, & pœnitere nolũt, eorũ munera abominat̃ De⁹. Itẽq; audistis qa dictũ est antiqs, nõ mechaberis, ego aũt dico vobis qa q viderit mulierẽ ad cõcupiscẽdũ eã, iã mechatus est in corde suo. Agat igit̃ pœnitẽtiam de cõcupiscẽtia, ne q; sine peccato se esse putet, qa cõcupiscẽtia nõ pergit. Audistis, qa dictũ est antiqs oculũ p oculo: ego aũt dico vobis nõ resistere malo, sed, si qs te percusserit in vnã maxillã, præbe illi & alterã, Dic ergo cui nõ licet resistere, quomõ iniuriã facere licet? Audistis qa dictũ est antiqs, diliges amicũ tuũ, & odio habebis inimicũ tuũ: ego autẽ dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his q oderũt vos. Hæc aũt, his similia Saluator noster cũ diceret, de nobili illo sui cordis thesauro, noua & vetera pferebat, & scribas doctos regno cælorum sibi similes esse volebat. Proferamus igit̃ & nos noua, & vetera, nõ aũt de thesauro nr̃o, sed de thesauro dato nobis a dño, deo nr̃o, Duos magnos thesauros habem⁹ alter nouus est alter vetus, de his nobis, & aliis necessaria suscipiamus de his noua, & vetera pferam⁹, quibus Dei familiã nutriam⁹ vestiam⁹ regamus, doceamus, vt simul cũ ea ad æternã beatitudinem peruenire valeamus, ipso adiuuante, & cætera.

DE VIRGINIBVS. Serm.

Simile est regnũ cælorũ decẽ virginib. quæ accipiẽtes lãpades suas, exierũt obuiã spõso & spõsæ, qnq; aũt ex eis erãt fatuę, & qnq; prudẽtes. Sed qnq; fatuæ acceptis lãpadib. nõ sũpserũt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Regnum celorum ecclesia est cui⁹ oẽs filij ẽt si peccatores sunt ad coparationem aliarum gentium virgines sunt, quoniam ipsi Christi sanguine soli redempti, & ex aqua & spiritu sancto regenerati a prima illa corruptione liberati, & mundati sunt qua omnis humana natura suam virginitatẽ amisit. Cũ aũt oẽs istæ virgines, nõ sint plures, q qnq; & qnq; decẽ esse pbãt, & nõ plures. Quinq;.n. sũt corporis sẽsus, per istæ virgines significãt, visus videlicet, audit⁹ gust⁹, odorat⁹ & tactus. Sed qa i duas partes isti diuidũt̃ .i. fatuos, & prudẽtes, i denarii numerũ eos cõscẽdere nõ dubiũ est. Oĩs igitur homo qq; virgines habet, siue fatuæ, siue prudẽtes sint. Prudẽtes aũt illæ sunt quæ peccare timẽt, & bona agere cõcupiscũt Vbi.n. prudẽtia est, ibi peccatũ locũ nõ habet. Vnde ẽt philosophi dixerũt, q sapiẽs nõ pœnitebit. Cui.n. pœniteat: qui pœnitẽtiæ opus nõ agit? Hac enim sapiẽtia præditus erat ille q dicebat. In omni vita mea nõ reprehẽdit me cor meũ. Sapiẽtes sũt illi de qb. dicit̃. Oculi mei semp ad dominũ. Et illi de qb. scriptũ est, Defecerũt oculi mei in eloquiũ tuũ. Et Ad te leuaui oculos meos q habitas in cælis Beatus quoq; Martin⁹ sapiẽtes oculos habebat de quo legit̃. Oculis ac manib. in cęlũ sẽp intẽtus erat. Tales habebat ille qui ait. Pepigi fœdus cũ oculis meis, ne de virgine cogitarẽ Sapientes quoq; aures, vaniloqs, scurrilitatib. mẽdaciis, detractionib. & verbis ociosis non delectantur. Et tales quidẽ aures requirebat dñs cũ diceret. Qui habet aures audiẽdi audiat. Vnde & amici beati Iob oẽs ei inaurẽ aureã vnã, & ouẽ vnã dedisse legũtur. Seru⁹ quoq; Abrahæ inueniẽs rebeccã inaures aureas & armillas ei dedisse narratur. Boni & illi qui dñũ diligẽtes aures pforatas habẽt. Similiter aũt, & gust⁹ ille sapiẽs est, cui nõ crapula & ebrietas, sed ieiuniũ, & abstinẽtia delectabilis est. Qui nõ cibos superfluos, & delicatos. sed ẽ firmatos salubres, & necessarios quærit. Ille quoq; odorat⁹ sapiẽs ẽ, q nõ trahit animã ad peccãdũ, neq; illicitis odorib. delectat̃. Et ego qdẽ nullũ corpori sẽsũ esse puto i quo min⁹ hõ deliquat. Man⁹ quoq; illæ sapiẽtes, sũt de qb. dicit̃. Man⁹ suas aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperẽ. De qb. & psalmista ait. Labores manũ tuarũ mãducabis, beat⁹ es, & bene tibi erit. Et Apostol⁹, q furabat̃ iã nõ furetur, Magis aũt laboret manib. suis, q bonũ est, ut habeat vñ tribuat necessitatẽ patiẽti. Man⁹ sapiẽtes nõ sunt ociosæ, sed sẽp in aliquo opere vtili volũt ẽe occupatæ. Hæc aũt de virginib. sapiẽtib. dicta sint. Quas q cognoscit, fatuas quoq; ignorare nõ pot, q.n. tales nõ sunt fatuas ẽe necesse est. Vnusqsq; hõ suã virginẽ cognoscit Alienas cognoscere difficil⁹ est. Multæ.n. fatuę sũt q sapiẽtes esse putãtur. Sed hęc fatuitas in iudicio manifestabit̃, qa q prudẽtes, & q fatuæ sũt, tũc oib. innotescet, Hoc aũt i lãpadib. cognoscet, q vel cũ lũine vel sine lũine apparebũt, q aũt virgines in hac vita nõ corrigũt̃, nec de fatuitate ad prudẽtiã trãsferũt̃, quales de hac vita exibũt, tales, & nihil imeli⁹ cõmutatæ in æternũ supliciũ ibũt. Cũ .n. dixerint ipsis sapiẽtib. date nobis de oleo vestro qa lãpades nostræ extigũtur, dignã suis meritis respõsionẽ accipient, neq; pęnitẽtiæ fructũ recipiẽt, q pœnitere noluerunt, ne forte inquit illæ, nõ sufficiat nobis & vobis, ite poti⁹ ad vẽdẽtes, & emite vobis. Hæc verba nõ cõpassionis, sed irrisionis esse videtur Bonũ tñ cõsiliũ ẽet, si hoc illę facere possẽt. Noluerunt hoc facere quãdo potuerũt, volũt mõ sed nõ possũt. Sed quid mirũ, si irrideatur a mẽbris Christi, quas vt psalmista ait, irridet, & subsãnat ipse Christus qui habitat inqt In cælis irridebit eos, & dñs subsãnabit eos. Suscipiũt ille cõsiliũ, sed sine vtilitate suscipiũt. Bonũ qdẽ ẽẽ sciũt, sibi tñ serũ & inutile esse cognoscũt, pergũt oleo vẽditores, nõ autẽ pedib. sed desiderio pergũt, qd ẽ aũt desiderio pergere nisi pgere desiderare? Sic oẽs qui in inferno sũt quotidie ad nos reuertũtur, qñ hoc solo desiderio fatigãtur, vt eis reuertẽdi licẽtia .i. cõmeatus det̃. O si licẽtiã habere potuissẽt, quãto studio virgines suas, & sẽsus suos ab illa prima fatuita ad prudẽtiã reuocare laborassẽt Quõ oculos a vanitatib. auerterẽt, aures detractionib. & malis cõtilijs clauderẽt gustũ a crapula, & ebrietate cõpescerẽt? Quomõ nares ab illicitis odorib. amouerẽt, & manus eleemosyne, & miæ opib. præpararẽt: Nõ vltra despicerẽt olei vẽditores: .n. vltra despicerẽt episcopos & sacerdotes. Isti.n. sũt q oleũ vẽdũt, isti sũt q nos miæ opa facere docẽt, q videlicet opa qcũq; nõ habuerit, lampades eius ẽ habebit, oleũ, & luminis nutrimẽtũ in iudicio nõ habebit Dũ aũt irẽt emere, venit spõsus, & quæ paratæ erãt intrauerũt cũ eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nũq hoc iter finietur eis, qa nũq hoc desideriũ recedet ab eis. Sed dũ illæ i hoc desiderio laborãt, dũ miseri homines seipsos accusãt: & sua facta rephẽdũt, subito veniet dñ⁹ q reddet vnicuiq; secũdm opa sua. Et tũc qdẽ iãua cæli aperiet̃ bonis, & claudetur malis. Ibunt illi in suppliciũ æternu, iusti autem, vitã æternã. Quod ipse præstare dignetur, &c.

DE SANCTO MICHAELE ARCANGELO. Sermo

FActum est prælium magnũ in cęlo. Michael & Angeli eius pliabãť cũ dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & nõ præualuerũt, neq. locus inuẽtus est eorũ amplius i cęlo. Et proiectus est i terrã serpẽs ille antiquus, q est diabolus, & Satanas & omnes Angeli eius cũ eo in terrã missi sunt. Magnũ prælium, in quo Michael princeps archãgelorũ pugnat cũ diabolo, principe dæmoniorũ. Hoc præliũ quotidie fit in ecclesia: quã ecclesia cœlũ vocatur. Lege i euangelio, & vbicũq. dñs dicit: simile est regnũ cælorũ, & illi & illi specialiter, & proprie de sãcta ecclesia intelligit. Similiter aũt, & in Apocalypsi frequẽter ecclesia cælũ vocat. De ecclesia igit hoc intelligitur, quis si ẽt de illo alio cælo hoc intelligat, nõ oĩo incõueniẽs esse videť: Manifestũ. n. est q ide quoq. propter superbiã suã draco proiectus ẽ. De quo, & propheta ait. Quomõ cecidisti de cęlo Lucifer q mane oriebaris: q dicebas in corde tuo. In cęlũ ascẽdã, sup astra cęli ponã soliũ meũ: sedebo in mõte testamẽti, in laterib. aqlonis, & ero similis altissimo. De quo dñs in euãgelio Iois ait Qm ab initio, mẽdax fuit, & in veritate nõ stetit. De quo ẽt dñs i alio euãgelio. Videbã inqt Satanã sicut fulgor de cœlo cadẽtẽ. Cõstat igiť q inde cecidit, siue Angelorũ virtute: & potẽtia, siue sola Dei volũtate eũ ad inferiora præcipitãte. Multa. n. Angelorũ ministerio operatus est Deus: q si voluisset, solo nutu facere potuisset. Quid. n. est q ipse nõ possit? Oĩa in volũtate eius posita sunt, & nihil est q eius volũtati possit resistere. Quõ. n. ibi maligni spũs præliari, vel resistere sãctis Angelis potuisset, nisi forte præliãdi desiderio, & praua volũtate, nõ facile patet At vero in ecclesia manifestũ est talia quotidie prælia fieri. Est aũt inter bonos & malos angelos iste mũdus diuisus, & aliqñ boni angeli sup malos aliqñ mali sup bonos prędã, & rapinas nõ modicas faciũt. Vñ infinitæ lites & implacabiles, & magna quotidie prælia sũt inter eos. Vñ, & quidã angelus ad Daniele loquiť dicẽs. Noli timere Daniel, qa exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos: Princeps, aũt regni persarũ restitit mihi viginti vno dieb. Et ecce Michael vnus de principib primus venit, in adiutoriũ meũ. Princeps aũt iste regni persarũ vnus aliquis de malignis spiritib. intelligit, q persarũ regno & populo præsidebat & ad suæ voluntatis, & iniquitatis opa cõcitabat, & Dei populo q captiuus ibi detinebať, magnũ impedimẽtũ faciebat. Sed Michaelis auxilio, & Danielis orationib. quas exauditas dicit, princeps iste iniqtatis supatus esse ostendiť. Ecce quõ inter se boni & mali angeli præliant. Ecce quõ regna, & prouincias quibus præpositi sunt defendere, & expugnare contendunt. Sunt enim qdam gradus inter bonos angelos & inter malos, qb. nimirũ proferimur, vnde & beatus Dionysius Areopagita in libro de Hierarchia tres angelorum dispositiones esse dicit. Et in prima quidem dispositione Cherubim, & Seraphim, & thronos. In secunda aũt potestates virtutes, & dominationes. In tertia vero, (quæ vltima est) Angelos archãgelos, & principatus. Et sicut ipse ait, qdã secreta diuini consilii aliqñ reuelanť illis q i prima dispositione sunt, q tñ inferiores dispositiones ignorãt. Quæ vero inferiorib. reuelãt, supiores ignorare non possunt. Qua in re nõ parua inter eos differẽtia esse mõstrať Et spũs qdẽ oẽs vocãť Angelorũ vero nomẽ officij est nõ naturæ. Vñ scriptu est. Qui facit angelos suos spũs, & ministros suos flammã ignis. Qui enim ibi spũs solũmõ sunt qñ mittunť Angeli fiũt. Isti igitur vero nomine angeli vocãť, q ad huius mũdi regimina & custodiã nobis a Deo missi sunt Inter quos beatus Michael obtinet principatũ: qui nõ solũ angelus, vel archãgelus verũ etiã Angelorũ, & Archangelorum princeps vocatur. Multos enim Angelos & archãgelos habet ipse sub se; & per regna, & prouincias, & p ciuitates ordinatos. Sicut enim in mundi huius potestatib. videmus: ita isti, alii sup multos, alii sup paucos alii super nullos obtinent principatum. Et isti qdem ab his qui maiores sunt, ad singularem custodiã dati sũt sicut dominus in euangelio ait. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis; quia Angeli eorum, semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est. Et Apostolus: Oẽs inqt sunt administratorii spũs in ministerium missi, propter eos qui hæreditatẽ capiũt salutis. Sũt igitur principatus, qui archãgelis psũt, Archãgeli vero sunt, qui solis angelis dominãtur. Vide ergo quãtas gratias beato Michaeli archãgelo debeamus a quo angelos accepimus nobis ministros ad custodiam ordinatos. De quo & Danieli idẽ qui mõ superius angelus, ait. Nunc annuncio tibi q expressum est in scriptura veritatis, & nemo est adiutor meus in omnib. his, nisi Michael archangelus princeps vester. Iste igitur cum angelis suis nõ cessat die noctuq. præliari contra draconem illu qui est diabolus; & Satanas, qui quoniam in cœlo, idest in sanctis hominib. habitare nõ põt, in terrã proiectus est, p quã peccatores significãtur, vt eã comedat, ea deuoret & disperdat omnib. dieb. vitæ suæ. Sic enim illi a domino dictum est. Maledictus eris inter omnia animantia & bestias terrę, Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnib. diebus vitæ tuæ. De quo & psalmista ait: Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. De quo & ipse Dominus ad beatũ Iob loquitur dicens, Ecce behemoth quẽ feci tecum, fœnum quasi bos comedet, Et nũquid poteris extrãhere leuiathan hamo, & fune ligabis linguã eius? Nũquid illudes ei quasi aui aut ligabis eũ ancillis tuis? Non est potestas sup terrã, quæ ei comparari possit, qui factus est vt neminem timeat, Omne sublime videt: Et ipse est rex super omnes filios superbię. Absorbebit fluuios & non mirabitur, & habet fiduciam q influat Iordanis in os eius: Cõsidera modo qualis est iste, q fortis, & q potens cum quo beatus Michael archãgelus præliatur, Sed quia Michael, quis sicut Deus interpretatur: ipse suo nomine nos ad prælium confortat, & ne illũ timere debeamus hortatur, qui quoniã Deo similis esse voluit, præcipitatus est: Adhuc tamen non quiescet, qui sua superbia talis factus est, vt timere nesciat, & nisi potestates quæ super cælos sunt, & quæ cęlestib, veniunt, eius superbiæ & fortitudini resisterent, nulla super terram potestas est quæ ei resistere potuisset; Nemo enim in suis viribus glorietur: quia neq. qui plantat est aliquid. neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, Quis draconi huius sæuitiam & fortitudinem euadere potuisset, nisi suorum nos dñs angelorũ custodia muniuisset? Absorbebit enim fluuios & non mirabitur: pro nihilo ducit quod omnes mundi huius populos & nationes deuorat & perdit nisi & Iordanis ipse influat in os eius. Sunt enim escę electæ. Non vulgus, & populũ indisciplinatũ, sed optimos quosq. persequitur, Ipsos quoque Episcopos, & sacerdotes multoties inuadit, Nullum aliũ fluuium sic absorbere desiderat, sicuti illum in quo Dominus baptizatus est, per quem videlicet baptizatorum populus figuratur. Aquę multę populi multi, Multi fluuii multę gentes sunt. Vnus vero fluuius Iordanis, vnus est solus populus Christianus: Hunc persequitur draco iste, & propter hunc cũ angelis, præliatur, qui aliqñ sicut scriptum est, tracturus est caudam, & separabit tertiam partem stellarum cæli: Cauda draconis Antichristus erit, ipse vltimus & maximus filius perditionis dabit signa & prodigia multa, ita vt in errorem inducantur etiam (si fieri posset) electi, Quem sicut Apostolus ait Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & auferet illustratione aduentus sui: Et tunc quidem sicut in Daniele scriptum est: consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui, & veniet tẽpus quale non fuit, ex eo quo homines esse cœperunt vsq. ad tempus illud, In tempore illo (vt dicitur Danieli) saluabitur omnis populus tuus qui inuentus fuerit scriptus in libro vitæ, Et multi de iis, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, vt viuant semper: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, Ecce totum pręliũ factum est, & draco iste magnus superatus est, & simul cũ omni exercitu suo in tenebras præcipitatus est, Restat vt bonis pariter, & malis veniat tempus quale non fuit ex quo homines esse cœperunt. Væh mundo ab scandalis necesse est, sed bonis necesse multumque vtile est, vt veniant scandala, Verumtamen Væh homini illi per quem scãdalum venit, Si ergo manus tua vel pes tuus scãdalizat te, si pater, vel mater, filius vel frater vel aliquis alius qui quasi propria mẽbra tibi sunt, & quos quasi pedes, manus, & oculos diligis, aliquo malo consilio vel praua conuersatione te a Deo separare voluerit, hunc a te separa, et quasi hostem fuge. Melius enim tibi est vt solus viuas, q cũ parẽtib; & propinquis pereas: Videte ne cõtẽnatis vnum ex his pusillis. Dico. n. vobis, q angeli eorũ in cælis sẽper vidẽt faciem patris mei qui in cælis est. Qui, etc.

Finis Opera Sancti Brunonis.

INDEX
ALLEGORIARVM, ET SENTENTIARVM SECVNDI TOMI OPERVM S. BRVNONIS ASTENSIS.

Numerus primus paginam indicat: alter columnam. Litera a primam, b secundam, cuiusque columnæ partem.

A

B

C

carnes

INDEX ALLEGORIARVM.

Eccle-

F

G

H

I

L

perian-

M

mon

Patres

INDEX ALLEGORIARVM.

puteo-


Septe-

V

vn-

FINIS.





INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.
In Tomo Secundo Operum S. Brunonis Astensis passim Citatorum.

Genesis.

Exodi.

Leuitici.

Numeri.

Deuteronomij.

Iudicum.

I. Regum.

II. Regum.

III. Regum.

Prouerbiorum.

Ecclesiastes.

Cantici Canticorum.

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Isaiæ.

Ieremiæ.

Threnorum.

Baruch.

Ezechielis.

Danielis.

Oseæ.

Abacuch.

Zaccariæ.

Amos.

Malachiæ.

Ioelis.

Euangelii S. Matthæi.

Vos

S. Marci.

S. Lucæ.

Ego

S. Ioannis.


Actum Apostolorum.

Epistola ad Romanos.

I Ad Corinthios.

FINIS.

ODDO



ODDONIS ASTENSIS MONACHI BENEDICTINI AD BRVNONEM EPISCOPVM SIGNINVM In Psalmos Expositio.

PER CONTEMPLATIONEM EXARATA.

BRVNONI EPISCOPO ODDO MONACHVS.

QVONIAM quidem tuæ iussionis, dulcisque admonitionis opus inchoatum imperfectum omisi, quod non superbiæ quidem, immo nostræ ætatis mutabilitati, otioque imputandum est; in hoc multo diligentius composito, me satisfacere, tibique placere arbitratus sum: præsertim, cum & secundum velle tuum, compendiose scripserim, & iuxta mei ingenij paupertatem quadam prouidentia ordinauerim; Sic enim versuum fere omnium vitaui confusionem, ve sententiarum nusquam interrumperem perpetuitatem. Pluribus denique in locis, & sine obelo nocitura suberaxi, & absque asterisco profutura apposui. In propriorum præterea sedem, me aliquot es sola æquipollentia posuisse non sum oblitus; nec sine labore quidem: Sciebam enim, qui quanto labor grauior, tanto actus gratior. Quocirca non verbis adulatorijs, (quæ in me quidem, nouit Dominus, nulla sunt) verum enim vero in tuorum obedientia mandatorum tibi me commendare studui. Vnde factum est vt tantum tam fugientem, tamque labentẽ persequerer ceruum, qui nunc sui cursus velocitate, meum penitus frustrabatur intuitum, nunc se se petenti ceruino more vltro repræsentans, tandem captus victusque quieuit. Suscipe igitur Dauidicam omnium venationum dignissimam prædam; quam ego quidem legati inopia, tardius tibi quam debui offero. Si quis autem meas scapulas tanti ponderis non esse, obijciat, Matth. 11. *Iugum Domini esse suaue, eiusque onus leue*; respondebo: Quod si consilium tutorem ve subsannando quæsierit, (vix enim si ne rugosa cuiuslibet subsãnatione, aliqua vel parua componi possunt) tali tu Præsul venerabilis quæstioni facil s mihi solutio fueris. Si quis autem venenato dente, Psalterium tuum rodere præsumpserit, pastoralis pijssima cura resistat, neque te incolume, vim aliquando innocens patiatur. Siquid autem absurdum, superfluum, minusve conueniens in eo inuenitur, tua tuique Oddonis pudica diligentia corrigat, abradat, & apponat. Ego autem non tantum ædificantis, verum etiam in vnum lapides vndique differentis officiosus sum. Titulos autem ideo præposui, vt Psalmorum voluntas, facilius, breuiusque comprehendatur.

EXPOSITIO TITVLORVM.

PSalm. 3. *Domine quid multiplicati sunt*. Cum fugeret Dauid à facie filij sui Absalon. Dauid, manu fortis interpretatur. Significat autem Christum, cuius manus adeo semper fortis fuit, vt diabolum vinceret, infirmitates repelleret, solo tactu, cæcos illuminaret; tetigit denique loculum & mortuum suscitauit. Absalon, qui patris pax dicitur, Iudam significat: Hic autem arboris ramis suspensus interijt: Iudas vero, laqueo se suspendit. Illo mortuo pacem habuit Dauid: mortuo Iuda, pacem habet Christus. Hoc autem ipse manifestabat, quoties post passionem suam, pacem discipulis commendabat dicens: Lucæ 24. *Pax vobis*, ac si diceret: Mortuus est qui nos contristabat. Itemque: Ioa. 14. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Hoc enim ipse non dixisset, nisi pacem habuisset.

Psalm. 4. *Cum inuocarem*. In finem in carminibus. In finem, inquit, iste Psalmus referendus est. Ad Rom. 10. *Finis autem legis*, vt ait Apostolus, *Christus est*. Ipse enim & legem omnino compleuit, & in eo littera finem fecit. Cessauit enim immolatio, vero agno immolato. Ipse est Alpha & Omega, Primus, & Nouissimus, Principium & finis. In carminibus: idest, in laudibus: quoniam ipsius laudes hic nunciantur.

Psalm. 5. *Verba mea*. Pro ea quæ hæreditatem consequitur. Synagogæ quidem promisit Dominus hæreditatem; sed quia venientem hæredem interfecit, Matth. 21. *Malos male perdit Dominus, & vineam suam locauit alijs agricolis*. Consequitur igitur Ecclesia hæreditatem duce Iesu: sicut in hoc Psalmo dicitur: *Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam*.

Psalm. 6. *Domine ne in furore tuo*. Pro octaua. Hac enim finita vita, hoc septenario transacto, sequitur illa dies octaua, in qua ad iudicium Dominus veniet. Pro hac igitur octaua die dicit Ecclesia. *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum*. Valde enim in hac die ei timendum erit, cuius ipse non miserebitur.

Psalm. 7. *Domine Deus meus in te speraui*. In finem Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Gemini. Finem semper ad Christum intendit: sed modo passionem illius, modo resurrectionem designat: Cum Psalmus dicitur Dauid, Christo appropriatur. Chusi, silentium interpre-

 tatur:

cum pro dilecto. Hoc autem canticum pro eo, & de eo dilecto cantatur, de quo scriptum est: Matth. 3. *Hic est filius dilectus, in quo mihi complacui.* Fit autem est pro Ecclesia, quæ suum populum suique patris domum oblita, ad fidem & intellectum commutata est.

Psalm. 45. *Deus noster refugium* In finem filijs Core pro arcanis. Vere vtique pro arcanis, quia Christi natiuitatis continet mysterium. Vnde & *Dominus virtutum nobiscum* hic dicitur, idest Emanuel, qui, nobiscum Dominus interpretatur. Hic autem Psalmus filijs Core ad prædicandum datur.

Psalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Pro filijs Core, idest, Apostolis, de quibus dicitur: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.*

Psalm. 47. *Magnus Dominus.* Psalmus Canticis filijs Core secunda Sabbathi. Prima Sabbathi resurrexit Dominus: Secunda vero Sabbathi, filijs Core, idest Sancti Apostoli iam confortati & de resurrectione creduli, dixerunt: *Magnus Dominus & laudabilis nimis.*

Psalm. 48. *Audite hæc omnes gentes.* In finem filijs Core. Subauditur, credite, & obedite.

Psalm. 49 *Deus Deorum Dominus.* Psalmus Asaph, qui Congregatio vel Synagoga interpretatur. Hic autem Psalmus dicit: *Congregate illi Sanctos eius.* Vides igitur quoniam Asaph suum officium complet.

Psalm. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* In finem Psalmus Dauid cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bersabee. Quia in finem dixit, suam nos penitentiam docere voluit, vt quotiescunque vel a Domino, vel a Sacerdote. Vicario suo pro quolibet crimine redarguimur, simili modo penitentiam agamus.

Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia.* In finem. Intellectus Dauid, cum venit Doeg Idumæus, & annuntiauit Sauli & dixit: Venit Dauid in domum Ahimelech. Doeg motus; Idumæus terrenus vel sanguineus, interpretatur: Saul terrenum regnum; Abimelech, regnum Patris. Dominus autem iste est qui dixit: Ioan. 11. *Eamus in Iudæam iterum,* idest in domũ Abimelech: Siquidem Patris sui regnum, Iudæa erat. Doeg autem Idumæus, motus sanguineus, operator iniquitatis, proditor magistri, pessimus mercator: cucurrit ad Saulem, cucurrit ad Pilatum, cucurrit ad Principes terræ, & dixit: Ecce Christus adest, Matth. 26. *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Sed quia intellectus Dauid proponitur Christus, nihil ignorans ait: Matth. ibidem. *Vnus ex vobis me traditurus est.* Hic autem erat, cui dicitur: *Quid gloriaris in malitia*

Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* In finem pro Amalech, intelligentia Dauid. Amalech parturiens interpretatur: idem ipse Dauid qui composuit pro Amalech hunc Psalmum canit; idest pro inuenientibus & parturientibus iniquitatem; qui de Christo Dei filio dixerunt: *Non est Deus.*

Psalm. 53. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* In finem in carminibus, intellectus Dauid cum venissent Ziphæi & dixissent ad Saul: Nonne Dauid latitat apud nos. Ziphæi, qui florentes interpretantur, Iudæi sunt, qui omnium diuitiarum copijs florebant, terram lacte & melle fluentem inhabitantes. Hi autem, cum audissent, Christum in domum Simonis leprosi venisse, sacerdotibus, terræque Principibus hoc nunciauerunt. Ipse autem hoc intelligens ait: *Deus in nomine tuo saluum me fac: Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me.*

Psalm. 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam* In finem, in carminibus, intellectus Dauid. Consilium inter se Iudæi faciebant: proditioni Iudas instabat: Christus autem omnia intelligens ait: *Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos,* meam mortem machinaris.

Psalm. 55. *Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo.* In finem pro populo, qui a Sanctis longe factus est, in tituli inscriptione Dauid, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. In tituli namque inscriptione, Iudæorum populus a Sanctis longe factus est, damnans titulum, non debere dicere Regem Iudæorum illum, quem omnes sancti se Regem habere gaudent. Allophyli, qui, sine capite interpretantur, eosdem ipsos Iudæos designant, qui omnium virorum caput, Christum spernentes, sine Rege viuunt, & sacerdotio. Hi autem eodem in tempore tenuerunt Christum in Geth, idest, in terra propriæ habitationis. Geth enim græce, terra latine, siue torcular.

Psalm. 56. *Miserere mei Deus, miserere mei.* In finem, ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione, cum fugeret a facie Saul in speluncam. In finem, inquit, & ad Christum hæc referenda sunt. In cuius tituli inscriptione dixit Pilatus: Ne disperdas, idest, Ioan. 19. *quod scripsi, scripsi*: Tunc autem Dauid, idest Saluator noster fugit a facie Iudæorum, clausus in spelunca sepulchri.

Psalm. 57. *Si vere vtique iustitiam loquimini.* In finem, ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione. Non enim Pilatus disperdere potuit, quod toties Sanctus Spiritus disperdere contradicit.

Psalm. 58. *Eripe me de inimicis meis Deus meus.* In finem, ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione, quando misit Saul, & custodiuit eius domum, vt eum interficeret. Tacete Iudæi, nihil proficitis, non corrumpetur titulus, aliud excogitate, mittite custodes, qui sepulchrum custodiant.

Psalm. 59. *Deus repulisti nos.* In finem, pro ijs qui commutabuntur, in tituli inscriptione ipsi Dauid in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ & Sobal, & conuertit Ioab; & percussit Idumeam in valle Salinarum duodecim millia. In finem, inquit, idest, ipsi Dauid iste Psalmus attribuitur; Compositus pro his, qui in tituli inscriptione, idest, per Christi passionem, in doctrinam Sanctam & Apostolicam commutabuntur. Hoc autem erit eo tempore, quo Dominus, Lucæ 12. *Qui ignem in terram mittere venit,* succendet Mesopotamiam Syriæ: idest, elationem, inflationem, malaque consilia superborum: Mesopotamia quippe, elatio: Syria vero, sublimitas interpretatur. Et Syriam Sobal: hoc est, eleuationem vanæ vetustatis: vt qui in superbiam & vanitatem, erroneamque Philosophorum doctrinam antiquorum eriguntur, Sancto Spiritu accensi, non plus sapiant, quam sapere oportet: Sobal quippe, vana vetustas dicitur. Et conuertet Ioab: idest inimicorum exercitum: Ioab enim. inimicus interpretatur. Et percutiet Edom, idest, terrenos, vt Diuino amore percussi & compuncti, non terræ & carni: sed animæ obediant. Sed vbi conuertetur? In valle Salinarum, idest, in Sancta Ecclesia, in humilitatem sapon seram: Vbi Apostoli habitant, qui sal terræ appellantur. Duodecim millia, finitum pro infinito. Apoc. 7. *Vnde & ex omni tribu, duodecim millia signati* dicuntur.

Psalm. 60. *Exaudi Deus deprecationem.* In finem, in hymnis Dauid. Qui psalmus per omnia Christum personat.

Psalm. 61. *Nonne Deo subdita erit anima mea* In fine pro Idithum. Vbi Idithum ponitur, qui transiliens cæteros interpretatur, idest, amatores Dei perfecti intelliguntur. Est igitur psalmus iste perfectorum, qui se Deo subiectos, ab eo amplius non moueri, non parietes inclinatos esse dicunt.

Psalm. 62. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Psalmus Dauid, cum esset in deserto Idumeæ. Idumæa, sanguinea vel terrena interpretatur. Ex eo igitur tempore, quo in deserto Idumeæ Christus fuit, idest in mundo isto, vigilat Ecclesia: prius enim dormiebat, quia in nocte erat: sed veniente luce dixit: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.*

Psalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion.* In finem Canticum Ieremiæ & Ezechielis, vel Aggæi, de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci. Ieremias, excelsus: Ezechiel, fortitudo Domini interpretatur. Illis igitur iste psalmus conuenit, qui ad cælos exaltantur, & Domini fortitudine victis inimicis, corona accepturi sunt. Cum autem de mundi huius peregrinatione, ad supernam Ierusalem proficisci incipiunt, hoc suæ peregrinationis verbum dicunt.

Psalm. 65. *Iubilate Deo omnis terra.* In finem, Canticum psalmi resurrectionis. Gaudeat mundus, lætetur Ecclesia, Iubilate Deo omnis terra: quia mirabiliter amator tuus resurrexit.

Psalm.68. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ.* In finem pro iis qui commutabuntur ipsi Dauid. Pro iis, inquit, qui ab infidelitate ad fidem & Dauid commutabuntur. Dicit in hoc psalmo Saluator noster: *Non erubescant in me qui exspectant te Domine Domine virtutum, non confundantur super me qui quærunt te Deus Israel.*

Psalm.71. *Deus iudicium tuum Regi.* In Salomonem, psalmus Dauid. Salomon pacificus interpretatur: ipse autem est pax nostra qui fecit vtraque vnum. De quo in hoc psalmo dicitur: Ephes.2. *Descendet sicut pluuia in vellus. Et: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Et: Dominabitur a mari vsque ad mare. Et:* Isaiæ 45. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Quod de primo Salomone falsum est: de Christo autem scimus, quoniam omne genu sibi curuabitur.

Psalm.72. *Quam bonus Israel Deus*. Defecerunt hymni vel laudes Dauid filii Iesse; Psalmus Asaph. Non ideo defecerunt, dixit, quia amplius non sit locuturus: Sed quoniam hic secundus liber explicit. Psalmus Asaph; hic autem huius psalmi titulus est: Asaph loquitur hic, qui congregatio vel Synagoga interpretatur. Significat autem Doctores, qui in huius psalmi fine dicunt: *Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

Psalm.73. *Vt quid Deus repulisti in finem.* Intellectus Asaph. Hoc enim Doctores intelliguntur. Et, quod Deus in medio terræ sit salutem operatus.

Psalm.74. *Confitebimur tibi Deus.* In finem, ne corrumpas, psalmus cantici Asaph. De Christo iste psalmus intelligatur, de quo dicitur: Ioan.19. *Os non comminuetis ex eo.* Psalmus Asaph: hoc enim Apostoli & Doctores in principio dicunt: *Confitebimur tibi Deus confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua.*

Psalm.76. *Voce mea.* In finem pro Idithum, psalmus Asaph. Perfecti enim sunt qui hoc in psalmo loquuntur.

Psalm.77. *Attendite popule meus legem meam.* Intellectus Asaph. In finem pro Arcanis Core Non simplex, sicut, inquit, videtur, narratur historia, verum magna eorum in hoc psalmo continetur intelligentia, qui Dei populum congregantes & pascentes, recte Asaph appellantur.

Psalm.80. *Exultate Deo adiutori nostro.* In finem, pro torcularibus, psalmus ipsi Asaph in quinta Sabbathi. Torculares, & Torcularia, Apostoli sunt, & Ecclesiæ: calcant Apostoli vuas in Ecclesiis, ne vini inopia dehiscant torcularia: Isaiæ 63. *Torcular,* inquit Dominus, *calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.*

Psalm.83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* In finem pro torcularibus, filiis Core. Filii Core, filii Caluariæ, filii Christi torculares & torcularia sunt. Christus, primus torcularis, discipulos suos torculares fecit: Hi autem noui veterisque testamenti racemos exprimentes, exponentesque nostris pectoribus infuderunt.

Psalm.84. *Benedixisti Domine terram tuam.* In finem, psalmus filiis Core. Lætantur filii Core, quia *veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit.*

Psalm.86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* Filii Core, psalmus cantici. Vbi psalmus est & canticum, ibi laus & operatio.

Psalm 89. *Domine refugium factus es nobis.* Oratio Moysi hominis Dei. Merito enim huius psalmi narratio Moysi dicitur, vt qui nos hominis docuit constitutionem, miserias quoque doceat & interitum.

Psalm.91. *Bonum est confiteri Domino.* Psalmus cantici in die Sabbathi. Sabbathum, requies interpretatur, in quo seruilia facere opera, interdictum est. Quicunque ergo hunc psalmum canit, ab operibus mundi quiescat, seruilia non exerceat, sed quasi miles strenuissimus, Domino famuletur.

Psalm.93 *Deus vltionum Dominus*. Psalmus ipsi Dauid quarta Sabbathi. Quarta namque Sabbathi fecit Deus cæli luminaria, solem, lunam, & stellas. Hic autem psalmus contra eos loquitur, qui Dei populum affligentes, dicunt: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Sint ergo isti memores quartæ Sabbathi, in qua Deus tanta luminaria fecit: vt & videre omnia, eum intelligant, & interiore homine illuminentur.

Psalm.95 *Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra.* Canticum ipsi Dauid, quando Domus ædificabatur post captiuitatem. Fuimus in Babylonia, fuimus in captiuitate: sed iam domus nostræ, quas antiquus hostis destruxerat, aqua baptismatis sunt reædificatæ, Cantemus ergo Domino canticum nouum, tollamus, eique offeramus hostias iubilationis.

Psalm.10. *Confitemini Domino quoniam bonus. Quis loquetur potentias Domini.* Alleluia Alleluia. Quod laudate Dominum interpretatur. Alleluia in nouo, Alleluia in veteri testamento. Primum Alleluia præcedentis psalmi est, sequens sequentis.

Psalm.107. *Paratum cor meum Deus.* Canticum psalmi. Laus operum.

Psalm.108. *Deus laudem meam.* In finem. Psalmus Dauid. In Christum.

Psalm.119. *Ad Dominum cum Tribularer.* Canticum graduum. Ascensionisque ad cęlos.

Psalm.141. *Voce mea.* Intellectus Dauid, cum esset in spelunca. Huius psalmi intellectum non Iudæi, non cæteri, qui litteram sequuntur, habent, verum Dauid & alii, qui Spiritu Sancto simili modo imbuti & repleti sunt. Speluncam, sepulchrum Domini intelligimus. Vnde hic dicitur: *Educ de custodia animam meam.*

Psalm.145. *Lauda anima mea Dominum.* Alleluia psalmus Aggæi & Zachariæ. Aggæus festinus: Zacharias autem memoria Domini interpretatur. Illi igitur hunc psalmum cantant: qui Domini semper memores, summa cum festinatione ei seruiunt.

INCIPIT EXPOSITIO Oddonis Monachi Astensis in Psalmos.

EXPOSITIO PSALMI PRIMI.

B*Eatus vir qui non abiit in consilio impiorum*. Quid est ambulare in consilio impiorum, nisi iniquis assentire consilijs?

Et in via peccatorum non stetit. In via autem peccatorum stare; est in malis operibus perseuerare.

Et in Cathedra pestilentię non sedit; In Cathedra quidem pestilentiæ sedent, qui mala quę agunt, alios facere docent. Dicat impius consilium suum, Occide, inquit, furare, fac sacrilegium, & similia. Hoc autem consilium malum est, huic tamen quam plures assentiunt; quapropter beati non erũt: Hæc eadem, quæ diximus, via sunt, per quam peccatores ad perditionem vadunt. Hanc autem viam multi ingrediuntur, qui non in ea stant, sed penitentiam agentes, conuertuntur retrorsum. Hi equidem beatitudine non priuantur: qui vero in ea steterunt, vel perseuerauerunt, proculdubio beati esse non poterunt. Sciendum est autem: quoniam alia cathedra est pestilentiæ: alia vero salutis. Cathedra enim Petri, & Pauli Apostolorum Pastorumque salutis est: hæreticorum, non nisi mortis, & pestilentiæ: hæc enim mortem: illa vero salutem affert: Ergo illi beati, isti vero miseri erunt: Sed hęc quæ dicta sunt cui conuenientius quam Christo applicari possunt? de quo scriptum est: 1. Petri 2. Qui peccatum non fecit. Si enim, quod verum est, peccatum non fecit, in consilio vtique impiorum non abijt, in via peccatorum non stetit, neque in cathedra pestilentię sedit. Opposita sententia.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius. Est autem lex Domini immaculata conuertens animas. Psal. 18. Est equidem lex Domini: dimittere dimittentibus: quinimo declinare a malo, & facere bonum. Hanc autem voluit Christus: hanc docuit in hac cathedra sedit.

Et in lege eius, (Scilicet in ista) *meditabitur die ac nocte*. Namque & in die, & in nocte prædicauit Christus: In die enim turbas: in nocte autem discipulos docebat. Vnde scriptum est. Matth. 10. Quod in cubilibus auditis, prædicate super tecta. Vel in die ac nocte, id est, in omni tempore. Aliter autem, per diem, & noctem, prospera, & aduersa intelligimus. In prosperis enim erat, quando ex quinque panib. quinque millia hominum satiauit. Matth. 14. Omnes enim ei obsequebantur. In aduersis autem, cum a Iudæis persequebatur, & quando abscondit se, & exiuit de templo. Ioann. 8.

Et erit tanquã lignũ quod plantatum est secus decursus aquarum. Quod numquam viriditate, numquam humore caret. Cui quamuis Christus comparari possit, eodem ipso dicente: Luc. 23. Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Est tamen aliud lignum, cui conuenientius assimilari potest. Legimus enim. Genes. 2. in paradiso esse lignum vitæ, vbi est etiam decursus quatuor aquarum, quæ sunt, Gion, Phison, Tigris, & Eufrates. De hoc autẽ ligno dictũ est. Gen. 3. Videte ne forte sumat de ligno vitę, & viuat in æternum, Si ergo de hoc ligno sumentes in æternum viuent, merito huic ligno Christus comparatur. Ioann. 6. Qui est panis viuus, cui quicumque adhæret, vita uiuet, & non morietur.

Quod fructum suum dabit in tempore suo. Iste quidem fructus præmium erit, atque corona, quæ dabuntur iustis in die iudicij. Dedit etiam fructum prædicationis et virtutis. Dat præterea fructus, quo homines, et cuncta animalia pascuntur. quę omnia discretis, & congruis temporibus euenire, non dubium est.

Et folium eius non defluet. Quid per folia, nisi verba intelligimus: Cęlum enim, inquit, & terra transibunt, verba autem mea non pręteribunt Matth. 24. Si ergo folia verba sunt, & verba non transibunt, nec folia quidem defluent.

Et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur, Quibus? Sanctis quidem. Quod enim natus, quod circumcisus, quod baptizatus, quod passus, quod prædicauit, quod resurrexit, quod cælos ascendit, omnia sanctis prospera sunt.

Non sic impij non sic. Non erunt, inquit, impij beati, non meditabuntur in lege Dei, non prosperabuntur. *Sed erunt tamquam puluis*: miseri, omnibus subiecti, instabiles, qui omni vento doctrinę circumferuntur: quos ventus & inflatio superbiæ separauit a terra viuentium, illario.

Ideo non resurgent impij in iudicio. Ideo, quia tales sunt, non resurgent impij in iudicio: iam enim iudicati sunt, non ergo iudicabuntur, at vero nec iudicabunt, quomodo deniq. resurgent, qui in omni tempore moriuntur? Neque peccatores in concilio iustorum. Dicet aliquis: Quis in tanta hominum multitudine, iustos a peccatoribus discernet. Dominus quidem. Sequitur.

Quoniam nouit Dominus viam iustorum. Nouit Dominus qui sunt eius, vt ipse ait. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas. Io. 10

Et iter impiorum peribit. Impij quidem semper erunt: neque ita peribunt vt non sint: iter vero illorum omnino nõ erit, quia iam peccare non poterunt. Melior est ergo via iustorum, quæ semper erit, quam iter impiorum, quod prorsus destruetur.

Potest autem, & de vnoquoque iusto intelligi, vt sic dicatur: Omnis vir erit beatus, qui non cogitauit, non fecit, non docuit mala: cuius voluntas; & meditatio in lege Domini fuit. Hic ligno vitæ comparabitur, quod spiritualiter Christus intelligitur. Merito enim Christo comparatur, qui ad eius imaginem factus eius similitudinem non amisit, sed semper sanctus fuit cum Sancto, & immaculatus cum immaculato.

EXPOSITIO PSALMI II.

Q*Vare fremuerunt gentes*. Cum, inquit, talis esset, vt superius dictum est, quare contra eum gentes fremuerunt, dicentes. Crucifige? *Et quare populi meditati sunt inania?* putantes occidere immortalem. Quare *astiterunt Reges terrę?* Herodes videlicet & Pilatus, & Principes Anna, & Cayphas conuenerunt in vnum locum, adque consilium aduersus Dominum, Patrem, & aduersus Christum filium eius dicentes. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum*. Hoc autem tale est, ac si dicerent; Hic homo cum suis discipulis, ligauit nos, iugum ceruici nostræ imposuit putat vinctos post se trahere, & in nouam legem nos inducere: quod ne fiat, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugũ ipsorum. O miseri, cur non intellexistis eundẽ ipsum dicentem: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue, Matth. 11.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsanabit eos. Quia iugum Christi spreuerunt, & diabolicum sumpserunt, dignos irrisione, & subsannatione ostendet eos Dominus in die iudicij.

Tunc loquetur ad eos in ira sua. Illis autem irrisis & subsannans loquetur ad eos in ira sua. Cum enim tot millibus hominum dicet Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, quamuis iratus non sit, iratus tamen esse videbitur.

Et in furore suo conturbabit eos. Qui enim in inferno positi erunt, vbi non est nisi fletus, & stridor dentium.

 Math. 13.

Matth. 13. procul dubio conturbabuntur.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo. Tunc tandem Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit: sed dicet: Ego quem crucifixistis quem Dei filium, & Regem esse negastis, Constitutus sum Rex ab eo, vbi? *Super Syon montem Sanctum eius.* Syon Speculatio interpretatur: significat autem Sanctam Ecclesiam, quæ non in imis, non in tenebris iacet, sed in monte, & in alta mentis specula posita, nunquam ab hostibus incurrentibus quasi incauta præoccupari potest. In hac autem Christus Rex constitutus præcepta Domini prædicauit.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ac si dicat: Dominus qui ante tempora genuit me, temporaliter quoque per Spiritum Sanctum de Virgine me nasci voluit, hodie enim tempus significat.

Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Quia filius meus es tu, inquit pater, postula hereditatem, & dabo tibi gentes; Iudæi enim spreuerunt te & possessionem tuam, non vnam, vel duas prouincias, quinimmo terminos terræ.

Reges eos in Virga ferrea, id est, forti, inuisibili, insuperabili imperio, cui nemo resistere potent.

Tanquam vas figuli confringes eos. Ac si dicat: Si qui autem te Regem esse negauerint, si qui tuo contrarie imperio contrarii fuerint, tanquam fragiles, & virtute vacuos confringes: vel tali modo occides, & disperdes, vt numquam amplius viuificari possint, vas enim figuli semel confractum, redintegrari impossibile est.

Et nunc Reges intelligite. Intelligite ô Reges, & ab hoc vno Rege, Reges esse discite. Et nolite superbire: habetis enim vos quoque Regem. Sed quid intelligere debetis? Sequitur.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Timor animæ, tremor vero corporis est. Nullus igitur intellectus tantum prodest, quantum vt anima, & corpore seruiamus Domino.

Erudimini qui iudicatis terram, apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. Hic euidentissime apparet; quod nemo ad Ecclesiæ regimina accedere debet, nisi prius disciplinam apprehenderit. Vnde & in Episcoporum constitutione, tales eos Apostolus ordinare iubet, qui bene sciant prouidere domui suæ. 1. Thimoth. 3. Quomodo enim Ecclesiam Dei iudicabit, & alios edocebit: qui indisciplinatus est, & seipsum regere nescit? Huiusmodi ergo iratus est Dominus. Ideoque *peribit de via iusto*, idest de via iustorum aberrantes, proculdubio in æternum peribunt. *Quia cum exarserit Dominus in breui ira sua*, quæ in momento, 1. Cor. 15. & ictu oculi finietur, beati omnes, & soli qui confidunt in eo. Vnde miseros fore non dubitamus, qui de iustorum via egredientes in Domino non confidunt.

EXPOSITIO PSALMI III.

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me. Multiplicatos ideo dixit, quia non solum Iudæi & gentiles, verum etiam, & discipulus suus leuauit contra eum calcaneum suum.

Multi dicunt animæ meæ. Non est salus ipsi in Deo eius. Multi mihi, & vitæ meæ mortem promittunt, neque aliquem esse putant, qui de manibus eorum eam eripere possit. Sed mentiuntur. Quoniam tu Domine susceptor meus es, Quia me suscipiendo ab inimicis liberabis. Et gloria mea: quia me glorificabis. *Et exaltans caput meum.* quoniam in die tertia me suscitabis; partem pro toto posuit. Hinc totam passionem, & resurrectionem ex ordine pronunciat, & præterito pro futuro vtitur dicens.

Voce mea ad Dominum clamaui. In Cruce, inquit, positus clamabo ad Dominum, vt non tradat me in animas tribulantium me. *Et exaudiuit me de monte Sancto suo:* idest, de secreto suæ Diuinitatis. Vel etiam clamauit cum dixit: Pater clarifica me in hac hora, & Pater audiuit imo, & exaudiuit eum dicens: Clarificaui & iterum clarificabo. Io. 12.

Ego dormiui & soporatus sum. Dormiam, quia pro carne assumpta, moriar, in sepulchro quasi soporatus quiescam, tertia die resurgam, quia Dominus suscepit me. Ergo non timebo millia populi circumdantis, & affligentis me; tu enim Domine exurges mihi in adiutoriū, & saluabis me; scio quoniam tu percussisti et æternæ morti damnasti omnes aduersantes mihi sine causa: vere sine causa: siquidem, et frustra faciebant, & ei cui minime deberent. Vnde ipse ait Io. 8. Si male locutus sum testimonium perhibe de malo: Sin autem bene, cur me cædis? *Dentes peccatorum contriuisti* contriuit Dominus dentes peccatorum quia Scribæ, & Pharisæi, multique falsi testes, sententiolis, quibus Christum corrodere conabantur, incassum emissis, victi recesserunt.

Domini est salus. Dixerunt Iudæi superius de Christo. Non est salus ipsi in Deo eius, ipse autem e contra, se exauditum, resuscitatum a Domino, saluatum, in cœlos assumptum testatus est. Mentiti sunt ergo iudæi. Vnde ipse concludens, ait: *Ergo Domini est salus.* Et se saluato, benedixit suis dum dicit. *Et super populum tuum benedictio tua.*

EXPOSITIO PSALMI IIII.
Vox Christi.

Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ. Mediator Dei & hominum, Dominus noster Iesus Christus, in hoc psalmo nunc Patri, nunc hominibus loquitur. Loquitur autem Patri cum dicit: Deus conscius amoris, semperque memor iustitiæ, cum inuocarem te, exaudisti me.

In tribulatione dilatasti mihi. Id est dilatatum, amplificatum, & lætum cor mihi dedisti dilatatum enim, & coangustatum, quasi contraria sunt. Merito ergo se dilatatum dicit, qui de tribulatione, & angustijs liberatur: Cum, inquam, inuocarem te, exaudisti me. Sed quid inuocaui?

Miserere mei. Namque ex ea parte, qua erat homo, fragilis, mortalis erat, atque passibilis, ideo misericordiam quærebat, quia misericordia indigebat Et exaudi orationem meam, exaudi, inquit, meam orationem, quam, & pro me, & pro meis ad te fundo. Hucusque Patri locutus, nunc autem conuersus hominibus loquitur.

Filij hominum vsquequo graui corde, Ac si dicat: Ego quidem pro vobis oro, vos autem filij hominum, & non Dei, (quia non Dei, sed hominum opera facitis,) vsque quo eritis graui corde? Quod enim lapideum est, graue est: lapidea autem corda sunt, in quibus Deus, & amor, & Verba salutis imprimi nequeunt, sunt igitur grauia, *Vt quid diligitis vanitatem*, id est quare idola surda, muta & vana adoratis? Et quæritis mendacium, et non Verbum Domini.

Scitote quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum. Quasi dicat: Intelligite quas retributiones reddat Dominus, omittentibus vanitatem & quærentibus se; quoniam mirificauit eos, mirificos eos facit, & virtutibus & sanctitate exornat: Ne ergo quæratis mendacium, sed veritatem Domini, vt & vos quoque sancti & mirifici sitis, quod si facere volueritis, ego quidem pro vobis orabo, & *Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum* pro vobis.

Ergo irascimini. Vitijs, inquit, & diabolo principi; eius hucusque amici fuistis; quibus, ne mea oratio frustra fiat, nunc irascimini, *& nolite deinceps peccare.*

De his autem *quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Est enim cor cubile cogitationum. Matth. 15. Ex corde enim cogitationes exeunt, siquidem ibi iacent; ex quibus compungi, & pœnitentiam nos admonet Dominus agere. Post compunctionem autem.

Sacri-

Sacrificate, inquit, *ſacrificium iuſtitiæ*. Non hircorum nec taurorum, ſed ſacrificium laudis & iubilationis, hoſtiam viuam & immaculatam. Exinde *ſperate in Domino*: meritum recipere, bona ſcilicet æterna. Sed *multi ſtulti*, increduli ſine ſpe dicunt: *Quis oſtendit nobis bona?* quis inde certus nuncius venit? Hoc ſtulti. Sancti autem & Catholici viri quidem dicunt?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Ac ſi dicant: Hactenus cæcitas & diabolicæ tenebræ nobis impreſſe, oculos noſtros caligauerant, nunc autem lumen, claritas intellectus, imago & pulchritudo vultus tui ſignata ſunt ſuper nos: quia tam non tranſitoria, ſed æterna quærimus. *Dediſti lætitiam in corde meo*, Catholica inquit congregatio, quia me illuminaſti, de tenebris extraxiſti, magnam quidem cordi meo dediſti lætitiam.

A fructu frumenti vini, & olei ſui multiplicati ſunt. Ac ſi dicat: Ego quidem illuminata, & in æternorum bonorum ſpem inducta, omnia temporalia parui pendo: illi autem, qui, vt diximus, ſpem non habent, neque bona æterna eſſe credunt, ſola temporalia ample ctentes, a fructu frumenti vini & olei multiplicati & diuites facti ſunt, quæ quia caduca ſunt, ipſi quoque cum eis cadent.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Ego, inquit, currens, & feſtinans, non ad caduca, vel mutabilia, immo in idipſum, ad Deum, qui non mutatur, dormiam & requieſcam cum ipſo in æterna pace, & merito.

Quia tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, id eſt, ego ſolus & ſingularis, & ſperaui, & ſperata recipiam: Illi autem, vt diximus, non ſperauerunt, quid ergo recipient?

EXPOSITIO PSALMI V.

*V*Erba mea auribus percipe Domine, *intellige clamorem meum*. Vox cuiuslibet iuſti. Quod autem eſt, verba mea auribus percipe Domine, id eſt, intellige clamorem meum, a quo non differt: *Intende voci orationis meæ*. Hoc autem cur facere debeat, ſubiungit cauſam: Tu enim *Rex meus & Deus meus*. Ipſemet qui hanc orationem fecit, quare non exaudiatur, & quo tempore exaudiri debeat adnectit. Ait enim: In nocte orauit, non fuit exauditus, ergo mane, id eſt nocte tranſacta orabo.

Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. In nocte quidem ſumus, dum in vitiorum tenebris iacemus: poſtquam autem in mane fuimus, confidenter orare poſſumus.

Mane aſtabo tibi & videbo: noctem relinquam, diabolum fugiam, ad mane veniam: in mane autem vt fuero, non iacebo, non ocioſus ero: ſed aſtabo, cum vitijs dimicabo, in bonis operibus perſeuerabo. Et hoc, tibi, id eſt, ad honorem tuum. Et videbo, *quoniam nō Deus volens iniquitatem tu es*: quia æquus & iuſtus es, iniquitatem non vis.

Quoniam non eſt in ore eorum veritas. Propter inimicos dixit, quorum deceptio valde timenda eſt: veritas enim in eis non eſt. Quid mirum? nam *cor eorum vanum eſt*: Et, quia à vanitate veritas qui lem progredi non poteſt.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Guttur pro verbis poſuit. Sepulchrum vero patens, infernum ſignificat, quia morti dedito nemini clauditur. Cum igitur hæreticorum verba, peccatorum animas in infernum perducant, (quem ſepulchrum patens eſſe diximus) quid aliud ſunt ipſa verba, niſi infernus, & ſepulchrum patens? Sic enim diabolum mortem vocamus, quia ad mortem animas perducit. *Linguis ſuis doloſe agebant*, id eſt doloſa proferebant. *Iudica illos Deus*, id eſt, æterno damna ſupplicio. *Niſi decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos*: hoc eſt, niſi à peruerſis ſuis ceſſauerint cogitationibus, à conſortio Sanctorum expelle eos in tenebras exteriores, propter eorum multas impietates. *Quoniam irritauerunt te Domine*, id eſt ad iram prouocauerunt.

Et lætentur omnes qui ſperant in te. Omnes, inquit, qui ſperant in te, lætentur de te. *In æternum exultabunt*: quia ſemper tecum erunt, qui illorum es gaudium & exultatio. *Et habitabis in eis*: Sancti enim templum Dei ſunt. Vnde Apoſtolus: 1. Cor. 3. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?

Et gloriabuntur omnes, qui diligunt nomen tuum. Alij in curribus & equis, in diuitijs, ſæculique honoribus gloriantur: illi vero qui nomen tuum diligunt, non niſi in te gloriabuntur. *Quoniam tu benedices iuſto*, id eſt, eorum iuſtitiæ.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Coronam pro victoria poſuit, quia poſt victoriam ſequitur corona. Et ſic eſt intelligendum Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti, id eſt, protectione tua nos coronas, qui a non ex meritis noſtris, ſed ex Dei protectione coronam acquirimus.

EXPOSITIO PSALMI VI.
Vox Eccleſiæ.

*D*Omine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ac ſi dicat: Volo equidem Domine, vt me arguas & corripias, ſed non in ira vel furore, argue me vt pater, corripe me vt magiſter. Arguitur enim latro, quando ſuſpenditur: corripitur adulter, dum excæcatur, hoc autem modo ne me corripias Domine, immo in miſericordia & pietate, hoc eſt quod ſequitur.

Miſerere mei Domine. Namque tua indiges miſericordia. *Infirmus enim ſum, ſana me Domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea*, habet enim corpus oſſa, habet & anima, animæ autem oſſa ſunt memoria, intellectus, ſpes, patientia, abſtinentia, bona voluntas: his autem infirmatis, anima ſtare non poteſt: cadit igitur, eſt ergo corripienda: Qui enim peccat, corripi debet. Animæ autem, dum quatiuntur, & a vitiis conturbantur, quibus reſiſtere debuiſſent, ipſa anima iam ſtare non valens, cadens peccat & infirmatur, hoc eſt quod dicit:

Et anima mea turbata eſt valde. Ac ſi dicat: Capta eſt ciuitas, tutus fit conturbano inimicorum: expulſi ſunt habitatores: Sic ergo capta eſt anima, regnant vitia, pellunt virtutes. Quid igitur? Suſpenderur vt latro? abſit, ait enim: *Sed tu Domine vſquequo?* Subauditur, differes medicinam?

Conuertere Domine & eripe animam meam. Ac ſi dicat: Longe factus a me, quia longe eſt a peccatoribus ſalus, Pſal. 118. Sed conuertere Domine ad me, & eripe animam meam, quæ ab inimicis detinetur: ſaluum me fac, nō ex meritis meis, ſed propter multam miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui. Eſt autē mors, corporis, animæque diſiunctio. Moritur tamen, qui a mundo eiuſque concupiſcentiis ſe ſeparat. Moritur etiam, qui a Domino ſequeſtratur. Vnde hic dicitur: Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Quaſi dicat: In vitiis ſum, diabolo ſum coniunctus, a te diuiſus, tibi mortuus, tuique immemor: ergo iuſtifica me, vt tui ſim memor. Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Omnis enim qui diaboli catena conſtringitur, in inferno eſt: qui autem in vitiis eſt, diabolicis catenis conſtringitur. Eſt ergo in inferno: Deū ergo laudare non poteſt.

Laboraui in gemitu meo. Peccaui, inquit, in peccatis tamen non perſeuero, ſed pœnitentiam ago, in gemitu laboro; quocirca miſerere mei. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum*. lectus animæ, corpus eſt; hoc autem, quia multas noctes, vitiaque & tenebras ſibi adtraxit, pro vnoquoque lauari oportet. Repetitio: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo*.

Turbatus eſt à furore oculus meus. Oculus, pro mente ponitur: quæ niſi conſtans fuerit, furore & vitiorum impetu conturbatur. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*; ac ſi dicat. Mirum non eſt, quod oculus meus conturbatur, inueteraui enim inter omnes inimicos meos: longo enim tempore ab inimicis obſeſſus & incitatus ſum.

Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Gemunt, inquit.

inquit, & lachrymis Domino, & æquitati coniunctus sum: quapropter discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, ego enim amodo eam non operabor: Simile autem, Simile quærat, Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei: pro æquitate fleui, cui me iungere desiderabam, exauditus sum, ab ea ergo non mouebor amplius.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit, Erubescant, & conturbentur Vehementer omnes inimici mei, Conturbentur, vel æterna damnatione; vel contra vitia, & fiant boni. Conuertantur in infernum, siue ad bonum. Et erubescant, pro peccatis, valde velociter.

EXPOSITIO PSALMI VII.
Vox perfectorum.

D*ominus Deus meus in te speraui*. Non enim in arcu meo speraui, non in auro, vel argento, non in meis viribus, sed in te speraui, qui es Deus, & Dominus meus, ideoque *saluum me fac*: tu Iesus, tu Saluator, tu salua, quia saluare potes. Gladius enim meus non saluabit me. *Ex omnibus persequentibus me libera me*: persequitur auaritia, superbia, luxuria, perfidia, discordia, ex his omnibus libera me. Quare?

Nequando rapiat vt leo animam meam. Inimicus noster diabolus tanquam leo rugiens, circuinit quærens, quem deuoret. 1. Petr. 5. cuius retia sunt vitia supradicta. Ipse autem pessimus venator, animas persequens, alias in auaritia, alias in superbia, alias in luxuria irretitas deprehendit. Dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat: tu redime, qui redimere potes, quia alius non est, qui possit redimere, vel saluare.

Domine Deus meus si feci istud. Hoc est, *si est iniquitas in manibus meis*. Quid per manus, nisi opera intelligimus? manibus enim operamur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; O quanta Viri perfectio, qui nedum facere, sed nec etiam mala sibi pro bonis retribuentibus, mala reddere nesciuit. Lucæ 6. Non oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu abstulit, sed ex vna maxilla percussus alteram prebuit: Si, inquam, hoc feci vel illud, decidam, non sursum ascendam, non ad te veniam, sed cum peccatoribus in infernum cadam. Et hoc merito, quia talis, vel tale feci peccatum, *Ab inimicis meis inanis*, vt imbellis, & inanis, vt viribus vacuus; vt ab inimicis deuictus cadam.

Persequatur inimicus animam meam. Iam retia tetendit iam prædam venator inuenit, hanc persequatur, hanc comprehendat. *Et conculcet in terram vitam meam*, conculcet in carnales cupiditates, & cum terrenis, & peccatoribus eam occidat. Et gloriam meam in puluerem deducat, quid per gloriam, nisi resurrectionem? quid per puluerem, nisi carnis resurrectionem? Cuius ergo gloria in puluerem deducitur, cũ iustis ad gloriam non resurgit.

Exurge Domine. Quia peccata prædicta non feci, exurge Deus mihi in adiutorium. adiuuantis enim, non sedere, sed stare est. *In ira tua*, ostende te iratum, si enim te pro nobis iratum inimicis nostris ostenderis, non amplius lædere non audebunt. *Exaltare in finibus inimicorum meorum*, omnes, inquit, fines terræ inimici nostri hactenus possederunt, nunc Domine exurge, carnem sume, humano generi succurre, præpara te ad bellum, ostende te iratum, & exaltare per omnes terras, corrigas, & regas quos diabolus premebat:

Exurge Domine deus meus in precepto quod mandasti? Iudæis enim præcepisti. Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud. Io. 2. Et: Sicut Moyses exaltauit serpentem, in eremo, ita exaltari oportet filium hominis. Ioan. 3. Soluatur ergo templum hoc: exaltetur filius hominis: exurgat, & crucem ascendat Dominus Deus meus in præcepto suo. aliter in Apostolis prædicare præcepisti, ergo illorum prædicatio præceptum tuum fuit, in hoc autem præcepto, resurrexit, creuit et exaltata sunt regnum, imperium, & potentia tua. *Et sinagoga populorum circumdabit te*, id est omnes gentes credent in te.

Et propter hanc in altum regredere. Propter hanc congregationem, (Synagoga enim congregatio interpretatur) in altum regredere, cælos ascende, quia cum a terris fueris exaltatus, omnia post te trahes. Io. 11. Regredere igitur in altum, & trahe nos post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Dominus iudicans populos*. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Io. 5. est igitur filius Dominus iudicans populos. *Iudica me Domine secundum iustitiam meam*: quia Iudex es, iudica me: & quia iustus, iuste iudica iustum. *Et secundum innocentiam meam super me*: id est secundum innocentiam super me consideratam.

Consumetur nequitia peccatorum. Quoniam quidem iudex es, iustos iudicabis, & peccatores. Peccatores autem quomodo? quia in nequitia sua consummabuntur. Iudicium autem iustorum quale erit? Sequitur: Et diriges iustos, Vbi? ad te quidem. Quid igitur est iustorum iudicium, nisi electio? *Scrutans corda, & renes Deus*: in corde enim, & renibus sunt cogitationes. Quia ergo non solum facta, verum etiam cogitationes scrutatur Deus. Sapient. 6. ideo verus est iudex, quia & de factis iudicat, & de cogitationibus.

Iustum adiutorium meum a Domino. Quia ad se dirigit Dominus iustos, iustum est iustorum iudicium, vocabo iudicium, an adiutorium, non iudicium, sed adiutorium, quippe quo & miseria fugatur, & beatitudo acquiritur.

Qui saluos facit rectos corde. Qui enim corde rectus est, tortum quidem, nec facere, nec cogitare potest, si enim cogitat, rectus non est. Si autem facit, camelus est.

Deus iudex iustus. Vere vtique iustus, qui et iustos saluat, & peccatores damnat. *Fortis, & patiens*. Fortis, quia nemo sibi resistere potest, patiens, quia non statim punit. *Nũquid irascitur per singulos dies?* Vere patiens est, quia quamuis omni die, immo omni hora eum offendamus, ipse tamen omni die non irascitur.

Nisi conuersi fueritis. Peribitis. Et tale est, ac si diceret: Quamuis patiens sit, tamen nisi conuersi fueritis, peribitis. Et merito. Nam Gladium suum vibrauit, quid per gladium, nisi Christum? iste enim gladius diabolum trucidauit. Ergo quia gladium vibrauit, & filium suum in mundum misit, qui conuersus non fuerit, peribit. Vnde ipse ait. Io. 15. Nisi venissem, & locutus fuissem, peccatum non haberent, nunc autẽ excusationem non habent.

Arcum suum tetendit. Quid est arcus eius? Vetus testamentum. Hic autem arcus ante Christi incarnationem tensus non erat: Christus autem vt venit, eum tetendit, chordam adhibuit, nouum enim testamentum chorda, veteris legis austeritatem nouum testamentum mitigauit. Dicebat enim lex. Exo. 31. Si quis hoc fecerit, vel illud, moriatur: hic autẽ sermo nimium durus, & rigidus est, sed quomodo mitigatur? vis audire quomodo? Si quis hoc, vel illud fecerit, tot annis pæniteat, & saluabitur, hoc habet nouum testamẽtum, hoc habent Canones, hic sermo est dulcis, qui non desperare, sed sperare facit. 2. Corv. 7.

Et parauit illum. Parauit, quia intelligibilem fecit: parauit, quia obscuritatem et tenebras ademit. *Et in eo parauit vasa mortis*, per vasa mortis, Apostolos intelligimus, qui viua aqua pleni erant, Hanc autem aquam alij bibebant ad salutem: alij vero quasi toxicum, & venenum. Vnde Apostolus 2. Cor. 2. Alijs sumus odor vitæ ad vitam. alijs odor mortis in mortem. *Sagittas suas ardentibus effecit*, quod enim per vasa, idem per sagittas significatur. Sagittæ enim sunt Apostoli, quia occulte diabolum, & vitia destruunt. Has autem sagittas perfecit Dominus, & composuit eorum vtilitati, qui amore spiritus, & igne accensi sunt.

Ecce parturiuit iniustitiam. Hic versus ei coniungitur, qui ait: Ne quando rapiat vt leo animam meam: quia valde timeo: est enim iniquus, dolosus, & iniustus, hoc est quod dicit

Ecce

Ecce parturiuit iniustitiam. Iste malignus pater cum animabus iungitur, filios procreat, sed quos filios? iniustitiam quidē, dolorem & iniquitatem.

Lacum aperuit. Quo enim tempore primum hominem peccare fecit, infernum quidem & lacum aperuit. Aperit enī omni die, dum miseros in peccata inducit. Non tamen solum aperire ei sufficit, sed insuper *Effodit eum*, alijs enim minorem, alijs vero maiorem foueam præparat, quia qui plus peccat, in maiora tormenta cadit.

Et incidit in foueam quam fecit. Æternus enim ignis, & diabolo & Angelis eius paratus est, nullique maior pœna quā pœnarum, principi debetur. *Conuertetur dolor eius in caput eius*, non enim sine dolore erit, qui doloris auctor fuit. *Et in verticem ipsius iniquitas eius descendet*: Postquam enim nullus erit, qui peccet vel peccare velit, omnis iniquitas in eum conuertetur, eritque ei non parua pœna, ipsa mala voluntas, quam exercere non poterit.

Ego autem confitebor & laudabo Dominum, secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini altissimi.

EXPOSITIO PSALMI VIII.

DOmine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Vox prophetæ, de Christi ascensione gratulantis. Magnificentia Dei, Christus est, quia per eum magnificatur Deus: Namque ante Christi ascensionem in sola Iudæa notus erat Deus, in Israel magnum nomen eius: Psal, 75. Nunc autem, quando filius eius super cælos eleuatus est, Act. 1. valde admirabile est nomen suum, non in sola Iudæa, sed in vniuersa terra.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Hoc de Hebræorum pueris intelligi potest. Possumus etiam per infantes, & lactentes, Apostolos intelligere: Infantes quidem erant, quia vt rustici & indocti, vix fari nouerant: lactentes autem, quia nouum & vetus testamentum quasi duo vbera suxerunt. Ex ore autem istorum laudem suam perfecit Dominus, quia horum prædicatione creuit Ecclesia. *Propter inimicos tuos*: Inimici Dei, Iudæi sunt, qui postquam filium Dei crucifixerūt, nomen quoque eius omnino delere conati sunt. Propter hos igitur inimicos, ex ore infantium & lactentium se Deus laudari fecit. *Vt destruat inimicum & vltorem*, vltores & defensores scripturarum erant Iudæi, ne aliquis super Christo eas intelligeret: Apostoli autem è contra Christum laudabant, & in eum scripturas interpretabantur. Ergo quia Apostolorum sententia præualuit, a Deo inimici & vltores destructi sunt, vt nec vnus quidem aduersus Christum iam loqui audeat.

Quoniam videbo cælos tuos. Ac si diceret Propheta: Gaudet Deus, quoniam scio me visurum *opera digitorum tuorum*, quę in filijs tuis fidem *fundasti*, videlicet cælos, *lunam & stellas*: per cælos, Apostolos, per lunam, Ecclesiam, per stellas autem, Doctores intelligimus.

Quid est homo quod memor es eius. Hoc autem quamuis de vnoquoque iusto intelligi possit: de Christo tamen in epistola ad Hebræos Apostolus interpretatus est: Quid est homo quod memor es eius, ac si diceret: Magnificentia tua eleuata est, homo, & filius hominis exaltatus est. Ad Heb. 2. Sed nunquid homo tantum? Si enim simplex homo esset, non sic illius memor fuisses. *Aut filius hominis, quoniam visitas eum*, vere filius hominis, quia filius virginis: visitas eum, quia nunquam derelinquis.

Minuisti eum paulò minus ab Angelis. Namque quia mortalis fuit, ab Angelis est diminutus. *Gloria & honore coronasti eum*, gloria quidem, quia resurrexit: honore vero, quia vicit, imperium sumpsit, & cælos ascendit. Act. 1.

Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Quia in nomine Iesu omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Philip. 2.

Omnia subiecisti sub pedibus eius. Quæ: *Oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Per oues, simplices homines: per boues, doctores; per pecora campi, bonos coniugatos: per volucres cæli, Philosophos & Sapientes: per pisces maris, diuites, negotijsque sæcularibus implicitos intelligimus. Ergo quia omnia tibi sunt subiecta, *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?*

EXPOSITIO PSALMI IX.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo. Confitebor, inquit Ecclesia, tibi Domine, non labijs tantum, non vt illi, de quibus dicitur. Matth. 15. Hic populus labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me, sed in toto corde meo te adorabo, te laudabo, tibi peccata mea confitebor. *Narrabo omnia mirabilia tua*, omnia quidem enarrabo, quæ in nouo, & in veteri testamento scripta inueniam.

Lætabor, & exultabo in te. In te lætabor, in te exultabo, sicut scriptum est: Psalm. 31. Lætamini in Domino. Itemque. 2. Cor. cap. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. *Et psallam nomini tuo altissime*; hactenus enim quæcunque feci, in nomine Iouis, Mercurii, Saturni, cæterorumque feci, deinceps autem quæ faciam, in nomine tuo faciam.

In conuertendo inimicum meum retrorsum. Dum, inquam, inimicum meum retrorsum conuertam, in nomine tuo psallam, quia non meas vires, sed te de triumpho laudabo. Bene autem dixit: dum conuertam, quia ante Christi incarnationem, quasi princeps & dux itineris nos diabolus præcedebat: nunc autem velut latro & pessimus canis, retro serpens, calcaneo nostro insidiatur.

Infirmabuntur & peribunt a facie tua. Quem enim superius inimicum dixit, non vnum, sed totam inimicorum congregationem intellexit. Vnde pluraliter hic dicitur: Infirmabuntur & peribunt, infirmati sunt inimici nostri, qui virtutē, imperium & potentiam amiserunt: peribunt autem in die iudicij a facie Domini fugientes, qui cum satellitibus suis, æterno damnabuntur supplicio.

Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam. Vere inimicum retrorsum conuertam, quia ad hoc mortuus es, vt ego viuerem: ad hoc præliatus es vt ego vincam: iudicium tuum, esse meum, & causam tuam, meam esse fecisti, quia ob meam salutem & vtilitatem a Iudæis iudicatus es. Nunc sedes super thronum, quia Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes tibi sunt subiecti. *Qui iudicas iustitiam*; iustitiam quidem semper iudicas, quia superbos semper humilias, & exaltas humiles.

Increpasti gentes & periit impius. Increpauit enim Dominus gentes Apostolica prædicatione. Dicebant enim Apostoli: Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Itemque. Matth. 3. Iam securis ad radicem arboris posita est. His & similibus increpauit Dominus gentes, vnde factum est, vt periret impius, idest, impietas. *Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi*, deleuit enim Dominus nomina impiorum, quia qui prius impij, idololatræ & filij diaboli vocabantur, nunc & sancti & iusti & filij Dei vocati sunt.

Inimici defecerunt. Quomodo: *Framea.* Quæ est ista framea? Christus Iesus, qui eos interfecit. *In finem*, idest, ex toto. *Et ciuitates eorum destruxisti*, multas quidem ciuitates & congregationes habuit, & habet malignus spiritus, quas Dominus quotidie destruere non cessat: omnis enim hæreticorū, latronum, paganorum, & superborum congregatio, diaboli ciuitas est, hæc autem, dum Domino associamur secundum priorem statum, destruuntur.

Periit memoria eorum cum sonitu. Magna enim erat memoria, laus, & fama malignorum spirituū in prædictis ciuitatibus, quæ Apostolorum sonitu omnino deleta est Psalm 18. prædicatione namque Apostolorum, & idola fracta sunt, & templa destructa & Deorum religio abominata. *Et Dominus in æternum permanet*, in quibus diabolus regnabat, in eisdem Dominus quidem Rex in æternum permanebit. Sed qui Dominus: Sequitur.

Qui

Qui parauit in iudicio thronum suum. Thronus Dei, Apostoli sunt, quia in eis sedet & habitat. Hos autem ad iudicium parauit, quia cum ad iudicandum venerit Matth. 19. super duodecim sedes sedebunt, duodecim tribus Israel iudicantes. *Et ipse iudicabit orbem terrę in ęquitate, iudicabit populos in iustitia;* numquid ipse solus iudicabit? nonne & Apostoli iudicabunt? dictum est enim, quoniam ipsi iudicaturi sunt. 1. Cor. 6. Iudicabunt vtique Apostoli, iudicabit & Dominus: Dominus quidem vt iudex, Apostoli autem vt lex.

Et factus est Dominus refugium pauperi. Iudicabit, inquã, Dominus orbem terræ, interim autem factus est refugium pauperi, cui pauperi? nihil quidem habenti, & omnia possidenti, 2. Cor 6. quoniam quæ habuit vendidit & pauperibus distribuit, quique terrenorum factus est inops, vt cælestium diues fiat. *Adiutor in opportunitatibus in tribulatione,* nihil aliud quidem est, in opportunitatibus, in tribulatione, quam in opportuna tribulatione: Sanctorum quippe tribulatio opportuna est, qua vita perpetua adipiscitur.

Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum. Quia adiutor illorum factus es, qui nomen tuum nouerunt, & qui Christiani vocantur; Ideo cum in tribulationibus, & angustijs fuerint, in te sperent, tu enim eos liberabis, *quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.*

Psallite Domino qui habitat in Sion. Quoniam quidem quærentes se non derelinquit, vos Apostoli & Doctores, qui eum quæritis, psallite Domino. *Annunciate inter gentes studia eius,* in gentibus annunciate studium, amorem & dilectionem quam erga vos habuit: quoniam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus illum morti tradidit. Rom. 8.

Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est. Item Apostoli, annunciate Dominum, prædicate Euangelium, ne timeatis mortem, quoniam requirens sanguinem eorum, qui pro eo moriuntur, recordatus est, non quod oblitus esset, sed quia oblitus esse videbatur. *Non est oblitus clamorem pauperum* dicentium: *Miserere mei Domine, vide humilitatem &* afflictionem meam habitam *de inimicis meis.*

Qui exaltas me de portis mortis. Portæ mortis, vitia sunt, hæretici, & peccatores, quia per eos quasi per quasdam portas, mors atque pęna hominibus inducitur. Ex his autem exaltantur sancti, dum erudiuntur, quomodo eos euitare possint. Bene autem dixit, exaltas, quia quicunque ab his seiungitur, cælestia regna petit.

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filię Sion. Sion, quæ, vt diximus, speculatio interpretatur, Ecclesiam significat: filiæ autem Sion, quicunque fideles intelliguntur: Portæ autem, aures sunt, per quas verba Diuina mentes nostras ingrediuntur. Nunciant ergo Apostoli laudationes Dei in portis filiæ Sion, dum in auditu fidelium, Euangelium prædicant.

Exultabo in salutari tuo In salute & in filio tuo exultabo, neminem timebo, pro morte non tacebo, quoniam *Infixę sunt gentes in interitu quem fecerunt.*

In laqueo quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Mihi quidem vitam præstant, sibi autem supplicium & interitum, me de laqueis expeditum, seipsos autem in laqueos inextricabiles inuoluunt.

Cognoscetur Dominus iudicia faciens. Hoc quippe tempore peccatores Dominum suum neque cognoscunt, neque cognoscere voluerunt, cognoscetur tamen ab omnibus, cum ad iudicandum venerit. Et tunc tandem *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator,* comprehendentur vtique peccatores in operibus suis, quando hanc regalem censuram super se intonare audient: *Conuertantur peccatores in infernum.* Et. Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 5. Pulchre dicit, conuertantur, quia nunc in inferno sine corporibus sunt, in tempore iusti iudicij carne recepta in infernum conuertentur, *omnes gentes, quę obliuiscuntur Dominum.*

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis. Ac si dicat: Scio quoniam peccatores, qui Domini & creatoris sui obliti sunt, a Domino obliuiscentur: pauperis autem supra memorati, qui bona sua, omnia vendidit & pauperibus tribuit, in æternum non erit obliuio.

Patientia pauperum non peribit in finem. Non vt aliquid patiantur, sed quia semper de patientia gratulabuntur. Hucusque in persona Ecclesiæ Propheta locutus est; hic autem in propria persona Antichristi aduentum, eiusque dominationem & mortem denunciat.

EXPOSITIO PSALMI IX.

EXurge Domine, non confortetur homo. Quasi dicat: Quis est Domine homo iste qui tanto fastu, tanta pompa, tantaque superbia consurgit? Quis est hic filius perditionis, qui supra omne quod colitur, se extollit, ostentans se tanquam sit Deus: Quis est hic iudex, ante cuius conspectum omnes gentes iudicentur? Exurge Domine succurre sanctis tuis, neque, qui peccatoribus præualuit, iustis quoque præualeat homo, *iudicentur gentes in conspectu tuo.*

Constitue Domine legislatorem super eos. Iustis inquam auxiliare, inque sanctorum adiutorium exurge: super eos autem qui eum exspectant, quique de illius aduentu lætantur, hunc legislatorem constituas. Legis quidem lator erit, quia ipse quoque suam legem prædicauit.

Vt sciant gentes, quoniam homines sunt. Homines enim pro stultis & peccatoribus, in Diuino eloquio frequenter inueniuntur. Vnde Apostolus: 1. Cor. 1. cum alius, inquit, dicit, ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ, nonne homines estis? Sic igitur & isti, cum ad iudicium venerint, stultos se & peccatores esse cognoscunt, qui hominem & non Deum adorauerunt.

Vt quid Domine recessisti longe? Videns Propheta per Spiritum Sanctum, nimis duram iustorum afflictionem, exclamat: Vt quid recessisti longe? quare sanctos tuos dereliquisti? Cur sic eos affligi permittis? Scio equidem, scio, *despicis* & non curas eos liberare *in tam opportuna tribulatione.*

Dum superbit impius, incenditur pauper. Vere oportuna est tribulatio, quæ igne spiritus in Dei dilectionem sanctos accendit. Vnde scriptum est: Apoc. 22. Vt iustus iustificetur adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc. Cum enim aduersus iustos superbit impius, dubium non est, quin magis sordescat. Pauper vero dum accenditur, iustus quidem iustificabitur. *Comprehendentur in consiliis, in quibus cogitant,* mala quidem cogitant, & in malo comprehendentur.

Quoniam laudatur peccator in desiderijs animę suę. Desiderat peccator semper male agere: laudatur etiam a peccatoribus semper de male actis: vnde fit vt nunquam resipiscat. In malis ergo consilijs comprehendetur. *Et iniquus benedicitur.* A quibus? ab adulatoribus quidem & iniquis. Iniquus est enim, qui de iniquitate benedicit iniquum.

Exacerbauit Dominum peccator. Non cessauit, inquit, a malo, sed omnibus modis Dominum offendit. *Secundum multitudinem irę suę non quęret,* nonne quæret, inquit, Dominus illius perditionem, quæret vtique secundum multitudinem iræ suæ.

Non est Deus in conspectu eius. Si enim in conspectu eius Deus fuisset, nunquam eum exacerbasset. *Inquinatę sunt vię illius in omni tempore,* quia Deum non cognouit, omni tempore sese vitiis coinquinauit.

Auferuntur iudicia tua a facie eius. Apostrophe. Iudicia tua Domine omnia vera, & æqua sunt, vera autem iudicia ab eo auferuntur.

Omnium inimicorum suorum dominabitur. Inimici quippe illius erunt, qui nunquam cuiquam amici esse poterunt, vitia scilicet, malignique spiritus. His autem omnibus dominabitur Antichristus, quia tales seruientes secum semper habebit, & quasi famulis eis imperabit. Per eius quoque inimicos, sanctos intelligere possumus.

Dixit enim in corde suo: non mouebor a generatione in generationem sine malo. Quanta eius fuerit iniquitas, quamque peruersa eius erit cogitatio, in his verbis deprehenditur; nunquam de gente in gentem, de regno in regnum,

de

de generatione viuorum in generationem mortuorum ſine malo tranſibit.

Cuius maledictione os plenum eſt. Quia omnia verba illius maledicta ſunt. Et amaritudine, quia toxicata, & mortifera ſunt. Et dolo, quia cum deceptione ſunt. Sub lingua eius labor eſt dolor, quia admonitiones linguæ ipſius ad labores, & dolores, homines perducunt.

Sedet in inſidijs. Quid eſt ſedet id eſt perſeuerat. Cum quibus: *Cum diuitibus*. Væ vobis diuites qui cum diabolo ſedetis. In quibus inſidijs? In occultis. Ad quid? Vt interficiat innocentem, quia nocentes diligit, innocentes odio habet.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Sicut enim leo in ſpelunca ſua mitibus animalibus, ita & iſte in abſcondito cordis ſui innocentibus inſidiatur.

Inſidiatur, vt rapiat pauperem. Quid eſt rapere pauperem: rapere pauperem eſt, dum attrahit eũ, attrahit autem ſi quando decipit.

In laqueo ſuo humiliabit eum. Prius, inquit, inſidiabitur, deinde vero rapiet: raptum autem in laqueo ſuo humiliabit, multos enim fame, ferro, carcere, alijſque tormentis affliget. *Inclinabit ſe, & cadet cum dominatus fuerit pauperum*. Sancti quidem humiliati, & afflicti, ſuper cælos exaltabuntur: ipſe vero inclinatus in infernum cadet, & afflicto.

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuã ne videat in finem. Quia Domini oblitum eſſe dixit, ſanctorumque finem, & mortem non inſpicere, ideo iuſte in infernum cadet, & ibi ſuæ iniquitatis meritum recipiens Dominũ non oblitum fuiſſe cognoſcat. Poſſumus etiam pro fine, terrã intelligere.

Exurge Domine Deus. Antichriſtus quidem cadet, tu autem Deus exurge. Exaltetur manus tua, id eſt, virtus, potentia, & gloria tua. Vel, manus tua, ideſt, Eccleſia. *Ne obliuiſcaris pauperum*; vt iſte iniquus putauit.

Propter quid irritauit impius Deum. Exprobratio. Videns caſum eius, dicit. Hoc merito ſibi accidiſſe, quia Dominum irritauit. Quomodo irritauit? *Dixit enim in corde ſuo, non requiras*. Quid? mortem Sanctorum, quia de Sanctorum afflictione nullam pœnam ſe à Domino recipere opinatus eſt, in hoc, inquit, Dominum irritauit.

Vides? quid vides? quod iſte quoque te non videre putabat, Sanctorum videlicet afflictionem. Quare? quoniam laborem, & dolorem conſideras, quem pro te ab iniquis patiuntur. Ad quid conſideras? *Vt tradas eos in manus tuas*, ideſt in poteſtatem tuam, vel in Sanctorum congregationem & hoc merito.

Tibi enim derelictus eſt pauper. A quo? a diabolo quidẽ, a quo prius detinebatur. Quamobrem *Orphano tu eris adiutor*. O nimium beati: qui tali patre viduati, Domini adiutorium promerentur.

Conteres brachium peccatoris, & maligni, ideſt, virtutem, potentiam, & dominationem ſupra dictos homines. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*. Quid eſt peccatum illius? Superbia, regnique exaltatio: hanc autem ſi quæras inuenire non poteris, quia cum eo deſtruetur.

Dominus regnauit in æternum & in ſeculum ſeculi. Vere peccatum, & regnum iſtius cito peribit: Dominus autem regnauit in æternum. Cum quibus? cum Sanctis quidem. De malis autem quid fiet? Sequitur. Peribit gentes de terra illius, quia nullus illorum terram viuentium ingredietur. Tunc tandem. *Exaudiet Dominus deſiderium pauperis*. Qui pauper melius hic quam Apoſtolus intelligi poteſt, qui ſe diſſolui deſiderare dicit, & eſſe cum Chriſto. Philip. 1. hoc autem deſiderium tunc erit exauditum. *Preparationem cordis eorum audiuit auris tua*, id eſt, corda eorum præparata, vitijſque mundata. Quando fient iſta? cum iudex quidem vniuerſalis venerit. *Iudicare pupillo, & humili*. Hæc autem dicta ſunt, *vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram*. Omnis enim qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Matth. 23.

EXPOSITIO PSALMI X.

IN Domino confido. Reſponſio bonorum contra Iudæos, & hæreticos, quare me ò hæretici ſubuertere nitimini? Quare deceptionis ſimilitudines mihi narratis, dicentes: *Transmigra in montem ſicut Paſſer*. Paſſer enim in conuallibus poſitus, ſi quem verſus ſe ſagittarium venire præſenſerit, in montem aduolat. Vos autem, qui homines, & rationales eſtis, cum peruerſos ſagittarios ſuper vos venire conſpicitis, quare ad nos, qui ingenio alti, & ſapientia muniti ſumus, & ad inſuperabiles ſententias noſtras non confugitis? Hoc enim, inquit vir Sanctus, ſine intermiſſione mihi narratis: Ego autem in Domino confidens fabulationes veſtras non timeo.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum. Peccatores etiam eos vocatis, qui ſancti, & iuſti ſunt, arcum deceptionis eos intendiſſe dicitis, qui pro vniuerſali ſalute ſemper laborant. *Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde*: Sagittas, vtique paratas, præclaras, & vtiles in cordibus habent: ſed non ad hoc, vt rectos corde occulte decipiant, quod vos dicitis. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt*, Apoſtrophe, vides Domine, quia verum, & ſanum ſcripturarum intellectum, quem in ſanctis tuis perfeciſti, iã fere deſtruxerunt & vbique errorem prædicando Eccleſiam deſtruunt, & ad ſe imperfectos conuertunt. Hoc, inquit propheta, dicent iuſti: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius. ſubauditur, conſtituitur. Sed quæ ſunt ſedes eius? Sancti quidem, in quibus ſedet & habitat. Has autem in ſuo Sancto templo conſtituet, in quo ſine fine ſecum gaudebunt.

Et oculi eius in pauperem reſpiciunt. Dei namque reſpicere misereri eſt. *Palpebræ eius interrogant filios hominum*: ideſt, ſolo intuitu iuſtos cognoſcit & peccatores. Vel palpebræ eius, id eſt, diuinæ ſcripturæ, quæ ſicut palpebra, aliquando clauduntur, aliquando aperiuntur. Interrogant autem filios hominum, quia quaſi in ſpeculo ſe quilibet in eis cognoſcere poteſt.

Dominus interrogat iuſtum, & impium. Dei quippe interrogatio, cognitio eſt, vt ſic dicatur. Dominus cognoſcit iuſtum et impium. Sed quis eſt impius? *Qui diligit iniquitatẽ*, impius eſt, & odit animam ſuam, odit quidem, quia occidit.

Pluet ſuper peccatores laqueos. Iuſtis cognitis & peccatoribus, ſanctos, quidem in cæleſtibus regnis ſecum conſtituet: ſuper peccatores autem laqueos pluet. Quare dixit pluet? Quia innumerabilia tormẽtorum genera in iudicio ſuper peccatores effundet, a quibus ſemel detenti, nunquam amplius expediri poterunt. Pluit etiam in hoc ſeculo, quia diuerſis vitijs, quæ diaboli laquei ſunt, illigari eos permittit. Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarũ, erit pars calicis eorũ, per calicẽ mortem intelligas. Vnde in Euangelio Dominus ait; Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte, ignis inextinguibilis, ſulphur, & fœtor intolerabilis. Spiritus procellarum, id eſt impetus plurium tormentorum erit pars mortis eorum. Poſſumus autem, & pro qualitate operis hoc figurare, vt qui iraſcibilis & inuidus fuit, in igne; qui luxurioſus et adulter, in ſulphure, quique in omnibus promiſcue peccant, in ſpiritu procellarum mori dicamus. Sed ſi hæc omnia, vt ait propheta, eorum pars mortis erunt, manifeſtum eſt, quoniam alia & forſitan peiora eos expectant.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit. Iuſtitiam quidem diligit, quia vnicuique digna operibus merita tribuet repetitio, Æquitatem vidit vultus eius.

Dei imperio decidentes, diaboli iugo ſe ſubmiſerunt. Vnde *inutiles facti ſunt*. Inutiles facti ſunt Deo, quia filij placita non operantur. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. quod Diuina probauit auctoritate, cui nemo refellere audet. Hoc tam quaſi ratum concludens, ait. Ergo non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, Quandam diuiſionem videtur hic facere, ac ſi dicat. Malorum alij ſunt ſepulchrũ patens, id eſt, hæretici. Alij veloces ad effundendum ſanguinem, id eſt tyranni: Alii autem, qui viam pacis non cognouerunt, id eſt Iudæi. Horum autem nemo bonus eſt. Vnde conſtat, quod nulli ab Eccleſia ſeparato, ineſt bonitas. Sepulchrum patens eſt guttur eorum quia extrinſecus dulcia, & dolo dealbata. Sunt illorum verba. Vel, vt ſuperius diximus, ſepulchrum patens, id eſt infernus, eſt lingua eorum, quia in infernum, qui nemini clauditur, animas inducit. *Linguis ſuis doloſe agebant*, id eſt, doloſa verba proferebant. *Venenum aſpidum ſub labijs eorum*. quia mel, & dulcedinem labijs pronũciant: In cordibus autem & intellectu, Venenum latet et amaritudo: quia qui ſemel imbutus fuerit, vix amplius mederi poterit.

Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Maledictione quidem: quia omnia illorum verba a Deo ſunt maledicta. Amaritudine autem, quia quaſi toxicum, & venenum, animas mortificant. *Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem*. Hoc de tyrannis dicitur: qui Sanctorũ Sanguinẽ ſitientes, prompti, & veloces ſunt ad effundẽdũ.

Contritio, & infelicitas in vijs eorum. Hoc de Iudæis videtur eſſe dictum, quia ad contritionem, & ſummam infelicitatem, pro ſuæ iniquitatis opera deuenient. *Et viam pacis non cognouerunt*, via pacis Chriſtus eſt, hanc autem non cognouerunt Iudæi, quia ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*: nõ vtique timuerunt, quando filium ſuum crucifixerunt, nec nũc quidẽ timent, cũ de tãto ſcelere nõ pæniteant. Increpatio.

Nonne cognoſcent omnes, qui operantur iniquitatem. Hic vox Patris inducitur loquentis & minantis: Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, id eſt hæretici. *Et qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis*, id eſt tyranni. Et illi, qui videntes Chriſtum Dominum non inuocauerunt, ſed illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, quia niſi Chriſtum occiderent, & locum & gentem ſe ſe amittere putabant. Ioan. 11. Vel, quia aliquando idola adorantes, quaſi Deum ea timebant, quæ vtique timenda non erant. Vel, quia adhuc legem & prophetas legentes, ſpiritualem intelligentiã eis apponere non audent.

Conſilium inopis confudiſti, quoniam Dominus ſpes eius eſt. Hucuſque Deus Pater. Nunc Eccleſia loquitur, dicens: Vos Iudæi conſilium inopis, id eſt Chriſti, (qui cum omnium diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt. Corinth. 8. confudiſtis, id eſt, cæteris conſilijs commiſcuiſtis, neque prætuliſtis veſtris, immo vilius habuiſtis. Quoniam Dominus ſpes eius eſt quia in Domino ſperauit, & quod verum eſt, Matt. 27. Se Dei filium confitebatur, ideo nec verbis eius credidiſtis ſed, quod nequius eſt, morti eum adiudicaſtis.

Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael? Quando quidem Chriſtum intereniſtis, quis alius veniet ex Sion, vt aiunt veſtri Prophetæ, & dabit ſalutare Iſrael? Legitur enim in prophetis: quoniam ex Sion veniet, qui auferet, & auertet captiuitatem a Iacob, quod fiet, cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ. Hoc autem iam ex parte factum eſt, quia redempta eſt Eccleſia, quæ a diabolo captiua detinebatur. In quo alio? Exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael. Aliter, per Sion Eccleſiam animarum, quæ tam in cęlis potitæ ſunt, per Iacob autem, & plebem ſuam terrenam, Eccleſiamque, quam adhuc vitia ſupplantant. Per Iſrael vero, quoſcunque ſanctos & Deum videntes intelligimus. Quis igitur alius in die iudicij veniens ex Sion, id eſt, ex cœleſti congregatione ſanctorum animarum dabit ſalutem Iſrael? Et quando Dominus conuerterit captiuitatem a populo ſuo, qui eodem in tẽpore fiet. Apoc. 21. quia neque luctus neque clamor, ſed nec vllus dolor amplius erit. In quo inquam alio tunc temporis exultauit Iacob, id eſt Eccleſia, & lætabitur idem ipſe? iam factus Iſrael, quia Deum videbit? Nullo alio: decepti ſunt igitur Iudæi.

EXPOSITIO PSALMI XIV.

DOmine quis habitabit in tabernaculo tuo. Tabernaculum Dei, eſt Eccleſia quæ in hoc mundo peregrinatur. In hoc autem habitant, qui in bonis operibus perſeuerant, multi enim in Eccleſia ſunt, qui non in ea habitant. ſed in diuerſis vitijs, quaſi in diuerſis ciuitatibus ſtationem faciunt. Vel, tabernaculum Dei, Chriſtus eſt, in Chriſto autem habitat qui in eo delectatur. Vel, in tabernaculo tuo, id eſt in cæleſti Ieruſalem. Repetitio, Aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? id eſt, in excelſo cælorum habitaculo, ſiue de quo ſcriptum eſt, in Chriſto: Venite aſcendamus in montem Domini: Iſa. 2. Reſponſio; qui ingreditur ſine macula: maculã pro criminali peccato poſuit, nam ſine aliqua macula nullus eſſe poteſt, nec vnius diei infans, & operatur iuſtitiam, non enim ſufficit alicui, eſſe ſine macula, niſi & iuſtitiam operetur. Iuſtitiam quidem operatur, qui nec ſe, nec alium iniuſte corrumpit, quique ſe, & alium pro iniquitate dominauit.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Qui non deceptionis mendacia cogitat, ſed ædificationis veritatem compenſat. *Qui non egit dolum in lingua ſua*, dolum quidem in lingua agit, qui verborum duplicitate alios decipit.

Nec fecit proximo ſuo malum. Proximus noſter, quicunque fidelis eſt. *Et opprobrium non accepit*. Quod fieret aduerſus proximos ſuos, non accepit, non mente concepit, non acceptabile habuit opprobrium proximorum. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*, quia pro nihilo apud eum reputatur. Vel, quia pro nihilo habuit eos a quibus ipſemet occidebatur. Siue, in die iudicij, cum ante conſpectum eius venerint, ad nihilum, & ad mortem reducentur. Timentes autem Dominum glorificat Dominus; glorificat quidem, quia, & coronat, & de inimicis vindicat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit. Promiſſio namque iuſti, iuramentum eſt. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram*, hoc ad litteram intelligi poteſt. Dant tamen, & prædicatores pecuniam ſuam ad vſuram, ſi pro munere, vel fauore aliquo Euangeliũ prædicant. Dant & illi pecuniam ad vſurã, qui ideo eleemoſynas faciunt vt ab hominibus videantur. Quia ſicut ſcriptũ eſt, receperũt mercedẽ ſuã. Matth. 6. id eſt vſurã. Et munera ſuper innocẽtẽ nõ accepit ſuper innocẽtẽ munera accepit, qui vel pro munere rectum detorquet iudiciũ, vt faciat bonũ malum, & malum bonum, & album nigrum & nigrum album, vt ait Propheta. Vel, qui pro munere & lucro terreno, innocentem deprædatur, atque occidit. Qui facit hæc, videlicet, qui ingreditur ſine macula, qui operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem, qui non agit dolum, non mouebitur in æternum, quia in mõte prædicto, ſine fine cum Domino manebit.

EXPOSITIO PSALMI XV.

COnſerua me Domine. Vox mediatoris pro Eccleſia loquentis, vt enim pro ſeruis loquitur Dominus, & lingua pro vnoquoque membro, ita pro tota Eccleſia loquitur Chriſtus. Conſerua me Domine, id eſt, conſerua eos quos mihi dediſti; quoniam in te ſperaui, ideo enim in te ſperaui, & ab Angelis me minorauit Pſal. 8. vt eos conſeruares. Prius enim quam homo fieret in nullo ſe maiore ſperare poterat: ergo quia carnem ſumpſit in Domino ſperauit. Nihil igitur aliud eſt, quoniam in te ſperaui, niſi quia in tui obedientia carnem aſſumpſi. Vel, in te ſperaui, id eſt, eos in te ſperare feci: qui prius in homine ſperabant atque principibus. *Dixi tibi Domine Deus meus es tu*, quia te Deum, & Dominum vocaui ideo conſerua eos. *Quoniam bonorum meorum*

non eges: conserua, nec dicas non sunt digni, non mihi seruierunt, non enim tu eorum indiges seruitio, sed ipsi potius tuo beneficio.

Sancti qui sunt in terra eius mirificaui omnes voluntates meas in eis. quæ fuerunt voluntates eius. Incarnatio, Natiuitas, Passio, & Resurrectio, & similia. De his autem non solum infideles, sed etiam sancti admirantur. Infideles quidem admirantur & negant: Sancti autem, admirantur & credunt. Tale est igitur, ac si diceret: Conserua eos Domine, nolo enim amittere, adeo enim eos diligo, vt tanta pro eis passus sim, quod non solum de passione, verum etiam de passionis voluntate admirentur.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. Ac si dicat: Conserua eos, omnino enim tua indigent conseruatione, & est antipophora redditiua, indigent enim medico, quia multas habent infirmitates: indigent, quia multa peccata fecerunt: indigent quia a multis tribulantur: indigent, quia multa idola coluerunt. In hebræo enim, pro infirmitate, hoc in loco, idola scriptum est. Aliter: Conserua eos, quia suas cognoscunt & confitentur infirmitates.

Postea accelerauerunt. Prius, inquit, peccauerunt, idola coluerunt, & infirmati sunt, postea accelerauerunt, & festinantes ad me verum medicum cucurrerunt. Vel postea accelerauerunt iusti, videlicet, ad præmium: iniusti autem ad supplicium. Quia prius quam medicus venisset, & iusti, & iniusti ad infernum ibant. Siue postea accelerauerunt, quia pristinam vitam deflentes, omnes ad Dei seruitium se accinxerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus. Quia inquit, hoc fecerunt, & illud, & illud, de sanguinibus, & peccatis eorum conuenticula, vel iudicium non tenebo. Vel, congregationes eorum tales erunt, quæ non ex sanguinibus, neq. ex voluntate viri, neq. ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Nec memor ero nominum eorum per labia mea. Hoc etiam ad litteram obseruandum est, namque & Simonem Petrum, Io. 1. & Saulum, Paulum Act. 13. vocauit. Spiritualiter autem sic intelligitur. Non vocabo, peccatores, non idolatras, nec semen Cananei, sed iustos, & sanctos, & filios charissimos.

Dominus pars hæreditatis meæ. Hæreditas Dei, Ecclesia est, huius autem pars Dominus est, quia de duobus, sibi in partem elegit. Alij vero elegerunt diabolum. Namque Deus, & diabolus ita a cunctis necessario diuiduntur, vt sine altero istorum nullus esse possit: Ergo quia talem sibi partem sancti elegerunt, merito filij Dei vocabuntur. Et calicis mei, idest meorum: mortis namque Sanctorum est Dominus pars, quia partim pro eo, partim pro acquirenda beatitudine moriuntur. Vel, calicis mei, quia cibus, & potus, & summa bonorum refectio est. *Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*, Quia pro Iudæorum amissione, gentiles mihi subijcies: vel restitues in die iudicij, quia corporibus animabus coniunctis, dicam Sanctis: venite benedicti Patris mei. Matth. 25. Vel, quia mihi eam claritatem reddes, quam priusquam mundus fieret, tecum habui. Ioan. 17.

Funes ceciderunt mihi in præclaris. Ad eorum similitudinem loquitur, quibus prædia diuidentibus, alijs in bonas terras, alijs in lapidosas, funes & perticæ cadunt, quibus ea diuidentur. Et lætatur, quia amissis Iudæis, tam præclaram gentium sortitus est hæreditatem. Etenim hæreditas mea præclara est mihi, mihi quidem præclara est, etsi alijs fortasse vilis videatur. Vel, hæredibus meorum, id est, in terra viuentium præclara est in eis.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Ex hoc inquit, Dominum benedico. quia fidelibus meis intellectũ qui prius indocti erant, & manuum suarum opera stulte colebant. Insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei, insuper ex hoc quoque benedicam Dominum, quod renes mei, idest Iudæi: ex quorum renibus patres mei, & ex quorum carne natus sum, me increpando & blasphemando vsque ad mortem, & infernum me compulerunt. Vel ex hoc benedicam Dominum, quod renes mei, idest, intellectus & cogitationes meorum, vsque ad mortem pro fide conseruanda eos ire docuerunt.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. Ac si dicat: Quamuis in mortis passione, & ego, & mei fuissemus, tamen in conspectu meo & meorum, Deum adiutorem semper inspexi. Et quoniam a dextris est mihi ne commouear. propter hoc lætatum est cor meum. Propter hoc, inquit, lætatur cor meum, quia Pater, & diuinas pietas mihi a dextris astitit, ne commouerer, & ob mortis dolorem irascerer, sicque omnes gentes interficerem. Vel etiam inde lætor: quod Dominus a dextris, & in adiutorium est sanctis, ne aliqua tribulatione ab ipsius fide commoueantur. Et exultauit lingua mea. Idest, Apostoli in prædicatione. Insuper & caro mea requiescet in spe, videlicet resurrectionis.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Vere resurgam, Matth. 27. neque cum peccatoribus ab inferno & morte detinebor, Ephes. 4. sed gaudens, & triumphans, capta præda cœlos ascendam. Marc. 26. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quia neque Christus anima vel corpore corruptus est. Neque sancti, etsi corporis detrimenta patiantur, animæ tamen non corrumpuntur.

Notas mihi fecisti vias vitæ. Ideo, inquit, non detinebor a morte, quia cognita est mihi via vitæ, non errabo in via, sed recto itinere ad patrem ibo. Vel etiam, meis fecisti notas vias vitæ, idest opera quibus itur ad vitam.

Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Quia, inquit, viam noui, sine impedimento aliquo ad te veniam, cum autem tecum fuero, de vultu, & claritate sumpta lætabor. Expositio. Delectationes etiam mihi in dextera tua vsque in finem delectationum, idest infinitæ delectationes. Hoc quoque de sanctis intelligi potest quia vias vitæ nouerant, & de vultu & claritate Dei lætabuntur, & a dextris eius positi, æternas suscipient delectationes.

EXPOSITIO PSALMI XVI.

EXaudi *Domine iustitiam meam.* Hoc repetit, Intende deprecationem meam, Hæc vox Domini, vt hominis est, pro se & pro suis loquentis. *Auribus percipe orationem meam, factam, non in labijs dolosis*, vt aliud dicamus, & aliud cogitemus; quod hæretici faciunt, & adulatores.

De vultu tuo iudicium meum prodeat. Prodeat, & manifestetur iudicium, quo ante Pilatum iudicatus sum. Luc. 23. De vultu tuo, id est, secundum voluntatem tuam factum esse, ne hoc aliquis illorum viribus, vel meæ imbecillitati deputet, verum tuæ voluntati, cui nemo resistere valet: quia non haberent in me potestatem nisi hoc a te sibi datum fuisset. Io. 19. Aliter de vultu tuo iudicium meum prodeat, id est, secundum voluntatem tuam iudica meos: sic tamen vt oculi tui videãt æquitatem.

Probasti cor meum, & visitasti nocte. Merito, inquit, me atque meos exaudire debes, quia & me et illos, cum etiam in ipsa nocte, tribulationum aduersitate visitasti, tibi fideles, & per omnia obedientes nos esse probasti. *Et non est inuenta in me iniquitas*, æquum enim est, vt filius Patri, & seruus Domino obediat, ideoque & Christus, qui filius est, factus est obediens vsque ad mortem, Philip. 2. & nos qui serui sumus obedire debemus, quo fit vt iniquitas in nobis nõ inueniatur. Alia causa.

Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Labia Dei, sunt Prophetæ. Apostoli, & Doctores, quia per eos loquitur. Propter istorum autem verba, inquit Ecclesia, ego custodiui vias duras, quoniam quæ isti ore dixerũt, ego opere implere conatus sum. Vt non loquatur os meum opera hominum, idest, ea quæ loquor, non me iactando, vel te incusando, loquor, sed vt meã orationem exaudias, quasi ad memoriam reduco. Aliter, adeo equidem custodiui vias duras, vt non solum facere, sed ne-

etiam

etiam ore opera hominum pronunciare voluerim: neque sermo temporis, vel verbum otiosum ex ore meo processit. Hoc autem de se quoque Christus dicere potest: qui legis, & Prophetarum complens mandata, duram & asperam a Iudæis pertulit passionem. Deprecatio.

Perfice gressus meos in semitis tuis. Quia, inquit, iam incæpi, vt vsque in finẽ perseuerare possim, perfice gressus meos in semitis tuis. Iustitia namque pax, patientia, maiestas, concordia, semitæ sunt, per quas ad Dominum itur. In his autem perficiuntur pedes nostri, quando ab eis diuelli nequeunt. Hoc est, quod sequitur. *Vt non moueantur vestigia mea.*

Ego clamaui. Ego, inquit, homo Dominicus, in cruce positus ad te Pater clamaui Luc. 23. tu autem *Exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea:* id est, meorum: neq. enim profuit me exaudisse, nisi & eos, pro quibus sum passus, exaudias. Pulchre autem dixit: Inclina, omne enim quod inclinatur, ei, cui se inclinat, appropinquatur. Mirifica misericordias tuas: fac, inquit, misericordias tuas mirabiles esse, dando seruis eandem, quam Dominus habet, potestatem. Vel mirifica, id est, charas fac, & acceptabiles: quod enim miramur, quodammodo extollimus. Mirantur ergo Dei misericordias, qui Natiuitatem, passionem, & resurrectionem diligunt: *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me vt pupillam oculi.* dextera Dei Christus est: resistentes autem quicunque infideles. Rogat igitur filius Patrem, vt a sibi resistentibus eũ defendat, quasi pupillam oculi existentem. Pupilla oculi dicitur Christus, Zach. 2. quia, & in omnibus clarior est, & lumẽ quo omnes homines illuminantur. Aliter, custodi Pater mẽbra mea, ab his qui mihi resistunt, quia quasi oculi pupilla, cito frangi possunt. Hoc etiam in perfectorum Ecclesia dicere potest, vt sic eam ab hæreticis Deus defendat, quemadmodum pupillam oculi, id est Apostolos: in quibus totum Ecclesiæ corpus illuminatur.

Sub vmbra alarum protege me. Dilectio Dei, & proximi, & nouum, & vetus testamentum. itemque iustitia, charitas, cæteræque virtutes, alæ Dei sunt, quia sine his nemo ad eum volare potest. Vnde hic dicit Christus: Protege me Domine sub alarum tuarum vmbra positum. Si enim vitia & concupiscentiæ exurunt merito vmbram & refrigerium: ista præbere dicuntur. Vel: sub vmbra alarum tuarum, id est, sub protectione tua protege me a facie impiorum qui me afflixerunt: idest, in præsentia Iudæorum. Hoc quoque super Ecclesia intelligi potest, namque & sub eisdem alis constat Ecclesia; & ab inimicis ipsa quoque persecuta est.

Inimici mei animam meam circumdederunt. Iudæi videlicet in passione. Adipem suum concluserunt, id est, superbiam, vitiorumque copiam amplexati sunt, quibus verus medicus eos curare volebat. *Vel adipem suum concluserunt,* Quia Christum occidentes, & in sepulchro claudentes, Luc. omnes illius terræ, lacte, & melle fluentis diuitias amiserunt. *Os meum locutum est superbiam,* quia reus est mortis, & crucifige crucifige dixerunt. Matth. 27. *Proijcientes me nunc circũdederunt me.* quondam, inquit, me extra ciuitatem proiecerunt, nunc quoque proijciunt, dum non se nisi Cæsarem, Regem habere dicunt. Io. 19. Sed non sicut olim, olim enim proijcientes me, incolumem abire permiserunt: nunc autem proijcientes, etiam circumdederunt; *oculos suos statuerunt declinare in terram,* non vtique ea quæ sursum sunt, aspexerunt, sed ad sola terrena oculos flectentes, quia & locum, & gentẽ Ioan. 11. & terrenas diuitias se se amittere putabant, Christum occidere maluerunt. Vel oculos in terra statuerunt, quia terram, & purum hominem Christum esse opinati sunt.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam. Me, inquit, quem, vt Deum, honorifice, summaque cum reuerentia suscipere debuerunt, quasi leones, leonumque catuli ad prædam parati, cruentis faucibus susceperunt. In abditis quidem habitant, quia omnis qui male agit, lucem fugit, & odit. Ioan. 3.

Exurge Domine &c. Mihi in adiutorium exurge. Illum autem populum Iudaicum præueni: qui semper incautus est, quique nihil timet. *Et supplanta eum,* id est, da gentibus hæreditatem, quam iste sibi promittebat. *Eripe animam meã ab impio,* videlicet, a supradicto Iudæorum populo. Et eripe frameam tuam ab inimicis manus tuæ, me, inquit, eripe, qui sum tua framea, qui antiquum inimicum trucidaui, quique iustos a peccatoribus in iudicio diuidam. *Domine a paucis de terra diuide eos:* Pauci enim sunt boni ad malorum comparationem. Vnde etiam dicitur: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. 20. Ac si dicat: Diuide domine hos minucos manu potentiæ tuæ, a Sanctis qui in Ecclesia habitant. Magna enim erit diuisio & separatio, cum illi infernum, isti vero cœlestia regna petent. Matth. 25. *In vita eorum de absconditis tuis adimpletus est venter eorum,* quamdiu, inquit, sancti vixerunt, cælesti pane, & secreta scripturarum intelligentia impleti cupierunt: Illi autem, (Iudæi scilicet) *Saturati sunt filijs,* id est, vitijs, & peccatis, quæ ipsimet sibi genuerunt. *Et dimiserunt reliquias suas paruulis suis,* noluerunt enim crucis delictũ in se esse finiri, sed clamãtes: Sãguis eius super nos, & filios nostros, Matt. 27. in posteros miserunt. Aliter Saturati sũt filijs, idest, sicut diuitijs ita & prolixa fœcunditate repleti sunt. Et dimiserunt reliquias suas paruulis suis, quia panem viuum & Christi corpus fastidientes, humili gentium populo ad mãducandum reliquerunt. Ego autem, dicit Ecclesia, in iustitia, apparebo conspectui tuo, illi quidem filij saturati, ego autem secretis tuis repleta, ante conspectum tuum manifestabor, et tunc tandem *Satiabor cum filij tui gloria apparuerit.* Vel etiã hoc Christus dicere potest. Me Iudæi iniustum. & peccatorem vocantes, cum iniustis, & peccatoribus ab inferno detineri opinati sunt; Ego autem cum iustitia cælos ascendens, tuo conspectui Pater apparebo, cum autem gloria tua sanctis manifestabitur, tunc æterna beatitudine cum eis satiabor.

EXPOSITIO PSALMI XVII.

D*iligam te Domine, &c.* Hoc autem in psalmo aliquando Ecclesia, aliquando loquitur Christus. Fortitudo mea, quia per te fortis sum. *Dominus firmamentum meum,* quia secundum carnem, fragilis sum. *Et refugium meum,* quia in alijs armis vel munitionibus non confido. *Et liberator meus* quia a Iudæis me liberabis. Deus meus, secundum hoc quod homo sum. *Adiutor meus,* in tempore tribulationis. *Et sperabo in eum.* In talem, inquit, sperabo, non in alium adiutorem. *Protector meus, quia me protegit, & defendit. Et cornu salutis meæ;* id est fortis & alta defensio. *Et susceptor meus,* quia die tertia me suscitauit.

Laudans inuocabo Dominum. Propter prædictas causas: in tempore crucis laudando inuocabo te, & *ab inimicis saluus ero.* Habes ne inimicos? Sequitur.

Circumdederunt me dolores mortis. Præteritum, pro futuro posuit, ac si dicat. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Matth. 20 Circundederunt dolores mortis, id est Iudæi, dolores mortis inferentes, vel dolores, qui in morte habentur. *Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me:* quia ecce turba, & qui vocabatur Iudas, venit, venit torrens, & iniquorum impetus ad discipulorum gregem conturbandum, quia pastore percusso, dispergentur oues gregis. Marc. 24.

Dolores inferni circumdederunt me. Id est illi, quos infernales dolores exspectant. *Præoccupabunt me laquei mortis,* quia cum gladijs, & fustibus, vndique superuenient. Laquei mortis, ideo dicuntur. quia diabolicæ fraudis deceptiones in eis erant. *In tribulatione inuocaui Dominum, & ad Deum meũ clamaui,* clamauit Christus in cruce positus, dicẽs: Eloy Mat. 15. Eloy, & Deus meus in manus tuas cõmendo spiritum meum, Luc. 23. *Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meã* per templum, sanctum eius suæ diuinitatis secretum, vel, ipsũ corpus Dominicũ intelligimus. *Et clamor meus, semper existens in conspectu eius, introiuit in aures eius.*

Post hæc, inquit Ecclesia, *Commota est & contremuit terra.* Hoc etiam secundum litteram factum est, quia in Christi passione omnis terra tremuit. Matth. 27. Spiritualiter autem, cõmota est & contremuit terra: quia illi qui simplex terra erant, quique de anima nihil curabant, ab infidelitate ad fidem cõmoti, cum timore & tremore, Domino seruire cœperunt. *Fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt*, sicut enim Christus, Apostoli, & Prophetæ, Ecclesiæ sunt fundamentum: ita diuitum & superborum, qui per montes intelliguntur, ipse malignus spiritus, superbia, cæteraque vitia, fundamentum sunt. Hæc autem sunt commota & conturbata; quia baptismo & pęnitentia sunt confusa. Vel etiam, tunc fuerunt commota & conturbata, quando Christus tartara spoliauit. Ephes. 4. *Quoniam iratus est eis*, idest, quoniam se iratum illis ostendet, nisi enim suam iram Christus propalaret, malignus quidem, vitiaque prædicta, plus solito non conturbarentur.

Ascendit fumus in ira eius. Quia fumo excitantur lacrymę, pro lacrymis fumum posuit, & est causa pro effectu, ac si dicat: Domino irascente, vitijsque expulsis & conturbatis, homines iam emundati, lacrymosa compunctione flere cœperunt. *Et ignis à facie eius exarsit*, ignis namque & feruor spiritus Sancti à facie Domini procedens, in omnibus exarsit, quia & vitia excussit, & sanctos illuminauit.

Carbones succensi sunt ab eo, carbones quidem extincti erant, quia primus homo quando peccauit, lumen, feruorem, & claritatem humano generi abstulit, eique cæcitatem, mortem & nigredinem intulit, erant igitur homines sic extincti, quos Spiritus Sancti gratia ardere fecit.

Inclinauit cęlos & descendit. Prius, inquit Ecclesia, inclinauit Dominus cælos, idest, misit Prophetas & Angelos, qui suũ aduentum mundo nunciarent. Isaias enim dixit: Ecce virgo concipiet. (Isais. 7.) Gabriel autem ad Mariam: Paries, inquit, filium, & vocabis nomen eius Iesum, (Matth. 1.) deinde descendit, & carnem assumpsit. *Et caligo sub pedibus eius:* Cęlum, inquit, mihi sedes est, terra autem, scabellum pedum meorum. (Act. 7.) Ergo quia terra est scabellum, sub pedibus eius est: per terram autem, quam sub pedibus eius esse diximus, corpus Dominicum intelligimus. In hoc autem tanta caligo fuit, vt vix pauci in eo Diuinitatem latitantem cognoscere possent. Fuit etiam caligo in hoc corpore, quia omnis scripturarum profunditas, omnis sapientiæ & scientiæ plenitudo, in Christo permansit. Io. 1. Aliter. Sicut per cęlos, Apostolos, ita per peccatores, infernum intelligas. Inclinauit Dominus igitur cęlos, quando inter peccatores ad prædicãdum, Apostolos misit, Mar. 16. quid enim magis inclinatur, quam qui de cælo in infernum descendit. Et descendit, quomodo descendit? Apostolica prædicatione. Vbi descendit? in omnes terras. Vnde alibi dicitur: Descendit sicut pluuia in vellus. Psal. 71. Et caligo sub pedibus eius, ijdem enim Apostoli, pedes eius sunt, in quibus caligo & scripturarum omnium profunditas: Vel, qui diabolum & vitia, & principum minas sub pedibus conculcauerunt, ideo sub eius pedibus, caligo esse dicitur. Vnde Apostolus: Deus autem Pacis, inquit, conteret Sathanam sub pedibus vestris velociter. Rom 16. Hic autem merito caligo dicitur, siquidem tenebrarum princeps est. Ephes. 6. *Et ascendit super Cherubin*; cherubin, scientiæ plenitudo interpretatur, significat autem eosdem Apostolos, qui omnis scientiæ fonte inebriati erant. Inclinauit igitur Dominus cælos, præparauit ad itinera equos, ascendit super cherubin, ascendit super equos suos *& volauit.* Vbi? *super pennas ventorum*, idest, super instabiles & superbos, quia in eis non inuenit habitationis locum. Possumus etiam per ventos, animas intelligere; per pennas autem, virtutes. Volauit igitur super pennas ventorum, quia omnes animas sanctitate transcendit. Super ascẽsionẽ quoq. iste versus intelligi põt; quia ab Angelis super cælos exaltatus est, vbi venn ascendere nequeant.

Et posuit tenebras latibulum suum. Per tenebras, obscura Doctorum & Prophetarum verba intelligimus. Hæc autem latibulum Dei sunt, quia in his verissime deprehenditur. *In circuitu eius tabernaculum eius*, idest, Dei Ecclesia. Hoc autẽ tabernaculum circa Dei latibulum manet, quando nos circa Psalterium sumus, vel quicunque fideles in scripturis se exercent. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, quia tenebrosa & obscura est scriptura Prophetarum, quos nubes significant, inde cognoscitur, quod suum latibulum Dominus tenebras posuit. Possumus etiam per tenebrosam aquam, erroneam hæreticorum sapientiam intelligere. Aliter. *Posuit tenebras* latibulum suum, quia carnis indumento assumpto non ab omnibus cognitus est. *In circuitu eius tabernaculum eius*, idest Apostolica congregatio, vel ipsa caro assumpta. Obiectio. Quare cognitus non est, cum ab omnibus Prophetis esset annunciatus? Ierem. 2. Cui ipse: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, idest, quia non omnes Prophetarum dicta intelligunt.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt. Prę fulgore, vna pars est, vt sic dicatur: Prę fulgore, idest præclaræ & splendidæ nubes in conspectu Domini semper existentes, Apostoli scilicet, ad gentes transierunt, sicut scriptum est.

Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes. Act. 13. *Grando, & carbones ignis*, ac si dicat: Transierunt nubes, sed quomodo transierunt? clamando, minando, futurum iudicium prædicando, ignem vbique mittendo, humana corda fidei ardore accendendo. Hoc est quod sequitur: *Et intonuit de cęlo Dominus*; quia Apostolica voce docuit gentes, vt ipse ait: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Matth. 10 Repetitio: *Et altissimus dedit vocem suam*, ex qua, vt supra, processerunt grando & carbones ignis.

Et misit sagittas suas & dissipauit eos. Quid per sagittas, nisi Doctores intelligimus? Mittens igitur Dominus Doctores, dissipauit eos, idest, vitia in eis. *Fulgura multiplicauit*, idest, miracula, & suæ potentiæ claritatem. *Et conturbauit eos*, quia quid facerent, nesciebant. Vt illi, qui dixerunt ad Petrũ: Quid faciemus viri fratres. Quibus ipse ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.

Et apparuerunt fontes aquarum, quia ex paucis prædicatoribus multi exorti, vbique terrarum orbe prædicare cœperunt. Vel, quia nouum & vetus testamentum multarum aquarum sunt fontes; tunc primitus intellecta & manifesta fuerunt. Expositio. *Et reuelata sunt fundamenta orbis terrarum*; fundamenta terræ, sunt hæc duo testamenta, & Apostoli & Prophetæ: quia super fundamentum, Apostolorum & Prophetarum fundata est Ecclesia. Ephes. 2. Sed quo ordine reuelata sunt? Sequitur.

Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Quia dicebas: Nisi pœnitentiam egeritis, moriemini: Hic Dominus, inquit Ecclesia, *misit de summo*; quia de seipso. Sed quid misit? Misericordiam suam, Saluatorem & propugnatorem; qui a Patre exiuit, & in mundum venit. Io. 16. *Et accepit me, & assumpsit me de aquis multis*; quia ex multis populis me constituit: vel, quia ex multis vitijs me extersit: Siue, quia ex multis tribulationibus me liberauit. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis:* idest, a persecutoribus, vel malignis spiritibus. *Ab his qui oderunt me:* Et fortissimi quidem erant, & penitus me odio habebant. *Quoniam confortati sunt super me*; quia quasi victores, super me confortati sunt; inde fortissimi comprobantur. *Præuenerunt me in die afflictionis meę*; idest, in tempore quo me afflixerunt insidijs, adulationibus & opprobrijs me occupauerunt. *Et factus est Dominus protector meus*, in necessitate probatur amicus.

Et eduxit me in latitudinem. Qui enim in latitudinem deducitur, de angustijs trahitur. *Saluum me fecit, quoniam voluit me*, quia amittere noluit, ideo saluum me fecit. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*, quia iustus, inquit, fui, iustitiæ meritum recipiam. Repetitio. *Secundum puritatem manuum mearum*; id est, iuxta puritatem operum meorum, quæ vitijs non sunt admixta, *retribuet mihi:* Et hoc merito: *quia custodiui vias Domini:* id est, in mandatis eius non erraui. *Nec impie gessi a Deo meo.* Quid mirum? *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo*, sciebam, inquit, iudicia eius, quibus, secundum opera, merita retribuet. *Et iustitias eius non repuli a me*; quia iudicem cognoui, iustitiam obseruaui. *Et ero immaculatus*

cum

eum eo; ac ſi dicat: Et feci, & faciam, & ſemper ero immaculatus cum eo, qui maculam non habet; *& ab iniquitate mea me obſeruabo*. Nec abs re. *Scio enim quoniam retribuet mihi Dominus, ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum*, exiſtentium *in conſpectu oculorum eius*: bonorum namque opera ſemper in conſpectu Dei ſunt: malorum autem non reſpicit. Sicut ſcriptum eſt: Reſpexit Dominus ad munera Abel, ad munera vero Cain non aſpexit. Geneſ.4. Apoſtrophe.

Cum ſancto ſanctus eris. Tu, inquit, ſanctus eris cum ſancto, *& innocens cum innocente* habitabis. Neque enim habitabit iuxta te malignus. *Et cum electo electus eris*: prius Eccleſiam elegiſti, deinde ipſa elegit te: tu autem electus ſemper eris cum ea electa; *& cum peruerſo peruerteris*.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Deus meus illumina tenebras meas. Quia inquit, in his, quæ ſcio, me illuminaſti: in his quoque quæ ignoro, me illumina. Vel quia Apoſtolos illuminaſti & perfectos, illumina idiotas & imperfectos. Siue, quia illuminaſti iuſtos, illumina & peccatores. *Quoniam in te eripiar a tentatione*: ideo inquit, te deprecor & non alium, quia apud te ſolum a vitiorum tentatione liberabor. *Et in Deo meo transgrediar murum*: id eſt, peccatorum obſtaculum, quod, ne ad te venire poſſem, inimicus mihi oppoſuit. Vel, viam, quæ cæteris arduus murus, nimiſque difficilis eſſe videtur, tuo adiutorio ſuffultus, facile pertranſibo.

Deus meus impolluta via eius. Dei commendatio: ac ſi dicat: Hic Deus meus, non eſt, ſicut cæteri: namque & viæ illius impollutæ ſunt, & verba eius vera. *Eloquia Domini igne examinata*: id eſt, in ipſis tribulationibus, ſunt verba probata: quia non deſerit ſperantes in ſe. Hoc eſt quod ſequitur: *Protector eſt omnium ſperantium in ſe*: Et in eo quidem ſperare debemus. *Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum?* Vnde ipſe ait: Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus. Iſaiæ 45. Et iſte eſt ille *Deus qui præcinxit me virtute*: id eſt, fide, ſpe, & charitate. *Et poſuit immaculatam viam meam*: id eſt opera mea. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum*: ad currendum agiles, & qui in bonorum operum curſu non cito deficerent: quique perſequentium oculis ſe vltro inferrent. *Et ſuper excelſa ſtatuens me*: id eſt, in cæleſtibus regnis, vbi ſanctorum eſt habitatio. Ideo pſalmi graues ſunt, quia perſona cito mutatur; namque modo in ſecundam, nunc in tertiam conuerſus, Domino loquitur, eiuſque beneficia enumerat.

Qui doces manus meas ad prælium. Iuſtitia namque pax, patientia, cæteræque virtutes, quaſi manus nobis ſunt, quibus diabolum expugnamus. Vnde Apoſtolus: Induite vos armaturam Dei. Ephe.6. *Et poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*: dilectio Dei & proximi, duo brachia nobis ſunt: qui Deum & hominem his amplectimur: quibus etiam quaſi forti & inſuperabili arcu vitia ſuperamus. *Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ*: id eſt, filij tui. *Et dextera tua ſuſcepit me*: quia mundum in morte iacentem ad ſe traxit.

Et diſciplina tua correxit me in finem. Id eſt, ad plenum. *Et diſciplina tua ipſa me docebit*: Qui enim ſacras ſcripturas legit, in quibus Dei diſciplina continetur, & à vitijs corripitur, & de virtute in virtutem ad finem ire docetur.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me: Ego, inquit, in arcto perſequi vitia cæpi, tu autem dilataſti, & agiles feciſti pedes meos, vigoremque eis dediſti, ne in tali curſu fatigentur. *Perſequar igitur inimicos meos*: id eſt, vitia & malignos ſpiritus, *& comprehendam illos*: comprehendam & ligabo, ne fugiendo creſcant. *Et non conuertar donec deficiant*: id eſt, non ceſſabo carnem affligere, donec omnes concupiſcentiæ interimantur. *Confringam illos, nec poterunt ſtare contra me, ſed cadent ſubtus pedes meos*; quia bonis operibus mortificantur. Quomodo ſtarent? Ego enim virtute præcinctus ſum; illi autem iam ſupplantati fugiunt & diſperduntur. Hoc eſt quod dicit: *Et præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. & inimicos meos dediſti mihi dorſum*: quia in fugam conuerſis ſola poſteriora deſtruimus & vulneramus. Vox capitis.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret. Huc uſque Eccleſia; nunc Chriſtus loquitur, & ab eo verſu incipit, quo loquendi finem ſuperius fecit, ab hoc videlicet: Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: Ego quidem clamaui, inquit, & exauditus ſum: illi autem clamauerunt, *nec exaudiuit eos* Dominus. Clamabunt, inquit, ad Dominum, Iudæi & peccatores in die Iudicij dicentes: Domine Domine aperi nobis: Matth.25. nec erit qui ſaluos eos faciat, quia Saluatorem non receperunt, nec exaudiet eos Dominus.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti. Non ſaluabo, inquit, ſed contritos & comminutos, magno quidem turbine in infernum deijciam. *Vt lutum platearum delebo eos*, quod cito ſiccatum, non comparet.

Eripies me de contradictionibus populi. Quia alij dicebant: Bonus eſt: Alij vero: Non, ſed ſeducit turbas. Io.7. Vel, de contradicentibus. Vnde ſcriptum eſt: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi. Rom.10. *Conſtitues me in caput gentium*, quia Iudæis amiſſis, gentibus imperabo. *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi*, cognoſcere namque Dei, diligere eſt. Vnde peccatoribus dicturus eſt: Amen dico vobis, neſcio vos. Matth.25. Vt ſic dicatur: Populus gentium, quem minime dilexeram, ſeruiuit mihi. *In auditu auris obediuit mihi*, quia Apoſtolica voce audito Euangelio credidit.

Filij alieni mentiti ſunt mihi. Filij Dei fuerunt Iudæi, ſed Chriſtum interficientes, filij diaboli facti ſunt. Mentiti ſunt, quia in veritate non permanſerunt. *Filij alieni inueterati ſunt*, in primi hominis peccato inueterati ſunt, quia nouum hominem recipere noluerunt. *Et claudicauerunt a ſemitis ſuis*, id eſt a lege & prophetis: ſiue, in ſuis intellectibus. Vel, in fide, in vno ſolo pede nitentes, id eſt, Patrem & non filium adorantes. Vel, vetus & non nouum teſtamentum ſequentes. Siue etiam, litteram & non ſpiritum. His enim pedibus graditur Eccleſia.

Viuit Dominus. Qui me de illis vindicauit. *Et benedictus Deus meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ*, iam demum ad illos perdendum. Apoſtrophe.

Deus qui das vindictas mihi. De iniquis Iudæis. *Et ſubdis populos* gentium *ſub me*: qui es *liberator meus de inimicis meis iracundis*: tu inquam qui hoc facis & facies. Qui ſequitur.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me. Quia reſurgens cælos aſcendam. *Et a viro iniquo eripies me*, id eſt, a prædicto populo. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine*, id eſt per meos fideles vbiq. terrarum te laudabo, *& nomini tuo pſalmum dicam*, quia in tuo nomine bona agent. Vox Patris.

Magnificans ſalutem Regis eius. Magnificans, inquit, magnificabo ſalutem Regis eius, populi ſupradicti, ac ſi diceret: Quoniam populi ſolo auris auditu ſuo Regi obedìunt, & Regis & populi ſalutem magnificabo. *Et faciens*, faciam *miſericordiam Chriſto ſuo Dauid*, quia die tertia eum a mortuis ſuſcitabo. *Et ſemini eius*, id eſt Eccleſiæ, manſuræ *vſque in ſeculum*.

EXPOSITIO PSALMI XVIII.

Cæli enarrant gloriam Dei, id eſt, Apoſtoli annunciãt geſtibus Natiuitatem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem, in quibus Deus glorificatur. Confirmatio.

Et opera manuum eius annunciat firmamentum. Idem enim eſt firmamentum, quod & cælum.

Dies Diei eructat verbum. Id eſt, Deus Pater miſit filium ſuum Apoſtolis. *Et nox nocti indicat ſcientiam*, id eſt, Iudas Chriſtum Iudæis tradidit. Indicauit autem, cum dixit:

Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Matth. 26. *Aliter. Dies Diei eructat verbum*, id est, Doctores annunciant Euangelium Ecclesiæ. *Et nox nocti indicat scientiam*, quando hæreticus errorem hæreticis insimulat. Vel etiam Dies diei eructat verbum, quando Verbi incarnationem, & altam scripturarum intelligentiam, sapientibus, & perfectis Apostoli manifestant. Vnde Apostolus ait: Sapientiam loquimur inter perfectos, 1. Cor. 1. Et nox nocti indicat scientiã quando idem Apostoli, qui abyssus erant, & alta profunditas, qualemcumque mediocrem scientiam imperfectis annunciabant. Sicut scriptum est: Lac potum dedi vobis, non escam, 1. Cor. 3.

Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quia & omnibus linguis loquebantur, & omnem scientiam prædicabant, debiles paruo lacte cibantes validos pane. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, Dixit superius qui prædicarent, & quid, & quomodo: nunc autem dicit, vbi: Quia in omnem terram exiuit illorum prædicatio. Repetitio. Et in fines orbis terræ verba eorum, dicentium:

In sole posuit tabernaculum. Quia carnem, qua Deo Patri militauit, omnibus visibilem præbuit. Vel Tabernaculum suum, id est, vterum Virginis: Maria namque stella maris interpretatur. Posuit igitur tabernaculum suum in solem, quia de hac stella fecit solem. Omnibus enim hęc margarita pręclarior est. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. quia Diuinitate carni coniuncta, de Virginali vtero Christus processit. *Exultauit vt gigas ad currendam viam*. De vtero, inquit, procedens exultauit, factus vt gigas, fortis, & insuperabilis. Sed ad quid exultauit? ad currendam viam, id est ad omnes mundanas aduersitates tolerandas. Vnde ipse ait: Desiderio desideraui hoc pascha. Luc 22. *A summo cælo egressio eius*, quia a patre exiuit, & venit in mundum. Io. 16. *Et occursus eius vsque ad summum eius*. quia iterum reliquit mũdum, et iuit ad Patrem Io. Loc. cit. A summo ad summum est occursus eius, quia Deitate, & potentia æqualis est Patri. Vnde alibi dicitur. O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodijsti, attingens a fine vsque ad finem. Sapient. 8. *Nec est qui se abscondat a calore eius*, cum alij igne spiritus, alij vero igne gehennæ comburantur. Vel, vt quidam volunt, ab aliqua Spiritus Sancti gratia cum omnes intellectum habeant, & rationem.

Lex Domini immaculata. Alia prædicatio Apostolorum. Legem Domini custodite, quia lex Dei iustos, Sanctos, & immaculatos vos reddat. Conuertens animas. Vnde & quo? ab iniquitate ad iustitiam. *Testimonium Domini fidele* ideoque tenendum est. Fidele quidem, quia nõ mentitur: Sunt autẽ testimonia Domini. Date & dabitur vobis, dimittite, & dimittetur vobis, Luc. 6. & similia. *Sapientiam præstans paruulis*, id est humilibus, vnde scriptum est: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Marc. 10. Et alibi; Quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Luc. 10. *Iustitia Domini recta*. Quia reddet vnicuique iuxta opera sua. Rom. 2. *Lætificantes corda*, bonorum. *Præceptum Domini*. Id est nouum testamentum lucidum: quod nullo velamine tegitur. Illuminãs oculos, cordis videlicet. *Timor Domini sanctus*, quia sanctos facit, ideoque timendus est: Initium sapientię timor Domini Psal. 110. *Permanens in sæculum sæculi*, quia cum dilectione fit, quę semper erit.

Iudicia Domini, vera, iustificata in semetipsa. Non ab alio. Nam quia naturaliter iustus est Deus, naturaliter iusta sunt iudicia eius. *Desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum multum*, id est, in omnibus secularibus diuitijs, præferenda sunt iudicia Dei. Et dulciora super mel & fauum. quia ad ineffabilem delectationem atque dulcedinem sanctos perducunt. Sed quibus sunt dulcia? Sanctis quidem. Vnde hoc? Etenim seruus tuus custodit ea: ac si dicat; Nisi dulcia quidem essent, sancti tui ea non custodirent. In custodiendis illis retributio multa, Si custodieritis, inquit Dominus præcepta mea, manebitis in mea dilectione, Io. 15. qua maior retributio esse non potest.

Delicta quis intelligit? Quis se, inquit, peccatorem esse cognoscit? quis sua peccata Domino confitetur, nisi ille, qui dicit. *Ab occultis meis munda me Domine*, id est, ab his, quæ in secreto cordis, vel alio nesciente, peregi. Et ab alienis parce seruo tuo, id est, ab his, quæ publice fiunt, vel quæ nondum feci.

Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero. Si, inquit, ista peccata non fuerint mei dominati. Tunc enim nostra sunt peccata, quando ab eis dominati, & deuicti fuerimus aliter essent aliena. Tunc immaculatus ero, *& emundabor a delicto maximo*, quod est superbia, quę etiam in bene actis cauenda est. *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei*, Si, inquit, peccatis mundatus fuero, tunc mea eloquia talia erũt quæ tibi placere possint: Quia non est speciosa laus in ore peccatoris. *Et meditatio cordis mei*, postea semper erit in conspectu tuo, Domine adiutor meus, & redemptor meus.

EXPOSITIO PSALMI XIX.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis. Vox Prophetæ ven. Christe, venisti Saluator: vadis pro nobis ad immolandum: homo es, auxilio indiges, deprecare Patrem, & Dominus exaudiet te in die tribulationis, id est in tempore passionis. *Protegat te nomen Dei Iacob*. Quia tu in nomine Domini venisti. Vnde ipse ait: Ego a me ipso non loquor. Io. 14.

Mittat tibi auxiliũ de Sãcto, id est, de seipso. Et de Siõ tueatur te: Sion, specula interpretatur. Significat autem, & Ecclesiam, & cęlestem Ierusalem. Et de Sion tueatur te, id est de excelsa cœlorum specula, in qua residet, te defendat.

Memor sit omnis, & vniuersalis, sacrificii tui: quia pro omnium salute oblatus est.

Et holocaustum tuum pingue fiat. id est, lætum & acceptabile. Vel pingue fiat, hoc est omnes in te credentes redimat & saluet; siue Iudæi fuerint, siue gentiles.

Tribuat tibi secundum cor tuum, id est, desiderium tuum, et voluntatem tuam. *Et omne consilium tuum confirmet*. Petat aliquis consilium a Christo: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut te ipsum. Luc. 10. Hoc est consilium Christi, quod in pluribus quidem adeo confirmatum est, vt pro Dei dilectione morerentur.

Lętabimur in salutari tuo. Ideo, inquit Propheta, tibi Salutem deprecor, quia et ego, & cęteri, qui tuum aduentum exspectamus de tua salute lætabimur, Hanc autem & transitiue & intransitiue intelligere possumus. Et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. quia quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Act. 2. vel per nomen Christi, quia Christiani vocabimur.

Impleat te Dominus omnes petitiones tuas. Audi petitiones filii: Clarifica me Pater apud temetipsum. Cui Pater: Clarificaui, inquit, & iterum clarificabo? Io. 12. Itemq. Pater, serua eos, quos mihi dedisti. Ioann. 17. Hæ autem petitiones sunt impletæ, quia & ipse est clarificatus, & illi conseruati.

Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suũ Prouidens per spiritum Sanctum, resurrectionem & ascensionem. Et præterito pro futuro vtitur. *Exaudiet illum de cælo sancto suo*, Id est, mitte illi auxilium de Sancto.

In potentatibus salus dexteræ eius. Quia & per hanc omnes gentes credent, & mors illi vltra non dominabitur. Rom. 6. Vel quoniam quos ipse saluabit, potentes erunt.

Hi in curribus, & hi in equis. Peccatores, inquit, in diuitijs sæculique honoribus lætantur, & in fortuna quæ in rotis describitur. Partem illam quæ dignior est, præ cæteris posuit.

Nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus: per

per Dominum nostrum Iesum Christum; semper dicentes.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Obligati vitiis, & diuitiis, sæculique honoribus, & compede mortis. Et ideo in pœnā, & in mortem cadunt. *Nos autem surreximus*, ab infidelitate, de limo profundi. *Et erecti sumus*, Ad cœlestia & Diuina contemplandum, ea quæ sursum sunt, aspicientes.

Domine saluum fac Regem nostrum. Et exaudi nos in die qua inuocauerimus te, in nomine ipsius, quia ipse ait: Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, de vobis. Ioan. 15.

EXPOSITIO PSALMI XX.
Vox Prophetæ.

DOmine in virtute sua lætabitur Rex. Id est, in diuina virtute qua diabolum superauit. *Et super Salutari tuo exultauit vehementer*: id est de salute sibi vel suis per se attributa. *Desiderium cordis eius tribuisti ei*: quia super velle suum resurrexit, infernum spoliauit, & mundum redemit. *Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum*, labia Dei, Prophetæ, & Apostoli sunt; volebant Prophetæ, vt Christus carnem sumeret, eosque de inferno eriperet: Apostoli vero resurrectionem desiderabant, hæc omnia facta sunt.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, Ac si dicat: Omnes eius voluntates compleuisti, quia multum & vltra omnes dilexisti: dilexisti quidem, quia in benedictionibus illum præuenisti. Prius enim quam homo fieret ab omnibus Patriarchis, & Prophetis benedictus est. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso: diabolum quidem vicit, regnum abstulit, cęlos coronatus ascendit. Ecclesiam autem coronam vocauit, quia Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & Episcopi in ea fulgent quasi lapides pretiosi.

Vitam petiit a te, idest resurrectionem. *Et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi*, quia quod mortuus est peccato mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo, Rom. 6. *Magna est gloria eius in salutari tuo*. Magna est, inquit, gloria in te, quia resurrexit, cælos ascendit, & a dextris tuis sedet. *Gloriam & magnum decorem imposuisti super eum*, gloriosos, & decoros super eum, qui Ecclesiæ est fundamentū, ædificasti fundamentū enim aliud, vt ait Apostolus, nemo potest ponere, præter Christum 1. Cor. 3. Vel gloriam, quia resurrexit: Honore autē, quia ab omnibus honoratur.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi. Et hoc, inquit, scio, quia ab omnibus honorabitur, & venerabitur, quia in æternum omnes eum benedicent. Nulla namque dies est, in qua in Ecclesia Dominus Deus Israel, & Benedictus qui venit in nomine Domini, non decantatur. Vel, dabis eum gentibus in benedictionem, quia in eo benedicentur omnes gentes. Ad Gal. 3. *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo*. Lætabitur Christus in die Iudicii, cum vultus, & gloria Dei, quam in se credentibus promisit, Ecclesiæ manifestabitur. Quoniam Rex sperauit in Domino. Merito, inquit, eum lætificabis, quoniam in te sperauit, secundum humanitatem.

Et in misericordia Altissimi non commouebitur, quia nunquam sine misericordia est, vel erit.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. Hic conuertit se ad ipsum Regem, atque ita fatur: Inueniant, o Rex, virtus, potentia, & maiestas tua ab hit, qui te humilem recipere noluerunt. Vel etiam, inueniant & cognoscant, & te Deū esse credant, Repetitio. *Dextera tua inueniat omnes qui te oderunt*, ad saluandum vel perdendum *Pones eos vt clibanum ignis*, quia æterno comburentur igne. Quando? *In tempore vultus tui*, idest in die iudicii, cum facie ad faciem eum videbunt, & tunc reuelabitur vultus & gloria Domini, & videbit omnis caro salutare Dei. Luc. 3. *Dominus in ira sua conturbabit eos*, dicens: Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25 Ignis autem quid faciet? Vis audire quid? Et deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes. Quia cum operibus suis eos destruet. Vel imitatores illorum a consortio Sanctorum & a terra viuentium separabit. Confirmatio. Et semen eorū a filiis hominum, id est a Sanctis. Et merito. *Quoniam declinauerunt in te mala*. quæ sibi videlicet futura timebant, neque occidere maluerunt, quam locum, & gentem amittere. Vel in te mala declinauerunt, quia omnem furorem, omnemque nequitiam suam, te crucifigendo tibi ingesserunt. Vel quia mortem & pœnam, quam primus homo promeruit, te pati & soluere compulerunt. *Cogitauerunt consilia quę nō potuerunt stabilire*, cogitauerunt enim nomen tuum de terra auferre, & sepulchrum, ne forte resurgeres, custodire. Hoc autem non potuerunt stabilire, quia & resurrexisti, & nomen tuum vbique manifestatur. Vnde scio, quia pones eos deorsum, id est, in fugam, vt neque resipiscant neque saluentur. Vel dorsum, vt in omnibus sint subiecti. Vel, dorsum, vt sola terrena & transitoria diligant.

In reliquiis tuis præparabis vultum eorum. Quia ad ea quę tu omnino derelinquis, & nō vis, illi pręparati & volūtarii sūt quod enim tu vis, illi nolunt. Aliter. In reliquiis tuis præparabis vultum eorum, Quia Elias, & Enoch, quos Dominus ad præludendum cum Antichristo, viuos reliquit, errorem, & maculas a vultibus eorum abstergent, & Ecclesię coniungent, quæ nec maculam habet, nec rugam. Et vt hoc fiat.

Exaltare Domine in virtute tua. id est, resurge, & mane in æqualitate Patris. Vel ostende potentiam, & maiestatem, qui prius venisti in humilitate. Nos autem cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

EXPOSITIO PSALMI XI.

DEus Deus meus respice in me. Vox Dominici hominis in cruce pendētis. Respice, inquit, Pater, et vide humilitatē meam: respice quæ, & quanta in eius obedientiam mundique redemptionem mala patiar: respice filium tuum in cruce pendentem, respice clauos, respice coronam, respice seruos in Dominum insultantes. Quare me dereliquisti? Numquid pater derelinquere filium potuit? nonne semper filius est in patre, et pater in filio est? Vnde, quomodo eum dereliquit? Ipse met dicat, qui solus verax est, cui maxime credendum est. *Longe a salute mea*. Audis quid dicit; se derelictum conquerebatur: salutem superius postulabat, hoc enim prædicta verba sonare videntur: nunc autem superius factam orationem, à sua salute longe esse dicit, quid igitur erat quod postulabat, quandoquidem non sibi salutem quęrebat? Sequitur. *Verba delictorum meorum*. Ac si dicat; Quod me derelictum dico, quod salutem deprecor, non me eo, sed hæc verba delictorū meorum sunt, id est pro delictis meorum.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. Quasi dicat vere meos dereliquisse videris, quoniam clamantes eos non exaudis. Deus clamabo per diem et noctem, idest mei sine intermissione omni tempore clamabunt. Et non exaudies. Vel clamabant per diem, idest pro prosperitate amissa, vt ea rehabeantur, & non exaudies. Et nocte, idest, pro imminente aduersitate, vt ab ea liberētur, et non exaudies. Et non ad insipientiam mihi, quod non exaudiuntur, inquit, hos non ad insipientiam, sed ad maximam sapientiam eis continget: quia dum huius sæculi prospera petentes non exaudiuntur, scient, se in mundanis quidem & transitoriis, vitæque huius blanditiis sibi placere non posse. Itemque dum pro aduersitate, vt ab ea liberentur, orauerint et non exaudies, per multas quidem tribulationes se se in regnum cœlorum oportere intrare. Act. 14. cognoscent, quod solum est sapere.

Tu autem in Sancto habitas laus Israel. Quia superius dixit: quare me dereliquisti, me in huius verbi ambiguitate quis putaret, adiecit Tu autem in Sancto habitas. Non me, inquit dereli-

dereliquisti, vt Iudæi putabant, dicentes: Deus dereliquit eum, Psal. 70. sed semper mecum fuisti, a quo nihil in deitate differs. *Laus Israel*, id est, quem laudat, vel per quem laudatur Ecclesia. *In te sperauerunt Patres nostri, Patriarchæ, & Prophetæ sperauerunt, & liberasti eos*, ab inimicis & aduersarijs suis. Ad te clamauerunt, in tempore tribulationis, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, & non homo. Id est, vilis, & despectibilis. Quid enim verme vilius? Aliter. Illos saluasti, qui in peccatis nati fuerunt; ego autem, qui vermis sum, & non simpliciter homo, sum factus *opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Vt enim vermis ex solo ligno sine patre nascitur, ita & Christus ex sola Virgine, sine virili semine natus est. Vnde Isaias ait: Noli timere vermis Iacob. Isaia 41. Opprobrium hominum factus est, propter crucem & spineam coronam. Et abiectio plebis, quia Barraban elegerunt. Omnes videntes me deriserunt me dicentes: vah, qui destruit téplū Dei Et si filius Dei es, descēde, nūc de cruce. Mar. 15. Locuti sūt labijs, id est cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam, & mouerūt caput, quia prætereuntes illudebant ei, mouentes capita sua. Vel mouerunt caput, quia Christum respuerunt, & sibi aliud caput fecerunt, diabolum scilicet, vel Cæsarem. *Sperauit in Domino eripiat eum*, de manibus nostris. *Saluum faciat eū, quoniam vult eum*, vt ipse dicit. Ironice de Christo dicebant Iudæi, & verum tamen dicebant.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. Extraxit quidem, quia contra legem naturæ de virginali vtero eum deduxit. Vel de Synagoga eum extraxit, quæ turpitudinis, & iniquitatis est reconditio, & Ecclesiæ coniunxit, in qua cælestes thesauri reponuntur. *Spes mea ab vberibus matris meę*, id est, ex quo homo fui: prius enim quam homo fuisset, in nullo se maiore sperare, poterat. *In te proiectus sum ex vtero*: id est in tuam tutelam ex quo, ex vtero processi, a Diuinitate namque tuebatur humanitas. *De ventre matris mea Deus meus es tu, & ideo ne discesseris a me*, quia semper mecum eris, quod oportet. Quoniam tribulatio proxima est. Vnde in Euangelio: Surgite eamus, ecce appropinquauit qui me tradet Matth. 26. *Et non est qui adiuuet*, neq. Angelus neque homo, nisi tu solus.

Circumdederunt me vituli multi. Iudæi pingues, luxuriantes, indomitę ceruicis, *tauri pingues absederunt me*. Anna, & Caiphas, cæterique maiores, tauri quidem, quia superbi: pingues autem, quia malitia pleni erant. *Aperuerunt super me os suum*, palam & alta voce me blasphemantes. Vel os suū, id est, intentionem, & affectum, quo me occiderunt. *Sicut leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effusus sum*, ad totius videlicet gentis purgationem. Quia sanguine eius mundari sumus. Sicut aqua effusus sum, ad ruinam, & mortem multorum, aqua enim effusa pedibus labentibus, homines multoties cadere facit. Vel, sicut aqua effusus, quia doctrina Euangelij a me quasi ab vno fonte procedens, vbique terrarum sicca gentium corda germinare facit. Et dispersa sunt omnia ossa mea, ossa Christi Apostoli sunt, quibus corpus eius, quod est Ecclesia sustinetur & roboratur. Hæc autem dispersa sūt quia relicto eo omnes fugerunt. Marc. 14 Vel etiam dispersi sunt ad prædicandum.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens. Pro mortis dolore intelligi potest, quia dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem, Matth. 26. Vel, Cor Christi Apostoli sunt: venter eius Ecclesia: Apostoli autem in medio Ecclesiæ, quasi cera liquescens erant, quia alios illuminabant, & seipsos ieiunijs, & orationibus affligebant, & ab impijs tribulabantur. Vel, cor suum, id est, tota Ecclesia, quam præ omnibus dilexit, cui suum consilium dedit, quam Diuina sapientia imbuit, prius lapidea & dura, nunc est humilis & pia, omniq. misericordia plena.

Aruit tamquam testa virtus mea. Quia prius mortalis, & corruptibilis erat, postea vero immortalis, & incorruptibilis factus est. Vel etiam, aruit, quia se mortuum & sine vigore ostendit, neque seipsum defendit, qui alijs auxiliari solebat. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis*. Quia quasi ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum, *Et in puluerem mortis deduxisti me*, id est in locum sepulturæ, vel in infernum. Quoniam circumdederunt me canes multi, id est Iudęi sine causa latrantes, neque a peregrinis latrones decernentes: quique Barraban latronem cōgaudebant, & contra me custodem & amicum latrabant. *Consilium malignantium*. Iudęorum, *obsedit me*. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, hoc ad litterá. Dinumerauerunt omnia ossa mea, id est dinumerabilia fecerunt, me in cruce extenso. Vel omnia ossa mea numerauerunt, quia numerantes discipulos, dixerunt: Tot sunt, videte vt omnes captantur.

Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me. Idem ipsi, & non mutati ab iniquitatis proposito, considerabant qualis essem, & solum corpus videntes, purum hominem esse putabant. *Diuiserunt sibi vestimenta mea, secundum litteram Et super vestem meam miserunt sortem*. Quod autem vestimenta diuiserunt, suam discordiam & errorem, regnique diuisionem significabant. Quod vero inconsutilem et meliorem vestem non diuiserunt, Ecclesiæ concordiam significabant quæ macula caret, & ruga. *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum a me*, quia die tertia resurgam. Ad defensionem meam aspice, ne mihi inimici præualeant.

Erue a framea Deus animam meam. Erue inquit animam meam, vel sanctam Ecclesiam, pro dilectione quam erga me habet, a framea, a morte, a diabolo, ab insidijs hæreticorum. *Et de manu canis vnicam meam*, anima eius vnica, quia sola sine peccato est. Ecclesia vnica, quia sola credit. Canis infernus intelligitur, qui more canino auide cuncta vorat. Vel erue de manu canis, id est potestate Iudæi populi sine causa latrantis.

Salua me ex ore leonis, Per leonem, eundem populum significamus, qui omnibus nequitia præeminet. *Et a cornibus vnicornium humilitatem meam*, vnicornis erat populus Iudaicus, quia solus vno cornu erigebatur, id est de lege, & testamento superbiebat, quo cæteras gentes ventilabat atque vincebat. Quod si feceris, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, hoc fecit Christus post resurrectionem, quia Apostolorum sensus aperuit, vt scripturas intelligerent. Luc. 24. In medio Ecclesiæ laudabo te, quia in omnem terram Apostolos prædicare mittam. Vel, in congregatione Apostolorum laudabo te, quæ, est primitiua Ecclesia, dicens: *Qui timetis Dominum laudate eum*, vos, inquit, Apostoli laudate Dominum, qui eum timetis. Vniuersum semen Iacob glorificate eum. Iacob, qui vitiorum supplantator, Ecclesiam significat, quæ quotidie pœnitendo, diabolum supplantat, vniuersum autem semen Ecclesiæ, Apostoli sunt, quia ex his, quasi ex paucis granis, exorta, totum mundum impleuit. Hi autem glorificauerūt Dominum, quia vbique eum prædicauerunt. Timete eum omne semen Israel, idem est Israel semen, quod semen Iacob. *Quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis*, cuius pauperis? de quo scriptum est, Qui cum omnium diues esset pro nobis pauper factus est. 2. Cor. 8. *Nec auertit faciē suam a me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me*. Hic euidentissime apparet, quoniam non de se superius dixit, Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: contraria enim sūt exaudiri, & non exaudiri. Hic enim se exauditum dicit, ibi vero non exaudies.

Apud te laus mea in Ecclesia magna. Mutatio personę, quod ego, inquit in magna & vniuersali Ecclesia laudo, a te est. Vel, laus quæ in Ecclesia est, de te quidem fit. Vnde Apostolus. Qui gloriatur in Domino glorietur. Corinth. 10. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*. Nunc, inquit, in cōspectu Iudęorum oblatus sum, dehinc autem in conspectu Sanctorum qui Deum timent, in Ecclesia quotidie immolabor. Edent pauperes, & saturabuntur, de quibus dicitur Beati pauperes spiritu, Matth. 5. hi pauperes edent corpus Christi, & saturabuntur pane, neque amplius famem patientur. *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in sęculum sæculi*, quia viuum panem comedent, ideirco in æternum viuent, vnde etiam dictum est, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Io. 6. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum, obliti, inquit diaboli; reminiscentur Domini, cuius per lignum vetitum ob-

hiti

liti fuerant. Et conuertentur ad Dominum, relictis vitiis vniuersæ fines terræ. *Et adorabunt in conspectu eius vniuersa familiæ gentium.* Quia in nomine Iesu omne genuflectetur. ad Phil. 2. Quoniã Domini est regnum, quia deuicto diabolo, regnum accepit. *Et ipse dominabitur omnium gentium.*

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. De supradicto, inquit, sacrificio, manducabunt omnes sancti, qui montes sunt coagulati & pingues. Et adorabunt Dominum.

In conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram. Nullus enim nascitur, nullus in hoc mundum venit, nullus in terram cadit, qui aliquo tempore Deum non adoret, vel, omnes qui a superbiæ elatione in humilitatem, & Ecclesiam descendunt in conspectu Domini simpliciter cadunt. Siue omnes qui in terram descendunt, qui sola terrena concupiscunt qui cælestia non contemplantur, in conspectu Domini, & eo vidente, in die iudicij in infernum cadent. Et anima mea illi viuet, quam iudæi mortuum esse putabant, vel Anima mea id est, Ecclesia, pro qua passus sum, quia omnia, quæ habet homo dabit pro anima sua; nihil enim hominis habuit Christus quod pro Ecclesia non dedit. Illi viuet, quia non sua quæret, sed quæ Iesu Christi, quæ omnibus sunt ad salutem. Repetitio. Et semen meum seruiet ipsi, id est, filijs promissionis.

Annunciabit Domino generatio ventura, Namque etsi Apostoli prædicarent, sibi tamen, vel seipsos non prædicabant, sed Dominum & Domino Euangelium nunciabant. Siue generatio per fidem & baptismum ventura, Domino annunciabitur, & docebitur ab Apostolis. Confirmatio. Et annunciabunt cæli, idest Apostoli, iustitiam eius. Quibus? populo qui nascetur, & fonte baptismatis regenerabitur. Quem fecit Dominus, esse suum, et ante secula prædestinauit.

EXPOSITIO PSALMI XXII.

DOminus regit me. Vox Ecclesiæ Hactenus, inquit, dum diabolus regnauit, misera fui, omnibus indigens, nunc autem eo deuicto, quia Dominus regnat, qui diues est, & omnium copiosus, *nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocauit,* quo, inquit, modo mihi aliquid deesse poterit, cum in loco pascuæ, inque omnibus diuitijs sim collocata. In Ecclesia enim, & nouum et vetus testamentum est, & Deus ipse qui est panis viuus, quibus sanctorum animæ reficiuntur. *Super aqua refectionis educauit me,* quia Diuina sapientia pascitur Ecclesia. Vnde dicitur. Omnes sitientes venite ad aquam: Isaiæ 55. vel, super aqua refectionis, id est in Baptismo abluẽdo peccata. *Animam meam conuertit,* ad se, inquit, conuertit animam meam, quæ pondere peccati grauata erat.

Deduxit me super semitas iustitiæ. super semitas me deduxit, per quas ad cælestia iusti gradiuntur. Propter nomen suum, non ex meis meritis, ideoque iam nihil timeo. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. *Nam & si ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala,* quamuis, inquit, ingerantur mihi passiones mortis, quæ aliud non sunt quam mortis vmbra, cum non mortem, sed potius vitam præstent, tamen nihil timebo, vel per vmbram mortis, id est, per medios peccatores, quibus mors, et diabolus præeminet. Quoniam tu mecum es, sicut scriptum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi. Matth. 28.

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Per virgã regimen & sceptrum, per baculum autem sustentationem & adiutorium, intelligimus. Ergo quia Dominus regit, et sustẽtat, defenditq Ecclesiam, nullum timet inimicum tanto adiutore consolata. Possumus autem per virgam, et baculum, disciplinæ correctionem intelligere.

Impinguasti in oleo caput meum. Per caput, mentem: per oleum vero sancti spiritus gratiam, vel misericordiam figuramus, et sic dicat: Impinguasti in oleo caput meum, quia in tua misericordia, vel sancti Spiritus gratia, mentem lęnificasti. *Et calix tuus inebrians quam præclarus est;* calix Dei, Diuinæ scripturæ intelligitur. His autem spirituales viri inebriantur: Qui enim Patrem, & Matrem fugit, domumq. propriam, aurũ, argentum, agros, et vineas dereliquit, et vilissimis indutus vestimentis in eremum fugit, nonne ebrius his esse videtur? Hoc enim multi Sanctorum fecerunt, tali calice inebriati.

Et misericordia tua subsequatur me. Subsequitur nos misericordia Dei, quasi custos, et pastor, ne a lupo et diabolo rapiamur. *Omnibus diebus vitæ meæ:* id est, vsque ad seculi consumationem.

Et hoc ideo fit. *Vt inhabitem in domo Domini,* id est, in cęlesti Ierusalem. *In longitudinem dierum,* Quam diu, inquit, super me diabolus regnauit, cum eo quidem habitaui in inferno, non autem quia Dominus regit me, in admirabili domo sua in æternum manebo.

EXPOSITIO PSALMI XXIII.

DOmini est terra & plenitudo eius. Dominus, inquit Ecclesia, Rex est, ipse regnet, sua est terra, nullus in terreno regimine glorietur. Vel, Domini est terra, idest, caro humana in baptismo innouata, quia iam non regnat peccatum in nostro mortali corpore. Rom. 6. *Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo,* idest totus mundus cum habitatoribus suis. Vel, Domini est terra, idest, vniuersalis Ecclesia, quæ quasi in medio maris posita, vndique aduersitatibus concutitur. *Quia ipse super maria fundauit eam,* super maria fundata est Ecclesia, quia iuxta amaras huius seculi fluctuationes sita est. Siue, super maria, & non sub mari fundata est, quia nullis impiorum tormentis superatur. Vel, quia non ei vitia, sed ipsa vitijs dominatur. *Et super flumina præparauit eam,* pręparauit utique Dominus Ecclesiam super flumina, quia super multos populos doctores constituit, et Episcopos. Possumus etiam per maria et flumina, Prophetas, et Apostolos intelligere, qui Ecclesię sunt fundamentum.

Quis ascendet in montem Domini? Constituta est Ecclesia, præparatus est mons domus Domini in uertice montium. Sed quis, inquit, in hunc montem ascendet? quis se Ecclesiæ associabit? *Aut quis,* postquam ascenderit, *stabit in loco sancto eius:* Ascendere namque cuiuslibet est: stare autem prudentium, et perfectorum. Ascendit enim Iudas, sed minime stetit. Ascenderunt multi alij, sed conuersi, abierũt retrorsum. Quis igitur stabit? Sequitur.

Innocens manibus, & mundo corde. Id est, qui neque operatur, neque cogitat malum manibus enim opera, in corde autem cogitationes intelligimus. *Qui non accepit in vanum animam suam,* baptismatis fonte purgatam, In vanum namque animam puram recipit, qui eam postea vitijs commaculat. *Nec iurauit in dolo proximo suo,* quomodo eum decipere posset Hic qui talis est, *accipiet benedictionem a Domino,* quia inter illos erit, quibus in die iudicij dicturus est Dominus: venite benedicti Patris mei. Matth. 25. *Et misericordiam a Deo, salutari suo;* quia misericors fuit, misericordiam inuenit. *Hæc est generatio quærentium Dominum:* ex talibus, inquit, constituitur Ecclesia, hi sunt, qui Dominum quærũt, qui faciem Dei Iacob videre cupiunt. Diapsalma.

Attollite portas principes vestras. Vnusquisque homo quinque portas habet: habet enim visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, hæ autem portæ nisi singulis virtutibus, quasi singulis custodibus custodiantur, per eas diabolus frequenter ingreditur & regreditur: sed quoniam prædicta generatio iã Dominum quærit, & diabolus & eius portæ ab hominibus fugerunt, portęque æternales leuatæ sunt, quia soli æterno Regi prædicti sensus aperiuntur. Aliter. Postquam primum hominem de paradiso antiquus hostis extraxit, quibus in infernum prorumperet, portas ei aperuit: Alij enim per auaritiam alij per superbiam, alij per luxuriam mortem & pœnam ingrediuntur, hæc sunt illæ portę, quas malignus spiritus nobis

aperuit: hæ sunt, quæ hic auferri præcipiuntur. *Et eleuamini, portę æternales*, fides, spes, charitas, cæteræque virtutes, quæ ęterni regni ianuę sunt, vnde, & æternales dicimus. Hæ autem apertæ sunt, quia per has, & Deus in nos, & in cælestem patriam nos introducimur. Itemque. Tollite portas principes vestras, idest vos maligni spiritus, auferte potestatem & retinacula, quibus hactenus in inferno Sā.. os detinuistis: vos autem Patriarchę, & Prophetæ, æternales portæ, eleuamini, cælos ascendite. Et introibit Rex gloriæ, vobiscum in gloriam.

Quis est iste Rex glorię? Vis audire qualis? Dominus qui omnibus dominatur: fortis quia diabolum vicit: potens, immo & omnipotens. Sed vbi potens: in prę̄lio, vbi quales fuerint vires cuiusq. manifestantur.

EXPOSITIO PSALMI XXIV.

A*D te Domine leuaui animam meam*: Vox Ecclesiæ. Tūc ad Dominum animam eleuamus, quando in bonis operibus perseueramus. Recipe, inquit, Domine animam meam, quam ad te eleuaui, ubique obtuli. Deus meus in te confido, non in me, non in homine, non in meis viribus, sed in te confido. Ideoque non erubescam. Sicut illi qui idola coluerunt, de quibus dicitur: Quem igitur fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis. Rom. 6.

Neque irrideant me inimici mei. Irridebont namque gētiles, sanctos, & idola sua digito monstrātes dicebant dicētes: Vbi est Deus vester quem creditis? quem exspectatis, & hoc frustra. *Etenim vniuersi qui te exspectant non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes, superuacue*, omnes, quidē inique agunt, non tamen omnes superuacue. Qui enim mentitur, inique agit, omnis autem homo mendax. Rom. 4. omnis igitur homo inique agit. Ergo ne omnes confundentur? Absit. Quis igitur? Qui hęc superuacue quidem agit, idest qui in malo perseuerat.

Vias tuas Domine demonstra mihi. Quia, inquit, inique agens peribit, monstra mihi vias tuas, ne erroris via deceptus, ego quoque confundar & peream. Et semitas tuas edoce me vias dixi, nūc autem semitas voco, quia arcta via est, quæ ducit ad vitam.

Dirige me in veritate tua. Tu, inquit, rectus & verax es, ego autem mendax & tortuosus, dirige me ergo Domine, vt secūdum veritatem tuam incedere valeam, edoce me euitare malum & eligere bonum. Quia tu es Deus saluator meus, & quia te sustinui tota die: te ex antiquis temporibus in mundū venturum esse Prophetę prædixerant, te Christe expectaui, tu me dirige et doce.

Reminiscere miserationum tuarum, & misericordiarū tuarum quæ a seculo sunt, semper, inquit, misericors fuisti, & adeo misericors vt carnem sumeres & crucem pro nobis subires huius igitur tantæ misericordiæ ne obliuiscaris.

Delicta iuuentutis meę. Quæ per ignorantiam commisi. *Et ignorantias meas ne memineris, secundum misericordiam tuam memento mei*, quia merita nulla sunt. *Propter bonitatem tuam Domine. Dulcis, & rectus Dominus*, dulcis quidem, quia felle & amaritudine caret, vel quia omnibus bona promittit. Rectus autem, quia reddet vnicuique iuxta opera sua Rom. 2. Propter hoc legem dabit delinquentibus in via mandatorum tuórum positi sumus, per hoc iter ambulare debemus, multi tamen deuiantes, & per vitiorum prærupta se præcipitantes, delinquunt. Sed quia Dominus noster dulcis est & rectus, in hac uia delinquentibus legem dedit dulcissimam Hęc enim lex delinquentibus attributa est, ut pæniteant, conuertantur & saluentur. Diriget mansuetos in iudicio, cum inquit in iudicio uniuersalis mansuetis annunciandum fuerit, eos ad se Dominus diriget. Siue illi, qui eum in hoc sæculo ab infidelibus iniuste iudicantur, in patientia & mansuetudine tamen persistunt, nec aduersitatibus franguntur, recto itinere ad Dominum uadunt. Dirigit etiam mansuetos in iudicio, quia recte iudicandis eis tribuit discretionem. *Docebit mites vias suas*, quibus ad se peruenire possint. Sed quę sunt uiæ eius? Sequitur.

Vniuersa via Domini, misericordia & veritas. Nullus enim a Deo eligitur, nisi vel sola misericordia, vt Iacob; vel misericordia & veritate, vt Iob. Sed quibus sunt hæ viæ præparatæ? Sequitur. *Requirentibus testamentum eius & testimonia eius*, testamentum Domini requirunt, qui ea quæ dicunt, spiritualiter intelligunt: Vel, qui ad hoc laborant, vt testamento & adoptione Dei digni fiant. Et testimonia eius, in psalmis & Prophetis, cæterisque scripturis. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo*; Quia, inquit, duæ sunt viæ, per quas iter ad te, altera autem solummodo perfectorum est, idest, veritas, propter nomen & misericordiam tuam mihi propitiare, *multa enim sunt peccata mea*.

Quis est homo qui timet Dominum? Gaudens Ecclesia de Dei dulcedine & bonitate dicit: Quis est homo qui timet Dominum? Lætetur, nihil timeat, si peccator est, non desperet, sed pęniteat, conuertatur, & saluabitur. Hanc enim *legem statuit ei Dominus in via quam elegit*: Iustitia enim, pax, patientia, caritas, benignitas, viæ sunt per quas incedere debemus, hæc est illa via, quam Dominus elegit. Sed si quis ab hac via quandoque deuiauerit, legem sibi positam recognoscat.

Anima eius in bonis demorabitur, huius qui per hāc viam ingredietur. *Et semen eius hereditabit terram*, quia & ipse per opera quæ fecit, & imitatores eius, terram viuentium inhabitabunt. *Firmamentum est Dominus timentibus eum*, per nos enim fragiles sumus, sed quia supra firmam petram firmus firmati, minas æquoris non timemus. *Et testamentum ipsius*, & ipse quidem nostrum firmamentum, & testamentum ipsius, quo bonis exemplis corroboramur, datum ad hoc *vt manifestetur illis* qui Deum timent, per hoc enim testamentum manifestatur & cognoscitur Dominus.

Oculi mei semper ad Dominum. Solet fieri vt aliquis ad aliquid intuendum, intentius non considerans vbi pedem ponat, in foueam cadat, quod iste omnino non timens ait: Oculi mei semper ad Dominum. Nec laqueum timebo; *Quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me*, respice inquit, in me, quia ego quidem non respicio nisi ad te. *Et miserere mei*, quod debes, *Quia vnicus & pauper sum ego*: Vnicus quidem, quia solus, & te solum adoro: Pauper vero, quia nihil habens omnia possideo. Hoc autem & de Christo aptissime intelligi potest.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, quia multis modis affligor. *De necessitatibus meis erue me*, ducens ad illud regnum in quo necessitates non patiar.

Vide humilitatem meam & laborem meum, vide inquit, quia in magna tribulatione & labore sum, vnde fieri potest, quin aliquando fractus in peccata cadam, & ideo *dimitte vniuersa delicta mea. Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt*, & multi quidem sunt. *Et odio iniquo oderunt me*, quia non vitia in me, sed ipsam naturam odio habent. *Custodi* ergo *animam meam* ab illorum fraudibus, *& erue me, vt non erubescam, quoniam speraui in te. Innocentes & recti adhæserunt mihi*, aliter enim innocentes non essent nisi Ecclesiæ adhærerent, *quia sustinui te. Libera Deus Israel*, idest Ecclesiam, de se quasi de alio loquitur, *ex omnibus tribulationibus suis*, quas & a vitijs & ab hominibus patitur.

EXPOSITIO PSALMI XXV.

I*Vdica me Domine*. Vox perfectorum. Non enim iudicium timet qui se iudicari rogat. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum*, ideo inquit, iudicium non timeo, quia innocenter vitam egi. *Et in Domino sperans non infirmabor*, non infirmabor in opere, sed sicut incepi, vsque in finem operabor.

Proba me Domine & tenta me, proba me inquit, cognosce an verum sit, quod me innocenter vitam egisse dixi. Et tenta, vt probes, qualis & quantæ constantiæ sim, quoniam quidem promisi, & me non infirmaturum esse spopondi. Quod

post-

postquam feceris *vre renes meos & cor meum*, postquam, inquit, me probaueris, si quam in me vitiorum maculam inueneris, hanc exure, hanc Sancti Spiritus igne destrue: sin vero nihil reperteris, ad maiorem me dilectionem accende.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Quia neque ego misericordiæ, neque misericordia mei obliuiscitur: *Et quoniam complacui tibi in veritate tua*, quod enim verũ dico, tuum est, quod autem mentior, meum est, tua est igitur veritas, meum autem mendacium, tua est ergo veritas, in qua tibi complacui. Et quoniam *non sedi cum concilio vanitatis*, idest, cum consiliantibus vanitatem. Et quoniam *cum iniqua gerentibus non introibo*: Quid est non introibo: idest, eandem iniquitatem facere non aggrediar. Siue mortem & pœnam non introibo, quam illi proculdubio ingressuri sunt. Et quoniam *odiui Ecclesiam malignantium*, idest, congregationem malorum. *Et cum impijs non sedebo*, idest, ad eorum similitudinem in impietate non perseuerabo. Vel etiam, in tormentis cum illis non ero, quoniam hoc feci vel illud, ideo iudiciũ non timeo, quin confidenter dicam: Iudica me Domine. Et quoniam *lauabo inter innocentes manus meas*, cum innocentibus inquit habito, quia malignantium odiui Ecclesiam, inter quos positus, a cunctis vitiorum sordibus opera mea lauabo, manus enim opera significant. Et quoniam *circundabo altare tuum Domine*: Altare Dei, Ecclesia est, siue nouum & vetus testamentum, quia in his fit commemoratio natiuitatis passionis, resurrectionis corporis & sanguinis Domini. Hoc autem altare circundant sancti, sed cur circundant? vt laudis Dei vocem audiant, hoc est quod sequitur. *Vt audiam vocem laudis tuæ*, quicunque laudes Dei audire desiderant, ad hoc altare concurrant, hæc duo testamenta circundent, hic enim Apostolos, Patriarchas, & Prophetas Deum laudantes inuenient. *Vt enarrem vniuersa mirabilia tua*, hic Domini sui pecuniam abscondere non vult, iste peram non portat vbi thesaurum recondat, sed quæ gratis accepit, gratis cunctis impertire desiderat. Quoniam inquit, & hæc & illa faciam, ideo in Domino sperans non infirmabor.

Domine dilexi decorem domus tuæ, idest animam virtutibus ornatam, mentis & corporis castitatem. Confirmatio. *Et locum habitationis gloriæ tuæ*: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. 1. Corinth. 3.

In quorum manibus iniquitates sunt. Quia omnia illorum opera iniusta & iniqua sunt. *Dextera eorum repleta est muneribus*, quibus decipiant innocentes. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*, quia innocenter vitam egi. *Redime me*, ab omnibus inimicis, *& miserere mei. Pes meus stetit in directo*, quia a recto tramite non claudicaui. Et quam diu ero *in Ecclesijs* & sanctis congregationibus, *benedicam te Domine*.

EXPOSITIO PSALMI XXVI.

D*Ominus illuminatio mea*. Vox Ecclesiæ. In tenebris quondam eram, in cæcitate iacebam, sed veniente Christo, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: Isaiæ 9. Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Io. 1. *Et Salus mea*, ipse me illuminauit, ipse me saluauit, *quem igitur timebo? Dominus protector vitæ meæ*, redemit inquit Dominus animam meam, illuminauit, saluabit & proteget eam, ne amittat. *A quo ergo trepidabo?* Video hostes, video malignos spiritus, video incursentes tyrannos; sed neminem timeo, Dominica admonitus consolatione, ait enim: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Matth. 10.

Dum appropriant super me nocentes, appropinquant nocentes, inuadunt me hostes, obsident me inimici. Ad quid? *Vt edant carnes meas*, vt me lacerent & occidant, vt carnales & imperfectos decipiant, & nefario corpori suo coniungant, animæ enim & ossibus nihil officere possunt. Vel etiam, quia appropinquant, inde fit, vt carnem edant, carnisque concupiscentias secum auferant, animam autem puram & probatam mihi relinquant. *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt*, subiungit causam cur ei timendum non sit, infirmati sunt inimici persecutores, vel maligni spiritus, deuicti sunt, mortuo Christo. Et ceciderunt, ab imperio & potentia, quia Christus resurrexit. Ideoque *si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum*, si, inquit, impiorum exercitus, si vitiorum impetus, si dæmoniorum cœtus mihi aduersentur, nihil tamen timebo, Dominus enim mecum est tanquam bellator fortis. *Si exurgat aduersum me prælium*, a prædictis inimicis meis, *in hoc* adiutore *ego sperabo*.

Vnam petij a Domino. Vnam inquit petitionem feci, vnam rem a Domino petiui, *hanc requiram*, huic petitioni insistam. Sed quæ est ista petitio? *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, idest, vt corpore mortificato, in cælesti Ierusalem perpetuo requiescam. Vnde Apostolus ait: Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, habebimus domum non manu factam æternam in cælis. 2. Corinth. 5. *Vt videam voluntatem Domini*, ideo inquit in domo Domini habitare volo, vt eius voluntatem perfecte videam & cognoscam, video enim nunc per speculum & in enigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc ex parte cognosco, tunc autem, sicut & cognitus sum. 1. Corinth. 13. *Et visitem templum eius*, illud scilicet inenarrabile, illud clarissimum Diuinitatis secretum, quod ab humano ingenio, quale sit, perscrutari non potest.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo. Ordo est: *Circuibo & immolabo in tabernaculo eius.* Quid circuibo? meipsum & animam meam. Illorum similitudinem sequitur, qui castra vel ciuitates custodientes, die noctuque circumeunt, ne aliqua ex parte inimici furtim subintrent, similiter & iste: Circuibo, inquit, domum mihi commissam, eius portis custodes ponam, qui auaritiam, luxuriam, superbiam, cæterosque inimicos ab ea longe repellant. Et immolabo in tabernaculo eius, tabernaculum Dei vniusquisque fidelis est. Sed quid immolabo? *hostiam vociferationis*, quia inquit, Dei sum tabernaculum, in meipso tibi hostiam immolabo, non hircorum, non vitulorum, immo laudis & iubilationis, hostiam viuam & immaculatam, *cantabo, psalmum dicam Domino*: cantabo, inquit, prædicabo, laudes illius annunciabo. Et psalmum dicam, quia factis verba complebo. Et hoc merito. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo*, tabernaculum quidem non abscondit, sed me in tabernaculo occuluit, quia exteriorem hominem cunctis visibilem præbuit, & a cunctis affligi permisit. Vidit enim Decius Laurentium, vidit Dei tabernaculum, templum Dei violauit, domum eius combussit: Sed sicut ait Apostolus si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus, 1. Corinth. 3. interiorem tamen hominem non vidit, quem Deus in tali tabernaculo absconderat, in talibus tabernaculis absconditi sancti, a vitijs vel malignis spiritibus inueniri non possunt. *In die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Dies malorum vocantur illi, in quibus mali nequitiam suam exercent. Vnde Apostolus: Quoniam dies mali sunt. Ad Ephes. 5. In his autem diebus, etsi tabernaculũ caperent, corpus affligerent, me tamen, idest animam meam inuenire non poterunt.

Et quoniam *in petra exaltasti me*, idest, in Christo & per Christum a terrenis cupiditatibus me sublimauit. *Et nunc exaltauit caput meum super inimicos meos*, tunc caput nostrum super inimicos nostros exaltatur, quando mens, suam considerans dignitatem, nullis aduersitatibus succumbit. *Exaudi Domine vocem meam qua clamaui*, exaudi inquit meã orationem, redde prædictam petitionem qua dixi: Vnam petij a Domino. Confirmatio. *Miserere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum*; ac si dicat: Oratio illa qua me clamasse, non in labijs sed in corde fuit. *Exquisiuit te facies mea*: Expositio petitionis, nihil, inquit, aliud peto, nisi vt faciem tuam videam, vtque tuam voluntatem cognoscam, & in tua præsentia consistam. *Ne auertas faciem tuam a me, ne declines in ira a seruo tuo*, quia ego, inquit, seruus tuus faciem tuam requiro, noli eam mihi abscondere, noli quasi iratus a me separari, sed fac quod sequitur: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me*, neque hic neque in futuro, *neque despicias me Deus*

quia quatouis homo, & corruptibilis sim, cęlestia tamen, & Diuina quæro.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, prius inquit, quam carnem assumeres, diabolus mihi pater erat: mater, vero, gentilitas, Babylon & confusio: hi autem postquam credidi, & eorum actus dereliqui, de mea salute dolentes, dereliquerunt me: Deus autem, qui verus est pater, assumpsit me; *Lege pone mihi in via tua*, quia, inquit, assumpsisti me, da mihi legem viuendi, vt in via tua firmiter persistes, neque ad dextram, neque ad sinistram declinem. *Et dirige me in semitam rectam*, ne a Iudæis, & hæreticis decipiar. Propter inimicos meos, qui me decipere conantur. *Ne tradideris me in animas tribulatium me*. vt ex toto animum & desiderium suum faciant, quia quamuis corpus, animam tamen non superabunt. Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, multotiēs enim falsi testes Iudæorum contra Apostolos insurgebant, & præuaricatores legis eos vocabant.

Et mentita est iniquitas sibi, sibi quidem iniquitas mentita est, quia in verticem ipsorum iniquitas eorum descendit. Hoc etiam de Christo intelligi potest, in quem iniqui testes insurgentes dicebant. Hic dixit: possum destruere templum Dei, & in triduo reędificare. Matth. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, Vnde scio, quia non trades me in animas tribulantium me, iam mediator ascendit, iam mihi locum præparat saluator, quia etiam in sanctis scripturis, quotidie me admonet dicens: Exspecta Dominum, qui & laboris merita retribuet, & de inimicis te vindicabit. Viriliter age, cōfortare & esto robustus, hoc est quod dicit. Confortetur cor tuum, in operibus bonis, Et sustine Dominum, id est, exspecta, donec veniat.

EXPOSITIO PSALMI XXVII.

AD te Domine clamaui Deus meus. Vox Christi, vel Ecclesię. Clamauit Christus in cruce, quando dixit, Eloy Eloy: Matth. 27. Clamat & Ecclesia, quia non cessat quotidie laudare nomen Domini. *Ne sileas a me*, idest non tacebis a me, quia semper laudabo te. Vel, ne sileas a me, id est, responde mihi, & exaudi orationem meam. *Ne quando taceas a me*, confirmatio est. *Et assimilabor descentibus in lacum*, si, inquit, Ecclesia non laudauero te, similis ero impijs. & peccatoribus, qui in lacum & in infernum descendent: Christus autem, si me inquit, non exaudieris, inter impios & mortis deditos computabor. Quod ne fiat, *Exaudi vocem deprecationis meę dum oro ad te*, pro vniuersali totius mundi salute. *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, id est, manus in cruce exalto, vt tuum sanctum templum, quod est Ecclesia, ædificem: Ecclesia autem Dominum exorans, manus suas ad templum Dei eleuat, quia bona opera sua ad Dominū mittit. Vel, quia seipsam gradibus virtutum vsque ad templū Dei exaltat. Vel, quia eleuatis manibus Dominum deprecatur.

Ne simul tradas me cum peccatoribus. Ne me, inquit Ecclesia, simul cum peccatoribus tortorib. tradas, quia omnia quę debui, solui, neque conseruum pro denarijs afflixi. *Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me*, quia iniquitatem ego operatus non sum. *Qui loquuntur pacem cum proximo suo*, quia verbis amicitiam & pacem simulant. *Mala autem in cordibus eorum*. in cordibus inquit, latent, mala, insidiæ, doli & proditiones. *Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum, secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis*, id est, prout meruisset, recipiant. *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, vt facerent ea, *Et in opera manuum eorum destrue illos*, id est secundum opera quæ operati sunt, pereant. *Et non ędificabis eos*, cum, inquit, supernam ciuitatem Ierusalem ex viuis lapidibus construes, noli eos in eius muris ædificare.

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ: Sciens ea euenire quæ postulauit, quasi iam exauditus benedicit, & gratias Domino refert, quia Dominus est, *adiutor meus, & protector meus*, adiutor, vt vincamus, protector, ne vulnerati, deficiamus. *Et in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum*. *Et refloruit caro mea*, refloruit quidem, quia in baptismo amissa vetustate noua & iuuenis facta est. Vel: reflorebit in die iudicij, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem. 1. Corinth. 15. *Et ex voluntate mea confitebor illi*, confitebor, inquit, & ex voluntate cōfitebor, quia nulla etenim diligit Deus, nisi quæ voluntarie fiunt. *Quia Dominus est fortitudo plebis suę*, quia per eum fortis est. Et protector salutarium Christi sui est. Salutare dicitur qui dat salutem vel cui datur; est igitur Deus salutarium Christi sui protector, quia eos protegit, quos Christus saluauit.

Saluum fac populum tuum Domine. Quoniam inquit Deus protegit, tu Christe saluum fac populum tuum, vt ipse protector, tu vero Iesus, & saluator voceris.

Et benedic hęreditati tuę. hæreditas Dei Ecclesia est, de qua dicitur. Et dabo gentes hæreditatē tuam, Psal. 2. & reges eos in virga ferrea, Et extolle illos. De virtute in virtutem *vsque in ęternum*, id est, donec ad æternitatem perueniant.

EXPOSITIO PSALMI XXVIII.

AFferte Domino filij Dei. Vox Prophetæ, exhortans gentes ad laudem Dei: Iam, inquit, filij Dei estis, & in adoptionem vocati, ergo afferte Domino. Sed quid afferre debetis? Sequitur. *Afferte Domino filios arietum*, arietes Apostoli dicuntur, quia totius Ecclesiæ sunt doctores. Vel quia nouo & veteri testamento quasi duobus cornibus sunt muniti. Filij autem arietum, animæ fidelium sunt, quos Apostoli in baptismo Domino genuerunt. Vnde Apostolus ait: Nam in Christo Iesu ego vos genui 1. Cor. 4. Itemq. Filioli mei quos iterum parturio. Ad Galat. 4. Hos igitur filios arietum, id est animas nostras Domino afferamus, quia nihil maius Deo afferre possumus, afferimus autem, quando eas virtutibus exaltamus.

Afferte Domino gloriam & honorem. Id est, tales vos exhibete, in quibus Deus honoretur & glorificetur. Vnde dictū est: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Matth. 5. *Afferte Domino gloriam nomini eius*, id est glorificate Deum, quia Christiani vocamini, & nomen eius recepistis. Vnde in Canticis Canticorum dicitur: Oleum effusum nomē tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis. Cant. 1. Vel gloriam nomini eius, idest, ad honorem nomini eius. *Adorate Dominum in atrio Sancto eius*. Hoc est in Ecclesia nouiter ędificata. Vel, in cordibus, & conscientijs vestris, sicut scriptum est. Intra in cubiculum, & clauso ostio ora patrem tuum. Matth. 6.

Vox Domini super aquas. Dixit superius: Afferte Domino filios arietum, & Afferte Domino gloriam, & honorem: hæc autem vox Domini est super aquis intonantis. Quid per aquas, nisi populos? Sicut scriptum est, Aquę multæ, multiplicatæ sunt. Intonabat igitur vox Domini super multas aquas, quando sequentibus turbis Euangelium Apostolus annunciabat: Vel, quando Apostoli per omnes terras prædicabant. Intonuit etiam vox Domini super aquas: quia in Iordane super Christum vox patris audita est. Hic est filius meus: Matth. 17. Intonat nunc quoque super aquas baptismatis, quia in nomine Patris & filij, & Spiritus Sancti baptizant sacerdotes. *Deus maiestatis intonuit*, ille, inquit, per seipsum prædicauit, qui Deus, maiestatis, potestatis, & excelsæ virtutis Intonuit. Dominus super aquas multas, quia ipse & per se, & per discipulos, vniuerso mundo Euangelium annunciauit. *Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia*, hæc, inquit, vox Domini esse comprobatur per virtutem, & magnificentiam. Tanta enim huius vocis virtus erat, quod & mortuos suscitabat, cæcus illuminabat, leprosos mundabat, Mat. 11. paraliticos curabat, Mar. 2. constat igitur,

quo-

quoniam huiuſmodi uox Domini eſt. Sed cuius Domini? Sequitur.

Vox Domini confringentis cedros. Per cedros, ſuperbos, diuites, & potentes intelligimus, hoc autem confregit uox Domini, quia multi ſub iugo Chriſti humiliati ſunt, ſicut ſcriptum eſt: Montes & colles humiliabuntur, Lucę 3. Fregit igitur uox Domini cedros, quia ſuperbos & diuites Euangelium humiliauit. Franget etiam in iudicio, nam uox illa Domini erit, quæ dicit: Ite maledicti in ignem ęternum. Matth. 25. Hac autem uoce quanti frangantur dici non poteſt. Conſtat igitur, quia cedros franget. Sed cuius cedros? Sequitur,

Et confriget Dominus cedros libani. Quia in ſæculi diuitijs, mundique candore, & felicitate natos partim ad ſe conuertet, partim æterno ſupplicio tradet. Et comminuet eos tanquam uitulum libani, nulla terra, ſecundum huius nominis interpretationem conuenientius, quam terra Iudęorum, libanus uocari poteſt, quæ omnium diuitiarum pulchritudine florebat, & lacte, & melle manabat. Deuter. 6. Vitulus autem pro ſacrificio ponitur, quia de uitulo ſacrificium fiebat. Leuit. 4. Comminuit ergo Dominus uitulum libani, quia ſacrificium Iudæorum adeo deſtruxit, ut nullo in loco eſſe dicatur. Ad huius ergo ſimilitudinem comminuentur mali: quoniam alij omnino peribunt, vt hoc ſacrificium: alij uero a ſuperbia, et iniquitate ceſſabunt, ut hæc terra a ſacrificio.

Et dilectus quemadmodum filius vnicornium. Hoc autem ſicut, & ſuperiora, & ad bonam & ad malam partem conuerti poteſt: ad bonam autem hoc modo. Apoſtolos filios unicornium intelligimus, quia ex Iudęis proceſſerunt, hi autem adeo pauperes, & diminuti fuerunt, ut nihil proprij eis remanſerit, ipſdem teſtantibus. Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, Matth. 19. ad horum comparationem, multi ſæcularium commutati ſunt, quia alij Monachi, alij Eremitæ, alij vero peregrini efficiuntur, Dominica voce admoniti, ait enim: Quicumque reliquerit patrem, & matrẽ, agros, ſeruos, & ancillas, centuplũ accipiet. Mat. loc. cit. Hæc autem eſt vox illa noſtri redemptoris, quæ cedros cõfringit: In malorum autem parte ſic intelligitur. Iudęi Iudęorũque filij, qui Chriſtum crucifixerunt, vnicornes vocantur, hoc autem non parua pœna & conditio exſpectat. Quicunq. ergo æternæ morti damnantur, eos dilectus dei filius, quemadmodum filios vnicornium comminuet. In quibuſdã autẽ codicibus inuenitur. Et dilectus quemadmodum filius unicorniũ, hoc autem ſic interpretatur Dilectus Dei filius, qui adhuc Patri, inquit Propheta, per omnia æqualis eſt, in tempore præfinito in tantum comminuetur, vt quemadmodum vnus ex filus Iudæorum, per ipſus purus homo eſſe credatur.

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Hæc, inquit, Vox eſt illius Domini, qui flammas ignis intercidit. Omnes enim infernales flammas, ignemq. inextinguibilem ingrederentur, niſi quia Chriſtus carnem ſumens, & infernum a nobis, & nos ab inferno ſeparauit. Intercidit etiam vox Domini flammas ignis, quia vitia carniſque concupiſcentias Euangelij annunciatio ab audientibus reſecat.

Vox Domini concutientis ſolitudinem, & commouebit Dominus deſertum Cades. Cades commotio tineæ interpretatur, ſignificat autem hunc mundum, qui prior a Domino derelictus erat, ſed veniens Dei filius, mundum cõcuſſit, deſertũ Cades commouit, quem tinea, & malignus ſpiritus commouerat atq. corruperat, excuſſit tineas, commouit vitia, fugauit peccata. Aliter. Cades, legem, & vetus teſtamentum ſignificat, quidam enim Cades, ſancta interpretatur, veniens ergo Chriſtus commouit deſertũ Cades, quia ſanctam legem, & prophetas ob nimiam obſcuritatem a cunctis fere derelictos concuſſit, aperuit, litteram amouit, & intelligibiles fecit. Lucæ 24.

Vox Domini præparantis ceruos. Ceruos, Apoſtolos deſignãt, quia fragiles erant ad currendũ, & Euangeliũ nũciãdũ, quique mortifera diaboli venena parui pendebãt. Et reuelauit condẽſa, quia & ſcripturas illis aperuit, & Diuina myſteria manifeſtauit. Vnde Apoſtolus: Audiui, inquit, arcana verba, quæ nõ licet homini loqui 2 Corinth. 12. *Et in templo eius omnes dicẽt gloriam.* quia omnes in Eccleſia Dominum laudant.

Dominus diluuium inhabitare facit. In templo Dei habitat, diluuium, quia in Sancta Eccleſia, prophetæ, Apoſtoli, Epiſcopi, & Doctores inueniuntur, hi autem diluuium dicuntur, quia affluentia ſancti ſpiritus, & omnium ſcripturarum plenitudine redundant. Vel etiam, quia homines abluunt a peccatis. Et ſedebit Dominus Rex in æternum, quia ſemper in Eccleſia regnauit, & in ſanctis ſuis ſedebit, ſunt enim ſancti Sedes Dei. Dominus virtutem populo ſuo dabit, ne ab inimicis, & vitijs ſuperetur. Dominus benedicet populo ſuo, tendenti in pacem id eſt ad ſemetipſum, quia ipſe eſt pax noſtra. qui fecit vtraq. vnum. Epheſ. 2.

EXPOSITIO PSALMI XXIX.

EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me. Vox Chriſti 2
Exaltabo te, inquit, Pater, quoniam de hoc mundo me ſuſcepiſti, & ad dexteram tuam reſidere feciſti. Marc. 14. Exaltat filius patrem, quia per filium laudatur Pater. *Nec delectaſti inimicos meos ſuper me*, Inimici Chriſti Iudæi ſunt, vel maligni ſpiritus: Iudæi quidem, non ſunt delectati de morte Chriſti, quia & contra eorum voluntatem reſurrexit, & ob hoc facinus, gentem, & locum amiſerunt: Maligni vero ſpiritus, & regnum perdiderũt, & animas, quas captiuas detinebant. *Domine Deus meus clamaui ad te*, clamauit autem, cum dixit: Pater clarifica filium tuum. Et Sanaſti me, erat enim infirmus pro parte carnis. Sanauit igitur eum Pater, quia reſuſcitando ipſam carnem immortalem & incorruptibilem fecit. *Domine eduxiſti ab inferno animam meam*, Expoliauit infernum, & animas ſanctorum ſecum in cælos deuexit. *Saluaſti me a deſcendentibus in lacum*. Ideſt, ex manibus Iudæorum me liberaſti, quia ſua ſponte in infernum, & mortem, & fauces diaboli deſcendunt.

Pſallite Domino ſancti eius, & cõfitemini memoriæ ſanctitatis eius. Vos, inquit, ſancti eius laudate Dominũ, & ſuæ ſanctitatis memoriam, quia veſtri recordatus, me filiũ ſuũ in mundũ miſit, Ad Gal. 4. et pro veſtra, & omniũ ſalute mori permiſit.

Quoniam ira in indignatione eius. Laudate, inquit Dominum, & nolite inobedientes eſſe, ne indignatus vobis iraſcatur: ira namq. & mors in Dei indignatione fit: Et vita in voluntate eius, quia quicunque eius voluntatem fecerit, viuet in æternum.

Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lętitia, Apoſtrophe ad Apoſtolos, o Apoſtoli, ad veſperum demorabitur fletus, pro morte namque ſaluatoris, qui circa horam nonam ſpiritum emiſit (Matth. 26.) triſtantes flebãt Apoſtoli, ſed mane orto, iã ſole, Chriſto reſurgẽte, immẽſa inter illos eſt nata lætitia. Aliter. Per veſperum Adã, per mane autẽ Chriſtũ intelligamus. Adam namq. diem & lucem fugauit, & noctem, & tenebras mundo inuexit, quod veſperi proprium eſt. Chriſtus autem noctem ademit, & verum diem hominibus dedit his igitur, qui ad veſperum conuertentur, & primum hominẽ imitabuntur, fletus erit atque triſtitia, his autem qui ad mane confugerint, & Chriſtum ſequentur, gaudium erit atque lætitia. Poſſumus etiam per veſperum & mane, diem iudicij figurare. Dies namque iudicij, & veſperum erit malis, & mane bonis. Tunc enim mali noctem, & dolorem, boni vero diem, & æternitatem recipient, ad veſperum ergo tunc venientibus erit fletus, & ad matutinum gaudium erit, & lætitia

Ego autem in abundantia mea non mouebor in æternum, Adam, inquit, in æternorum bonorum abundantia poſitus de paradiſo miſer exiuit, ego autem ad patris dexteram reuerſus non mouebor in æternum, & dicam:

Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem, id eſt ſecundum voluntatem tuam dediſti mihi virtutem, qua ipſam mortem ſuperarem, quod ad decus mihi contigit. *Auertiſti faciem tuam a me*, mihi, inquit, virtutem dediſti, a meis autem faciem auertiſti, quia in eadem non conſtantia perſeuerauerunt, ſed me relicto fugerunt omnes Matt. loc. cit. *Et factus ſũ conturbatus*, Hoc quoq. de Apoſtolis dicitur. *Ad te*

Domine clamabo,& ad Deum meum deprecabor. clamabo,inquit,& deprecabor Dominum, vt eorum tristitiam in gaudiũ vertat. Nam *quæ vtilitas mea,dum descendero in corruptionẽ?* quæ,inquit,in mei sanguinis effusione vtilitas,erit, si illi,quos redemi,iterum corrumpantur? Hanc vocem audiuit *Dominus, & misertus est mei*: id est meorum. *Factus est adiutor meus*, idest meorum. Conuersio personæ. *Conuertisti planctum meum in gaudiũ mihi*, propter resurrectionem. *Conscidisti saccum meum*, id est carnem qua anima erat inuoluta. Et circundedisti me lętitia,& æternitate. Vnde fit, *vt cantet tibi gloria mea*,quæ est gloria Domini,nisi resurrectio, & ascensio, hęc autem cantet Domino, quia in his glorificatur. *Et non compungar*, aliqua tribulatione,quia mors illi non dominabitur. Rom.6. Vel etiam, sancti iam non compunguntur,quia stimulus diaboli confractus est. Vnde Apostolus. Vbi est mors,inquit,stimulus tuus.1.Corint.15 *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

EXPOSITIO PSALMI XXX.

IN te Domine speraui. Vox Dominici hominis. Quia in te inquit speraui,qui optimus, es auxiliator, vide ne ego, & mei aliquando confundantur. *In iustitia tua libera me*, libera me,inquit,ab impiorum iniquitate,quia tu iustus es, & ego a iustitia non discedo, *Inclina ad me aurem tuam*,id est, exaudi orationem meam. *Accelera vt eruas me*, id est cito, mihi succurre. *Esto mihi in Deum protectorẽ, & in domum refugij,vt saluum me facias*, sis,inquit mihi Dominus protector, & domus,ad quam confugiam,quia in nulla alia protectione confido.

Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, tu solus mea fortitudo, tu solus es meum refugium, tu solus ergo libera me,& protege me. *Et propter nomen tuum deduces me* in nomine tuo in mundum, in nomine Domini veni, nomen Domini annunciaui, propter nomen tuum,quod inuocabo,me reuertentem ad te deduces. Vel, deduces me per Apostolos,vt tuum nomen in vniuersa terra annuncietur. Et enutries me,dulcedine videlicet summi boni, non fellis amaritudine,sicut Iudæi,Matth.27.Vel enutries me eodem cibo spirituali,corpore ac sanguine meo. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi*,multi fuerunt laquei,multæ fuerunt deceptiones, quas Christo Iudæi absconderunt; sed semper diuinitate munitus a nullo decipi potuit.Quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum. Hoc autem completum fuit, quando in cruce positus dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.Luc.23.*Redemisti me Domine Deus veritatis*.Prophetica interpositio. Videns Propheta Christi passionem, quia mundus redimendus erat in ipso exitu vitæ nostri Saluatoris gratulabundus inquit,Redemisti me Domine Deus veritatis iam crucifixus es, iam spiritum patri commendasti,mundumq.redemisti;vnde verax Deus esse cõprobaris,quia complesti ea quæ promisisti.

Odisti obseruantes vanitates superuacue. Vox Christi super uacuę obseruabant Iudæi vanitates, quia ne Christus resurgeret,sepulchrum custodiebant.Matth.27.Illi quoq. superuacue custodiunt vanitates, qui sic terrenis inhærent, vt cælestia obliuiscãtur. Ego autem in Domino speraui, ideoq. sine timore de sepulchro exiui:& secundum meũ velle resurrexi. Matth loc.cit.*Exultabor,& lętabor in misericordia tua*.Quæ fuit illa misericordia?Sequitur.Quoniam respexisti humilitatem meam saluasti de necessitatibus animam meam, necesse est enim hominem mori ex hac autẽ necessitate liberatus est Christus, quia mors illi non dominabitur.Rom 6.

Nec conclusisti me in manibus inimici,quia neque ab his qui sepulchrum custodiebant,neq. a malignis spiritibus in inferno detentus est. *Statuisti in loco spatioso pedes meos*,quia non in sola Iudæa,sed per omnia regna mundi,Apostoli prædicant,Mar.16.quibus in sola Iudæa prius prædicare præceptũ fuerat.

Miserere mei Domine quoniam tribulor. Ego inquit,a Iudæis,Apostoli vero a gentibus,quibus prædicant, tribulantur idcirco tu Domine miserere mei & meorum. *Conturbatus est in ira oculus meus,anima mea,& venter meus*,quia, & perfecti, & imperfecti in ira malorum affligebantur. Vnde superius dixit,dum superbit impius incenditur pauper. Psal.9. oculus enim & animã,perfectos,vẽter vero,qui corporis melior pars est,imperfectos significat.

Quoniam defecit in dolore vita mea.Christi namque vita in cruce finit,de homine enim loquor, Apostolorum vero, & in cruce,& in alijs tormentis defecit, in dolore igitur. *Et anni mei in gemitibus*,qui vsque ad exitum vitæ in aduersitatibus fuerunt. Siue etiam, pro peccatis suis,& aliorum plorabant. *Infirmata est in paupertate vita mea*, virtus Christi Euangelium est. Vnde Apostolus: Non enim erubesco Euangeliũ,virtus.n.Dei est ad salutẽ omni credenti.Rom.1.Hoc autẽ in paupertate credentium infirmabatur, quia tædebat ipsos doctores Euangelizare, sicut scriptum est: Domine quis credidit auditui nostro? Isaiæ 53.Vel,virtus Christi in paupertate infirmata est:quia Deus in homine,qui per se quidem pauper est &,omnibus indiget,virtutẽ suã non manifestauit, sed deridei se, & affligi permisit. *Et ossa mea conturbata sunt* idest, Apostoli, qui Ecclesię sunt firmamentum. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde & timor notis meis*,quia nisi me occiderent, se victuros non putabant Io.11.Vel notis meis,idest Apostolis factus sum timor quia iam nomẽ meum confiteri timent;vt ipse Princeps Apostolorum,qui ad viuius ancillę vocem Christum negauit.Ioan.18.*Qui videbant me foras,fugiebant a me*, videbant enim Apostoli Iudæos capere Christum, & relicto eo omnes fugerunt Matth.26.*Obliuioni datus sum tanquam mortuus a corde*, sic inquit, a corde Iudæorum, oblitus sum,ac si mortuus essem, atque de illis vindicari non debuissem. *Factus sum tanquam vas perditum*,& nulli vtilitati idoneum,vasa perdita erant latrones,quia & a Deo,& ab hominibus odio habebantur. Factus est ergo Christus tanquam vas perditum; quia inter iniquos computatus est. Mar.15.*Quoniam audiui vituperationẽ multorum commorantium in circuitu*; nam sicut latrones, ita & Christus a circumstantibus vituperatur. *In eo dum conuenirent simul aduersum me accipere animam meam consiliati sunt*, dum simul,inquit,aduersum me iniqui Iudæi conuenirent,in eo conuentu nihil aliud consiliati sunt, nisi vt animam meam perderent.*Ego autem in te speraui Domine,dixi Deus meus es tu,in manibus tuis sortes meæ*, idest, in potestate tua sunt,quæcumque vel bona, vel mala mihi sunt futura,non enim haberent in me potestatem, nisi a te datum illis fuisset Io.19. qua propter,*erue me de manu inimicorum meorum,& a persequentibus me, illustra faciem tuam super seruum tuum* id est clarifica & manifesta Diuinitatem in filio tuo, ne semper tantum homo intelligatur,de quo scriptum est: Qui cum sit splendor gloriæ,& figura substantiæ eius. Ad Hebr. 1. *Et saluũ me fac in misericordia tua Domine non cõfundar quoniã inuocaui te Erubescant impij*. Iudæi scilicet qui Dominum suum crucifixerunt. Vel gentiles,qui idola coluerunt, erubescent enim in iudicio,quia ad nuptias intrare volentes non permittentur,sed ianua clausa deducentur in infernum, quem in hoc seculo sibi parauerunt. Tunc tandem *muta fient labia dolosa,quę modo aduersus iustum loquuntur iniquitatem in superbia,& in abusione*, superbe enim, & abusiue, id est, contra seruorum vsum loquebantur, Iudæi aduersus Dominum,dum reus est mortis,Matth.26 & crucifige crucifige Lucæ 23. dicebant.Prophetica interpositio. Videns per spiritum sanctum,hos ita miseros,& deiectos, vidensq. sanctos in beatitudine tanta collocatos exclamat. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,qui tantam beatitudinem,tantam gloriam,tã magna præmia sanctis tuis pręparasti,eisque bona dedisti,quæ neq.dici,neque cogitari possunt.1.Corinth.2.

Quam abscondisti timentibus te. Nondum enim videmus quid erimus. Abscondere etiam pro reseruari ponitur, vt sic dicatur.Quam reseruasti timentibus te. *Quam perfecisti eis qui sperant in te in conspectu filiorum hominum*. Hãc,inquit beatitudinẽ perfecit Dominus,id est,perfectã fecit eis qui

qui in hoc sæculo non sperant:et in conspectu filiorũ impiorũ eum confessi sunt. Vnde ipse ait, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, Matt. 10. *Abscondes eis in abscōdito faciei tuæ a conturbatione hominum.* Iam, inquit a peccatoribus non turbabuntur, sed ante faciem tuã lęti persistent. *Proteges eos in tabernaculo tuo*, id est in cælesti Ierusalem. *A contradictione linguarum*, iam, subauditur, ereptos.

Benedictus Dominus. quoniam quidem tanta Diuina Secreta, vidit Propheta, gratias agimus Domino, inquit. Benedictus sit Dominus, *quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita*, Satis enim mirabiles habere potuit misericordias Dei, quando homines, & peccatores iam iustificatos, in cęlesti Ierusalem residere vidit: Habuit etiam mirabiles misericordias Dei, quando in Ierusalem. quæ satis fortis & munita erat, pro humana Christum Salute passum inspexit Hucusque Propheta. Nunc autem loquitur Christus.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum a vultu oculorum meorum. Iudæi inquit, contra me superbe, & abusiue loquebantur, ego autem in exstasi, & in excessu mentis videns illorum dispersionem, & incredulitatem, dixi: proiectus sum a facie oculorum meorum, derelictus sum a meis, vocabo ergo non plebem meam plebem meam, qui a Iudeis spretus a gentibus sum electus, *Ideo exaudisti vocem deprecationis meæ, dum clamarem ad te*, derelictus sum, inquit, a Iudęis, progenitibus exorraui, & exauditus sum. *Diligite Dominum, omnes Sancti eius. quoniam veritatem requiret Dominus*, qui inquit, verus est, qui eum dilexerit vere salubitur. *Et retribuet abundanter facientibus superbiam uiriliter agite:* ea quæ incepistis. *Et confortetur cor vestrum*, vt mortem non timeatis: *Omnes qui speratis in Domino*, vitam recipere æternam.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum, ad eum non approximabunt, orant quidem assidue sancti pro remissione peccatorum:et tamen quia in diluuio aquarum multarum sunt, a quibus purgantur, et abluntur; ad eos peccata appropinquare non possunt. purgantur enim eleemosinis, orationibus ieiunijs, lacrymis, & monitus scripturarũ. Quare igitur orant? ne a diabolo tententur, vnde Dominus discipulis ait. Orate ne intretis in tentationem. Matth. 26. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circundedit me*, de huius sæculi aduersitatibus loquitur. Exultatio mea, quia de te gaudeo. *Erue me a circundantibus me*, idest, a vitijs, & malis omnibus. Responsio Dominica.

Intellectum tibi dabo. Noli, inquit, timere, intellectum tibi dabo, quo consoleris, & inimicos deuincas; *Instruam te*: in operibus bonis. *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos, meos*, ne aliquis tibi nocere possit. *Nolite fieri sicut equus, et mulus, in quibus non est intellectus*, equus enim superbos significat, & luxuriosos, sicut scriptum est. Computruerunt iumenta in stercore suo Ioel. 1 Mulus autem pigros, & infæcundos significat. Tale est igitur ac si dicat. Noli esse superbus, & luxuriosus, noli esse piger: quia propter frigus piger arare noluit, noli esse vacuus virtutibus, & sterilis.

In camo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Si inquit aliqui fuerint, qui Euangelium recipere, & ad te appropinquare noluerint eos in camo, & freno legis, in duris, & minantibus scripturarum sententijs constringe, vt vel sic Ecclesię coniungantur. *Multa flagella peccatori*, ideoque cessa peccare, & noli fieri sicut equus & mulus, sed spera in Domino. *Quia sperantes in Domino misericordia circundabit. Lætamini in Domino*, non in mundo, non in rebus transitorijs. *Et exultate iusti*, de promissa misericordia. *Et gloriamini omnes recti corde*, quia gloriatur, in Domino glorietur (2. Corin. 10.

EXPOSITIO PSALMI XXXI.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, Vox Ecclesiæ, de laude Confessionis Beati illi, qui peccata Domino confitentes remissionem recipere meruerunt. Illi quoque sunt beati, quorum per dilectionem peccata tecta sunt, & a Domino oblita. Charitas enim multitudinem operit pecatorum 1. Petri 4. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatũ, nec est in spiritu eius dolus. Nulli enim aqua baptismatis regenerato imputatur originale peccatum: omnibus baptizatus erit beatus, sic tamen, si in uita ipsius dolus non fuerit.

Quoniam tacui inueterauerunt omnia ossa mea, Ac si dicat, confiteatur vnusquisque peccata sua, crescant enim peccata sine confessione, experto credatur: Ego quidem tacui neque vt debui peccata confessus sum, ideoque in peccatis inueterauerunt ossa mea, id est, tota virtus, & fortitudo mea: iustiorum mole fuit depressa atque grauata. *Dum clamarem tota die*, nullus clamor, nullaque oratio prodest nisi confessio pręcedat.

Sed quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, conuersus sum in ærumna mea, dum configitur Spina. Quia, inquit, tacui, ideo manus, baculus; & correctio tua grauata est super me: Nam qui parcit virgę, odit filium Prou 13. ego autem statim in ipsa ærumna, vel miseria ad te conuersus sum, dũ mihi spinas aspera correptio imprimeret. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non abscondi*, postquam te inquit, mihi iratum comperi, non vlterius tacui, sed quasi coactus dixi *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domine*, Peccaui Domine nimis, confiteor peccatum meum: cesset iam manus tua, hoc dixi: *Tu uero remisisti impietatem peccati mei*, quia vere confessus fui, misericordiam indulsisti: Vere enim confitetur, qui seipsum damnat, et aduersum se loquitur. *Pro hac* (remissione) *orabit ad te omnes sanctus*, nullus enim sanctorum est, qui assidue non dicat. Dimitte nobis debita nostra. *In tempore opportuno*, idest in hac vita, vnde dicitur, Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Ad Galat. 5.

EXPOSITIO PSALMI XXXII.

EXultate iusti in Domino, Vox Ecclesiæ. Hactenus, inquit, in auro, & argento, sæculiq. honoribus exultastis, nunc autem, quia iusti estis, in Domino, & in iustitia exultate. *Rectos decet collaudatio*, ideo, inquit, vos exultate, & laudate Dominum: quia talium laudem diligit Dominus, *Confitemini Domino in cythara*, idest in dulciloquio, vt Saulem placare, possitis, *In psalterio decem cordarum psallite illi*, in decem cordis, decem præcepta legis intelligimus, Ergo In psalterio decem chordarum psallite Domino, quia in his decem præceptis ei seruitur.

Cantate ei canticum nouum. Nouus homo, venit in mundum, nouam legem dedit mundo (Greg. Hom. 32.) cantate ergo canticum nouum, videlicet, Natiuitatem, Passioné, Resurrectionem, & Ascensionem, hæc enim omnia noua sunt, & a prioribus inaudita,

Bene psallite ei in vociferatione. Id est, in verbis prædicationum. Bene autem in prædicatione psallunt, qui verbis opera coniungunt. *Quia rectum est verbum Domini*, ideo inquit, cantate canticum nouũ, quia rectum est verbũ Domini. Et bene psallite ei in vociferatione, quia omnib opera eius sunt in fide. Recta quidem sunt verba Diuina, quia veritatem cunctis annunciant. Opera vero ipsius fidelia sunt, quia neminem fallunt. *Diligit misericordiam, & iudicium*, cantate inquit, & dicite, quoniam & misericors, & iustus est Dominus, & quia misericors est, nullus desperet, quia vero iustus omnes bona operentur, reddet enim vnicuique iuxta opera sua. Matt. 16. *Misericordia Domini plena est terra*, per terrã Ecclesiã intelligimus, cuius in tantum misertus est Dominus, vt etiam filium suum pro ea morti traderet. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, hoc quoque nunciate quoniã verbo Domini, facti sunt Apostoli, & in Trinitatis fide supra firmam petrã firmati. Vel et ipsum firmamentum, quoniã omnia per ipsum facta sunt (Io. 1.) *Et a spiritu oris eius omnis virtus eorũ*, quod. n. Apostoli vitia superabant, ꝙ mortuos suscitabãt.

quod cæcos illuminabant, non viribus eorum, sed spiritus Sancti gratia fiebant.

Congregans sicut in vtre aquas maris, Et cœlos, inquit, firmauit, & quasi aquas in vtre, huius sæculi peccatores in Ecclesiam congregauit. Vel etiam, quasi aquas in vtre, ita impios, & peccatores in sua potestate constringit, vt, nisi quando ipse permittat in sanctos sęuire non possint.

Ponens in thesauris abyssos. Quia in Sanctorum numero, & in Ecclesia peccatores adunat, quia abyssus sunt, & in vitiorum profunditates submersi. Ponit etiam in thesauris abyssos, quando in cælis collocat sanctos, ibi enim est sanctorũ thesaurus, quia in cælis thesaurizant. *Timeat Dominum omnis terra*, quia talis, inquit, est Dominus, ideo omnis terra eũ timeat.

Ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Iam enim ex parte commoti sunt, quia eius monitis, ab infidelitate ad fidem transferunt: mouebuntur autem in die iudicij, quia alios ad se vocabit, alios autem in infernum mittet. Matth. 25. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*; quia ipse omnia fecit Io. 1. omnia eius sequuntur imperium.

Dominus dissipat consilia gentium, Quibus Ecclesiam destruere putabant. *Reprobat autem cogitationes populorum & reprobat consilia principum*: consilium namque eorum fuit, vt Ecclesiam destruerent, & Deorum templa ędificarent. *Consilium autem Domini in æternum manet*, quia semper erunt Sancti, qui ipsius consilio liberati sunt. Confirmatio. *Cogitationes cordis eius in generationem, & generationem*; quia quicquid ipse dixit & cogitauit, & in hoc sæculo fiet, Et in futuro *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius*, & beatus populus gentium, quem iste Dominus *Elegit in hæreditatem sibi*: *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*. Repetitio. *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram*, respexit inquit Dominus de suæ Diuinitatis secreto, viditque genus humanum grauiter a latronibus vulneratum, quem nec sacerdos adiuuit neque leuita, misit ergo filium suum, misitque Samaritanum, qui illius misereretur. Lucæ 10. Respicere namque Dei, misereri est. Veniens igitur Dei filius in hæreditatem populum gentium sibi elegit.

Qui finxit singillatim corda eorum. Quia alijs dedit sermonem sapientiæ, alijs interpretationes sermonum, alijs vero genera linguarum. 1. Corinth. 12. Finxit etiam singulariter in hoc corda sanctorũ, quorum alij Monachi fieri desiderant, alij Eremitę, alij humilitatẽ custodire nituntur, alij vero castitatẽ. *Qui intelligit omnia opera eorum*, scit enim Dominus, qui puro corde, quiq. pro vana gloria, bona operentur, qui enim pro vanagloria castus, & humilis apparet, potius hypocrita, quam castus, & humilis dicendus est. *Non saluabitur Rex per multas virtutes*, Populus, inquit, gentium saluabitur, quem sibi in hæreditatem Dominus elegit, qui non in suis viribus, sed in misericordia confidit: Terreni vero Reges, superbi gigantes, potentes, in se suaque fortitudine confidentes, non saluabuntur. Quis Rege potentior? quis gigante fortior? Cum igitur isti sua potentia & fortitudine non saluentur, nemo nisi Dei misericordia ad salutem quæerat peruenire.

Fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non saluabitur. Equus animæ corpus intelligitur, hoc autem fallax est ad dandam salutem, quia salus, & lætitia carnis, mors est animæ atque tristitia: refrenandus est igitur equus, ne laxatis habenis in foueam cadat. Possumus etiam per equos, superbos, & recalcitrantes intelligere. *Ecce oculi Domini super timentes eum*, ac si dicat, Nec Rex per virtutem, nec gigas per fortitudinem, nec ab equo quidem saluabitur quilibet. Quis igitur, & per quem saluabitur? Sequitur: Ecce oculi Domini, id est, ipsius misericordiæ respectus super timentes eum. *Et in eis, qui sperant*, non in suis viribus, sed in misericordia eius. Ad quid? Vt eruat a morte animas eorum, idest, a perpetua damnatione. *Et alat eos in fame*, quia, & in hac vita spirituali doctrina reficiet, & in futuro, summa eos beatitudine replebit: Vnde dicitur: Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5. ideoque *anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noster est, Et quia in eo lætabitur cor nostrum*, cum pro operibus, merita recipiemus. Et in timore *in nomine sancto eius sperabimus*, spes autem non confundet. *Fiat Domine misericordia tua super nos, quemadmodum sperauimus in te*. id est, quia sperauimus, sicut sperauimus, miserere nostri.

EXPOSITIO PSALMI XXXIII.

B*Enedicam Dominum in omni tempore*. Vox Doctorum *Semper laus eius in ore meo*, omni, inquit, tempore benedicam, & prædicabo Dominum, semper laudabo eum, nec præ timore aliquid tacebo. *In Domino laudabitur anima mea* non laudabitur in se, non in sapientia mundi, non in sublimitate verborum, sed in Domino a quo & virtutem, & potentiam suscepit. Audiant mansueti, & lętentur, audiant, inquit, mansueti laudem Domini, & lætentur in beneficijs eius.

Magnificate Dominum mecum, Vobis dico mansueti, qui laudem Domini, & hunc sermonem auditis, magnificate Dominum mecum, id est, ad mei similitudinem eum laudate. *Et exaltemus nomen eius in idipsum*, vt concorditer vna voce, & greges, & pastores, Dominum laudent, atque magnificent. *Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*, ac si dicat: Mei exemplo discite, quã vtile sit vobis magnificare, & quærere Dominum, ego quidem quæsiui, & exauditus sum, & ex omnib. tribulationib. ereptus Accedite ergo et vos ad eum, & illuminamini, accedite, inquit ad lucẽ vt illuminemini vero lumine. *Et facies vestræ nõ confundẽtur*, confundentur enim, qui illuminati non fuerint, quia extinctis lampadibus suis, oleum quærentes, dignam repulsam patientur.

Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, sic de seipso, quasi de alio loquitur: ego quidem clamaui, et Dominus exaudiuit me, clamate ergo, et vos, vt exaudiamini.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Persuasio timoris, & accessionis ad Dominum, cũ inquit timẽtes se adeo Dominus diligat, vt Angelus præsidijs eos custodiens, ab omnibus inimicis eripiat, merito quidem ad eum accedere, ipsumque timere debetis. Quod enim ab Angelis custodiantur sancti, manifestum est: namque ipsa veritas ait, Amen dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cęlis est. Matth. 18. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*: multis namque modis multisque blanditijs debent pastores subditos admonere: vnde Apostolus: Argue, obsecra, increpa, insta opportune, importune 2. Ad Tim. 4. quod genus locutionis satis aperte in hoc psalmo dinoscitur, gustate, tentate, videte, & cognoscite dulcedinem, & suauitatem Domini, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat Ezechiel. 33. *Beatus vir qui sperat in eo*, & non in incerto diuitiarũ. *Timete Dominum omnes sancti eius*; Initium sapientiæ, timor Domini. Psal. 110. *Quia non est inopia timentibus eum*. *Diuites eguerunt, & esurierunt* ex quibus ille fuit, qui guttam aquæ a Lazaro petebat Lucę 16. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, non enim aliquo bono indigebunt qui summum, et vniuersale bonum habebunt, a quo bona sunt omnia, et sine quo nihil est.

Venite ergo filij audite me, timorem Domini docebo vos. Quia, vt iam dictum est initium sapientiæ timor Domini, vt filios suos in sapientiam Ecclesiæ: Doctores introducere possint a timore Domini doctrinam incipiant.

Quis est homo, qui vult vitam. Iam quasi omnibus coadunatis, quibus superius dixit: Venite, alloquitur eos, et dicit: quis est homo qui vult vitam, et diligit videre dies bonos: Aliquis tali interrogationi respondens, inquit ego. Cui ipse loquitur. *Prohibe ergo linguam tuam a malo, & labia tua ne loquãtur dolum*, quia scriptum est. Mors, et vita in manib. linguę

Prou. 18. qui enim custodit linguam suam, custodit & animam suam. Itemque, cultus iustitiæ, silentium Esaiæ 32. Et alibi; Si quis putat, se religiosum esse, non refrænans linguam suam, huius vana est religio Iac. 1. *Diuerte a malo, & fac bonum*. Non enim satis est a malo abstinere, nisi etiam bona operentur: *Inquire pacem*; id est Christum, ipse enim est pax nostra, qui fecit Vtraque Vnum (Ad Ephes. 2.) Et sequeretur eam: Sequi namque Dominum, imitari est. Vnde ipse ait. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me (Matth. 16.) Et alibi; Qui sequitur me, non ambulat in tenebris (Io. 8.) *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum*, Superius dixit: Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, nunc autem dicit; quia ipse timentes respicit atque custodit. Ecce quantus fructus redditur illis, qui mala fugiunt, & recte faciunt. Vultus autem Domini super facientes mala: Ad quid? *Vt perdat de terra memoriam eorum*. Dissuasione, quia mala facientes de libro vitæ delebuntur, neque in terra viuentium de eis memoria fiet. *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos*: Probatione, quia aures eius semper sunt in preces eorum: quoniam quotiescunque clamant iusti, semper a Domino exaudiuntur. *Et ex omnibus tribulationibus eorum liberabit eos*. Quia carne dissoluta in cælestibus regnis collocantur. Sed quid mirum, si eos Dominus exaudiuit: *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde*. Quia semper iuxta est, nec vnquam eos derelinquit, idcirco clamantes exaudit: Et quia cor contritum, & humiliatum Deus non despicit (Psal. 50.) Corde enim tribulantur, quos conscientia remordet, vt de peccatis pœniteant. *Et humiles spiritu saluabit*. Beati pauperes Spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum (Matth. 5.) pauperes enim Spiritu sunt, qui de nihil præsumunt. *Multæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberauit eos Dominus, Custodit Dominus omnia ossa eorum*. Idest, omnia robora virtutum, quia neque humilitas ab ira, neque castitas a Luxuria Superatur. *Vnum ex his non conteretur*; quia omni habenti dabitur, & abundabit, (Matth. 25.)

Mors peccatorum pessima; Quia nunquam deficient, sed semper moriendo viuent. *Et qui oderunt iustum*, Idest Christum, qui iustificat impium, vel vnumquemque iustorum, in iusto enim nihil est, quod odiendum sit, quoniam, & hominis natura, & ipsa iustitia bona est: in peccatore autem sola vitia odienda sunt. *Delinquent*; quia super iniquitatem apponent iniquitatem, vt qui sordibus est, semper sordescat. *Redimet Dominus animas seruorum suorum*, iam enim redimit sanguine suo: redemit etiam omni die, dum eas a vitijs, & carnis liberat necessitatibus, redimet etiam in futuro, quia a secunda morte eripiet. *Et non delinquent omnes, qui sperant in eo*, quia semper de virtute in virtutem conscendentes, omnia vitia sub pedibus conculcabunt.

EXPOSIO PSALMI XXXIV.

I*Vdica Domine nocentes me*. Vox Christi in passione. Iudica, inquit Domine nocentes me: redde illis iuxta opera sua. *Expugna impugnantes me*: ne semper in fortitudine sua glorientur. *Apprehende arma*, ad me defendendum, & illos perdendum, *Et exurge in adiutorium mihi*.

Effunde framea, & conclude Effunde, inquit, framea, Titum, & Vespasianum, meritam vindictam, & gladios quibus perdantur. *Aduersus eos, qui persequuntur me*, & conclude eos ab hostium multitudine, vt nec vnus quidem de ciuitate egredi, vel ingredi possit. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum*: de qua ipsi dicebant: Non est salus ipsi in Deo eius. (Psal. 3) Possumus etiam per frameam animam Dominicam intelligere, cuius effusione conclusi sunt Iudæi, quia garrulitas, & disputatio eorum omnino cessauit. *Confundantur, & reuereãtur*, confundantur, inquit, de mendatio, cum me viderint resuscitatum. Et Reuereãtur, non enim erat in rem quod timerent Romanos, nisi Christum interficerent, sed postea reuera timuerunt, cum incurrentium hostium conspicerent gladios. Vel confundantur, et erubescant de peccatis. Vnde Apostolus, quem ergo fructũ habuistis, in quibus nunc erubescitis. (Rom. 6.) Et reuereantur, non demonem, sed Dominum. *Auertantur retrorsum, & confundantur*, auertantur inquit retrorsum, vt sequantur Dominum, qui nunc diabolum imitantur. Siue retrorsum conuertantur, vt nunquam de futuris cogitent, sed sola presentia, & transitoria concupiscant, & confundantur, vel in melius, vel æterna confusione, *cogitantes mihi mala*. *Fiant tanquam puluis ante faciẽ venti*, vt sicut nec puluis vento, ita nec hostibus ipsi resistere possint, *Vt angelus Domini* malus sit *Persequens eos*, vt vbicunque Iudæi fuerint, eis diabolus dominetur. Siue Angelus Domini, id est, Titus & Vespasianus, quos supra memorauimus. *Fiant viæ illorum tenebræ*, vt nõ videant, quo fugere possint. *Et lubricum*, vt fugientes cadant. *Et Angelus Domini persequens eos*, vt facile capiantur. & hoc merito. *Quoniam gratis*, idest sine causa, ipso eodem Pilato teste, (Lucæ 23.) *Absconderunt mihi interitum*, absconderunt vtique, quia cum proditione eum occiderunt. *Superuacue exprobrauerunt animam meã*, idest sine omni illorum vtilitate probauerunt, quoniam Christus resurgere posset, vel etiam, exprobrauerunt, quia multa ei opprobria inferebant, dicentes, Aue Rabbi (Matth. 26.) Et, Dæmonium habes Io. 8.

Veniat illi laqueus, quem ignorat, Ego quidem nõ ignoraui illorum laqueos, & deceptiones, ipsi autem, quæ pœna, qui laquei eis futuri sint, omnino ignorant. *Et capio, quam abscondit*, ad me capiendam, *comprehendat illum*, vnicuique enim secundum mensuram, qua mensus fuerit, remetietur (Matth. 7.) *Et in laqueum cadat in ipsum*, quem mihi parauit. Vnde dicitur foueam, quam fratri tuo parabis in eam cades, (Prou. 26.) *Anima autem mea*, ex illorum exempta insidijs. *Exultabit in Domino*, & delectabitur de salute sua. Tunc tandem *omnia ossa mea dicent*. *Domine quis similis tui*? Per ossa, fortiora membra, id est Apostolos intelligimus; qui, postquã Christus resurrexit, vbique terrarum Dominum laudare, & prædicare cæperunt. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius*: id est, Christum de manibus, & potestate Iudæorum: inops enim in hoc mundo fuit Christus, quia nihil proprij habuit, Vnde ipse ait Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet (Matth. 16. Et Apostolus, qui cum omnium diues esset, pro nobis pauper factus est, et illius inopia nos diuites faceret 2. Corint. 8. *Egenum, & pauperem a diripientibus eum*, id est, a Iudæis, vel a principibus tenebrarum. Fortiores autem dixit, quia omnis qui verberat, eo qui verberatur, fortior esse videtur.

Surgentes testes iniqui, quæ ignorabant, interrogabant me. Testes iniqui, dicuntur principes sacerdotum, qui interrogantes dicebant: Adiuramus te per Deum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Christo autem respondente: Ego sum, clamauerunt dicentes: Ipsi audistis blasphemiam, Matth. 26. quæ vtique non blasphemia, sed veritas erat: fuerunt igitur testes iniqui, quia veritatem, blasphemiam esse testantur, ignorabant autem, an esset filius Dei, quia spiritus Sanctus in eis non erat, qui hoc illis reuelaret. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, quia ego de illorum salute, ipsi vero, quomodo me perderent, cogitabant. *Sterilitatem animæ meæ*, idest penuriam vitæ, quia me interfecerunt. Vel, quia cum deberent dare frumentum, exorta est zizania, præterea semen quod super eos seminaui, quasi in duros lapides versum, nullum mihi protulit fructum. O vinea mea electa, ego te plantaui, quomodo conuersa es in amaritudinem, pro vuis labruscas, pro vino acetum Domino dedisti.

Ego autem cum mihi molesti essent. Flagellando, conspuendo. *Induebar cilicio*, quia non Diuinitatis potentiam, sed solius carnis fragilitatem eis manifestabam, nam quasi cilicio indutus, carne quia tectus, inter peccatores reputabatur: cili-

cium enim peccatoribus conuenit. Vnde Apostolus ait: Vt de peccato peccatum damnaret in carne. Rom. 8. *Humiliabam in ieiunio animam meam*, in ieiunio, inquit, affligebam meipsum, quia neminem illorum, nisi vnum ex latronibus, mihi incorporare potui. *Et oratio mea in sinu meo conuertetur*, in sinu namque conuertitur oratio, quando eadem deprecatio frequenter in corde reuoluitur. Vel etiam, ideo oratio, quam Christus in sui cordis secreto faciebat, conuersa est, quia sicut prius pro Iudæorum salute, ita & pro confusione postea Deū rogare cæpit, & merito.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam. Sic, inquit, diligebam Iudæos, vt fratrem, & secundum carnem proximum: Maiorem enim dilectionem nemo habet, quam vt animam ponat quis pro amicis suis. Io. 15. *Quasi lugens, & contristatus sic humiliabar*: vel ab ipsis, vel pro ipsis. *Et aduersum me lætati sunt*, idest, de his quæ mihi contraria, & aduersa fuerunt. *Et conuenerunt*, conuenerunt vtique Pontifices & Pharisæi in vnam voluntatem atque consilium vt Christum caperent & occiderent. Marc. 14. *Congregata sunt super me flagella*, quia cum gladijs & fustibus super eum venerunt. Matth. 26. *Et ignoraui*, nulla enim causa fuit cur eum crucifigerent. Lucæ 23. Vnde ipse ait. Quia odio habuerunt me gratis. Io. 15.

Et ideo dissipati sunt, idest, vbique dispersi. Vel, secundum interiorem hominem distracti. Vel etiam, a caritatis vinculo diuisi. *Nec compuncti*, quia nec penitent, neque credunt. *Tentauerunt me*, multis modis tentauerunt Iudæi Christum, vnde ipse ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Matth. 22. *Subsannauerunt me subsannatione*: Vah qui destruis templum Dei. Idem 26. *Frenduerunt super me dentibus suis*, crucifige, crucifige, dicentes. Lucæ 23. *Domine quando respicies* iniquitatem illorum; *Restitue animam meam*, pristino gradui, & tuæ claritati. *A leonibus vnicam meam*, subtrensa superbia, & violentia Iudæorum. Quod si feceris. *Confitebor tibi in Ecclesia magna*, idest in Ecclesia Catholica per orbem terrarum diffusa, consona omnium Sanctorum te voce laudabo. Confirmatio. *In populo graui laudabo te*, idest in gentibus, quem nullus ventus, nullaque doctrina a te diuellere potest, non in his qui leues sunt & faciles ad peccandum, quos velut puluerem ventus proijcit à facie terræ, Psal. 1. nunquam humilia, sed semper superba cogitantes.

Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi inique. Supergauderent namque aduersarij Christi, si mortuus non resurgeret. *Qui oderunt me gratis*, idest sine culpa. *Et annuunt oculis*, alteri enim alter oculis vt feriret innuens, Christo Domino colaphizato dicebant: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Matth. 26. Innuebant etiam oculis, quando se in facie amicos monstrabant; hoc est quod sequitur.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur. Dicentes. Magister bone. Matth. 19. Et: Scimus quia verax es. Idem 22. Et: Non respicis personam hominum, Idem loc. cit. hæc enim, & similia, pacifica verba sunt sub adulationis figura. *Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant*, loquebantur vtique Pharisæi, & sacerdotes in iracundia terræ, quia seditionis verba fundentes, terrenos, & peccatores ad iracundiam prouocabant, vt ille qui dicebat: Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Io. 11. hoc autem nulla alia de causa dicebant, nisi vt Christum dolo tenerent & occiderent. Marc. 14. *Et dilatauerunt super me os suum*, omnes palam blasphemantes dixerunt: *Euge Euge*, insultatoria laus est *Viderunt oculi nostri*, vidimus qualis esses, & tandem cognouimus, vbi sunt virtutes quas faciebat? cur qui alios saluauit, seipsum non saluat? Matth. 27. cur qui Lazarum suscitauit, seipsum non suscitat? *Vidisti Domine* insultationes, & opprobria eorum, *Domine ne discedas à me*, *intende iudicium meum*, idest, diffunde, & manifesta cunctis gentibus iudicium, quo iudicatus sum, vt nullus amplius desperet, tali sacrificio immolato. *Deus meus, & Dominus meus in causam meam*, veni, idest, discerne meam iustitiam, & illorum iniquitatem. *Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus*, idest, quia iustus es, discerne me iniuste condemnatum, & fac quod iustum est. *Et non supergaudeant mihi*, quod vtique facerent, nisi Christus à morte resurgeret.

Non dicant in cordibus suis: Euge Euge, beatæ animæ nostræ, non dicant deuorauimus eum, idest omnino deleuimus; quod equidem nec facere potuerunt, cum audirent eum resurrexisse. *Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis* Ecce hic conuertitur oratio, non enim iam rogat, vt Pater illis ignoscat, sed erubescant, & reuereantur: erubescant, inquit, de mendacio suo, & reuereantur pœnam suique confusionem, & repentinum interitum, qui gratulantur malis meis, idest, non solum qui faciunt, sed qui facientibus consentiunt, vt ipse Pilatus, qui dicebat: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Idem loc. cit. *Induantur confusione, & reuerentia, qui maligna loquuntur super me*, confusione quidem, & verecundia induti fuerunt, quia inuitis custodibus resurrexit; induentur, & in iudicio, cum iudicem videbunt, quem vt hominem flagellabunt. Hinc pro Ecclesia loquitur. *Exultent, & lætentur qui volunt iustitiam meam*; Iudæi inquit, induantur confusione, illi autem exultent & lætentur, qui iustitiam meam sequi volunt, vel, qui me iustum dicunt. *Et dicant semper: magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius*, semper enim Ecclesia Dominum magnificat, quæ vtique eandem pacem habere desiderat, quam & Christus habet, qui, pro parte carnis, seruus est Patris. *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam*, idest Apostoli, & Doctores, per quos quasi propria lingua, meas Ecclesiæ denuncio voluntates. *Et tota die laudem tuam*, donec enim tempus fuerit, semper Ecclesia Dominum laudauit.

EXPOSITIO PSALMI XXXV.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. In semetipso, inquit, in corde, in cogitationibus: Dixit iniquus: delinquam, furabor, occidam, innocentes, & proximos accusabo, & sic dicues efficiar. Vel, in semetipso, idest contra seipsum; omnis enim qui peccat, sibi contraria operatur. *Non est timor Dei ante oculos eius*, quid mirum, si se peccare promittit, qui ante oculos cordis Dei timorem non habet: timor namque Dei, frenum est peccati.

Quoniam dolose egit in conspectu eius. id est in interiori homine, quem Deus videt, & cognoscit, vel etiam, Iudæi in præsentia Christi. Vnde fit, *vt inueniatur iniquitas eius ad odium*, quia semper, inquit, dolose agit, sine odio quidem iniquitas illius inueniri non potest. *Verba oris eius iniquitas, & dolus*, verba namque eorum dolo, & mendatio plena sunt, quia aliud ore dicunt, & aliud corde voluntant. *Noluit intelligere vt bene ageret*, multi enim bona, & scripturas intelligunt, sed nō ad hoc vt eas custodiant. Vnde Apostolus: Non auditores, inquit, legis iustificabuntur apud Deum, sed factores: Rom. 2. Itemque si vis perfectus esse, serua mandata. (Matth. 19.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo, id est, in secretario cordis sui. *Astitit omni viæ non bonæ*, quia in omni malitia perseuerauit, hoc est quod sequitur, *Malitiam autem non odiuit*. Qui malitiam non odit, misericordiam non amat.

Domine in cælo misericordia tua. In supradictis, inquit, iniquis, non est nisi dolus, iniquitas, & malitia: in Sanctis autē, quos per cælum intelligimus, misericordia, & veritas: Misericordia quidē est in sanctis, quia à magistri iussione nō discedunt, qui ait: Estote misericordes, sicut & ego misericors sū. Lucæ 6. Et alibi: Iucundus homo qui miseretur, & commodat. Psal. 111. Veritas quidem: quia nemmem fallunt, vt ille de quo superius diximus: Verba oris eius, iniquitas, & dolus, in talibus enim veritas non est. Vsque ad nubes, subintelligitur, perueniens, quid per nubes, nisi Apostolos, Doctores, & Prophetas? vt enim nubes pluuiam, ita et isti doctrinam distillant. Vsque ad hos ergo peruenit veritas Dei, quia nullus ad plenum Diuina secreta cognouit, nisi cui Sanctus Spiritus reuelauit: vnde ipsa veritas ait. Nemo nouit Patrem

nisi

niſi filius, & cui filius voluerit reuelare. Matth. 11.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Subauditur, homines facit. Omnes enim qui Dei iuſtitiam imitantur, & colunt, quaſi montes efficiuntur, vt enim montes a ſole, ita ſancti ſemper a Chriſto illuminantur, quacumque enim ex parte voluatur Sol, montes quidem ſemper illuminat. *Iudicia tua abyſſus multa*, id eſt, alta, & obſcura profunditas. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Rom. 11. Vel, incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, Idem loco citato. Quia alios elegit miſericordia, alios damnat veritate, ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſau odio habui. (Ad Roman. 9.)

Homines, & iumenta ſaluabis Domine. Quamuis, inquit, in cęlo ſit miſericordia tua, tamen et homines, & iumenta ſaluabis, id eſt ſapientes, & rationabiles, & brutos, & idiotas. Siue, homines, & iumenta, id eſt, iuſtos, & peccatores. Vel etiã homines, id eſt, carnales: & imperfectos, & iumenta hominũ, id eſt Apoſtolos, qui totius Eccleſiæ ſarcinam ſuſtinent. *Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus*, videas, quo ad homines, & iumenta, & iuſtos, & peccatores ſaluauit Dominus, tantam admirans miſericordiam, exclamat. Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.

Filij autem hominum. Id eſt tota Eccleſiæ continuatio vſque ad finem ſæculi. *In tegmine alarum tuarum ſperabunt*, id eſt, in tua protectione. Vel, duas alas, duo crucis cornua intelligimus, quia ſignum crucis muniti inimicum a nobis repellimus. Siue, duæ alæ: duo ſunt teſtamenta, quibus eruditi, hæreticos ſuperamus. Poſſumus etiam per duas alas, Dei, & proximi dilectionem ſignificare, quibus quicunq. caret, non habet vnde volet ad regna cælorum.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. id eſt, affluentia gratiarum ſpiritus ſancti, ſiue plenitudine ſcripturarum; namq. ſpiritu ſancto pleni erant Apoſtoli, quando muſto madere a Iudæis dicebantur. Act. 2. *Et torrentes voluptatis tuæ potabis eos*, id eſt, impetu miſericordiæ tuæ, ſummiq. & ineffabilis boni felicitate, quod facere quidem poteſt, Quoniam apud te eſt fons vitæ, id eſt Chriſtus apud Patrem, vt in Euangelio dicitur: Et verbum erat apud Deum Io. 1. Fons vitæ Chriſtus eſt, vt ipſe ait; Aqua, quam ego do, qui biberit ex ea, non ſitiet vltra Idem 4. *Et in lumine tuo videbimus lumen*; lumen de lumine Chriſtus eſt, qui illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum, Ioan. 1. in hoc autem lumine videbimus lumen, quia ipſe eſt lucerna pedibus noſtris, ducens ante patris faciem & claritatem, quod vt fiat, fac quod ſequitur. *Prętende miſericordiam tuam ſcientibus te*. id eſt filium tuum Confirmatio. *Et iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde*, ut iuſti, & miſericordes ad te perueniant. Non ueniat mihi pes ſuperbiæ, pes enim principium, & ſuſtentamentum ſuperbiæ diabolus eſt. *Et manus peccatorum non moueat me*, id eſt ſuggeſtio, & diabolica tentatio, non ſeparet me a charitate Dei. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, idem maligni ſpiritus, qui iniquitatem operari non ceſſant: nam propter ſuperbiam de cælorum ſedibus eiectį ſunt. *Expulſi ſunt a te, nec potuerunt ſtare*.

EXPOSITIO PSALMI XXVI.

NOli ęmulari in malignantibus. Vox Doctorum ad Eccleſiam. Æmulari, multas habet ſignificationes: aliquando enim pro diligere ponitur, vt Æmulor enim vos Dei æmulatione 2. Corinth. 11. Aliquando autem pro imitari, vt: Æmula mini charifmata meliora. 1. Corinth. 12. Aliquando vero pro, inuidere, vt in hoc loco? Noli ęmulari in malignantibus: id eſt, noli habere inuidiam in male agentibus, vt idem facias. *Neque Zelaueris facientes iniquitatem*, dilige, inquit, hominem, noli diligere latronem, dilige hominis naturam, ſed non diligas adulterium, malum enim vbique repudiandum eſt.

Quoniam tanquam fenum velociter areſcent. Ad tempus enim ornantur, & florent: ſed cito ſiccantur, & in puluerem rediguntur. *Et quemadmodum olera herbarum*, id eſt, viriditates cito deciderunt, vnde Iſaias; omnis caro fenum, & omnis gloria eius quaſi flos feni, ſiccatum eſt fenum, & cecidit flos Iſaiæ 40. *Spera in Domino, & fac bonitatem*, noli, inquit, malignantibus inuidere, ne & tu tam cito pereas, Sed ſpera in Domino, non in diuitiis, non in pulchritudine, non in mundi flore. Et fac bonitatem, id eſt miſericordiam in omnibus. Inhabita terram, id eſt ſanctam Eccleſiam. *Et paſceris in diuitijs eius*, id eſt, in ſacris voluminibus. Vel, inhabita terram, id eſt, dominare carni, neque ſecundum ſuas concupiſcentias eam vagari permittas, & paſceris in diuitijs eius. Delectare in Domino, non in concupiſcentijs carnis, nõ in momentaneis bonis. Et dabit tibi quæ iſta quidem dare non poſſunt, ſcilicet *petitiones cordis tui*. Si enim, quod verum eſt, ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, Ad Gal. 5. aliæ quidem ſunt petitiones carnis, alię vero ſpiritus, id eſt cordis.

Reuela Domino viam tuam. O quam ſalutifera mandata, non inuidere malis, nõ diligere iniquitatem, in Domino ſperare, in Domino delectari, vias & opera noſtra Domino confiteri, admonent nos ſapientiſſimi, & miſericordes Eccleſiæ Doctores. *Et ſpera in eum et ipſe faciet*. Quid faciet? Sequitur. Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, vt numquam in tenebris, & uitijs obſcuretur: non enim a tenebris comprehenditur lux. Vel, quaſi lumen iuſtitiam educet, quia de hac obſcuritate eleuans Angelis eam, & hominibus manifeſtam faciet. Fulgebunt enim ſancti ſicut ſol in Regno Dei. Matth. 13. Confirmatio. *Iudicium tuũ tanquam meridiem*, omni obſcuritate, tenebriſque elucidatum faciet iudicium illud quo Dominum imitari, & fidem ſequi, & operationem decreuiſti. Hoc autem erit in die Iudicij, quando ſancti ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Sapient. 5. quos mali in tanta gloria uidentes dicent: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, nos inſenſati, uitam illorum eſtimabamus inſaniam. *Subditus eſto Domino, & ora eum*. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matth. 4.

Noli emulari in eo, qui proſperatur in via ſua, id eſt in homine facientẽ iniuſtitias, multi enim in dolo, multi in furto, multi in periurio, multique in rapina proſperantur, hæc autem non Dei, ſed hominis, uitæ ſunt.

Deſine ab ira. Ira enim uiri iuſtitiam Dei non operatur. Iacob. 1. Et: Sol non occidat ſuper iracundiam ueſtram ad Ephes. 4. Repetitio. *Et derelinque furorem*, Vel etiam, ira, animi, furor uero corporis eſt, furor enim eſt; qui homines in adulterium rapit. Noli æmulari, ut maligneris, ſed potius ut bona agas.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Exterminabuntur quidem, quia extra hæreditatis terminos permanebunt: Siue, cito de corporibus eijcientur. *Suſtinentes autem Dominum, ipſi hereditabunt terram*: qui enim Dominum expectant, terram uiuentium hęreditabunt, vel etiam carni ſuæ imperitabunt.

Et adhuc puſillum; & non erit peccator. Adhuc, inquit, puſillum temporis erit, & poſtea non erit peccator, quia omnino deſtruetur. *Et quæres locum eius, & non inuenies*; id eſt ſi forte locum eius quæſieris, inuenire non poteris, quod enim non eſt, locum habere non poteſt. *Manſueti autem hæreditabunt terrã*: beati mites, & manſueti, quoniam ipſi poſſidebunt terram (Matth. 5.) eorum namque erit hæreditas. Poſſident etiam carnem tuam, ne in vitijs delectentur: *Et delectabantur in multitudine pacis*. Nulla enim ibi ſeditio, nullaque diſcordia erit, qua & ſpiritus carni, & caro ſpiritui conſentiet.

Interim autem, *obſeruabit peccator iuſtum*. Vt eum capiat & perdat: ad hunc namque motum in Euangelio legitur: Et ipſi obſeruabant eum. Lucæ 14. *Et ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis*, ſtridebit ſuper eum dentibus nequitiæ, & impietatis, quibus eum deuorare nititur per corporis namque motum, affectum animi intelligimus. *Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit, quod veniant dies eius*, irridet namque Do-

minus peccatorum gaudium,& exultationem, quia quando, & quæ de eis pœna sumatur, agnoscat.

Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suũ. Per gladium, apertam, & manifestam persecutioné intelligimus, per arcum vero, occultam, & dolosam deceptionem, qua sanctis insidiantur. *Vt decipiant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde*, arcu namque decipiunt, gladio vero trucidant, est autem pauper, qui nihil habet, inops vero, qui quamuis sine opibus sit, aliquid tamen possidet. *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur*, omnis enim quicumque alium lædere molitur, primum seipsum proprio iaculo percutit: arcus autem confringitur, quando dolus, & mala voluntas non inuenit effectum. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas*, ac si dicat: Melior est iustorum paupertas, quam diuitiæ peccatorum, istæ enim paucis abundat, ille autem plenus sit: Ille animã saluat, ille autem corpus, & animam odit, sed quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur. Matth. 16. melior est enim huic fides, quæ grano sinapi comparatur, quam illi perfidia, quæ vbique vagatur. Quoniam brachia peccatorum conterentur, id est, virtutes, patientiæ, diuitiæque, in quibus confidunt. *Confirmat autem iustos Dominus*, ne ab iniustitia vincantur. *Nouit Dominus dies immaculatorũ*, nouit enim quomodo vixerint, & quibus vitam finierint. Vel nouit, quia dilexit. Vnde e contra malis dicturus ait: Amen dico vobis nescio vos. Math. 25. Omnis enim qui ignorat, ignorabitur. 1. Corinth. 14. *hæreditas eorum in æternum erit*, id est in Christo, vel in vita perpetua. *Non confundentur in tempore malo*, quia reprobis dicetur: Ite maledicti in ignem æternum. *Et in diebus famis saturabuntur*, dies namque famis eodem in tempore fient, quia, omnes siue boni siue mali æternum suscipere gaudium desiderabunt, sed malis omnibus expulsis, solis bonis prandium, & nuptiæ parabuntur, quando e contra soli *peccatores peribũt. Inimici namque Domini mox vt honorati fuerint*, inani, & temporali gloria. Et exaltati in opes, & diuitias. *Quemadmodum fumus deficient*, quia nusquam apparebunt. Peribunt igitur peccatores. Vel ideo, vt fumus peribunt, quia quanto altius ascendent, tanto magis euanescent, & merito.

Mutuabitur peccator, & non soluet. Nihil enim habet homo, quod mutuo non acceperit, sicut scriptum est: Quid enim habes quod non accepisti? 1. Corinth. 4. nudos enim nos natura creauit: nihil ergo habet homo, quod mutuo non acceperit. Vnde, & in Euangelio Dominus dicit: Homo quidem peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua; & vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vero vnum: Matth. 25 Ecce pecuniam Domini mutuo serui acceperunt, qui autem in hoc fideliter eam dispensauerit, & cum vsura Domino dicetur: reuertenti soluere poterit, hoc ei a Domino. Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. Idem loco citat. Fideliter namque dispensant diuites: qui de diuitijs eleemosynas faciunt: fideliter autem dispensant Doctores, qui nec sacculũ nec perã portãt. Peccatores autẽ, diuitias, & sapientiam, virtutes, & intellectum a Domino mutuantes, neque ei gratiam referunt, neq. pauperibus suppeditant, neque cum lucro pecuniam soluunt, merito igitur, vt fumus deficient. *Iustus autem miseretur, & tribuet*, miseretur, inquit, alijs, vt & Dominus sui misereatur, misericordiæq. retribuat meritum.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram. Hanc retributionem recipiunt iusti, quia terram viuentium hæreditabunt. *Maledicentes autem ei disperibunt*. Vere vtique disperibunt quia, & anima, & corpore morientur. *Apud Dominum gressus hominis (timentis se) dirigentur*, quia de virtute, in virtutem ad Deum ibit. *Et viam eius volet*, quia secundum iustitiam graditur.

Cum ceciderit, non collidetur. Quia statim, vt peccat, pœnitet, & ipsa pænitentia corroboratur. Siue: cum in aliquas huius sæculi ceciderunt aduersitates, in interiori tamen homine non collidetur. Quare? *Quia Dominus supponit manum suam*. Neque a iustis aliquando separatur.

Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Non vidi, inquit, iustum a meæ ætatis principio a Domino derelictum, nec semen eius indigens pane, qui enim quærit indiget, iustus autem non quærit, quia non indiget. Semina namque, id est, imitatores iusti, non indigent, pane, quia, & carnali, & spirituali semper abundant: paucis enim, & minimis natura contenta est. Vnde & in Euangelio Dominus ait: Nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? (Matth 6.)

Tota die miseretur, & commodat, Quia aliorum miseretur, & commodat inde comprobatur non indigere, qui enim non habet, quomodo dare potest? habet igitur iustus, siquidem dare potest, miseretur, & commodat. *Et semen eius in benedictione erit*, quia & opera, & imitatores, & exhortatio ipsius a Domino benedicuntur. *Declina ergo a malo, & fac bonum*, vt & tibi idem contingat, declina a malo, diuerte a peccato, fuge diabolum, sequere bonum, imitare Deum. *Et inhabita in sæculum sæculi*. Vbi? in Ecclesia, in vnitate fidei, in cælesti Ierusalem, in iudicio recto, vt nunquam deuies a veritate. *Quia Dominus amat iudicium*, idest veritatem. *Et non derelinquet sanctos suos*, probatio est, quia veritatem diligat. Non autem derelinquit, quia *in æternum eos conseruat. Iniusti punientur*, idest, æternaliter damnabuntur. *Et semen impiorum peribit*, idest opera, vel sequaces. *Iusti autem hæreditabunt terram*, viuorum non mortuorum, vel incorruptibilia corpora sua. *Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Os iusti meditabitur sapientiam*, & in hoc sæculo, & in futuro, non meditabitur iniustitiam, non dolum, quo fratres decipiat, sed soli semper sapientiæ vacabit. *Et lingua eius loquetur iudicium*, idest, non superbiam, sed ratam veritatem. *Lex Dei eius in corde ipsius*, quæ & peccare vetat, & bona facere docet. *Et ideo non supplantabuntur gressus eius*, ab iniquis, & peccatoribus. *Considerat* namque *peccator iustum*, vt eum supplantet, eiusque detorqueat gressus. *Et quærit mortificare eũ*, quod vtique non faciet. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius*, quia quamuis corpus, animam tamen capere non poterit. Matth. 10.

Nec damnabit eum, cum iudicabitur illi, idest, ad ipsius gloriam, & honorem, quod in iudicio fiet. *Exspecta igitur Dominum*, qui te vindicabit. Vnde Apostolus: Mihi inquit, vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Rom. 12. *Et custodi viam eius*, idest, serua mandata. *Et exaltabit te*, ad cælestia. *Vt hæreditatem capias terræ*, illius scilicet quam nullus hostilis turbo tibi auferre poterit. *Cum perierint peccatores, videbis*, non peribis, sed pereuntes videbis.

Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui & ecce non erat. Satis, inquit, magnos, & excelsos, & terrenis honoribus præditos impios ad tempus vidi, & statim æterna cogitans, ad ipsorum vitæ exitum transiui, & ecce non erat. Si quis enim ad intellectum transeat, & cogitando dicat: Vbi nunc est Cæsar? Vbi Pompeius? Vbi Octauianus? Vbi potentia Neronis? non vtique eos inueniet. Et quæsiui eum, *& non est inuentus locus eius*, qui enim non est, locum non habet. *Custodi ergo innocentiam, & vide æquitatem*, ne ad impiorum similitudinem pereas. *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico* Sed quæ reliquiæ? Vita post mortem. Possumus autem per homines pacificos, Apostolos intelligere, quorum doctrina pacatus est mundus. His autem sunt reliquiæ, & æterna retributio. Vnde Apostolus: Si cuius, inquit, opus manserit, quod superædificatum fuerit, mercedem recipiet. 1. Corinth. 3. *Iniusti disperibunt, simul reliquiæ impiorum interibunt*, quia non relinquitur eis vita post mortem. *Salus autem iustorum* erit *a Domino*, qui vere saluare potest. *Et Dominus erit protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus*, in sæculi tentationibus. *Et eruet eos, a peccatoribus. Et saluabit eos*, in die iudicij. *Quia sperauerunt in eum*.

Expo-

EXPOSITIO PSALMI XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Argue me inquit, sed non in ira vel furore, quinimmo in misericordia & pietate. Vox cuiuslibet pœnitentis.

Quoniam sagittę tuę infixa sunt mihi. Quid per sagittas nisi correctionis verba intelligimus? *Et confirmasti super me manum tuam*, quia magistrali verbere me castigasti, noli igitur me in ira, & furore amplius flagellare, quia doctrinæ tuæ non sum oblitus, sed quasi acutissima sagitta cordi meo infixa est. More discipuli loquitur, magistri misericordiam implorantis. Possumus etiam per sagittas, huius sæculi ærumnas intelligere, vt sit vox humani generis de tot miserijs conquerentis, quasi dicat: Ne irascaris Domine populo tuo, qui tantis vndique miserijs, & angustijs oblitus est: hinc enim sagittæ tuæ debita vindicta morbi, pestilentiæ, fames, aliæque huius sæculi aduersitates nos vulnerant, & affligunt, hinc vitiorum impetus, dæmonorumque insidiæ nos conturbant. Restat igitur, si nobis iratus fueris, vt non omnino pereamus.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuę. In prima inquit, radice peccauimus, immortalitatem amisimus, stantuam cognouimus, mortalesque facti sumus, quæ igitur sanitas, vel constantia in nobis esse potest? *Non est pax ossibus meis*, perterrita sunt ossa mea, idcirco pacem habere non possunt, quis enim inter hostes pacem habebit? Per ossa, memoriam, intellectum, & rationem intelligimus, hæc autem quia a vitijs conturbantur, multoties pacem amittunt. Hoc autem etiam de pœnitentibus intelligi potest, qui Dei iram, suaque recognoscentes peccata, ieiunijs semper, & vigilijs vacantes, vix ossibus hærent.

Quoniam iniquitates meę supergressæ sunt caput meum. Ideo inquit, pax non est ossibus, quia iniquitates pręsunt, & dominantur menti, caput enim pro mente ponitur, quæ animæ principalior pars est. Vnde in Euangelio legitur: Leuate capita vestra. Lucæ 21. *Sicut onus graue grauata sunt super me*, illos enim grauant peccata, qui ea deponere volunt: sicut è contra illis leuia sunt, qui in eis delectantur.

Putruerunt, & corruptę sunt cicatrices meæ. Olim, inquit, pro suaui odore vitiorum putredine vsus sum, sed iam nunc quidem peccata mea mihi fœtere incipiunt, quod ideo quidem fit, quia cicatrices corruptæ sunt. Tunc enim corrumpuntur vlcera, & cicatrices, quando peccata manifestantur. *A facie insipientiæ meæ*, putruerunt vitia incisa, & aperta sunt vlcera, quia meam cognoui insipientiam, quis enim nisi sapiens insipientiam cognoscit?

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Miserum enim se Apostolus esse sciebat cum diceret. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. Vsque in finem curuantur, qui ex toto se sub iugo Christi humiliantes, in cinere, & cilicio pœnitentiam agunt. *Tota die contristatus ingrediebar*, quia semper pro peccatis flebam. Quid mirum? *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*, partem pro toto posuit, quia dæmonum, inquit, illusionibus plena erat caro mea, ideo sine tristitia esse non poteram. *Et* quoniam *non est sanitas in carne mea*, quæ semper à vitijs vulneratur. Vnde, *afflictus sum, & humiliatus sum nimis*; sciens quod per multas tribulationes in regnum cęlorum me intrare necesse sit. Act. 14. *Rugiebā a gemitu cordis mei*, rugiūt namque & amarè deflent sancti, quia semper corda eorum pro peccatorum conscientia gemunt, quod tu quidem nosti. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus*, scis igitur quia humiliatus sum, & pro peccatis gemui. *Cor meum conturbatum est in me*, idest anima mea. Sed quare conturbatum est? Quia *dereliquit me virtus mea*, idest Deus ipse, siue immortalitas. *Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*, quia via veritatis amissa, diabolum, & errorem sum secutus.

Amici mei & proximi mei, aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Vox capitis, quasi dicat: Nihil est o homo quod quereris, nihil est quod de miserijs lamenteris, vide me afflictum, vide me crucifixum, vide me peccata tua portantem, vide mundi miserias ferentem, & auferentem, consolare igitur, spem habeto, non frangaris aduersis. Amici mei. Ironia est. Sic enim, & Iudam amicum vocauit: Amice ad quid venisti, Matth. 26. cum vtique amicus non esset. Et proximi mei, secundum carnem. Aduersum me appropinquauerunt, & steterunt, non enim appropinquauerunt, vt crederent, sed potius vt occiderent.

Et qui iuxta me erant, de longe steterunt, idest, discipuli, quia relicto eo omnes fugerunt. Idem loc. cit. Sicut in Euangelio dicitur: Cum autem apprehendissent, stabant omnes noti eius a longe. Lucæ 23. *Et vim faciebant, qui quęrebant animam meam*, quia & me post se trahebant, & Iacobum, relicta sindone, nudum fugere compulerunt: Marc. 14. Petrus quoque in tantum sibi constrictus, ter negauit. Matth. 26.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates. Quia falsis testimonijs me vincere putabant. *Et dolos tota die meditabantur*, quibus me ante Pilatum accusare possent. *Ego autem, tanquam surdus, non audiebam*, quia nemini vllum responsum dabam. Vnde quidam eorum ait: Nonne audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Matth. 27. *Et sicut mutus non aperiens os suum*, sicut scriptum est. Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum. Isaiæ 53. *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Expositio est præcedentis Versus. *Quoniam in te Domine speraui*, ideo, inquit, non me defendi, quia non in me, sed in te speraui. Vnde etiam quasi improperantes dicebant Iudæi: Confidit in Deum, liberet eum si vult. Matth. 27. *Et tu exaudies me Domine Deus meus.* Sed vnde exaudies? Sequitur.

Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei. Quod vtique facerent, nisi te surgerem. *Et dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt*, quia discipulis in fugam commotis, eum deridere cœperunt. Quid mirum?

Quoniam ego in flagella paratus sum. Vt Petrus ait: Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur. 1. Petri 2. *Et dolor meus in conspectu meo semper*, non pro me tantum, sed & pro meis.

Quoniam iniquitatem meam annunciabo. Non quod iniquitatem fecisset, sed quia in eum iniquitas facta est. *Et cogitabo pro peccato meo*, idest, sollicitus ero pro peccato quod in me Iudæi fecerunt. Sic enim dicimus, aggressum vrbis, non quod ipsa aliquem aggrediatur, sed quia ab aliquo aggressa est.

Inimici autem mei viuunt. Non vtique viuent, sed morte morientur. *Et confirmati sunt super me*, ipsi namque Iudæi testes sunt, quoniam ex quo Christus passus est semper viles, & debiles sine honore, & fortitudine fuerunt. *Et multiplicati sunt qui oderunt me inique*, non equidem multiplicati, sed & prole, & diuitijs minorati sunt, & merito. Nam, *qui retribuunt mihi mala pro bonis, detrahebant mihi*, quis enim omnia bona enumerare potest quæ Iudaico populo Dominus fecit? Quis derisiones, & opprobria explicare valeat, quæ filio suo Domino nostro Iesu Christo Iudæi intulerunt? *Quoniam sequebar bonitatem*, hæc enim maior, & principalior causa fuit, vt moreretur, quia filium Dei se fecit, Io. 19. & quia Sabbatho curabat, Idem 9. quod nihil aliud quam bonitas erat. Et ideo *non derelinquas me Domine Deus meus ne discesseris a me*, cum, inquit, infernum expoliauero, ne derelinquas me, sed *intende in adiutorium meum*, vt victor cum triumpho ad te veniam, *Domine Deus salutis meæ.*

EXPOSITIO PSALMI XXXVIII.

Dixi custodiam vias meas. Vox Ecclesiæ. Vias suas custodiunt, qui a vitijs bona opera defendit. *Vt non delinquam in lingua mea*, in lingua namque peccant, qui sanctum

dant

dant canibus, & margaritas ante porcos mittunt, ille autem opera sua sic custodire promittit, vt neque in opere, neque in sermone delinquat.

Posui ori meo custodiam, non improperantibus respondi, non maledicentibus maledixi, sed ori meo custodiam posui, secundum illud: Pecuniam, & aurum tuum alliga bene, & fac ori tuo ostium, & seram. *Cum consisteret peccator aduersum me*, qui non ædificationis causa, verum vt mecum disputaret, meque reprehenderet, audiebat. *Obmutui, & humiliatus sum*, quia, quasi victor, eorum pertuli garrulitatem. *Et silui a bonis*, quia veritati obedire nolebant. Huic autem simile quiddam in Ezechiele legitur, qui cum Iudæis prædicare vellet, ait ei Dominus: Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, quia domus exasperans est. Ezech. 3. *Et dolor meus renouatus est*, idest, amplius, & intolerabilius creuit.

Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis, tali namque ira, & Isaias accensus erat, quando dicebat: Domine quis credit auditui nostro? Isaiæ 53.

Locutus sum in lingua mea, idest, in lingua cordis, in cogitatione, quam peccator redarguere non valet. Sed quid dixi? *Notum fac mihi Domine finem meum*, nullus enim in hac vita finem suum cognoscere potest, finem namque suum videre desiderabat Apostolus, cum diceret: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Ad Philip. 1. *Et numerum dierum meorum quis est*, illi quippe dies vere dicuntur esse, qui semper sunt, & nullum finem habent. *Vt sciam quid desit mihi*, nemo enim in hoc sæculo positus ad plenum scire valet, quid ei desit, sed cum ad illam supernam, & ineffabilem beatitudinem peruenerit, tunc se miserum, & bonis cunctis egentem in hoc seculo fuisse cognoscit. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos*, singula singulis respondent: illos, inquit, dies mihi demonstra, quia isti quidem transeunt, & nullius numeri sunt. Vt sciam quid desit mihi: Quia hæc mea quidem substantia mihi est, sed a te pro nihilo reputatur: Vnde scriptum est: Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Isaiæ 40. Vel etiam, tanquam nihilum est substantia & esse sanctorum, ad illius essentiæ comparationem, quam ante Dominum habebunt; fulgebunt namque sicut Sol in Regno Dei. Matth 13.

Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Isti duo versus proximo superiori versui respondent: Quamuis dies, inquit, mensurabiles, & transitorij sint, humana tamen fragilitas nihilominus in vanitate persistit. Hominem in hoc loco pro peccatore posuit, & quamuis hæc substantia nulla sit, veruntamen in imagine pertransit homo, qui, vt imaginaria, & falsa bona congreget, de regno in regnum, maria, & cuncta pericula homo pertransit, & vere homo, quia non cælum, sed humum & puluerem petit. Siue, ad imaginem Dei factus homo, Gen. 1. pertransijt, quia non Dei, sed diaboli similitudinem imitatur. Sed & frustra conturbatur.

Thesaurizat enim, & ignorat cui congregabit ea. Ideo, inquit, frustra conturbatur, quia quamuis multa summis periculis, ipsaque morte, bona conquireret, cui tamen ea congregasset ignorat, vtrum furibus, hostibus, an priuignis.

Et nunc quæ est exspectatio mea: Non aurum, vel argentum, non prædictæ diuitiæ, in quibus acquirendis homines desudant. *Nonne Dominus?* Vere Dominus, quo quidem accepto nihil defuerit. *Et substantia mea apud te est*, quam nec tinea demolitur, nec fures effodiunt vel furantur. *Ab omnibus ergo iniquitatibus meis erue me*, quod debes, nam opprobrium insipienti dedisti me; cum enim ad prædicandum discipulos misit, tunc eos insipientibus in opprobrium dedit. Vnde ipse ait: Si me persecuti sunt, & vos persequentur, sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Io. 15.

Obmutui, & non aperui os meum. Sed cum patientia, & silentio cuncta inimicorum pertuli tormenta: Magistrum sequens, qui sicut ouis ad victimam ductus est, & non aperuit os suum. Isaiæ 53. *Quoniam tu fecisti, amoue a me plagas tuas*, tua factura sum, tuum plasma sum, tu me fecisti, miserere mei.

A fortitudine manus tuæ ego defeci. Sicut aurum in fornace probat Dominus electos suos: Sap. 3. Flagellat enim omnem filium, quem recipit, vnde fit, vt a fortitudine potentiæ suæ deficiant, & carnis robur amittant: vnde Apostolus: Crucifixus, inquit, sum mundo. Ad Gal. 6. Confirmatio. *In increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem*, quod enim homo corripitur, non sine causa fit.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Quia indumentum iustitiæ sibi texendo, atque filando pro operis studio atque instantia ab omni vitiorum pinguedine defecit. Hæc enim est illa vestis nuptialis, qua qui indutus non fuerit, Christi prandium non merebitur. Vnde Salomon ait: Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Prouer. 31. Itemque. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Idem loc. cit. Hanc autem lanam & linum, eius viri, qui loquitur, anima, sibi filando, ab omnibus carnis concupiscentijs defecit. *Veruntamen vane conturbatur omnis homo*, quia pauci sunt qui bonorum exempla imitantes, a sæculi vanitate separentur. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas: ne sileas*, sed responde mihi. *Quoniam aduena ego sum*, in hoc mundo manens. *Apud te*, quia a voluntate tua non discedo. *Et peregrinus sicut omnes patres mei*, quia dum in corpore sumus, a Domino peregrinamur. 2. Corinth. 5. Nam pro transeuntibus fit iste psalmus, qui de huius mundi peregrinatione ad patriam transeuntes, merito peregrini vocantur.

Dimitte mihi, vt refrigerer. Priusquam abeam, prius, inquit, quam moriar, dimitte mihi peccata mea, vt in illa cælesti beatitudine refrigerium habeam. *Et amplius non ero*, quia in inferno nulla est redemptio, siquidem non dimissis peccatis illuc, inquit, si peruenero, scio quia amplius non ero. Melius enim est non esse, quam infeliciter esse.

EXPOSITIO PSALMI XXXIX.

E*Xspectans exspectaui Dominum*. Vox Ecclesiæ: Diu, inquit, exspectaui Dominum qui de huius seculi miserijs me liberaret, hoc enim Abraham, Isaac, & Iacob, hoc Isaias, Ieremias, hoc ipse Dauid huius dictaminis compositor, exspectauit. *Et intendit mihi*, idest, ad meum gaudium, & vtilitatem in mundum venit; Vnde ipse Dominus ait: Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & nõ viderunt. Lucæ 10. Itemque: Abraham pater vester, exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Io 8. *Et exaudiuit preces meas*, venit, inquit, & exaudiuit me. Nullus enim Christum deprecatus est, qui misericordiam non inuenisset. *Et eduxit me de lacu miseriæ*, idest de inferno, vel de vitiorum profunditate Confirmatio. *Et de luto fecis*, idest, de errore litteræ, vel gentilitatis.

Et statuit supra petram pedes meos. Pedes, inquit, meos, sensus meos, opera mea, statuit, & firmauit in se ipsum, & in fidem suam, ne in lacum, & in lutum fecis immergerentur. *Et direxit gressus meos*, neque enim me supra petram positum, otiosum esse permisit, sed ad Euangelium prædicandum pedes meos direxit. Siue, opera mea, quæ praua, & aspera erant, in directa, & vias planas conuertit. *Et immisit in os meum canticum nouum*, gressus quidem ad euangelizandum direxit, neque os vacuum, mutum, & elingue esse voluit, sed nouum canticum mihi dedit, quia nouus homo venit in mundum, & nouam legem dedit mundo. Greg. Hom. 32. *Carmen Deo nostro*, carmen, inquit, mihi dedit, quod Deo nostro acceptabile est, non vanam Philosophiam, aut Comicorum scurrilitatem.

Videbunt multi, & timebunt. Qui enim cæci erant, & de Deo nihil intelligebant, hoc quidem audientes illuminati sunt. Vos igitur Apostoli lux estis mundi, Matth. 5. quandoquidem cæcos illuminatis. Et timebunt. Quid timebunt? non vtique pristinam vanitatem, sed Dominum ipsum, cuius timor est initium sapientiæ. Psal. 110. *Et sperabunt in Domino*, non in incerto diuitiarum, quæ hodie habentur, & cras non inueniuntur.

Beatus

Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius. In Domino quidem ſperabunt, & beatus ille vir, cuius ſpes erit nomen Domini: nomen autem Domini eſt Ieſu, qui Saluator interpretatur, Beatus ergo ille qui ſe a Ieſu ſaluari ſperat.

Et non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas, vt idola adoraret & auaritię deſeruiret, vel diuitias ſęculique honores, quæ homines inſanos faciunt, concupiſceret. *Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua*, videntes prędicatores hodie multos credentes. qui heri idola adorabant, exclamabant: Multa feciſti tu Domine Deus mirabilia tua, *& cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* Ecce attende.

Annunciaui, & locutus ſum, multiplicati ſunt, ſuper numerum. Annunciauerunt Apoſtoli, crediderunt gentes, nata eſt illa ſoboles, quæ ſtellis cæli comparatur, quarum præ multitudine nullus eſt numerus.

Sacrificium, & oblationem noluiſti. Quia non Iudæos, ſed gentium populum elegiſti. Vnde ipſe Dominus Iudæos interrogans ait: Quid eſt, miſericordiam volo & non ſacrificiū? Matth. 9. In quibus verbis non Iudæos, qui hircorum, & taurorum ſacrificium faciebant, Leuit. 16. ſed gentiles qui ſola miſericordia ſaluantur, ſe voluiſſe inſinuat. *Aures autem perfeciſti mihi,* quia ſolo auditu crediderunt Apoſtolis: Marc. 1. legerunt namque in Prophetis Iudæi, audierunt, & viderunt Chriſtum, non tamen crediderunt: (Io. 10.) gentes autem non viderunt, ſed Euangelium audientes credidere. (Act. 13.) *Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti,* quia nec etiam pro peccatis tale ſacrificium offerri debet. Poſſumus etiam ſic intelligere, neque holocauſtum voluiſti, neque hoſtiam pro peccato. *tunc dixi ecce venio.* Hucuſque Eccleſia, nunc autem loquitur Chriſtus, & priori huius pſalmi verſui reſpondet.

Tu, inquit, me exſpectans exſpectaſti: ego autem nunc dixi, ecce venio, carnem aſſumo, teque de luto fęcis expedio. Apoſtrophe ad Patrem: Venio Pater ſicut præcepiſti mihi; Vt facerem voluntatem tuam. Et legem tuam in medio cordis mei, quod equidem Deus meus volui, ſicut *in capite libri ſcriptum eſt de me.* Sic enim ſe habet ordo. Nunc autem intelligentiam expediamus: In capite namque huius libri ſcriptum eſt, ſed in lege Domini voluntas eius, Pſalm. 1. hoc autem eſt quod hic dicitur; vt facerem voluntatem tuam. Et in lege eius meditabitur die, ac nocte: Pſal. 1. hic autem ſcriptum eſt: Et legem tuam in medio cordis mei. Hæc autem ſans ęquipollentia ſunt.

Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna. Quia & per ſe, & per Apoſtolos, vniuerſalem Eccleſiam docuit, Mar. 16. quæ ex omnibus mundi partibus collecta eſt. *Ecce labia mea non prohibebo,* labia Dei, Apoſtoli ſunt, quia per eos loquitur, hos autem ad tempus prohibuit dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: Matth. 10. poſtea vero non ſolum prohibuit, ſed etiam omnibus gentibus prædicare pręcepit, ait enim: Ite in vniuerſum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Mar. 16. *Domine tu ſciſti,* teſtem ex hoc Deum inuocat, quia in omnibus gentibus Apoſtolos prædicare iuſſit, vt nulla in iudicio poſſit fieri excuſatio.

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo. Vnde ipſe diſcipulis ait: Quæcunque audiui a patre meo, nota feci vobis. Io. 15. Ideoque & Apoſtolis præcepit, vt neque ſacculum neque peram ſecum deferrent. Lucæ 10 Sacculum namque portat, qui verba diuina in corde celat: *Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi,* quia me tuum eſſe filium confeſſus fui. (Mar. 14.) *Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo,* quia coram Iudæis, coram Pilato, & ante Principes, & ſacerdotes ſe Chriſtum eſſe dicebat. Matth 26. *Tu autem ne longe facias miſerationes tuas a me*, hoc autem ſecundum hominem loquitur. *Miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me,* præteritum pro futuro poſuit. *Quoniā circundederunt me mala quorum non eſt numerus*, quia pro totius mundi delictis mortuus eſt. 2. Corinth. 5. Sed quis omnium delictorum numerus eſſe poteſt? *Comprehenderunt me iniquitates meę,* ideſt, iniquitates mihi illatæ, Iudæi videlicet, qui tanta nequitia pleni erant, vt non ſolum iniqui, verum etiam ipſa iniquitas rite vocentur. *Et non potui, vt viderem,* non inquit aperui oculos, neque aperire potui, vt aliquos viderem, niſi inimicos, & mihi aduerſos.

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me Nam quia & mei me dereliquerunt, & inimici innumerabiles erant, idcirco niſi inimicos videre non potui. Cor Chriſti vocantur Apoſtoli, quia omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauros in eos recondidit, vtque ſeipſum, eos dilexit. Io. 15. *Complaceat tibi Domine, vt eruas me. Domine ad adiuuandum me reſpice*: rogat humanitas diuinitatem, vt eam ab inimicis eripiat, quia ipſa ſecundum ſe infirma, & debilis erat. *Confundantur, & reuereantur ſimul qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Auertantur retrorſum:* Vel, a peccato ad iuſtitiam, vel, ab his quæ furſum ſunt, vt ſemper infima petant, vel etiam, quia in faciem ſuam ceciderunt. Io. 18. *Et reuereantur, qui volunt mihi mala.* Quid reuereantur? Vel Deum, vel pęnam, quæ illis ſubito ſuperueniet.

Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge Euge. Siue, vt de peccatis erubeſcentes peniteant, ſeu, quia cito ab hoſtibus ſubuertentur. *Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te,* omnes, inquit, qui per fidem, & dilectionem te quærunt, exultent non in ſe, ſed in te, vt qui gloriatur in Domino glorietur. 1. Corinth. 1. *Et dicant ſemper: magnificetur Dominus*, id eſt, imperium, & potentia, & credentes in eum. *Qui diligunt ſalutare tuum*, ideſt Chriſtum filium tuum, per quem vniuerſorum ſalutem operans. *Ego autem mendicus ſum, & pauper*, merito inquit me diligere debent, quia cum omnium diues eſſem, pro eis pauper factus ſum. (2. Corinth. 8.) *Sed Dominus ſollicitus eſt mei*, quia omnibus ſuperabundat. *Adiutor meus & protector meus tu es, Deus meus ne tardaueris*, ſed cito ſubueniens auxilium præſta.

EXPOSITIO PSALMI XL.

B*Eatus qui intelligit, ſuper egenum, & pauperem.* Vox Prophetę: Ego quidem pſalmos compono, ſuper me tamen intelligendi non ſunt, Beatus ille erit, qui non ad literam, ſed ſpiritualiter, & pſalmos & ceteros prophetas ſuper egenū, & pauperem intelligit, per egenum autem, & pauperem, Chriſtum deſignat, qui cum omnium diues eſſet pro nobis pauper factus eſt. 4. Corinth. 8. *In die malo liberabit eum Dominus*, Dies namque iudicij, & malus erit malis, & bonis bonus. In hoc autem die liberabitur Eccleſia, quæ Chriſtum credidit, & intellexit, vos autem perfidi Iudæi malum diem exſpectate, qui ſuper Antichriſtum Pſalmos intelligitis.

Dominus autem conſeruet eum, & viuificet eum. Video, inquit, egenum, & pauperem, iam carnem ſumit, ecce venit, ſed quænam eſt illa malorum multitudo, qui ei aduerſantur? O nefas, ſerui in Dominum inſurgunt, hæredem agricolæ interficere cupiunt, Marc. 12 pontifices, & ſacerdotes illudentes circumſtant, Matth. 27. Dominus autem conſeruet eum, ne ab his canibus mitis agnus diripiatur: Et viuificet eum die tertia. Et beatum faciat eum, in terra viuentium, eam ſibi claritatem reddens, quam priuſquam mundus fieret, ſecum habuit. Ioan. 17. *Non tradet eum in animam inimicorum eius*, quod equidem eſſet, niſi a mortuis reſurrexiſſet.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius. Lectus doloris, caro eſt, ſecundum quam Chriſtus affligebatur. *Vniuerſum ſtratū eius verſaſti in infirmitate,* ideo, inquit, vt in lecto doloris ei auxilieris te deprecor, quia totus in infirmitate verſatur: Vnde Iſaias. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Iſaiæ 1. totum igitur corporis eius in infirmitate erat dicens.

Ego dixi Domine miſerere mei, id eſt meorum. *Sana animam meam, quia peccaui tibi*, nunquid Chriſtus peccatum fecit? abſit, ſed animam ſuam Eccleſiam dicit, quam præ omnibus dilexit. Vnde ſcriptum eſt. Pellem pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima ſua, Iob. 2. nihil enim hominis habuit, quod pro hac anima non dediſſet, pellem

quo-

quoque pro pelle dedit, quia pro carne nostra, suam morti tradidit. Rogat igitur Patrem, vt Ecclesiam sanet, quæ a peccatorum multitudine infirmata est.

Inimici mei dixerunt mala mihi quando morietur, hæc enim mala cogitabant, & dicebant Iudæi de Christo, quando morietur iste, qui miraculorum operatione totum post se mundum trahit, & quando peribit nomen eius, vt nullus eum confiteatur. Vnde in Euangelio dicitur: Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur, extra Synagogam fieret. Io. 9.

Et si ingrediebatur, vt videret vana. Nunc ad ipsum capitalem conuertitur inimicum, qui eum pessima proditione tradidit. Et, si inquit, aliquando ingrediebatur in prætorium, inter inimicos, & Iudæorum consilium, ille pessimus omnium inimicorum Iudæorum Iudas, vt videret vana, quæ ab ipsis machinabantur, *loquebatur cor eius*, id est, cogitabat quid diceret & responderet. *Congregauit iniquitatem sibi*. Sibi quidem, idest ad perditionem sui congregauit iniquitatem, quia bonum illi erat si natus non fuisset. Matth. 26. *Et egrediebatur foras*, quia audito consilio de Prætorio exiebat. Et loquebatur in idipsum, id est, de eadem re.

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei. id est, in meæ mortis consilio exercebantur. *Aduersum me cogitabāt mala mihi. Verbum iniquum constituerunt aduersum me*, dicentes, crucifige, crucifige, Ioan. 19. sicut scriptum est. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Isaiæ 15. Sed *numquid qui dormit, non adijcit, vt resurgat?* vere surget. *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me, supplantationem*, quia eum osculo tradidit Lucæ 22. *Tu autem miserere mei, & resuscita me*, a mortuis. Et retribuam eis, hoc erit in iudicio quando eos in infernum præcipitabit.

In hoc cognoui quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Nam neque Iudæi, neque maligni spiritus de morte Christi gauisi sunt; illi enim, & locum, & gentem amiserunt; isti vero prædam, quam captiuam detinebant.

Me autem propter innocentiam suscepisti, illos autem propter illorum multas iniquitates omnino perdes. *Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum*, quia ad Patris dextram sedet. Vnde Benedictus sit Dominus Deus Israel a sæculo, & vsque in sæculum. Nos autem Amen Amen respondeamus.

Hic Primus Psalterij liber finit.

EXPOSITIO PSALMI XLI.

QVemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Vox Ecclesiæ. Quēadmodum inquit, ceruus aliquo veneno contactus ad aquarum fontes venire desiderat, ita anima mea ad te Deus. quā serpens antiquus mortifero veneno percussit. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quādo veniam, & apparebo ante faciem Dei; ante Dei faciem venire desiderabat Apostolus quando dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo, nulla enim alia de causa laborabāt sancti nisi vt ante Dei faciem læti peruenirent.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ Panes die ac nocte. Toxicatus sum, aquam sitiui, ad te venire desideraui, hoc desiderio fleui, die noctuque lacrymaui, & pro dulcissimo pane lacrymas habui. Sed numquid lacrymæ panes fiunt? fiunt equidem, vt enim pane satiatur corpus, ita compunctionis lacrymis reficitur anima. Dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus.

Ordo est. *Dum dicitur mihi quotidie: vbi est Deus tuus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Hæc recordatus sum, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis, & effugi in me animam meam, dicens; Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi*. Sic enim se habet ordo Significatum videamus. Pagani namque deos suos digito demonstrantes, olim Sanctis dicere solebant. Vides deos nostros? Vides Iouem, Saturnum, Mercurium, Venerem, & Dianam? Tu autem dic nobis, vbi est Deus tuus? Hæc audiēs vir sanctus, psulisper commotus ait. Quare tristis es anima mea? At illa: Quia Deum meum videre non possum. Et quare conturbas me? Numquid illorum persuasio præualuit: numquid ea, quæ dicunt, vera esse arbitraris? Recordare quæso, quoniam transibis in locum tabernaculi admirabilis, & vsque in domum Dei, & tunc tandem Deum tuum videbis. Sed quomodo transibis? in voce exultationis, & ineffabilis gaudij, & confessionis, & laudis, quæ vox nihil aliud erit, quā sonus epulantis nihilo indigentis, semperque gaudentis, Hęc inquit, recordatus sum, & effudi in me animam meam: numquid anima sua extra eum erat? Numquid iam eum dereliquerat? vere dereliquerat, quia prædicta suasione decepta iā post Deos alienos ire volebat, in se igitur animam suam effudit, quia a praua voluntate eam retraxit, dicens, Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi. Hæc autem quæ dicta sunt, non ita sunt accipienda, quasi alteri alter loquatur, sed ipsa anima seipsam hortatur, & in Dei seruitio confortat. Apostrophe. *O salutare vultus mei, & Deus meus*. Vide quia ad meipsum anima mea conturbata est, propterea vt eam consoleris, memor ero tui, veniens *de terra Iordanis, & Hermonyme a monte modico*. Hoc autem ad litteram Spiritualiter sic intelligitur. Iordanis descensio, vel humiliatio. Hermon autem, anathema interpretatur. Memor est ergo Domini de terra Iordanis, qui in humilitate carnis, vel in corpore baptizato Domino seruit. Qui vero diabolum anathematizat, vel a vitijs separatur, de terra Hermonijm Domini recordatur; In monte autem modico erat Apostolus, quando dicebat: Ego autem sum minimus Apostolorum, qui nō sum dignus vocari Apostolus. 1. Corinth. 15.

Abyssus abyssum inuocat in voce Cataractarum tuarum. Ac si dicat: Tui quidem semper memor ero, pro quo abyssus abyssum inuocat, idest nouum testamentum vetus testamentum tradit, quę ob intelligentiæ profunditatem, vtraque abyssus vocantur. Et hoc quidem in voce cataractarum tuarum. Nāque cataractæ, fenestræ cæli esse dicuntur: Apostoli autem cæli sunt: Sunt ergo ora Apostolorum cataractæ cæli. Per hos autem abyssus inuocat abyssum, quia Euangelica prædicatio a veteri testamento per Apostolos confirmatur. Vel etiam, abyssus abyssū inuocat, quando pœnam, & infernum peccatoribus Apostoli denunciant. Vtrumque enim diuersis de caussis abyssus dicitur.

Quibus prædicantibus, *omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*. Quia etiam inuisibilia illius creatura mundi Apostolorum prædicatione aperta sunt. De his autem fluctibus, & alibi dicitur. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei Psal 86. Transierunt ergo excelsa & fluctus Dei super Ecclesiam, quia & inuisibilia vidit, & sancti Spiritus inundationem recepit.

In die mandauit Dominus misericordiam suam. Quid est misericordia sua? Christus. Quibus mandauit in die? nobis quidem. Quibus autem in nocte? Iudæis. Iudæis nāque, nisi in nebula, & caligine, nunquam apparuit, (Exod. 3. 13. 19. 24. Significans, quia carne sumpta, ab eis cognoscendus non erat: Nobis autē in die mandauit, qui in eū credimus, eū cognoscimus, & veneramus. Vnde dictū est; Vobis aūt credētib. filiū nō credētib. orietur sol iustitiæ. Malach. 4. Si igitur sol in die, & nocte canticum eius, quid autem est ꝙ in die misericordiam, in nocte vero canticum mandauit, nisi quia credentibus autem, legem, & Prophetas dederat? Aliter. In die mandauit misericordiam, in nocte cantauerunt sancti, quid cantauerunt sancti. Quid cantauerunt? Canticum eius. Quid est autem, in nocte, nisi inter peccatores, in carceribus, & in aduersis.

Ideoque *apud me est oratio* in corde. In homine interiore. Quam debeo *Deo vitæ meæ*, qui me iam mortuum viuificauit. *Dicam Deo susceptor meus es*, quia nunquam in te sperantes derelinquis.

Et dicam:

Et dicam: *Quare oblitus es mei?* Non ſum, inquit, oblitus. At ille: *Quare ergo contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus*, Quod æquipollens, eſt, ac ſi diceret, Quare ergo me inimicus malignus ſpiritus, vel terrenus perſecutor affligit? quamobrem non ſine dolore, atque triſtitia vitam ago.

Apoſtrophe ad ſeipſum. *Dum confringuntur oſſa mea.* Hoc ad litteram. Et dum exprobrauerunt mihi, *qui tribulāt me inimici mei. Et dum dicunt mihi per ſingulos dies: Vbi eſt Deus tuus: Quare triſtis eſt anima mea, & quare conturbas me. Noli, inquit, conturbari. Sed ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, qui eſt ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Vultus pro voluntate ponitur, quia in vultu voluntas dignoſcitur. Eſt igitur ſalutare voluntatis illius, quia eum, vt ſupra diximus a bona voluntate ſeparari non permiſit.

EXPOSITIO PSALMI XLII.

I*Vdica me Deus, & diſcerne cauſam meam.* Vox fidelis animæ: Non me, inquit, iudicet inimicus, non falſa hominum opinio, quæ bonum malum, & e conuerſo malum bonū facit, ſed tu me iudica, qui iuſtus es, atque miſericors. Et diſcerne cauſam meam, quam ſi iuſtam comperieris, *eripe me de gente non ſancta, ab homine, iniquo, & doloſo. Quia tu es deus et fortitudo mea*, tu me, inquit, ab inimicis libera, qui mea virtus es & fortitudo. *Sed quare me repuliſti;* Non te, inquit Dominus repuli. *Quare ergo triſtis incedo dum affligit me inimicus*, ac ſi dicat: Niſi tu me repuliſſes, neque me quidem inimicus affligeret, neque ego etiam afflictus contriſtarer. Quod ne amplius fiat, fac quod ſequitur.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Aufer tenebras & da lucem: *aufer errorem, da veritatem, vt & illuminati* ſequamur lucem, & credentes veritatem teneamus. *Ipſa me deduxerunt.* Vnde? ab errore ab iniquitate, nam lata, & ſpacioſa via, quæ ducit ad mortem. *Et adduxerunt: vbi? in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua*, id eſt in Eccleſia. In conſilio iuſtorum, & Congregatione.

Et introibo ad altare Dei. Non idolis amplius ſacrificabo, non eorum altaria venerabor, ſed introibo ad altare *Dei*, ibique hoſtiam viuam, & immaculatam ei immolabo. Altare Dei, Eccleſia eſt, vel fides, id eſt nouum, & vetus teſtamentum, ſiue anima vniuſcuiuſque, in his enim omnibus corporis, & ſanguinis Domini commemoratio fit.

Ad Dominum, qui lætificat iuuentutem meam. Quia vetere exulto, nouo homine indutus ſum. *Confitebor tibi in cithara*, id eſt in dulciloquio, in carnis tortura, & afflictione, in concinnantibus. Quare ergo *triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi*, & in cithara, & in pſalterio, cæteriſque muſicorum inſtrumentis, qui es ſalutare vultus mei, & Deus meus.

EXPOSITIO PSALMI XLIII.

D*Eus auribus noſtris audiuimus.* Vox Martyrum Deus auribus noſtris audiuimus. A quibus? *Patres noſtri annūciauerunt nobis.* Quid nunciauerunt? *Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Quod eſt illud? Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos*, patres noſtros in hæreditatem, Afflixiſti populos, gentium. *Et expulſti eos* a terra, lacte & melle fluēte. Qualiter de Pharaonis poteſtate iudaicus populus exiuit, maximus nos Prophetarum Moyſes docuit, per agni namque immolationem exiiſſe denuntiatur. Exod. 12. Sic igitur, & nos per Chriſti paſſionem de diaboli poteſtate erepti ſumus. Ad Coloſ. 1. Illi quidem mare rubrum tranſierunt. Exod. 14. nobis autem dictum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt intrare in Regnum Dei, Io. 3. Illi per quadraginta annos in deſerto fuerunt, Exod. 16. nos autem procul a patria, in huius ſæculi peregrinatione degimus. Ad Heb. 13. Illi manna, Exo. 16. illi aquam de petra ſumpſerunt; Exod. 17. nos autem viuum panem, nos Dei filij carnem, Io. 6. nos viuam aquam de petra recepimus. Petra autem erat Chriſtus 1. Corinth. 10. Illis lex in monte, Sinai: Exod. 20. nobis autem Euangelium in monte Sion datum eſt. Matth. 5. Illi arca fœderis deſtruunt, vrbes. Ioſu. 6. nos autem cruce Domini, qua pacatus eſt mūdus, vincimus inimicos. Illi Eu[illegible]um, Amorrhæum, Pherezæum, Iebuſæum, Cananæumque populum deſtruxerunt. Ioſuæ 14. nos autem ſuperbiam, luxuriam, & auaritiam, & diſcordiam ſupplantamus, Illi cunctis hoſtibus deuictis, terram promiſſionis ingreſſi ſunt: Nos autem omnibus vitijs ſuperatis, terram viuentium intrabimus. Hoc autem eſt quod audiuimus hoc Apoſtoli, hoc Prophetæ, hoc Patres noſtri annunciauerūt nobis, hoc opus in antiquis temporibus fecit, hoc in noſtris tē. poribus Dominus operatur. *Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis*, hæc autem omnia in figura contingebant illis. Nullus igitur terram ſuam, carnem ſuam, corpus ſuum, ſe ſuis viribus a vitijs defendere arbitretur, ſed dextera Dei, brachio Dei, & illuminatione vultus eius. Vnde Apoſtolus; Qui cum ſit, inquit, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Hæb. 1. *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob*, tu ipſe, inquit, per quem Patres noſtri inimicos deſtruxerunt, es. Rex meus, quia non iam peccatum, non diabolus, non ſuperbia mihi dominatur. Et Deus meus, quia alium non adoro. Qui mandas ſalutes Iacob, quid per Iacob niſi Eccleſiam? Quid per ſalutem niſi Chriſtum? Mandauit igitur Dominus ſalutem Iacob, quia per filium ſuum ſaluauit Eccleſiam.

In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. Ergo quia Rex noſter es per te inimicos noſtros cornu, minanti voce, bellico timore, ventilabimus, & conteremus. Et in nomine tuo confidentes, *ſpernemus inſurgentes in nobis*, id eſt, vitia perſecutores, ſpeculatores, & malignos ſpiritus. *Non enim in arcu meo ſperabo*, ſiquidem Iacob eſt, merito cum arcu deſcribitur: Iacob enim ſupplantator interpretatur. *Et gladius meus non ſaluabit me*, non meus, ſed tuus, tuo namque gladio pugno, tuoque gladio tibi vinco, tuus eſt gladius ſpiritus ſiquidem eſt verbum Domini. Ad Epheſi 6.

Saluaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti, ideoque in Deo laudabimur tota die, vt qui gloriatur in Domino glorietur. 2. Corinth 10. Et in nomine tuo confitebimur in ſæculū ſæculi, quia à Chriſto Chriſtiani vocamur.

Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos: Quid eſt autem quod ſuperius ſe ſaluatum, hunc vero repulſum atque confuſum eſſe dicit? pro temporum diuerſitate loquitur; quia aliquando in proſperis, aliquando autem in, aduerſis erant ſancti, aliquando a populis venerabantur, aliquando a tyrannis affligebantur. Quod autem ſe repulſum dicit: ſecundum malorum reputationem loquitur. *Et non egrederis in virtutibus noſtris*, id eſt, non videris egredi, cum nos tribulari permittis.

Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, vt catenis vinctos, nos poſt ſe traherent, vnde Apoſtolus dicit. Obſecro vos ego vinctus in Domino. Ad Epheſ. 4. Vel quia multi, mortis timore, a via veritatis retrorſum conuerſi ſunt. Siue etiam, ante, & non poſt eos, erant inimici, quia non iam occulte, ſed in facies, et manifeſte eos occidebant. *Et qui oderunt nos diripiebant*, ſibi alios flagellantes, alios, occidentes, alios in carcerem tradentes.

Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & ſoli mortis deſtinatos. Vel quia crucem Domini deferentes, eiuſque exemplū

obseruantes, sicut oues, ad victimam ducti sunt, non reclamantes, non seipsos defendentes. *Et in gentibus dispersisti nos*, namque & Petrus Romæ est crucifixus, & Thomas in India occisus, & ne longe petantur exempla, B. Auctor Libri fuit Astensis. B. Secundus in hac nostra Astensi ciuitate, interemptus.

Vendidisti populum tuum sine precio. Namque sine precio vendebantur Sancti, cum pro aliorum salute, quibus prędicabant, morientes, nulli in illorum morte ad Dominum conuertebantur. Laurentius autem, non sine precio venditus est, quia & Romanum, & Hippolitum, & Lucillum, multosque alios in ipsa passione Domino acquisiuit. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*, commutabantur sancti, quia de morte ad vitam transibant: in hac autem mutatione, nulla aliquando credentium erat multitudo. Hoc autem & de Iudæis intelligi potest.

Posuisti nos in opprobrium vicinis. Repetitio. *Subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro*.

Posuisti nos in similitudinem gentibus. In tui, inquit, similitudinem nos gentibus dedisti, quia si te persecuti sunt, & nos persequentur, Ioan. 15. si te interfecerunt, & nos interficient. Vel: in similitudinem gentibus sanctos suos dedit, quia ad tantam quodam tempore miseriam peruenerūt, vt si quis alicui mala contingere vellet, sibi Christianorum calamitatem irrogaret. *Et commotionem capitis in populis*, quis enim paganorum ligatos, afflictos, nudos, decorticatos sanctos vidit, & non continuo cum derisione caput concussit? Hoc enim, & in Christi passione Iudæi fecisse legitur. Matth. 27. Siue etiam, cum a superbia, luxuria, & auaritia, quę multorum caput, & Domini erant, quam plures, Apostoli liberarent, quid aliud erant quam capitis commotio?

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meę cooperuit me. Vox Christi. Quid est Martyres quod plangitis? Quid mihi vestras miserias nunciatis? numquid, & vos meas audire vultis? Tota namque die, toto passionis tempore, verecundia mea, claui crux, verbera, spinea corona, Iudæi insultantes, capita mouentes, genu flexo salutantes, coram me sunt. Matth. loco citat. Et confusio faciei meæ, non vos tantum, sed & me cooperuit. *A voce exprobrantis, & obloquentis*, Iudaici populi. A facie inimici, & persequentis, Iudæi.

Hæc omnia venerunt super nos. Hæc omnia, dicunt Martyres, quæ tibi accidisse dixisti, super nos quoque venerunt. *Nec obliti sumus te*, sed in his omnibus superamus. *Et inique non egimus*, (quæ mortis timore) *in testamento tuo*, sed semper veritatem annunciauimus. *Et non recessit retro cor nostrum*, sed semper ad ea, quę ante sunt, nos extendimus, ad promissum brauium festinantes. *Nec declinasti semitas nostras a via tua*, id est opera nostra de via tua exire non permisisti. Sed dico: Quid est ergo quod quærimur? Sequitur.

Quoniam humiliasti nos in afflictionibus. id est in hoc seculo, in corpore nostre peregrinationis. *Et cooperuit nos vmbra mortis*, id est, carnales tribulationes, quæ non mors, sed quædam mortis significatio sunt. Si tamen *obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista?* Requiret vtique *ipse enim nouit occulta cordis*, Sed quoniam propter te mortificamur tota die, & estimati, sumus sicut oues occisionis, exurge, nos oues, tu pastor, ecce canes, ecce lupos, exurge igitur pastor, custodi oues, quare igitur dormis? *exurge & ne repellas in finem*, id est omnino. Vel ne repellas ad te venientes, qui principium es atque finis Apocal. 1.

Quare faciem tuam a nobis auertis? an *obliuisceris inopię nostræ, & tribulationis*, quam pro te perferimus? *Exurge adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum*, id est, gratis, non ex meritis nostris. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra*, id est, ab impiis, & peccatoribus grauati sumus. *Conglutinatus est in terra venter noster*, quia a terrenis rebus molliores, & Ecclesiæ imperfectiores facti sumus. Vel etiam, terræ conglutinatur venter, cum iacti non solum gentib. sed toto corpore in orationibus prosternuntur.

EXPOSITIO PSALMI XLIV.

E*Ructauit cor meum verbum bonum*. Vox Doctorum. Quid per verbum bonum, nisi Euangelium namque, bonum nuncium interpretatur. Est igitur verbum bonum, siquidem bonum nuncium. Hoc autem eructant, & affluenter significanterque prędicant Doctores. *Dico ego opera mea regi*, siquidem Euangelij operarij sunt Doctores, non immerito eorum opus, Euangelium dicitur. Sed nisi operarij quidem essent, nunquam de eis diceretur. Dignus est operarius mercede sua. Lucæ 10. Hoc autem opus dicit regi, hoc annunciant ad laudem Dei. Vnde Apostolus. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Iesum. 2. Corinth. 4.

Lingua mea calamus Scribæ. Cuius Scribæ? velociter Scribentis. Si igitur Apostolorum linguæ scriptoris calami sunt, quæ erunt tabulæ, & chartæ vbi scribuntur, nisi fidelium pectora? Quid est ergo quod scribunt? vel quo atramento hoc faciunt? Euangelium quidem, & hoc spiritu diuino. Vnde Apostolus. Epistola nostra vos estis, non atramento in tabulis lapideis scripta, sed spiritu Dei viui in cordibus carnis. 2. Corinth. 3. Velociter autem scribebant, quia, vt in Actibus Apostolorum secundo legitur, circiter tria millia vna die crediderunt.

Speciosus forma præ filiis hominum. Conuersio personæ. O Christe, qui præ filiis hominum forma, & speciosus, accingere gladio tuo, præ filijs namque hominum ipse forma speciosus est, quia nulla vitiorum macula eum decolorauit. *Diffusa est gratia in labijs tuis*. Tanta quippe gratia illius labijs fuit, vt dictum eius pro factis haberetur. Præcepit namque Lazaro vt resurgeret, & resurrexit: Ioan. 11. Præcepit cæco vt videret, & vidit: Ioann. 9. Præcepit leproso mundari, & mundatus est. Matth. 8. *Propterea benedixit te Deus in æternum*. namque & in cœlis, & in terra semper Christus laudatur, & benedicitur.

Accingere gladio tuo super femur tuum, Per gladium Euangelium intelligitur. Vnde Apostolus: & gladium spiritus quod est verbum Dei. Ephes. 6. Per femur vero corpus Domini eum intelligimus. Accinxit igitur gladium super femur, quia in carne assumpta Euangelium prædicauit. Et hoc potentissime, quia sicut in Euangelio dicitur, non vt Pharisei, sed quasi potestatem habens, prędicabat. Accinxit etiam gladium super femur, quia virtutum constantiam sanctis attribuit, qua & luxuriam, quæ in lumbis est, & circa femur dominatur, & cætera vitia resecarent. Christus enim caput est, vnde Apostolus: Omnis, inquit, viri caput Christus. 1. Corinth. 11. Corpus autem est Ecclesia, est igitur manus eius, pes eius, venter eius, femur eius, & ad hunc modum cætera.

Specie tua, & pulchritudine tua intende. id est, In specie, & pulchritudine cresce. Sed numquid intendi, aut remitti potest? potest vtique? quo pacto? secundum nos qui, vt dictum est, corpus eius sumus. Nobis igitur in specie, & pulchritudine crescentibus, intenditur, & corpus eius, quo circa & ipse possumus autem, & sic intelligere, intende in specie, & pulchritudine tua, vt imaginē et similitudinē, quā primo nostro parenti dedisti. Genes. 1. in filiis eam renouare, & reformare digneris. Prospere procede, prospere, inquit, a patre procede, prospere ex vtero virginali progredere, prospere de sepulchro consurge: prospere ab inferis ad Patrem reuertere, hæc enim omnia nobis prospera, & felicia sunt. Et regna, totius mundi imperio pretioso sanguine suo redempto.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Hæc enim omnia Regem decent, tu igitur regna, qui verus es, & mansuetus, & iustus. *Et deducet te mirabiliter dextera tua*: id est, fortitudo, virtus, & potentia tua, Sed vbi deducet? ad Patrem. Quare mirabiliter? quia mortuus diabolum superasti. Aliter, propter veritatem Euangelii, & prędicantium mansuetudinem, & iustitiam quam operantur, deducent te per omnes gentes, vt tuum nomen vbique annuncietur. Mirabiliter dextera tua, id est Apostoli tui, qui prędicti corporis principalior pars inueniuntur, a quibus etiam Ecclesia est fabricata.

Sagitta tua acuta, Iam mittuntur Apostoli, iam adornantur equi, vt Regem regum vbique deducant, iam acuuntur sagittæ iam fides in bello cum idolatria commiscebitur. Sed quoniam tui Apostoli, tuæ sententię, tuæque sagittæ acutæ sunt, ideo populi deuicti sub te cadent, te adorabunt, tibique humiliabuntur. Vel, populi, id est vitia sub te cadent, de quibus alibi dixit. Cadent subtus pedes meos Psalm. 17. *Infixæ in corde inimicorum Regis*. Adeo, enim istæ sagittæ acutæ faciunt, vt dura, & lapidea gentium corda penetrarent, vitiisque expulsis, regis inimicos, amicos facerent.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi. O quanta Dei pietas, & misericordia, qui modo inimici, & cæter. Reliqua desunt.

EXPOSITIO PSALMI LXXXIX.

FVndamenta eius in montibus sanctis. Vox prophetæ, Cuius eius? neque enim cuius præposuit, & tamen eius dixit. Quid est autem quod eius tam absolute posuit, nisi quia Prophetarum est, cogitationibus verba coniungere. Tale est ergo ac si diceret: Fundamenta illius ciuitatis, de qua semper cogito, cuius pulchritudinem admiror, cuius turres ad cælum subleuantur, cuius fundamenta non in vallibus, sed potius in montibus stabilita sunt. Hæc autem ciuitas, Sancta Ecclesia intelligitur, quæ super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, in ipso summo angulari lapide Christo Iesu sita est. Hi sunt montes excelsi, & sancti, quorum fide, & exemplis est Ecclesia constituta. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*, Portæ quippe Syon, Doctores sunt, qui in Ecclesiam alios introducunt. Vel etiam virtutes, quibus de Syon intratur in Hierusalem. Has autem diligit Dominus super omnia tabernacula Iacob, id est præ omnibus Iudæorum conuenticulis. Apostrophe. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*? Hoc enim dicit Dominus. *Memor ero Raab, & Babylonis*, Raab quippe, superbia: Babylon, confusio interpretatur. Quid est ergo, quod Raab, & Babylonis se memorem fore promittit: Præsertim cum hæc meretrix, illa vero semper populo Dei aduersata fuerit? audi quod sequitur. Scientium me, ergo non scientium immemor est. Si quis ergo Raab, vel Babylon est, nihil desperet, quinimmo det operam, vt Dominum cognoscat, est enim memor scientium se. Peccator fuisti, adulter, & fornicator, recordare Dei tui, vt & ipse tui misereatur: Babylon eras, confuse, & indiscrete viuebas, habeas ergo rationem, vt tui Dominus recordetur. Sed quid his gloriosius inuenitur, si enim peccatores huius ciuitatis eliguntur, quid fiet lapidibus pretiosis: vbi non virgines erunt sanctissimæ quando quidem meretricum memor est Dominus?

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerũt illic. Nonne & iste versus quiddam gloriosissimum ponit? Sunt enim in Ecclesia non soli Iudæi, & indigenæ verum etiam alienigenæ, Tyri, & Æthiopes? Non est personarum acceptio apud Dominum, Rom. 2. qui nigros vocat, & contristatos. Populus enim qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam Isaiæ 9.

Nunquid Syon dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Non enim sola Syon hoc dicit, sed & ipse Dominus hoc narrat in scripturis populorum. Vera sunt ergo credibilia Apostolorum verba, non ficta, & inuentitia, vt Iudæi putant, quod enim Apostoli prædicant hoc ipse Domino in vtroque asserit testamento. Non ergo sola Syon dicit, homo, & homo natus est in ea. Duo quippe hominum genera orta sunt in Ecclesia, Iudæorum videlicet, & gentium. Vnde Apostolus ait? Num Iudæorũ Deus tantum? immo, & gentium (Rom. 3.) Siue. Homo & homo natus est in Syon, id est, homo qui simpliciter est: homo & homo, qui et Deus est, nempe homo Christus Iesus Dominus noster. Et ipse fundauit eam Altissimus, ipse homo qui natus est in ea, ipse idem Altissimus est qui fundauit, & fecit eam. Hoc enim in scripturis gentium, id est in nouo testamento, hoc in Principum, & Prophetarum, qui prius in hac venerabili ciuitate fuerunt, voluminibus comprobatur. *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te*. Huius, inquit, ciuitatis habitatio, non lætantium, sed sicut lætantium est. Nunc enim sola spe, & solius promissi desiderio lætantur, hæc autem non perfecte lætitia, sed quasi lætitia est; cum autem brauium sumpserit, tunc ineffabiliter gratulabitur.

EXPOSITIO PSALMI LXXXVII.

DOmine Deus salutis meę. Vox Capitis: Mentiuntur ergo qui dicunt: non est salus ipsi in Deo eius, Psal. 3. siquidem tu es Deus salutis meæ. In die clamaui, & nocte coram te: prædicatio inquit mea in die ac nocte in prosperis, & aduersis in conspectu tuo fuit. *Intret in conspectu tuo oratio mea*, olim, inquit, clamaui, nunc autem oro, inclina ergo *aurem tuam ad precem meam*. *Quia repleta est malis anima mea*. Id est passionis dolore, mortisque amaritudine, sicut ipse ait: tristis est anima mea vsque ad mortem. Matth. 26. *Et vita mea inferno appropinquauit*, non mortuis, quia ad infernum iuit, & viuus eum expoliauit. Ephes. 4.

Aestimatus sum cũ descendentibus in lacũ Putauerunt namque Iudæi, vt sicut cæteri homines, ita, & Christus ab inferno detineretur. *Factus sum sicut homo sine adiutorio*. Omnes enim, Deus dereliquit eum, Psalm. 70. clamabant, nullus ei ex tanta hominum multitudine subueniebat. *Inter mortuos liber*, quia liber ipse, qui fuit ligatus, liberos fecit, non est ligatus a morte, sed ipse ligauit mortem. De quo Ioannes ait: Et post mille annos soluetur Sathanas. Apocal. 20. cum enim, solueretur dixit ligatum esse probauit.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris. Sine Dei, subaudi, adiutorio esse creduntur, ita, & ego, *Quorum non es memor amplius*, cuius enim anima a diabolo, vulnerata, iam quasi mortua in dealbata carnis sepultura dormit, huius merito Dominus oblitus esse dicitur. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt*, repulsi sunt de manu Dei, vt manu diabolica constringantur. Posuerunt me in lacu inferiori, quoniam inferno, & morti eum subiacere arbitrabantur. *In tenebrosis, & in vmbra mortis*, in locis tartareis, quos mors obscurat, & obumbrat.

Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Hoc autem est, quod alibi dicit: Quæ non rapui, tunc exsoluebam. Psalm. 68. Humano quippe generi erat Deus iratus, qui ob vnius noxam pessum daturus erat: sed maluit filium suum crucis mortem subire, quam omnes gentes interire. Vnde Propheta ait: Propter peccata populi mei percussi eum. Isaiæ 53. *Longe fecisti notos meos a me*. Apostolos, siue Iudæos; Apostoli enim a longe stabant, Iudæi autem, penitus ab eo longe facti sunt. *Posuerunt me abhominationem sibi*,

dine namque virtutis Dei sunt, per orbem terrarum dispersi Iudæi . *Tui sunt cæli, & tua est terra.* Tui sunt Apostoli, & Ecclesia, iusti, & peccatores, perfecti, & imperfecti. *Orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti*, hoc autem ad litteram. Siue; orbem terræ, id est, humani corporis soliditatem. Et plenitudinem eius, id est, virtutum constantiam. *Aquilonem, & mare tu creasti*. Antichristum, imitatores, quâuis enim se creatorem fingat, creatura tamē erit: de quo scriptum est. Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. Ierem. 1.

Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Thabor, lumen veniens: Hermon autem, anathema, interpretatur. Sed quid per Thabor, nisi Apostoli, qui sunt, lumen veniens, quibus Dominus ait. Vos estis lux mundi. Matth. 5. Quid vero per Hermon, nisi Ecclesia, quę in suæ fidei principio, diabolo, & omnibus pompis eius abrenuncians: anathema, & diuisionem confitetur? Hi autem in nomine Domini exultant, quoniam vtique Christiani vocantur. *Tuum brachium cum potentia*, id est fortitudo, quam diabolo alligasti, *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua*, Apostolorum enim manu cœtuque confirmatio, Christus Dominus cœlos ascendit. *Iustitia, & iudicium, preparatio sedis tuæ*, qui enim seipsum iudicat, & iustitiam sequitur, hic sine dubio sedē Domino præparat: Est enim anima iusti, sedes sapientię, Greg. hom. 33. Quod autem nos ipsos iudicare debeamus, audi Apostolum: Si, inquit, nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. 1. Corinth. 11.

Misericordia, & veritas pracedent faciem tuam. Quicūque, inquit, faciem suam habere, & videre desiderat, eum misericordiam veritatemque sequi oportet, sic enim misericordia, & veritas semper in Christo præcedūt, vt nulla ipsius opera his duobus vocent. *Beatus populus, qui scit iubilationem* quæ non in voce, vel multiloquio fit, quinimò in pia mentis cordisque conscientia.

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Qui enim hāc facem sequitur in tenebris ambulare non potest. Ambulemus ergo in lumine imaginis filii Dei, quatenus domum cęlestem ingrediamur. *Et in nomine tuo exultabunt tota die*, quis enim in tanto patrono non glorietur? de hoc autem in Canticis Canticorum dicitur: Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulę dilexerunt te. Cantic. 1. *Et in iustitia tua exaltabuntur*, taceant ergo Iudæi, qui se sua iustitia exaltari arbitrantur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Non enim in suis viribus Ecclesia gloriatur, Apostolica instructa doctrina: vt qui gloriatur in Domino glorietur. 2. Corin. 10. *Et in bene placito, filio tuo exaltabitur cornu nostrū*, id virtus est, & potentia dimicādi. Quia Domini est assūptio nostra. O ineffabile mysterium quod mundi conditor, & Dominus carnem serui sumere dignatus est. Ad Philip. 2. *Et sancti Israel Regis nostri*, hic rex viuat in æternum, nec in nostro mortali corpore peccatum regnare permittat.

Tunc locutus es in visione Sanctis tuis, In tempore nāque assumptæ carnis, est Dominus locutus sanctis suis, in visione spiritus sancti, sicut Zachariæ, & Symeoni, Lucæ 1. qui consolationem Israel annunciabant, & exspectabant: Anna quoque Prophetissa hoc idem confitebatur. Luc. loc. citato *Et dixisti: Posui adiutorium in potentem*, ac si dicat: Nulli amodo timendum est, quoniam non iam in prophetas, verum in proprium filium, qui omnia potest, liberationis adiutorium posui. *Et exaltaui electum de plebe mea*, id est, Christum Dominum, qui de Iudaica plebe carnem sumens, (Luc. 1. in crucem Regnique Imperium, denique & in cœlum exaltatus est. (Marc. 16.

Inueni Dauid seruum meum, Multo, inquit, adiutores & defensores d di, nemo tamen illorum fuit, qui a primitiua captiuitate vos soluere potuit, nunc autem Dauid seruum meum, ad hoc patrandum idoneum inueni qui in brachio extento mundum liberauit. Seruus autem, pro parte carnis dicitur. *Oleo sancto meo vnxi eum*, hic enim est ille flos, in quo septem spiritus sancti gratiæ requiescunt. *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum*, semper enim Diuinitas humanitati coniuncta, eam in omnibus consolabatur. *Nihil proficiet inimicus in eo*, tribus enim vicibus antiquus hostis Dominum tentauit, Matth 4 nil tamen profecit, quia victus abiit. *Et filius iniquitatis*, Iudas mercator pessimus, non apponet nocere eum, quia reiectis nummis laqueo se suspendit. Matth. 27. *Et concidam a facie ipsius inimicos eius*, hoc autem erit in iudicio, quando vltionis gladio inimici Dei trucidati æterno tradentur supplicio. *Et odientes eum in fugam conuertam*. fugient ergo Iudęi, numquam victores existent, fugiebant namque & dęmones ab obsessis corporibus, quando, iubente Domino, exire cogebantur. Matth. 8. *Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso*, numquam enim non vera dicere, numquam in aliquo mentiri potuit, numquam sine misericordia fuit. *Et in nomine meo, exaltabitur cornu eius*, quando mundum vicit inimicum.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Merito quippe pro operibus, manus, & dextera ponitur, siquidem manibus opera fiunt. Nos autem mare, & flumina fuimus, quibus ventus superbiæ dominabatur, nunc autem virtutem, & opera Dei cognoscimus. Ipse inuocabit me, dicens: *Pater meus es tu Deus meus, & susceptor salutis meæ*, confundantur ergo Iudæi, qui eum ideo arguebant, quoniam Patrem Deum vocabat. Matth. 10.

Et primogenitum ponam illum excelsum pre regibus terre. Hic enim est primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ. Apoc. 1. huic autem omnia regna mundi subiiciuntur. *In ęternum seruabo illi misericordiam meā*. Misericordiam suam Ecclesiam dicit, quæ in sola Dei misericordia fidit. Hanc autem conseruabit Dominus in æternum, propter filii sui orationem qui ait? Pater conserua eos quos mihi dedisti. Io. 17.

Et testamentum meum fidele ipsi, nos sumus testamentum Dei, si tamen fideles inueniamur. *Et ponam in seculum seculi sedem eius*, Semper enim Ecclesia erit. *Et thronus eius erit sicut dies cœli*. Fulgebunt namque Sancti sicut sol in Regno Dei, Matth. 13. erit autem sicut dies cœli vt claritas Angelorum, vt per cælos, Angelos, per dies autem eorundem claritatem intelligamus.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & ad tempus in iudiciis meis non ambulauerint: si iustificationes meas prophanauerint aliquo erroris mendacio. Et mandata mea non custodierint, non vtique occidam eos, sed visitabo in virga iniquitates eorum, id est, in pænitentiæ correctione. *Et in verberibus peccata eorum*. O clementissimum Patrem, qui non mortificans, facili nos virga castigat.

Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo. Non enim nocere sed adiuuare nouit Dominus e in veritate mea pæniteant peccatores: nullus vnquam desperet. Ecce enim non solum se misereri Dominus dicit, sed & *Neque prophanabo testamentum meum*. Expositio. Et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita, prophanaret enim testamentum suum, si aliqua in nouo, vel veteri falsitas inueniretur testamento: Sed, vt ipse Dominus ait, cœlum, & terra transibunt, verba autem ipsius transire non possunt. (Matthæi 24)

Semel iuraui in Sancto meo. Semel enim, & firmum iuramentum audiuimus, quod in veritate sua, in sancto suo, & in dilecto filio fecit, quod enim charius habuit, hoc in iuramentum posuit. *Si Dauid mentiar*, non enim mentietur, qui mentiri non potest. Credamus igitur, & fortissime credamus, quod tam constanter promittitur Sed quid promittitur? Sequitur; *Semen eius in æternum manebit*. Semen est verbum Dei, hoc autem manebit in æternum, quoniam nec vnum iota, aut vnus apex præteribit ex lege, donec omnia fiant. Matth. 5. *Et Thronus eius sicut sol in conspectu meo*. Gaudeat iste thronus, qui solis claritatem

recipere debet: Gaudeant Apostoli, qui ante Domini conspectū statuendi sunt. *Et sicut luna perfecta in æternum*, quæ iam minui non potest, at vero nec crescere. Qui autem perfecte beatus est in quo inquam, augeri potest? *Et testis in cœlo fidelis.* Hic enim thronus, hæc beatissima sedes, in vero testimonio mundum iudicabit. Vox Ecclesiæ.

Tu vero repulisti, & despexisti. Quid est, inquit, Domine, quod tanta seruo tuo Dauid beneficia promisisti? quid est: quod sub iuramento eius, filiorumque ipsius, te superius misereri dixisti, cum iam repulsum, & a cæteris gentibus despectum eum videamus. Matth. 27 Numquid in te falsitas esse potuit? absit. Distulisti enim Christum tuum, cui in temporis plenitudine hæc omnia daturus erat. Hinc primi Dauid subuersionem describit, ne quis supradicta super eo intelligat.

Euertisti testamentum serui tui. Nusquam enim nunc taurus, & hircus, & agnus immolatur *prophanasti in omni terra sanctuariū eius*, vbique enim Synagogam abominatur. *Destruxisti omnes sepes eius*, quoniam nullis munitionibus confirmatur.

Posuisti sibi firmamentum eius formidinem, quoniam nec in Ierusalem, nec in arce Syon defendi potuerunt. Siue, quia Christum mundi firmamentum viuere timuerunt. Ioan. 11.

Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Idest, terminum fidei. *Factus est opprobrium vicinis suis.* id est, gentibus, quæ in circuitu habitabant. *Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius: auertisti adiutorium gladij eius.* Expositio. *Et non es auxiliatus ei in bello.*

Destruxisti eum ab emundatione. Emundationis enim sacrificium faciebant Iudæi, hircum pro peccatis immolantes hoc autem euacuatum, & destructum est. *Et sedem eius in terra collisisti*, illam Pontificalem Cathedram, super quam Scribæ, & Pharisæi sedebant.

Minorasti dies temporum eius, Quia harum opinione frustrata, sine Rege, & sacerdote viuunt. Osee 3. *Perfudisti eum confusione*, temporali, & æterna.

Vsquequo Domine auertis in finem. Vsque, inquit, in sæculi consummationem Iudæis Dominus erit iratus. Cum autem plenitudo gentium introierit, tunc Israel saluus fiet, sed vsque ad illud temporis, *Exardescet velut ignis ira eius.*

Memorare quæ mea est substantia. Nunc autem pro se loquitur Ecclesia, & de suis miserijs Domino conqueritur; Memorare, inquit, Deus, quia fragilis, & permutabilis sum, neque supra id quod possum, me tentari permittas. *Numquid enim vane constituisti omnes filios hominum*, Si enim omnes vincimur, & diabolicis tentationibus subiacemus, nihil nisi vanitas est hominum constitutio. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, & eruet animam suam de manu inferi?* Nullus, inquit, mortem euadet, nullus ex inferno liberabitur, nisi tu nostræ imbecillitatis memor, ab inimicis nos tuearis.

Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, sicut iurasti Dauid in veritate tua? Decollatur Paulus, crucifigitur Petrus, vndique Ecclesia tua percutitur, cui æternam misericordiam nuper promittebas, vbi ergo sunt misericordiæ tuæ antiquæ Deus? nobis enim non est Deus recens. *Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.* Illius inquam opprobrij sis memor, quod a multis gentibus, seruis tuis illatum, a memoria mea labi non potest.

Quod exprobrauerunt inimici tui Deus, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui. Id est mortem filij tui. Hoc enim inimici Dei, sanctis improperabant, quod hominem mortuum, & commutabilem adorarent. *Benedictus Dominus in æternum*, Illi derideant, & maledicant, illi nobis crucifixum improperent: Nos autem gratulabundi dicamus. Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.

EXPOSITIO PSALMI LXXXIX.

Domine refugium factus es nobis. Vox Ecclesiæ, Victi, inquit, eramus, ligati ab hostibus, in carceres tradebamur, sed tu summæ misericordiæ Dominus, nobis refugium factus es. Ab hac tuæ incarnationis generatione, vsque in generationem sempiternam.

Priusquam montes fierent, & formaretur terra, & orbis a sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus, ac si dicat: Tu qui ex virgine temporaliter carnem sumens, humano generi factus es refugium, ante tempora, & per omnia sæcula permanes Deus. *Ne auertas hominē in humilitatem*, Tu, inquit, qui talis es sustine, & cōfirma hominē ne in mortē, & pœnā humilietur sed tua potenti dextra super cælos exaltetur. Nam dixisti: Conuertimini filij hominum, & ego sanabo contritiones vestras, sanetur igitur, siquidem contritus est homo.

Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt, & tamquam custodia in nocte, quæ pro nihilo habetur eorum anni erunt: cum mane sicut herba transeat, mane floreat, & pertranseat, vespere decidat induret, & arescat, non immerito connectitur homo: cum enim finiti ad infinitum nulla sit comparatio, non solum dies, vel hora mille nostri anni dicendi non sunt, sed & omnino non esse, cum penitus pereant, cito enim, velut herba, de non esse ad esse transit homo, cito fieret in iuuentute, quia flos ætatis translatus distinctur: cito ad vesperam, id est, ad senectutem transit. Vespere autem decidit, quia occasus vitæ senectus dicitur. Tunc indurat, totus asper, hispidusque efficitur. Denique & arescit, & puluis in puluerem conuertitur. Merito hæc oratio Moysi perhibetur, vt qui de arida hominem factum dixit, in aridam conuersum arescere fateatur. Genes. 3.

Sed quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati sumus, Et quia posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Et quoniā omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus, anni nostri sicut aranea meditabuntur. Recte anni nostri araneæ cōparantur, quoniam toto tempore vitæ nostræ in vanitatibus desudando, tandem inutilia, nec nobis ipsis profutura, & vt ita dicam, araneæ telam texisse videmur. Hoc autem tu Adam, totius humani generis radix fecisti nobis, quia cum tantus talisque esses, Dominicum præceptum transgrediendo. Genes. 3. iram incurrens, defecisti cum filijs tuis. Hoc autem est quod dicit. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo conturbati sumus, deficimus carne, turbamur infirmitate,

Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. Expositio. Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui. Videt enim Dominus sæculum nostrū, vitam quam agimus, et quicquid in occulto operamur. Dies annorum nostrorum non multi, quoniam vt iam dictum est, omnes celeri cursu deficiunt, in ipsis fortasse erunt septuaginti anni, hoc enim sæpe contingit, Si autem in potentatibus octuaginta anni. aliquibus euenerit, amplius eorum labor, & dolor, in tantum inquit, contracta, & breuiata est vita nostra, vt iam supra octuaginta annos in lætitia, qualiscunque sit, carnisque blanditijs viuere non possimus, sed quicquid superabundat labor est & dolor, tussis, & anxietas, præsertim, cum ipsa senectus infirmitas sit.

Quoniam superuenit mansuetudo. Quod enim olim impatiens fortisque fuisti velis nolisue iam te senectus mansuetum, & humilem facit, ne iam supercilium erigis, sed curuus terram inspicere cogeris. Et corripiemur. Qui inquit, in adolescentia superbus fuit, saltem in senectute corripiatur. Quis nouit potestatem iræ tuę, Quis enim potestatem iræ Dei cognouit, ipsam iram incurrere pertimescit. *Et præ timore iram tuam dinumerare.* Quis curauit: Sancti enim Deum timentes, ipsius iram dinumerant, intelligunt enim quanto plura vitia sequuntur, tanto maiori irarum multitudine damnandi sunt, ideoque tales iras deuitant.

Dexte-

Dexteram tuam sic notam fac. Sicut, subauditur, transgressionis ira fecisti, vt, qui per Adam mortem cognouimus, per Christum vitam suscipiamus. Iam nunc dextram cognoscamus, qui hactenus sinistram secuti sumus. *Et eruditos corde in sapientia*, hi autem sunt prophetæ, quando vani Philosophia decepti, sed Spiritu Sancto repleti fuerunt. Hos autem notificauit Dominus nobis, quoniam eorum voluntates, & obscura cordis mysteria propalauit. Lucæ 24. *Conuertere Domine vsquequo, & deprecabilis esto super seruos tuos*, omnino, inquit, conuertaris, omnino petitiræ gentis miserearis, exaudi orationes nostras, Christo pro nobis interpellante. *Repleti sumus mane misericordia tua.* Nox inquit præcessit, dies autem appropinquabit, Rom. 13. gratias igitur Domino agimus, quoniam ipsius misericordia ab huius lucis tempore repleti sumus. *Et exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.* Hoc autem sequens versus exponit.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, & pro annis quibus vidimus mala, non iam de mortalitate, dierumque breuitate, deque infelicitate conquerimur, quia misericordia tua repleti sumus: Vbi enim abundauit delictum, superabundat & gratia. Rom. 5. *Respice in seruos tuos*, ne aliquo peccato ab assumpta misericordia priuari possint. *Et in opera tua dirige filios eorum*, idest ipsorum animas, vel sequentem posteritatem. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos*, quatenus diabolicæ imaginis obscuritate fugata, in pristinam figuram, & imaginem reformemur, ne si tortuosa fuerint, nos per deuia claudicare faciant. *Et opera manuum nostrarum dirige*, Sanctorum namque opera, & multa sunt, & vnum, quæcunque enim faciunt, vnum opus sunt, quia in bonitate non differunt, sed ad vnum idemque propositum tendunt.

EXPOSITIO PSALMI XC.

QVi habitat in adiutorio altissimi, Vox Prophetæ. Video, inquit, Christum nasciturum, video diabolum, & satellites eius, qui ei astute insidiabuntur; Sed quoniam ipse in ciuitate sua carneque assumpta non sine Diuino adiutorio habitabit, & quoniam *in calestis Dei protectione commorabitur*, eorum insidias paruipendet. *Dicet Domino: susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus*, non timeat inimicum, qui Domini refugium habet, non timeat ponere carnem qui suscipiendus est a Patre, dicat in cruce: Deus meus in manus tuas commendo spiritum meum. Lucę 23 Ego autem, inquit Propheta, *sperabo in eum; Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero*; In Christum se sperare dicit, quoniam per eum mundum saluari intellexit. Hic autem, & à venatoribus liberauit, & à verbo aspero liberaturus est, Venatores isti, maligni spiritus intelliguntur, qui peccatores persequentes, alios in superbia, alios in auaritia, alios in luxuria, quasi in singulis laqueis comprehendunt. Verbum autem asperum illud erit, quod in iudicio dicturus est Dominus: Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25. Ab hoc autem liberati sumus, quoniam illud dulcissimum audire debemus: Venite benedicti Patris mei Idem loquitur. Apostropha.

Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Securus inquit esto Saluator, quia paterna virtute protectus, nullius aduersitatis te æstus exuret, pennæ patris te sustinebunt, quibus, quando volueris, ad cælestia regna volabis, vna enim eademque potestas est ei cum patre, Io. 16. qua & impossibilia facere potest. *Scuto circumdabit te veritas eius*; Nulla, inquit, mendacii tela tibi præualebunt, nulla te falsorum testium testimonia superabunt, quia naturalis veritas insuperabilis scuti munimine vndique te vallabit. *Non timebis a timore nocturno*, quando Iudas proditor veniet, & cum eo turba multa cum facibus, & laternis, & fustibus, quo discipuli tui timore perterriti, omnes te relicto fugient, Matth. 26. tu autem non fugies, sed vltro impauidus ibis.

A sagitta volante in die. Multæ in die, multæ coram, & manifeste sagittę volabunt, multi, crucifige, crucifige, clamabunt. Lucæ 23. *A negotio perambulante in tenebris*, In tenebris quidem principum, & sacerdotum, & scribarum, & pharisæorum negotia, & praua consilia ambulabant, siue, quia secreta fiebant, siue, quod credibilius est, quia in eorum cordibus, quæ diaboli latebræ sunt, machinabantur. *Ab incursu, & dæmonio meridiano.* Non enim illud quoque Ecclesiæ absurdum est, quod in Christi passione, sicut Angelorum, ita & malignorum spirituum multitudo affuerit, cum enim ieiunantem eum tentassent, Matth. 4. fortasse morientem, & in cruce cum latronibus pendentem, aliquod, sicut nefarii, nefas cogitare præsumpserunt. Hoc autem ipse non timuit, quia timoris opera nulla fecit, sicut ipse ait: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Io. 14. Potest autem, & de futuro iudicio hoc intelligi, quando dæmonum incursus, quasi leones ad prædam parati, peccatores in foueam præcipitabunt. Meridianum autem dicit, propter nimis æstuantem afflictionem. *Cadent à latere tuo mille*, Finitum pro infinito posuit. *Et decem millia a dextris tuis*, potuissemus enim & dextram, & sinistram in latere intelligere, nisi ipse, de quo latere loqueretur, determinasset. Innumerabiles ergo erunt, qui tua virtute præcipitabuntur. Dextera tua inueniet omnes qui te oderunt, Psal. 20. Quicunque enim hac dextra impelletur, nulla fortitudine, quin cadat, stare valebit. *Ad te autem non appropinquabit*, neque enim habitabit iuxta te malignus. Psal. 5. Quis ergo? omnes qui recto sunt corde. Psal. 93.

Verumtamen oculis tuis considerabis. Confirmatio. *Et retributionem peccatorum videbis*, quam sibi in hoc seculo prauis operibus acquirunt. *Quoniam tu es Domine spes mea.* Et quoniam *altissimum posuisti refugium tuum: non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, singulis singula referuntur. Tibi, inquit, timendum non est, ad te malum accedere non valebit, quoniam in Altissimum tuum refugium posuisti. At vero nec tabernaculo tuo, quod nos sumus, flagellum appropinquabit, quoniam spes omnium nostrum tu es, cui nemo resistere poterit. Ester. 13.

Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Hoc & ipse malignus spiritus intellexit, quod malum ad Christum accedere nequit. Ait enim: Si filius Dei es, mitte te deorsum, quoniam Angelis suis mandauit de te, Matth. 4. *In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*: Te, inquit, quia humana forma tegeris, non cognosco, sed de vnigenito Dei filio hæc verba prędico, quod nulla ei aduersitas vnquam nocebit, quapropter si te Dei filium esse fateris, mitte te deorsum, quoniam ab Angelis sustentatus in lapidem non offendes.

Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Quare hunc quoque versum diabole non dixisti? sciebas enim aduersum te esse. Tu enim es aspis, cuius venenum est insanabile: Tu es basiliscus omnium vitiorum, omnisque nequitiæ rex & princeps: Tu es ille leo, qui semper rugiens quæris, quem deuores. 1. Petri 5. Tu es ille draco qui tertiam partem stellarum de cælo cauda traxisti Apoc. 12. pereat hic filius perditionis, qui in fine sæculi nasciturus, cauda diaboli nuncupatur. Cum hoc diabole tacuisti, non hoc tibi tamen tacuisse profuit, siquidem conculcatus & in baptismo contritus es.

Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Tibi, inquit, dicetur a patre: Quoniam in me sperauit, liberabo eum, *& protegam eum*, Scuto Diuinitatis. *Quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me*, in cruce positus. *Et ego exaudiam eum*, reddens illam claritatem quam mihi qua fuit. Io. 17. *Cum ipso sum in tribulatione*, erubescant ergo, qui Deum eum dereliquisse dicunt *Longitudine dierum replebo eum*; Quoniam in æternum viuet, nec ei mors vltra dominabitur. *Et ostendam illi salutare meum*, idest, salutem meam, vt qui alios saluauit, ipse quoque salutem, & immortalitatem suscipiat.

EXPOSITIO PSALMI XCI.

B*Onum est confiteri Domino*. Vox Ecclesiæ. Bonum est, vt Domino confiteamur, laudemus, & prędicemus; quoniam beati sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Rom. 10. *Et psallere nomini tuo altissime*, id est, in corde iubilate: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Rom. 10.

Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. In decachordo psalterio cum cantico in cythara, & hoc ideo: *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: De alijs quomodo sit, inquit, ego quidem misericordiam, & veritatem tuam annuncians, in te solo exultabo. In mane quippe Dei misericordiam Apostoli nunciabant, quando plena luce, manifeste & palam, omnibus Christi passionem prędicabant. Veritatem autem in nocte dicebant, quando in carceribus, & tormentis Christum confitebantur. His autem in psalterio & cythara Deum laudat, quia quod ore prædicat, in decem legis mandatis adimplet. Hoc autem iden fieri debet, quoniam in factura Dei delectamur. Quis enim in cælo & in terra, sole & luna & stellis, cæterarumque rerum concordi ordinatione non delectetur. Bonum est ergo laudare factorem, qui tam admirabilis in factura declaratur: Inuisibilia enim ipsius, vt ait Apostolus, a creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Rom. 1. *Quam magnificata sunt opera tua Domine*. In operibus Domini, quæ modo subtili consideratione scrutabatur, delectatus est. Sed quoniam rationem, qualiter vel vnde sint, inuenire non potest, quadam exclamatione Creatorem laudat. Cur enim oculus, & non auris videat; cur autem auris & non oculus audiat, soluat qui potest. Magnificantur ergo opera Dei, si a quolibet singulariter inquisita fuerint. Nullus ergo os suum in cælum ponat, quando quidem de terra rationem reddere nescit. *Nimis profundę facta sunt cogitationes tuæ.* Quis enim cognouit sensum Domini? Rom. 11. altæ sunt igitur cogitationes, siquidem ab aliquo sciri non possunt.

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc, cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi. Non sicut Sol, sed quasi fœnum oriuntur peccatores, quoniam qualicunque æstu vel pruina contacti, cito deficiunt, qui enim heri florebat, hodie mortuus est, qui heri lætabatur, nunc plorat, qui heri currebat, nunc claudicat. Hoc autem insipiēs non cognoscit, hoc stultus non intelligit, ideoque operatur iniquitatem, vt qui multum in hoc flore viuere putat, intereat in secu'um sæculi. *Tu autem altissimus in æternum Domine*, sumens, subauditur, vindictam ex eis. *Quoniam ecce inimici tui Domine quoniam ecce inimici tui peribunt, &c.* te vindictam faciente, dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meum. Vnum enim cornu habebat Ecclesia, quo super omnes inimicos exaltabatur, de quo Apostolus ait: Sancti per fidem vicerunt Regna: Ad Hebr. 11. Sanctorum enim cornu, fides est, quæ semper excelsa, cunctis aduersis supereminet. *Et senectus mea in misericordia vberi*, cum enim ad senectutem Ecclesia venit, vt in æternam iuuentutem renouetur: cumque homo dies temporales finierit, vt æternos suscipiat, tunc in vberi misericordia super cælos exaltabitur.

Et despexit oculus meus inimicos meos. Multos, inquit, me circumstantes inimicos vidi, tamen quia prędicto cornu munitus eram, sicut imbelles omnes despexi. *Et ab insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*: Quoniam *iustus vt palma florebit*, Non malignantium, inquit, deceptiones, clamoresque, & minas audiui; verum quoniam iustus quacunque hora pro Domino occiditur, sicut palma florere incipit, tunc candorem, & pulchritudinem, decorem & viriditatem recipit.

Sicut cedrus libani multiplicabitur, quando enim mori videntur, tunc crescere incipiunt sancti: non enim putrescere, & perire possunt, sicut cedrus, qui imputribilis est naturæ. *Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebit*; Modo, inquit, in domo Domini plantantur: modo super Ecclesiæ fundamentum ædificantur. Huius enim plantationis sapiens Apostolus ait: Ego plantaui. Corinth. 3. In atrijs domus Dei nostri florebunt. Quia enim quasi sicca arbor in hoc sæculo conspiciuntur, ibi quidem florentes, & sicut sol fulgentes apparebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi. Prius, inquit, quam ibi floreant, vberi senecta, & virtutum seueritate multiplicabuntur. Sanctus enim, quamuis malitia puer, sensibus tamen omni tempore senex est. *Et bene patientes erunt*, sunt enim & latrones patientes, sed non bene; qui enim patiuntur, non pro amore, sed nequitia patiuntur. *Vt annuncient, Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*; Ad hoc, inquit, in corporibus sancti detinentur, vt Christum in Ecclesia laudent, & annuncient.

EXPOSITIO PSALMI XCII.

D*Ominus regnauit, decorem indutus est.* Vox Ecclesiæ. Victi sunt inimici, de regno diabolus expulsus est, Apoc. 5. Dominus autem regnauit, vexillo crucis ante aciem sublimato. Decorem indutus est; quoniam resurgens a mortuis, immortalisque factus, Rom. 6. in pristina atque paterna claritate refulgens, *Indutus est Dominus fortitudine*, quæ iam corrumpi non potest. *Et precinxit se virtute*; Quoniam non corruptibilem, sed fortem, & immortalem carnem de sepulchro super cælos euexit. Marc. 16.

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Iam enim firmus orbis terræ, & super firmam petram fundatus, nullo ventorum flamine, nullo iniquorum turbine a fidei proposito commouetur. *Parata sedes tua ex tunc*, Apostropha: Ex quo, inquit, orbem terræ firmasti, sedes tua parata est; est autem anima iusti sedes sapientiæ. Greg. hom. 38. *A sæculo tu es*, Quamuis enim propter huius sedis præparationem de virgine nasceretur, Isaiæ 7. tamen in principio, & ante sæcula, Deus erat. Io. 1.

Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam. Per flumina, Doctores intelliguntur, in quibus Spiritus Sancti gratiæ redundant. Hi autem leuauerunt vocem suam, Christum Dominum prædicando, & sitientibus potum salutis propinando.

Sed è contra *eleuauerunt flumina fluctus suos*; Ecce fluminibus flumina aduersantur: quatuor sunt flumina paradisi. Genes. 2. innumerabilia sunt flumina mundi: Quatuor sunt Euangelia, sine numero sunt Philosophi, & hæretici: hi autem argumentis, quæstionibus, & inundanti garrulitate in sanctos insurgunt. *A vocibus aquarum multarum, mirabiles elationes maris*; Aquæ multæ, populi multi: Cum enim magna gentium multitudo, tres vel quatuor prædicatores viderent, qui veterum deorum culturam destruere volebant, magno fremitu in eos insurgentes, maris huius procellas, cunctasque afflictionum tempestates super eos inducebant. Tūc autem *mirabilis in altis Dominus*, videbatur, tot & tanta, tum alta, tamque magnifica per sanctos suos faciens mirabilia: templa namque ruebant, idola confringebantur, tyranni denique amittebant ius suum, & cætera.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Permiseras enim, quod opera, quæ tu fecisti, ipsi quoque facturi essent; Io. 14. hoc autem verius nihil esse potuit: vera sunt ergo, & credibilia testimonia tua. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudine dierum*; Decet enim vt Ecclesia semper sancta, & munda sit, siquidem & tu sanctus es, qui eam semper inhabitas. Vnde scriptum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. 1. Petri 1.

EXPO-

EXPOSITIO PSALMI XCIII.

D*Eus ultionum Dominus*. Vox Ecclesiæ. Quamuis terram suam ad tempus populari Deus permitteret, quamuis ultra nos aliquando competimi seruitute pateretur, tamen de virgine natus Lucæ 2. vltro apparuit, & libertatem in populo fecit. *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis*: Tu, inquit, qui terram iudicaturus es, exaltare, & in excelsa tuæ Diuinitatis apparens maiestate, redde vnicuique iuxta opera. Psal. 61.

Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur. Non eis peccare sufficit, quinimmo in peccatis, nempe sanctorum nece gloriantur. Vsquequo *effabuntur & loquentur iniquitatem*, semper ne *loquentur omnes, qui operantur iniustitiam*. *Populum tuum Domine* in diuersis tormentorum generibus *humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt*; hoc autem iniustitia est. *Viduam, & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt*: Hoc enim ad litteram verum est. Spiritualiter, vidua intelligitur, quicunque per aliquam seductionem Domino moritur. Aduena autem, qui non firmiter Ecclesiam inhabitat. Pupilli vero, qui per baptismum filii, per prauam operationem orphani fiunt. Tales autem ab hæreticis, & peccatoribus occidi dicuntur, quando eorum inuentionibus facile acquiescunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. In factis quid eis dinoscitur, quod in corde, & ore ipsi pronunciant. Sed quid eis respondetur? *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite*: Nisi enim insipientes, & stulti fuissent, nequaquam visu & intelligentia Deum priuarent. *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non considerat?* Non audiet iustum, & peccatorem, qui eis & aurem, & auditum præbuit: non videbit qui fecit visum?

Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiã. Qui Sanctos, inquit, corripit, docet, & emendat, vos de iniquitate arguere non valebit? Hoc ergo homines iam cogitare desinant. *Dominus enim scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*: Hoc autem, verum verum sit, non extra me exemplum quæsierim, multa enim cogitaui quæ aliter euenerunt. Conuersio personæ.

Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Miseri enim sunt, qui seipsos docent, suarumque cogitationum vanitatibus credunt: Qui vero tali magistro eruditur, legisque vberibus nutritur, summa beatitudine beatur. *Vt mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea*: Qui enim in hoc sæculo corripitur, & docetur, neque sæculi sapientia decipitur, mitissimumque sibi his Dominum inueniet, quando mali dies iniquos exurent. Donec fodiatur peccatori fouea, donec enim fouea, & debita pœna paratur peccatori, legis institutis omnibus sancti erudiuntur.

Quia non repellet Dominus plebem suam. Mitis, inquit, erit in diebus malis, populum suum a se non repellet. *& hæreditatem suam non derelinquet*. *Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam omnes, qui recto sunt corde*. *Quis consurget mihi aduersus malignantes?* Tu solus, qui optimus es auxiliator: probatum est ergo quoniam hæreditatem suã non derelinquet. *Aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?* tu quidem stabis, siquidem adiuuabis, stare enim adiuuantis est. Greg. hom. 29. Vnde & sequitur.

Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea: Sed eo adiuuante, sicut ipse resurrexit, Matth. 28. & ego quoque resurgam. *Si dicebam motus est pes meus*, & malorum impetu à pristina firmitate casurus sum, succurre cadenti, retine labentem. *Misericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*; Quis igitur in hoc sæculo multos dolores, multasque tribulationes non desideret, siquidem secundum dolorum numerum, consolationum multitudinem recepturus est?

Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis. Sicut enim in sanctis æquitas, ita in peccatoribus sedes est iniquitatis. Hi autem Domino non adhærebunt, quoniam soli recto corde stabunt iuxta illum. *Qui fingis laborem in præcepto*: Qui vult, inquit Dominus venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me Lucæ 9. Habemus ergo præceptum, consideremus & laborem. Quid est sequi Dominum, nisi ipsius opera imitari? Hoc autem non sine labore fit, denique seipsum abnegare, crucem portare, magnus labor est. Seipsum namque abnegabat Paulus, cum diceret: Mortuus sum mundo, Rom. 7. id est non sum qui fui, non sum Saulus, sed Paulus. Crucem autem portat, qui & carnem mortificat, & pro Christi nomine mori non dubitat.

Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt: Hæc, inquit, sedes iniquitatis, semper contra iustorum animas facere desiderant. & sanguinem innocentem morti condemnant. *Sed factus est mihi* inquit iustus, *Dominus in refugium, & Deus meus in auxilium spei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipsorum*, id est, meritum iniquitatis. *Et in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster*.

EXPOSITIO PSALMI XCIV.

V*Enite exultemus Domino*. Vox Ecclesiæ. Fugite gentes idolorum culturam, relinquite opera mundi, discedite ab iniquitate, festinate ad vitam. Quid statis? Venite exultemus Domino, *iubilemus Deo salutari nostro*, hunc humiliter adoremus, qui mundum sua morte redemit Ad Gal 3.

Præoccupemus faciem eius in confessione. Ne imparati inueniamur. Quæramus eum intuitu mentis, quem facie ad faciem visuri sumus, Corinth. 13. vt cum venerit ad iudicandũ, non quasi ignoti ei occurramus. *Et in psalmis*, hymnis, laudibus & canticis spiritualibus, *iubilemus ei*. *Quoniam* hic est *Deus* noster, *magnus Dominus* in vniuersa terra. *Et Rex magnus super omnes Deos*, relinquantur ergo cæteri Dij, & iste, qui solus vbique est. & sua magnitudine omnia continet, ab omnibus veneretur. *Quia in manu eius sunt omnes fines terræ*. In manu namque, & potestate ipsius omnia regna mundi concluduntur. *Et altitudines montium ipsius sunt*. Apostolorum namque virtutes, altaque eorum scripturarum omnium intelligentia, illius est qui fons viuus recte vocatur. *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus eius formauerunt*, nihil enim est quod ipse non fecit. *Venite ergo adoremus & procidamus*, & *ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster*: Beati qui nunc fletis quia ridebitis: Lucæ 6. Et *nos populus pascuæ eius*, quoniam in loco pascuæ, & inter diuinas scripturarum collocati sumus. *Et oues manus eius*, quas vna eademque manu & fecit, & redemit Cuius eius: qui dicit: *Hodie si vocem eius* Cuius oues estis, illum *audieritis, nolite obdurare corda vestra*, sed cognoscite vocem pastoris. *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me Patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea*.

Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi semper: hi errant corde, & isti non cognouerunt vias meas. quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Hoc autem exponit Apostolus in epistola ad Hebræos, & eorum cadauera in deserto prostrata dixit, Ad Hebr. 3. & quia terram promissionis intrare nequiuerunt. Aperiamus igitur aures nostras, vt vocem eius, quos quotidie in Ecclesia admonet, intelligamus. Neque tentemus eum, ne nobis quandoque iratus, a terra viuentium nos repellat.

EXPOSITIO PSALMI XCV.

C*Antate Domino canticum nouum* Vox Prophetæ. Nouus homo venit in mundum, nouam legem dedit mundo, Greg. P. Hom. 32. hanc ergo nouam legem, hoc nouum canticum

cum

cum cantate, prædicate, & ad ipsius laudem, cunctis gentibus nunciate. *Cantate Domino omnis terra*, Iudæi & gentiles. Iusti,& peccatores. *Cantate Domino,& benedicite nomini eius*; Nomen eius, verbum est, Io. 1. sermo eius, Christus est. Hunc autem omni tempore nos benedicere, & laudare debemus, hic est enim de quo dicitur: Ecce nomen Domini venit de longinquo. Isaiæ 30. *Annunciate de die in diem salutare eius*, de die in diem, per singulos dies, de virtute in virtutem, de nouo in vetus, de veteri in nouum testamentum transeuntes, nunciemus salutare eius. His enim duobus pedibus prædicatio incedere debet, & hac gemina luce subditorum corda illuminare. *Annunciate inter gentes gloriam eius*, Illam, inquit, gloriam gentibus nunciate, quam Iudæi recipere noluerunt. *In omnibus populis mirabilia eius*: Natiuitatem videlicet inenarrabilem, Resurrectionem, & Ascensionem, dicentes: *Quoniam magnus Dominus*, siquidem omnium Dominus. *Et laudabilis nimis*, in cunctis quæ fecit. *Terribilis est super omnes Deos*: quoniam eius iniussu nihil facere possunt. Sunt enim *omnes dij gentium dæmonia. Dominus autem cęlos fecit.*

Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Si quis, inquit, cum Domino habitare desiderat, confiteatur peccata sua, cunctisque criminibus mundet corpus, & animam suam. Est enim sola confessio, & pulchritudo in conspectu eius. *Sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius*: Qui enim ab eo sanctificatur, & castitate præcipuus, & virtute magnificus inuenitur.

Afferte Domino patrię gentium. Quasi diceret: *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius*, qui a Christo Christiani vocamini. *Tollite hostias, & introite in atria eius*: Non enim sine hostijs, plenisque lapidibus, in atria Domini intrare possumus. Sed quæ sunt ista atria? In domo Domini, inquit Dominus, Patris mei mansiones multæ sunt. Io. 14. in multas autem mansiones, multis hostijs intratur: alij enim hostia pietatis, alij hostia humilitatis, alij oblatione largitatis, alij vero sacrificio charitatis, has pretiosas domus ingrediuntur. Sed sicut hostiæ, ita & domus diuersæ sunt, alia est enim claritas solis, alia lunæ. *Adorate Dominum in atrio sancto eius*, interim, inquit, in Ecclesia Dominum adorate, donec ad eum venientes, manipulos in manibus ei offeratis. *Commoueatur a facie eius vniuersa terra*: Vos enim, ac si dicat, Dei facies, imago, & similitudo estis, tollite ergo a vobis, siquid terrenæ corruptionis habetis, vt toti cælici, & spirituales efficiamini: Et *dicite in gentibus, quia Dominus regnauit*, huiusmodi principe deuicto, infernoque exspoliato Ephes. 4.

Etenim correxit orbem terræ. Quem, inquit, diabolus tortuosum, & prauum, mortis fecerat blandimentis, hunc iste magistrali seueritate correxit. *Qui non commouebitur*, nec ab ipsius fide amplius separabitur. *Iudicabit populos in æquitate*, qui orbem correxit, idem ipse populos iudicabit. *Lætentur cęli, & exultet terra*: Lætentur Apostoli, lætetur & Ecclesia. *Commoueatur mare, & plenitudo eius*, vt nullus in eo pisciculus inueniatur, qui in tanto gurgite baptizatus Domino suo lætus non occurrat. *Gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sũt*; gaudebunt animæ, & corpora sanctorum, a quibus spinis & tribulis eradicatis, ipsa quidem vberi messe, florumque pulchritudine decorabuntur. *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum*, quæ quando fructum bonum reddiderint, non excisa in ignem mittentur, sed in cælestis Ierusalem parietibus ædificabuntur: Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Matth. 3. *A facie Domini*, in pręsentia Saluatoris. *Quia venit*, tempus redimere. Et *quoniam venit*, secundo *iudicare terram*. Sed quomodo iudicabit?

Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua, superbos humiliando, & humiles exaltando.

EXPOSITIO PSALMI XCVI.

Dominus regnauit, exultet terra. Vox Prophetæ. Exultet iam terra, lætetur humanitas, in qua non peccatum, sed Dominus regnat. *Lætentur insulę multæ*: Multæ sunt Insulæ, multæ sunt Ecclesiæ quæ in huius sæculi mari sunt dispersitæ. Lætentur ergo, quoniam etsi loco diuidantur, sub vnius tamen Imperatoris regimine colliguntur. *Nubes, & caligo in circuitu eius*; Nubes enim, quæ Christum circumdedit, siue caro in qua latebat, siue Apostoli sapientiæ aqua pleni, siue & nubes illa, quæ ab eorum oculis eum suscepit Act. 1. intelligi possunt. Vterum quoque tuum beata Virgo solius Dei gratia madefactum, hanc nubem vocauerim, tu enim es illa nubes leuis, super quam Dominus venit in Ægyptum. Lucæ 2. Et caligo in circuitu eius, Dominus est in caligine, Exod. 24. lux in tenebris lucet, Io. 1. & Saluator noster in Iudæa prædicat, Matth. 9 sed tenebræ eam non comprehenderunt, Io. 1. nec Dominum suum Iudæi cognouerunt. *Iustitia, & iudicium, correctio sedis eius*: Qui enim iustitiam sequitur, & seipsum iudicat. hic sedem Dei corrigit. *Ignis ante ipsum præcedet*; Qui, inquit, in primo aduentu in nube venit atque caligine, in secundo quidem in igne veniet, & luce manifesta. Hic autem ignis, & malos comburet & bonos illuminabit. Hoc est quod sequitur: *Et inflammabit in circuitu inimicos eius.*

Alluxerunt fulgura eius orbi terrę Ipsa quoque temporum permutatio insinuat, quod nunc de primo, nunc de secundo aduentu loquatur: Quia, inquit, tunc in igne veniet, olim fulgura multa præmisit Fulgura quippe in terrarum orbe lucebant, quando Apostolorum miracula vbique declarabantur. Hoc *vidit terra, & commota est*: alij namque ad fidem, alij contra sanctos commoti sunt.

Montes, sicut cera, fluxerunt a facie Domini. Diuites, superbi, & elati, qui prius duri, & lapidei erant, Apostolica pędicatione emolliti, Euangelica verba in suis pectoribus Diuino stilo scripta receperant. *A facie Domini omnis terra*, hoc, inquit, facies & cognitio Domini omni terræ fecit, vt marmor in ceram conuerteretur. *Annunciauerunt cęli iustitiam eius*, Cæli enarrant gloriam Dei: Apostoli prędicant Christum. Act. 2.

Et viderunt omnes populi gloriam eius, intellexerunt iam venisse, qui & mundum saluauit, & gloriam daturus est. *Confundantur ergo omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*. Vos autem *adorate eum omnes Angeli eius*; omnes Euangelij prædicatores, quem vobis prædicantibus, audiuerunt. Et in quo *lętata est Sion*, idest, sancta Ecclesia. *Et exultauerunt filię Iudę*, Et Sion, inquit, læta est, & filię Iudę, idest Confessorum animæ exultauerunt, *propter iudicia tua Domine*, quibus custoditis, se saluari sperant. *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos*, tu solus laude omnique veneratione es dignus, qui homines, dæmones, & Angelos superexcellis.

Qui diligitis Dominum, odite malum. Quicunque Dei vult esse amicus, inimicorum eius fiat inimicus. *Custodit Dominus animas seruorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos*: Fidelis autem, secundum Apostolum Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Corinth. 10. *Lux orta est iusto*, idest Christus Dominus, ad Ecclesiæ salutem. *Et rectis corde lætitia*, quem diu desideratis, ecce venit. *Lætamini ergo iusti in Domino*, non in huius sæculi dignitatibus. *Et confitemini memorię sanctificationis eius*, eum confitemini atque laudate, qui vestri memor, vos sanctificauit.

EXPOSITIO PSALMI XCVII.

C*Antate Domino canticum nouum* . Vox Prophetæ . Qui nouum canticum cantare desiderat, sequentia legat, vt noua reperiat; *Quia fecit*, numquid hoc nouum est? Quid enim fecit Dominus quod mirabile non sit? Non est ergo nouum, quia mirabilia fecit, nisi aliud apponatur. Sed vide quid Sequitur. *Saluabit sibi dextera eius* . Hoc autem nouum est, & ante Christi resurrectionem penitus inauditũ. Quid est autem Saluabit sibi dextera eius? nisi ad sui laudem, & honorem, filium suum resurgere fecit. Marc. 16. Confirmatio. *Et brachium sanctum eius* . De hoc autem brachio dicitur. Et brachium Domini cui reuelatum est. *Notum fecit Dominus salutare suum* . Filius quippe Dei, qui olim omnino, ignotus erat, nunc notus, & prę omnibus notus Ecclesię factus est. Hunc enim Apostolus bene nouerat qui ait: Nihil iudicaui me scire inter vos, nisi Christum Iesum, & hūc crucifixum. Cor. 2. *In conspectu gentiũ reuelauit iustitiã suam*, Iustitia Dei Christus dicitur, quoniam sine hac iustitia nemo iustificari potest. *Recordatus est misericordię suę, & veritatis suę*, quam promisit domui Israel. Ait enim: In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Ierem. 33. Memor ergo Dominus huius veritatis promissæ, magna sua misericordia mundum . redemit . *Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*, tota pręfata cautio noua iam completa est : hæc autem est quæ adhuc futura exspęctatur . Multi enim in primo aduentu Christum viderunt, non omnes tamen, cum autem secundo ad iudicandum venerit, tunc omnis oculus eum videbit. Lucæ 21. Iubilate ergo Domino omnis terra, cantate, & exultate, & psallite, iubilemus corde, cantemus ore, exultemus in Domino cunctis motibus corporis, psallant manus, pedes, oculi, seruiẽtes Domino in officiis suis. *Psallite Domino in cithara in cithara*, Duas enim citharas habent Doctores alteram in alteram vero in ore, quæ autem in corde consistit, ineffabili harmonia soli Domino citharizat: quæ vero in ore superbos & irascibiles, & quemlibet Sauli similem suaui scripturarum modulatione mitissimum reddit. Et voce psalmi, psalmi namque vox, non nisi in psalterio fit, qui autem in psalterio cantat, in decem siquidem legalibus preceptis Domino seruit.

In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ . Ductiles tubæ de argento fiebant, quibus in vnum Israeliticus populus veniebat, sed neque sine argenteis cornee, nec absque corneis argenteæ canant: in argenteis sermonum puritas, in corneis vero virtutum robora manifestantur. Non sit ergo in sermone mendax; nec contra hęreticos sine cornibus prædicatur: hoc veris sermonibus mulceat, illos autem duris cornibus terreat. *Iubilate in conspectu Regis Domini* , Quod autem non in ore, sed in corde iubilatio fiat, in hoc loco declaratur homo autem in facie, Deus autem in corde videt. 1. Regum. 16. Fit ergo in solius Dei conspectu iubilatio, siquidem in corde.

Moueatur mare, & plenitudo eius, orbis terrarum, & qui habitant in eo . Omnes, inquit, commoueantur, omnes ex se, tineis omnibus excussis, ad Dominum confugiant.

Flumina plaudent manibus simul . Si quis sitit, ait Dominus, veniat, & bibat, & de ventre eius fluent aquæ viuæ Ioa. 7. Sancti sunt ergo flumina, quandoquidem ex eorum ventre aquæ decurrunt. Manibus autem plaudere, est, in Domino lætari. Mos enim erat antiquorum, vt præ lætitia manibus plauderent. Vel etiam, bonis operibus sine intermissione opera bona cõiungerent. *Montes exultabunt in conspectu Domini quoniam venit iudicare terram.* Tunc enim gaudebunt sancti, tunc exultabunt montes, quãdo cadite super nos, eis dicetur, super quos enim isti montes ceciderint, hi ventura ira inueniri non poterunt . *Iudicabit orbem terræ in iustitia*.

EXPOSITIO PSALMI XCVIII.

D*Ominus regnauit* . Vox prophetæ, vel Ecclesię. Dixi semel dixi iterum, dico tertio. Dominus regnauit, vt in medio duorum vel trium testium stet omne verbum. Vos autem increduli Iudæi hoc negatis, quod vester Propheta constanter affirmat.

Irascantur populi, Irascantur Iudęi, confundantur dolore, quoniam, velint nolint, Dominus regnauit: Irascãtur et Christiani qui eum occidebant, cui quondam seruiebant, receptoque alio Rege iam in se peccatum regnare nõ patiantur. Sed quo Dominus regnauit? Sequitur. *Qui sedet super Cherubin*, Cherubin scientiæ plenitudo interpretatur. Sedet igitur Dominus non solum in Angelis, qui hoc nomine nuncupantur, verum etiam in sanctis, sapientię & scientię spiritu repletis. *Moueatur terra*: id est irascantur populi Hic autem *Dominus est in Syon, magnus*, quoniam per singulos dies in sancta Ecclesia laudatur, & magnificatur. *Et excelsus super omnes populos*, quem semper suam iudæi in sepulchro dormire putabãt. Matth. 27. Apostrophe.

Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile, & sanctum est . Nomen Domini semper laudetur, eiq. occulta, & manifesta confiteantur, quoniam & malis est terribile, & iustis sanctum, & delectabile. *Et honor regis iudicium diligit* . quicumque Regem Regem vult honorare, seipsum prius diiudicet, & furtum, adulterium, periurium, & homicidium, ceterosque sui corporis malefactores occidat, mortique condemnet, sic autem in sui pectoris sedem cum honore, & pace veñientem suscipiet hospitem.

Tu parasti directiones iudicium . Quandoquidem omnia iudicia Dei directione & ęquitate præparantur, dirigantur, & iudicia nostra. Non enim rectè ille diiudicat, qui superbiam viuificans in se occidit humilitatem. *Et iustitiam in Iacob tu fecisti* . cum enim iudica Iacob supplantat, Genes. 27. iniustitiam operatur, Hanc tamen iustitiam facit, Dominus, quando supplantationis astutiam præstat. Conuersio personæ.

Exaltate Dominum Deum nostrum . Vt qui naturaliter est magnus in vestris cordibus excelsus quoque habeatur . *Et adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est* . Quid per scabellum, nisi corpus Dominicum intelligamus. In hoc autem, quasi in scabello, sedet Diuinitas. Hoc autem omnes adorabunt, sicut ipse ait: Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi curuabitur omne genu Isaiæ 45. Potest autem & de truce intelligi, in qua Saluator hanc vitam finiuit . Matth. 27. Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, Illum, inquit, quem nos in scabello residentem adoramus: Moyses, Aarõ, Samuel, omnesque Prophetæ, prophetarunt, et adorauerunt. *Inuocabant Dominum*, ipsum quidem quasi Dominum inuocabant. *Ipse autem exaudiebat eos* . *Et in columna nubis loquebatur ad eos* , In nube quidem atque caligine loquebatur eis, quia in carne venturus, latibulum suum tenebras facturus erat. *Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis*, Hoc autem ad vestram confusionem, Iudæi dicitur, qui ei, quem Patres vestri adorauerunt Io. 4. insultantes dicebatis. Tu de te ipso testimonium dicis testimonium tuum non est verum, Ioan. 8. Quare ergo Moyses, & Aaron eius testimonium custodierant? *Domine Deus noster, tu exaudiebas eos*, Tu, inquit, qui nunc homo factus scabellum diceres eos quondam exaudiebas *Deus tu propitius fuisti eis*, in omnibus quæ cum fide, & dilectione postulabant. *Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum*, sicut in vitulum quem in deserto coluerunt. *Exaltate Dominum Deum nostrum*, O quanta huius verbi lętitia, qui omniũ Deus & Dominus est, noster Deus, & Dominus principaliter appellatur.

Et adorate in monte sancto eius, id est, in Ecclesia, vel in cordibus vestris, quæ a terrena vanitate sublimata, non immerito montis vocabulum acquirit. Et dicite. *Quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

EXPO

EXPOSITIO PSALMI XCIX.

I*Vbilate Deo omnis terra.* Vox Doctorum: Iubilate Deo omnis terra. Hoc autem & Paulus dicebat: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Ad Philip. 4. *Seruite Domino in lætitia,* seruiebant namque Iudæi non in lætitia, sed ex necessitate, nisi enim seruirent, legis maledictionibus subiacerent, nos autem non timore, sed benedictionis amore seruiamus. *Intrate in conspectu eius in exultatione,* semper enim in conspectu Dei sumus, quando digna visionis ipsius opera facimus. Qui enim eleemosynam facit, qui orat, quique aliis prædicat, ante Dei conspectum existit, hæc autem, nisi in exultatione fiant, ingrata esse videntur. *Scitote quoniam ipse est Deus,* non Sol, non Luna, non cælum, vel terra, non alia quælibet creatura Deus est, sed ille est Deus qui omnia fecit, Io. 1. *ipse* enim *fecit nos, & non ipsi nos.*

Populus eius & oues pascuæ eius. Ipsius enim oues sunt, quicunque eius vocem audiunt. Io. 10. *Introite portas eius in confessione,* vt enim hoc breuiter dicam, illum ipsius & meam portam vocabo, qui me aqua baptismatis lauit. Hanc autem ego quidem intrare non potui, donec Dominum confessus diabolo abrenunciaui. *Atria eius in hymnis,* Et vt hoc totum in mei exemplo exponam, supradictam, Dei gratia, ego portam ingressus, iam in eius atriis, hymnos qualescunque depromo. *Confitemini illi,* videte quam recto incedat ordine: Oues dixit, pascua posuit, portas adhibuit, ouis ergo esse debet, qui hanc pascuam ingreditur: ingredi autem, nisi per portam, nemini licet; qui enim aliunde intrauerit, fur appellabitur, Io. 10. ingressus autem laudibus vacet, & confessionibus. *Laudate nomen eius,* Quicunque Christianus vocatur, talem se exhibeat, vt in eo Christi nomen glorificetur. *Quoniam suauis est Dominus,* sicut enim mitibus est suauis, ita & superbis asperus erit.

In æternum misericordia eius, & vsque in generationem, & generationem veritas eius. Æterna misericordia, æterna est & veritas, semper enim erunt sancti, qui misericordia salui fiũt, semper erunt & peccatores, qui veritate damnantur.

EXPOSITIO PSALMI C.

M*Isericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Vox perfectorum. Tibi Deus & redemptionis misericordiam, & veritatis cantabo iudicium: Misericors est, nullus desperet: verus est, nemo superbiat. *Psallam & intelligam,* multi enim psallunt, qui non intelligunt, sed aliud in lingua dicũt, aliud in corde cogitant, lingua psalmos cantat, mens autem denariorum numerum computat. *In via immaculata,* psallam, inquit, sic tamen vt intelligam. Ambulans in via immaculata: Multæ sunt Sanctorum viæ, omnes quidem immaculatæ. *Quando venies ad me,* cur venies dicit, qui cum eo semper est: Venies igitur, ad secundum refertur aduentum, qui tanto desiderio a sanctis expectatur, vt semper veni veni, dicere credantur.

Perambulabam in innocentia cordis mei. Quia se in via immaculata superius ipse dicebat, quę esset illa via, hoc in loco manifestat: Perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei, existentis *in medio domus meæ,* idest corporis mei. Hæc autem via penitus est immaculata: cordis enim innocentia, si cum ratione fuerit, totius hominis est perfectio. *Facientes præuaricationes odiui:* Neque ego, inquit, præuaricatus fui, neque præuaricatoribus consensi. *Non adhæsit mihi cor prauum,* sed sicut cor meum in omnibus rectum erat, ita rectis corde solummodo adhærebat. *Declinantem a me malignum non cognoscebam;* Non cognoscebam malignum, vt sibi in malitia assentirem, sed sicut ipse à viis meis, sic & ego ab ipso declinabam. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar,* spe correctionis, non consensu malignitatis.

Superbo oculo. In oculis namque, & supercilio, facile cuiuslibet superbia deprehenditur. *Et insatiabili corde,* Hoc autem titulo auarus prænotatur. *Cum hoc non edebam.* Sic enim & Apostolus ait: Si quis frater nominatur inter vos fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere. Corinth. 5. Diuina responsio.

Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Non te, inquit Dominus, hoc fecisse pœniteat, vidi opera tua, cognoui fidem tuam, veniam ad te, & cum cæteris fidelibus in cælestem sedem te collocabo. *Ambulans in via immaculata,* quod te fecisse confessus es, *hic,* & non alius, *mihi ministrabat. Non habitauit in medio domus meæ,* idest in cælesti Ierusalem, *qui facit superbiam,* & destruit humilitatem. *Qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum,* vt sit dignus meam faciem videre.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Matutinum autem diem iudicii appellauit, in quo omnes peccatores perdendi sunt. Matutinum autem ideo dicitur, quia huic nostræ vitæ succedit, quæ recto vocabulo nox appellatur. Denique ille dies sanctis lucere incipiet, quem nulla noctis caligo interrumpere valebit. Apoc. 21. *vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

EXPOSITIO PSALMI CI.

D*Omine exaudi orationem meam.* In hoc psalmo, prius Ecclesia, deinde Christus, postmodum vero Propheta loquitur. Domine exaudi orationem meam, *& clamor meus ad te veniat, non auertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam, in quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me,* Quanto animi affectu Dominũ Ecclesia ipsa deprecetur, ipsa verborum replicatio manifestat, in qua vnum idemque toties dicitur. *Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei;* Præsens enim vita cito dilabitur, & euanescit, præteritus namque dies, vt fumus deficiens, iam inueniri non potest. Deficiunt, vt fumus, dies sanctorum, quoniã sine lacrymis non poterunt. Summopere ergo deprecandus est Dominus, vt æternos nobis tribuat, quandoquidem ad fumi similitudinem, tam cito nostri deficiunt. *Et ossa mea sicut cremium aruerunt,* Ecclesiæ namque ossa, Apostoli dicuntur, qui in multarum tribulationum frixorio secundum carnem aruerunt. Hoc autem qui non intelligit, craticulæ Laurentii recordetur.

Percussus sum vt fœnum. Olim, inquit, in me iuuentus florebat, sed senectute veniente, flos iuuentutis mox excisus decidit. *Et aruit cor meum,* quoniam simul cum iuuentute omnes corporis vires amisi. *Quia oblitus sum comedere panem meum;* Dati, inquit, panis oblitus, interdictum manducaui, quoniam cæteris paradisi lignis omissis, solum vetitum comedi. Genes. 3. nisi enim Adam, qui corporis huius Ecclesiastici principium fuit, Genes. 1. proprii panis oblitus fuisset, neque primo flore priuaretur homo, neque in viribus vllis deficeret.

A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ. Cum, inquit, dierum æternitatem, florisque pulchritudinem, & virtutũ robur amisissem, quid nihil aliud quam dolor, & gemitus remansit. Obliti ergo panis, memor, pristinæque felicitatis, pœnitere, & gemere cœpi, soliusque Dei misericordiam implorare. Ad hunc autem gemitum, & caro spiritui, & spiritus carni adhęsit, & quę sibi inuicem prius aduersabantur, iam concordiam habere cœperunt. Et quoniam, sicut in Euangelio legitur, duo in me consenserant, omnes meas petitiones exaudiuit Dominus. Vox Christi.

Similis factus sum pelicano solitudinis. Vna, inquit, eademque culpa, & tu dierum æternitatem, Deique imaginem, & similitudinem amisisti, & ego, restaurationis causa, Pelicano similis factus sum, qui nullo alio medicamine, nisi proprio sanguine natos meos viuificaui; præterea idololatras immundos, & peccatores in corpus meum, quod est Ecclesia, induxi.

duxi. Pelicanorum duo genera esse dicuntur: alterum in aquis: alterum in solitudine, qui vero solitudinem inhabitant, hanc naturam habere perhibentur, vt immundis animalibus, vtpote ranis, & lacertis viuant, natosque suos interficiant, & per triduum dolentes seque ipsos vulnerantes, sui sanguinis aspersione, eos iterum ad vitam reducant. Hæc autem similitudo satis congrue nostro conuenit Saluatori, qui nobis ob primi parentis transgressionem immortalitatem auferens, & de paradiso eijciens, Genes. 3. mortis nos legibus subdidit: Sed hic noster pelicanus natos suos resuscitans, per triduum mortis dolore contristatus, (mortis autem non tantum suæ quantum nostræ) proprij sanguinis effusione viuificauit. Vide ergo quam pulchre hæc similitudo conueniat superioribus. Conquerebatur Ecclesia, omneque genus humanum, & de paradisi expulsione, dierumque breuitate, & virium imbecillitate, cui sic Saluator dulcissima consolatione respondet: Similis sum pelicano, ego occidi, & viuere faciam, percussi, & ego sanabo, Deut. 32. ne timeas igitur homo, quia te iterum ad vitam reducam.

Factus sum sicut nycticorax in domicilio. Omnibus quidem notum est, quod nycticorax siue noctua à cæteris auibus odio habeatur, quam etiam garrulitate quadam persequuntur, donec in aliquo reponatur loco: Huic autem comparatur Christus, quem vsque ad crucem cum magno fremitu Iudæi persecuti sunt. Io. 18. 19. Merito autem crux Christi, domicilium appellatur, quæ nobis in frontibus, nostrique corporis imprimitur domicilio. Nec mirum, si noctuæ assimilatur, qui se etiam vermem vocauit. Psal. 21.

Vigilaui. Quia die tertia resurrexi. Corinth. 15. *Et factus sum sicut passer*, agilis ad volandum. *Solitarius in tecto*, quoniam nullus mecum in carne cælos ascendit. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, Iudæi videlicet, qui quasi nycticoracem eum persequebantur. *Et qui laudabant me*, manifesta adulatione. *Aduersum me iurabant*, idest in eius interitū coniurationem faciebant. Sed qua ratione?

Quia cinerem tanquam panem manducabam, idest, ad pelicani similitudinem, immundos & flagitiosos, meo corpori associabam, vnde quidam vini potatorem, & amicum publicanorum Matth. 11. eum esse dicebant. *Et poculum meum cum fletu miscebam*, quia & pro natorum nece dolebat, & cum illis Diuinum humanumque cibum communicabat, qui pro peccatis suis assidue flebant. Ex quibus mulier illa peccatrix vna fuit, quæ pedes eius lacrymis rigauit. Lucæ 7. Vox Ecclesiæ.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me. Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Me, inquit, de limo terræ fecisti, Genes. 2. & in angelorum eleuans dignitatem, quasi Dominum constitueras, sed præceptum transgrediendo, tuæ indignationis iram incurrens, Genes. 3. in terrenam illisus sum debilitatem. Sic ergo a facie iræ indignationis tuæ, dies mei sicut vmbra declinauerunt, idest, summa cum festinatione, immortalitate amissa euanuerunt. *Et ego sicut fœnum arui*, vere fœnum est populus: siccatum est fœnum, & cecidit flos, Isaiæ 40. amisimus florem, redigimur in puluerem. *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem, & generationem. Tu exurgens*, sicut promisisti, *misereberis Sion*, quia Pelicani sumpta similitudine, proprio nos sanguine viuificabit. Ad Hebr. 9. *Quia tempus miserendi eius, quia venit tempus*, venit, inquit, nostræ redemptionis, tuæque incarnationis tempus.

Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius. Lapides viui voluuntur super terram; hi autem sunt, de quibus dicitur: Tempus lapides colligendi, tempus spargendi, Eccl. 3. prius enim Dominus Apostolos collegit, Lucæ 6. postea vero ad prædicandum diuisit. Mar. 16. Placeant nobis lapides isti, eorumque soliditatem imitemur. *Et terræ eius miserebuntur*, terræ namque suæ ille miseretur, qui carni suæ æternum præparat habitaculum. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine*, quod non in vanum iurare audebunt. *Et omnes Reges terræ gloriam tuam*, idest, filium tuum. *Quia ædificauit Dominus Syon, & videbitur in gloria sua*; Quoniam, sicut ait Apostolus, cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria Ad Colloss. 3. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum*, huius autem expositio in superficie est Vox Prophetæ.

Scribantur hæc in generatione altera. In futura scilicet, quā sua Dominus incarnatione respiciet, & visitabit. *Et populus qui creabitur*, aqua baptismatis, & Spiritu Sancto. *Laudabit Dominum. Quia respexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram prospexit*: vt eius sua visitatione misereretur. *Vt audiret gemitus compeditorum*, Patriarchæ namque, & Prophetæ in inferno compediti tenebantur, quorum gemitus sunt exauditi, erant & illi compediti, qui vitiorum catenis ligati diabolum sequebantur. *Vt solueret filios interemptorum*; Non ergo solummodo Patres nostri, qui interempti, & mortui sunt, compediti erant, sed nos quoque ipsorum vincti eramus, quis enim soluitur nisi ligatus? vincti ergo eramus; siquidem à Domino soluti sumus. Psal. 123. *Vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem*, Ad hoc, inquit, ex diabolicis laqueis soluti sumus, vt laudem Domini in Ecclesia decantemus.

In conueniendo populos in vnum. Idest, dum in vnius fidei vnitatem omnes gentes congregabuntur. *Et Reges, vt seruiant Domino. Respondit ei in via virtutis suæ*, idest, in opere prædicationis, quæ, secundum Apostolum, Dei virtus appellatur. Rom. 1. *Paucitatem dierum meorum nuncia mihi*, Cui respōdit? Ierusalem. Nam cum appropinquaret Dominus Ierusalem, quasi dierum paucitatem ab eo interrogaret, sic flendo respondit: Quia si cognouisses, & tu: quoniam venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & reliqua. Lucæ 19. Sic ergo suorum dierum paucitatem ei prænunciauit. Apostropha.

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. Sed permitte me, non tantum mediare, verum etiam in tuo seruitio continuare. Siue, ne reuoces me de hac vita, præoccupatum aliquo iudicio, ante terminum prædestinatum. Quod quidem pertimescens ait: Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Isaiæ 38. *In generationem, & generationem anni tui*, tui, inquit, sunt anni, dies, & tempora, & menses, cunctaque tuæ voluntati obsequuntur. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*; Hoc autem secundum litteram verum est, quod & super Ecclesia, & Apostolis intelligi potest. *Ipsi peribunt*, quoniam in melius mutabuntur: *Tu autem permanebis*, qui mutari non potes. *Et omnes vt vestimentum veterascent*, carne dissoluta. *Et sicut opertorium mutabis eos*, vt a vitiorum sorde mundati, pulchriores fiant. *Et mutabuntur*, ad æternitatem. *Tu autem idem ipse es*, penitus incommutabilis. *Et anni tui non deficient. Filii seruorum tuorum habitabunt*, Ecclesiam, iam cælis quodammodo commutans. *Et semen eorum in sæcula dirigetur*, nunquā enim Sanctorum opera deprauantur.

EXPOSITIO PSALMI CII.

B*Enedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* Vox Ecclesiæ. Non enim labiis tantum, verum etiam anima, & corde, mente, & intellectu, cunctisque viribus Dominum benedicere, & laudare debemus. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius*, quis enim Dei beneficia numerare potest? Solem namque & lunam, ignem & aquam, & cæteras creaturas in obsequium nostrum creauit, hæc tamen nihil sunt, si futuris bonis comparentur. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.* Expositio. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, quibus vel corpus, vel anima debilitatur. *Qui redimit de interitu vitam tuam*, quam diabolus comprimebat. *Qui coronat te in misericordia*, dans prius misericordiæ fortitudinem, vt demum tribuat, & coronam. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, prauis cogitationibus euacuatum.

Renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. Aquila namque ad senectutem deueniens, a solis caloribus plumis amissis, in fontem aliquem dilapsa, in iuuentutem reparatur. Sic autem

& Sancta Ecclesia, solis iustitiæ accensa caloribus, in fonte baptismatis submersa, veterem hominem exuta, noui induit iuuentutem. Renouabitur autem, & in iudicio, pristina resumpta imagine.

Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus: notas fecit vias suas Moysi, & filijs Israel voluntates suas. Misericordia quidem fecit, quod mundum redemit, Ad Gal. 3. iudicium autem fecit, quia innocentes vindicabit. Vnde Apostolus mihi, inquit, vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Roman. 12. Eius vias cognouit Moyses, id est Apostoli, qui aquatici piscatores, & baptizatores fuerunt: Filij autem Israel eius voluntates cognoscunt, hoc est viri sancti, qui eum mentis oculis contemplantur. *Non in perpetuum irascetur? Quoniam miserator, & misericors est patiens & multum misericors. Neque in æternum cōminabitur*, quoniam sicut scriptum est, cum pateretur, non comminabatur. 1. Petr. 2. *Non secundum peccata nostra fecit nobis*, Cum enim digni essemus morte, pro nobis subiit mortem. *Neq. secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, ad meliora conuersi fuerimus.

Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroborauit misericordiam suam super timentes se. A Deo namque confirmata est in sanctis misericordia Dei, vt super cælos delati, angelis associentur. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras*, vt enim mortuus a viuo, sic iustus differt ab iniquo. *Quomodo miseretur Pater filiorum misertus est Dominus timentibus se*: verberibus castigando, non tetis mortificando. *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*, Quod figuli, vasis recta comparatur, Cognouit quidem, quoniam serui formam recepit. Ad Philip. 2. *Recordatus est, quoniam puluis sumus*, quem nisi suæ misericordiæ aquis irrigasset, a quolibet ventorum flamine projiceretur Homo sicut fœnum, qui facile priuatur floribus. *Dies eius tamquam flos agri, sic efflorebit*, non longo temporis spatio. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, non cognoscet amplius locum suum, simul enim cum spiritu, & vigor amittitur & possessio. *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, & iustitia in filios filiorum in his qui seruant testamentum eius.* Filiorum quippe Dei, filii sunt, quicumque Apostolos imitantur. Vnde Apostolus ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Ad Gal. 4. *Et memores sint mandatorum ipsius*, non ad legendum, sed ad faciendum, quoniam, vt Apostolus ait non auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores Rom. 2.

Dominus in cælo parauit sedem suam. Quia resurgens a mortuis cælos ascendit. Marc. 16. Siue in cælo, hoc est in Apostolis, quoniam anima iusti, sedes est sapientiæ. *Et Regnum ipsius omnibus dominabitur*, Principes namque regni ipsius, quod est Ecclesia, Apostoli sunt, qui cæteras gentes iudicabant, *Benedicite Dominum omnes Angeli eius*, Doctores, qui eum annunciatis. Potentes virtute, quia nos confirmant, *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum*, qui adhoc prædicatis, vt, ipsius præcepta custodiantur.

Benedicite Dominum omnes virtutes eius. Angelorum, & hominum. *Ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Hæc autem iniquorum benedictio refutatur. Benedicite Domino omnia opera eius, Nunquid lapides, & ligna Dominum benedicere possunt? possunt vtique. Lapides namque benedicunt Dominum, quando nos in hac creatura benedicimus Dominum. *In omni loco dominationis eius*, Immensus est Dominus, Psalm. 112. immensa ergo sit laus, & benedictio. Benedic, & tu anima mea Domino, vt & ipse te æterna benedictione remuneret.

EXPOSITIO PSALMI CIII.

Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Vox prophetæ, Quoniam quidem vehementer magnificatus est Dominus, vehemēter laudetur ab omnibus.

Confessionem, & decorē induisti. Qui enim Iudæorum vituperatione carnisque infirmitate quondam circundatus fuit. Matth. 27. nunc Angelorum, & hominum laude stipatur, æternoque decore, & claritate illucescit. *Amictus lumine sicut vestimento*, Cum enim sicut sol in regno Dei sancti refulgeant, Matth. 13. quis ipsius saluatoris claritatem verbis aperiat?

Extendens cœlum sicut pellem. Facile namque, & sine omni difficultate, altam cæli rotunditatem ipse extendit, atque peregit, eius enim dicere, facere est. *Qui tegis aquis superiora eius*: Vnde scriptum est: Et diuisit aquas quæ erant super firmamentum ab his, quæ erant sub firmamento. Genes. 1. Hoc autem, si mystice intelligatur, cæli Apostolos figurabant qui quoniam noui vtres erant, ad nouum vinum capiendum in tantum extenti sunt, vt totius vineæ vindemiam ipsi reciperent. Marc. 16. Quicquid enim nouæ, & veteris legis habemus, eis propinantibus, potauimus. Per horum superiora Prophetas signauit, qui altiori tempore nati fuerant. Hi autē tanta aquarū tegebantur profunditate, vt nullus super eos nauigare posset, sed quia petrus, sicut piscator. Matth. 4. quorum omnium peritus fuerat, transfretandi nobis iter aperuit *Qui ponis nubem ascensum tuum*. Sicut scriptum est. Et cum hoc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1. *Qui ambulas super pennas ventorum*, nullus enim ventorum ibi vnquam ascendit, vbi Christus delatus est.

Qui facis Angelos tuos spiritus. Quando enim ad Mariam Gabrielem misit, de spiritu quidem Angelum fecit. *Et ministros tuos ignem vrentem.* Ministri quippe Dei, non solum Angeli, verum etiam omnes Doctores dici possunt. Qui ideo ignis vocantur, quoniam alios illuminant. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*, Stabilitas quidem, & fundamentum Ecclesiæ Christus est, Psal. 86. super quem fundata, non inclinabitur in sæculum sæculi, sed semper ad altiora virtutum conscendet.

Abyssus sicut vestimentum amictus eius. Quid per abyssum nisi noui veterisque testamenti intelligentia? Tali autem veste Ecclesia circundata, in nullum latus cadere potest: hæc enim lorica nullis aduersariorum telis perforari valet. Matth. 16. *Super montes stabunt aquæ*, Quid per montes, nisi Doctores, quid vero per aquas nisi peccatores intelligimus? Stabant igitur supra montes aquæ, quando iniquorum turbulenta commotio, diabolico turbine exagitata in sanctos insurgebat: illi autem vtriusque abyssi scuto muniti, clara tuba personantes, omnes æquoris minas mitigabant. Hoc est quod sequitur.

Ab increpatione tua fugient. Dicebant enim: Pœnitentiam agite. Matth. 3. Itemque: Nisi pœnitentiam egeritis, moriemini. Lucæ 13. Et rursum: Iam securis ad radicem arboris posita est. Matth. 3. Ab hac autem increpatione fugiebāt aquæ, quando vana Deorum religione omissa se se Domino gentes subiiciebant. *A voce tonitrui tui formidabunt*, Vox autem tonitrui Apostolorum est prædicatio, quæ simul cū sono fulgorem humanis pectoribus inferens & timorem, ipsum diabolum gladio spiritus interficiebat.

Ascendunt montes. Decrescentibus aquis. Credentibus namque turbis, crescebant Ecclesiæ. *Et descendunt campi*, quoniam vanis sæculi dignitatibus derelictis, sub Christo iugo populi humiliantur. *In locum quem fundasti eis. Terminum posuisti quem non transgredientur*, Qui enim furatur terminū illum transgreditur, quo dictum est: non furtum facietis. Exod. 20. vnde & transgressores dicuntur. Est autem altus

alius terminus quem nullo modo transgredi licet, vnitatis videlicet, trinitatisque fides. Hoc autem etiam de vniuscuiusque oblitu intelligi potest. *Neque conuertentur operire terram*, vt corruptibilis carnis sequantur voluptates, sed solas nuptiales vestes sibi parabant.

Qui emittis fontes in conuallibus. Baptismum, & Doctores in Ecclesijs. *Inter medium montium pertransibunt aque*, Per medium Ecclesiarum, quatuor Euangeliorum flumina discurrent. *Potabunt omnes bestię agri*, quippe Dei nos omnes bestiæ sumus. Ad hanc ergo aquam curramus, quæ sine pretio cunctis tribuitur. *Exspectabunt onagri in siti sua*: non enim solis sapientibus, verum etiam insipientibus hæc aqua ministratur, Vnde Apostolus: Iudæis, inquit, & gentibus, Græcis, ac barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum. Rom. 1.

Super ea volucres cæli habitabunt. Volucres cæli Apostoli sunt, qui virtutum pennis ceteros volare docent. Hi autem super montes, & valles habitant, quoniam in omnibus Ecclesijs tenent principatum. *De medio petrarum dabunt voces.* In medio Ecclesiæ aperient os suum Ecclesi. 15 Vt Paulus in Corintho, Petrus in Roma.

Rigans montes de superioribus suis. Repleti sunt omnes spiritu sancto. Act. 2. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*: Diuinis namque beneficijs pascitur Ecclesia *Producens fęnum iumentis*: Tu, inquit, terram satias, ipsa autem iumentis tuis fęnum producit, quoniam, & cibo corporali Apostolos pascit, & florum pulchritudine eos delectat. Vnde Apostolus ait; Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra mutamus. 1. Corinth 9. Confirmatio. *Et herbam seruituti hominum*, Quos iumenta dixit, hominum seruitutem appellat, hæc enim iumenta nobis ad seruiendum data, viaticum, peregrinantibus cibum, plenasque de quinque panibus, & duobus piscibus clitellas asportant. Dignum est ergo, vt iumenta conducat, qui absq. iumentis viuere nequeunt. *Vt educas panem de terra*, Terra namque de terra panem eduxit, quando fidei corroborationem, ipsumq. panem viuum, qui de cęlo descendit, Io. 6. ab Apostolis quidem Ecclesia recepit. *Et vinum quod lætificat cor hominis*, scripturarum profunda mysteria, ipsiusque Saluatoris sanguinem Apostolicis manibus Diuina benedictione consecratum significat.

Vt exhilaret faciem in oleo. Ecclesiæ namque facies, & pulchritudo, spirituali oleo, & salubri vnctione letificatur, quia Apostolorum credidit verbis. *Et panis cor hominis confirmet.* Ideo enim quotidianum panem semper deposcimus, vt mens nostra firmata, nullis succumbat tentationibus. *Saturabuntur ligna campi.* Campus iste Ecclesia intelligitur, quem Apostoli colentes, multa arborum genera in eo plantauerunt quæ supradicto pane reficiuntur. In hoc autem deficiunt, qui litterę sunt amatores. *Et cedri libani, quas plantauit*, id est illi, qui meritis altiores sunt. Siue Reges, & principes seculi dignitatib. præditi,

Illic passeres nidificabunt: per passeres, fidelium pauperum multitudo designantur. Hi autem ædificant in cædris, quando in diuitum possessionibus cellulas suas inhabitant quod de Monachis quidem apertissime intelligi potest.

Herodij domus dux est eorum Herodius, auis quædam est huius autem domus petra est, atqui petra Christus est. 1. Corinth. 10. quem ducem, qui sequitur, non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ. Ioann. 8. *Montes excelsi* sunt refugiū ceruis, cerui Apostoli, agiles ad currendum, & Euangelium nunciandum, qui serpentes tollant, quibusq. numquam mortifera nocebunt. Marc. 16. His autem montes, nouum; & vetus testamētum, & ipsi cæli refugium sunt. *Petra refugium herinacijs*, Hermaceus, animal quoddam est spinarum densitate circundatum; his autem illa petra refugium est, quæ ait; Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pænitentiam. Matth. 9.

Fecit lunam in tempore, Sol cognouit occasum. Eo namq. tempore, quo sol iustitię pro totius mundi salute in cruce obdormiuit, 1. Io. 2. de latere ipsius fabricata est Ecclesia, quem Adam prefigurauit, de cuius latere dormientis vna costa subtracta, formata est Eua. Genes. 2. Apostrophe. *Posuisti tenebras, & facta est nox*, In Christi namque passione tenebræ factæ sunt, quando verum lumen in Iudea occidit. Matth. Et facta est nox, quæ Iudæorum populum excæcauit. *In ipsa pertransibunt omnes bestia syluę*, transeunt ergo, per Iudæa, quoniam illa Iudæorum nox nondum est illuminata, *&* *catuli leonum*, bestiæ syluę, leo leonumque catuli, Beelzebub dæmoniorum principes Matth. 12. cum omnibus subiectis, hi autem per eos transeunt, qui, Christo resurgente in nocte perstiterunt. *Rugientes, & rapiant*, sicut scriptum est: Inimicus noster diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. 1. Petr. 5. *Et quęrant a Deo escam sibi*, id est, suæ voluntatis effectum. Quæ fierunt Iob, Iob. 1. sed minime deuorare potuerunt. Væ tibi Iuda, qui eorum esca fuisti. Matth. 27. Potest autem, & de Apostolis hoc intelligi, qui Christo Domino crucifixo, multis modis ab inimicis tentati fuerunt, in tantum, vt ille, qui fortior videbatur, & cæteros confirmare debebat, ter eum negaret. Matth. 26. Ortus est sol, resurrexit Dominus, Marc. 6. & congregati sunt vndecim discipuli in Galilæa.

Et in cubilibus suis collocabuntur, Petrus in Roma, Ioannes in Epheso, Thomas, in India. Siue etiam, in cælestib. habitaculis, non in foueis quas eis diabolus apparabat. *Exibit homo ad opus suum*; Quoniam quidem nox præcessit, iustitiæque sol exortus est, pręcingant se Apostoli ad prædicationis operationem, vt per omnes fines terræ sonus eorum audiatur. Marc. 16. *Et ad operationem suam vsque ad vesperam*, id est, vsque ad terminum vitę, siue sęculi consummationem Exclamatio.

Quam magnificata sunt opera tua Domine. Homo, inquit, ad opus suum exit, a piscatoribus capiuntur vrbes; a rusticano exercitu superantur Reges. *Omnia in sapientia fecisti.* non armis sæcularibus, non tyrannorū multitudine, sed morte filij tui, per quem omnia facta sunt, Io. 1. mundum connexisti. *Impleta est terra possessione tua*, quæ nuper ab inimicis possidebatur.

Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, Tibi soli deseruit. Manibus quidem est mundus spatiosus, id est, gentiū diuersitatibus: alia est enim manus Græcorum, alia latinorum. *Illic reptilia quorum non est numerus*, vbi sunt *animalia pusilla cum magnis*, Hoc enim secundum litteram verū est Animalia tamen pusilla, & magna, perfecti, & imperfecti, sapientes, & insipientes, diuites, & pauperes intelligi possunt. *Illic naues pertransibunt*, hic enim Petrus, & Andreas, & filii Zebedæi nauigarunt. Nauis in hoc loco humana caro intelligitur. Nec non, & draco, iste, quem formasti ad illudendum ei: Hic autem draco, malignus spiritus est, qui de paradiso, in hunc mundum deiectus, Apoc. 12. et decipit, & decipitur, illudit & illuditur: Euam decepit, Genes. 3. sed a Maria illusus est. Lucæ 1. Præterea, quicunque Iacob fuerit ei multis modis illudere poterit. *Omnia a te exspectant, vt des illi escam in tempore*, Omnes enim ille pascit, qui super bonos, & malos solem suum oriri facit, & super iustos, & iniustos pluit. Matth. 5. Quod autem hoc ordinate discretisque temporibus faciat omnibus notum est. Dabit etiam escam in tempore, quia fructum suum reddet in tempore suo. *Dante te illis colligent.* Omni enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Iacob. 1. Aperiente te manum tuam, id est copiam plenitudinis tuę *Omnia implebuntur bonitate*, quibus tanta manus aperta fuerit. *Auertente autem te turbabuntur*: illi videlicet, quibus auertus fueris. *Auferes spiritum eorum, & deficient*, spiritus hominū vita est, qua ablata fit ecclypsis. *Et in puluerem suum reuertentur*, sicut scriptum est: Terra es, & in terram ibis, Genes. 3. Emitte spiritum tuum, qui auferri non potest Et creabuntur in fidei firmitatem. *Et renouabis faciem terre*, Id est, hominis imaginem, quę in Adam deperierat. Ego autem dicā. *Sit gloria Domini in sęculum lætabitur Dominus in operibus suis.* Quæ iam sibi seruire incipiunt. *Qui respicit terram. & facit eam tremere*: Beatus ille qui sic respicere, vt pe ccata sua compunctus, tremiscat. Qui tangit montes, & fumi-

gat, calidum est, fumigant ergo montes, qui sancti spiritus ardore ebulliunt. *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quandiu sum. Iucundum, & acceptabile est ei eloquium meum. Deficiant peccatores a terra*, id est, a terrenis cupiditatibus, & spiritui deseruiant. *Et iniqui*, ab iniquitate sua, Ita vt non sint iniqui, sed iusti. *Benedic anima mea Domino*. Omni tempore hic psalmus cantetur, quoniam quidem finiri non potest, vbi enim finis putatur, vbi principium repetitur, reuoluatur ergo Dei benedicio, & nunquam ad finem perducatur.

EXPOSITIO PSALMI CIV.

C*Onfitemini Domino*. Vox Prophetæ. Confitemini Domino peccata vestra. *Et inuocate nomen eius*, vt vobis misereatur. *Annunciate inter gentes opera eius*, quia nõ Iudæorum Deus tantum. Cantate ei, ore & corde. Et psallite ei, in operatione. *Narrate omnia mirabilia eius*, vobis manifesta. *Laudamini in nomine sancto eius*, non in operib. vestris. Lætabitur, in Dño. *Cor quærẽtiũ Dominũ quærite Dominum* nõ sæculi honores. Et confirmamini, in fide, & dilectione.

Quærite faciem eius semper, quomodo eum videre possitis. *Mementote mirabilium eius, quæ fecit*, in Ægypto. *Et prodigia, & iudicia oris eius*, quæ nũquam mentiũtur, mementote quia estis, semen Abrahæ serui eius, sic tamen si eius opera facitis. *Filii Iacob electi eius*. Secundum illud: Iacob dilexi Esau odio habui. Malach. 1. Ipse autem est Dominus Deus noster, quia nos nullum alium adoramus. *In vniuersa terra iudicia eius*, ipse enim, et viuos, & mortuos iudicabit. 2. Timoth. 4. Hic autem, qui talis est, *memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi scilicet, quod mandauit in mille generationes*. Quis huius versiculi cognoscit sacramentum? forsitam idcirco mille dixit, quod in millesima Abraham generatione, quæ per maxime distat, huius sæculi finis misit cõstitutus. *Quod disposuit ad Abraham*. dicens ei? Patrem multorum gentium te constituam. Genes. 17. *Et Iuramentum suum ad Isaac*, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes. 26. *Et statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum, dicens. Tibi dabo terram Chanaan*, hoc autem est quod disposuisti ad Abraham. Funiculum hæreditatis vestræ, loci temporisque quantitatem. *Cum essent numero breui paucissimi, & incolæ eius*, etsi pauci, & inquilini essent, tantæ tamen promissioni crediderunt. *Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis*. Vt Pharaonem in Sarram. Et corripuit pro eis Reges dicens: Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Similiter autem, & illi a Domino custodiuntur, qui in terram viuentium per multas tribulationes proficiscuntur. *Et vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit*, hoc autem fuit in tempore Iacob. Genes. 42. *Misit ante eos virum*, priusquam in Aegyptum peruenirent Genes. 46. *In seruum venundatus est Ioseph*, Ismaelitis, a fratribus suis Genes. 37. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, Quoniã adulterium perpetrare noluit, ferrum pertransiit animam eius, id est dolor mortisque timor: *Donec veniret verbum eius*, quo somnia exposuit. *Eloquium Domini inflammauit eum*, id est spiritus prophetiæ. Misit rex, ministros suos. Et soluit eum, de carcere in quo tenebatur. *Princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. Et intrauit Israel in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit Dominus populum suum vehementer, & firmauit eũ super inimicos eius*, in multis plagis verberans Ægyptum. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius*. Hæc autem ideo facta sunt, vt tanta amaritudine delibata beneficia, quæ sequuntur, sint nobis dulciora. *Misit Dominus Moysen seruum suum, & Aaron quẽ elegit ipsum posuit in eis verba signorum suorum, & prodigia eorum in terra Cham*, Moysen, & Aaron Apostolos designat quos ad nostræ seruitutis, solutionem Dominus misit, qui signis multis atque prodigijs in vniuerso mundo claruerunt. *Misit tenebras, & obscurauit eos*, vt oculorum lumine amisso, suæ mentis cognoscerent cæcitatem, hoc autem eis accidebat, qui ab Apostolis prædicati, se errasse confitebantur. *Et non exacerbauit sermones suos*, sed veritati acquieuit. *Conuertit aquas eorum in sanguinem*, quoniam huius sæculi sapientia, quasi venenum, & peccatum a sanctis reputatur. 1. Corinth. 3. *Et occidit pisces eorum*, vt mortui mundo Domino viuerent. *Edidit terra eorum ranas*, id est hæreticorum loquacitatem, qui sola voce sine ratione sanctis resistebant. In penetralibus Regum ipsorum, in quibus, vti mos est, oblectamimis gratia confibulabantur.

Dixit, & venit cinomia, & cinifes in omnibus finibus eorum. Nam qui veritati credere noluerunt, tradidit eos Dominus in reprobum sensum. Cinomia, & cinifex eos persequitur, qui semper a luxuria, & curiositate stimulantur. *Posuit pluuias eorum grandinem*; Quoniam Poetarum doctrina potius mortem quam salutem inferebat. *Ignem comburentem in terra ipsorum*. Vt enim Apostolorum ignis illuminat ita hæreticorum exurit. *Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum Dixit & venit locusta, & bruchus cuius non erat numerus, & comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum in terra eorũ Et percussit omne primogenitum in terra eorum primitias omnis laboris eorum*. Hoc autem ideo scripta sunt, vt quisquis Dei voluntati resistit, se multis doloribus periturum cognoscat.

Et eduxit eos cum argento, & auro. Quamuis enim Aegyptum fugiamus, aurum tamen, & argentum obliuisci non debemus. Habent enim, & quidam Pagani aurum, & argentum, quia humiles, veraces, & casti inueniuntur, hi autẽ quoniam Dei cognitionem non habentes idola colunt euitandi a nobis sunt, humilitas tamen, veritas, & castitas spernenda non est. *Et non erat in tribubus eorum infirmus*, Vide ergo, & nos, qui Aegyptum fugientes ad nostræ promissionis terram festinamus, ne infirmitate grauati in itinere moriamur. *Lætata est Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos*. Hoc autem maxime de Iudæorũ sacerdotibus intelligitur, qui vsque adeo populum incitabãt, donec de ciuitatibus Apostoli pellerentur, quos ideo metuebant, quoniam si populus conuerteretur, omne oblationis lucrum se se amittere sciebant. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*, per ignem, & nubem, spiritum sanctum demonstrat, qui eos, & a vitiorum æstu defendebat, & in interiori homine illuminabat. *Petierunt, & venit coturnix, & pane cæli saturauit eos*. Habemus autem & nos coturnices, carnem videlicet nostri Saluatoris, habemus, & pannem viuum, qui de cœlo descendit. Io. 6. *Dirupuit petram, & fluxerunt aquæ*. Nostra quoque petra, lancea percussa, sanguinem nobis produxit, & aquam. Ioann. 19.

Abierunt in sicco flumina. Similiter autem, & per aridas gentes, baptismus, & Euangelium. Sed cur hoc? *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum*: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Genes. 26. Vnde Apostolus: Non dixit, & seminib. quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Ad Galat. 3. *Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt*. Si quis igitur in lætitia venerit, & nullis sæculi contristabitur aduersis, iste in regionibus illis habitabit, ex quibus maligni spiritus sunt expulsi. *Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius exquirant*. Hoc audiant Monachi, qui ideo in Monasterium introducuntur, vt cunctis sollicitudinibus abiectis solius Dei leges, & seruitio perfruantur.

EXPOSITIO PSALMI CV.

CONfitemini Domino quoniam bonus. Vox Prophetæ. *Quoniam in sęculum misericordia eius.* In hoc ergo seculo fiat confessio, in quo & misericordia fieri potest, in inferno enim nulla est redemptio. Lucæ 16. *Quis loquetur potentias Domini*, quis eum, inquit, ad plenum laudare valebit? *Et auditas faciet omnes laudes eius*, sicut enim ipse immensus est, ita & laus eius finiri non potest. *Beati qui custodiunt iudiciũ, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Iudicium enim Domini est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum, hoc autem, sicut ipse ait, est maximum & primum mandatum, Matth 22. & qui custodierit hoc, procuIdubio beatus erit. *Et faciunt iustitiam in omni tempore*, idest, qui nunquam ab eius iustificationibus separantur.

Memento nostri Domine in beneplacito populi tui. Tali, inquit, modo sis memor nostri, vt bene placeat populo tuo, qui nos sumus. Siue, in beneplacito populi tui, vt inter eos simus, qui bene in nouo testamento tibi placebunt. *Visita nos in salutari tuo*, idest, in filio tuo. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum*, vt nosmetipsos in ea perfectione videamus, in qua electi tui consistunt. *Ad lætandum in lętitia gentis tuæ*, vt qui nunc eum futurum esse pronunciamus, cum populo innouato quando venerit, in eadem redemptionis lætitia gaudeamus, *& lauderis* a nobis quoque *cum* cætera *hereditate tua.*

Peccauimus cum patribus nostris. Confitemur Domine, quoniam *iniuste egimus, & iniquitatem fecimus. Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua*, viderunt quidē, Exod. 7. 8. 9. 10. 11. sed non intellexerunt, erant enim in Ægypto, fuæque mentis cæcitate, peccauerunt ergo, *non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritauerunt eum ascendentes in mare rubrum, & saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam, & increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & eduxit eos in abyssum sicut in desertum. Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici, & operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit, & crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius*, Hoc autem & in Ecclesia fit, quando nobis baptismum transeuntibus, perit diabolus cum omni suo comitatu. *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius* Ideo enim cito fecerunt, quia cito defecerunt. Hoc enim locutionis modo illi arguuntur, qui inceptum opus ante tempus omittunt. *Et non sustinuerunt consilium eius, & concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso, & dedit eis petitiones ipsorum, & misit saturitates in animas eorum, & irritauerunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini: aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron, & exarsit ignis in Synagoga eorum, flamma combussit peccatores*, Nullus ergo in Dei sacerdotes insurgat, ne forte & sibi idem contingat. *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt sculptile, & mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*, qui, inquit, in Domino gloriari debuerant, 2. Corinth. 10 in vitulo gloriabantur, Exod. 32. sed si sese fœnum esse intelligerent, quod a vitulo deuoratur, fortasse suum fugerent inimicum. *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, & dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius*; In magna veneratione habendi sunt sacerdotes, qui iram Dei frangere possunt *Et auertit iram eius ne disperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram desiderabilem*, quoniam in eam intrare nequiuerunt. Exod. loc. cit. *non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocem Domini, & eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto, & vt deiiceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus: Et initiati sunt Beelphegor*, Deum montium. *Et comederunt sacrificia mortuorum, & irritauerunt eum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina, & stetit Phinees & placauit*, occidens adulteros. *Et cessauit quassatio.* Sic ergo & Episcopus surgat, stet, euaginet gladium spiritus, quod est verbum Dei, Ad Ephes. 6. & destruat fornicationem, vt ei hoc ad iustitiam deputetur. *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius, & distinxit in labiis suis*, pro eis, inquit, orationem fecit, vt ab irritationis peccato soluerentur. *Non disperdiderunt gentes quas dixerat Dominus illis* Nos autem, superbiam, luxuriam, auaritiam, cæterasque gentes destruamus, quas nobis Dominus perdere iussit. Matth. 5. *Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum, & immolauerunt filios suos et filias suas Dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan, & interfecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis*: Est ergo fornicatio etiam in prauis intellectibus. Vnde malos prædicatores verbum Dei adulterantes Apostolus dicit. Corinth. 2. *Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hereditatem suam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum qui oderunt eos, & tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberauit eos: ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo*, praua cogitantes. *Et humiliati sunt in iniquitatibus suis, & vidit Dominus cum tribularentur, & audiuit orationes eorum*: Nulla vnquam peccatoribus desperationis datur occasio: *& memor fuit testamenti sui*, idest, promissionis Abrahæ: Genes. 22 *& pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*, vt enim irascitur irascenti, ita pœnitet pœnitenti, non enim pœnitet vel irascitur, iræ tamen, & pœnitentiæ in eo officium inuenimus, cum ergo punit, iratus, cum autem miseretur, misericors appellatur. *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos: saluos fac nos Domine Deus noster*, quos multo maiori pretio redemisti. *Et congrega nos de nationibus*, vt simul in vnam cœlestē sedem conueniamus: Siue, in Ecclesiæ vnitatem. *Vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua: Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo et vsque in sęculum, et dicat omnis populus: fiat fiat.*

EXPOSITIO PSALMI CVI.

COnfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Vox Prophetæ: *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino*, quid dicant? hanc confessionem. *Quos redemit de manu inimici*: Proprio namque sanguine redemit nos Dominus de diaboli potestate. Coloss. 1. *Et de regionibus congregauit eos*: Iudæi enim atque gentiles, Ægyptij & Britanni, ex tam diuersis regionibus sub vnius Ecclesiæ fide congregantur, quod apertissime in sequentibus demonstratur.

A solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari. Dum hæc quatuor mundi climata posuit, omnes regiones comprehendit. Mare enim, cum totum circumeat mundum, pro sola australi parte, in hoc loco ponitur, quæ ideo non nominatur, quoniam Iudaicus populus qui in hac plaga habitabat, non vtique congregatus, sed dispersus est: congregabitur autem in huius sæculi consummatione, quoniam cum plenitudo gentium introierit, tunc Israel saluus fiet Rom. 11.

Errauerunt in solitudine. Hæ, inquit, generationes, quæ sub vna fide ex omnibus mundi partibus adunantur, olim errauerunt, quoniam in deserto, & solitudine erant, locisque a Deo derelictis. *In inaquoso*: Ideo enim errabāt, quia supernæ sapientiæ nondum attigerant aquam, de qua dicitur: Omnes sitientes venite ad aquam. Isaiæ 55. *Viam habitaculi ciuitatis non inuenerunt*: Nondum venerat ille, qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Io. 14. Nisi enim hæc via inuenta fuerit, nec

cælestis quidem habitaculi ciuitas inueniri potest. *Esurientes erant & sitientes*, quamuis enim corporeum cibum habuissent, spirituali tamen penitus indigebant. Ideoque *anima eorum in ipsis defecit*; defecit anima, quia caro dominabatur, defecit, quia fame periit, non vtique deficeret, si viuo pane educata fuisset, quoniam ligno vitæ degustato, non moreretur in æternum. *Et tandem clamauerunt ad Dominum cum tribularentur*, postquam, inquit, famem, tribulationem, & necessitatem cognouerunt, cordis clamore ad Dominum clamauerunt, *& de necessitatibus eorum eripuit eos* Dominus. *Et eduxit eos in viam rectam*, hoc autem in tempore Apostolorum completum est, quo & famelici saturati sunt, & ab errore ad viam veritatis populi sunt conuersi. *Vt irent in ciuitatem habitationis*, idest, in cælestem Ierusalem, cuius superius inuenire viam non poterant. Hæc autem habitationis ciuitas recte vocatur, quia eius habitatio nunquam non erit. Ideoque *confiteantur Domino misericordiæ eius*, idest, laudetur Dominus in suarum copia animatum. *Et mirabilia eius, facta filijs hominum.*

Quia satiauit animam inanem Inanes animas satiauit Dominus, quia Diuino munere & cælesti gratia eos repleuit, Act. 2. *Et animam esurientem satiauit bonis*, quibus enutrita nunquam deficiat *Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro*, liberauit Dominus. In tenebris siquidem & vmbra mortis sedebat genus humanum, quoniam veritatis lumine perdito, in erroris obscuritate perseuerabat. In paupertate & ferro erat ligatum, quia dura criminum catena vinctum, omnium bonorum inopiam patiebatur. Hoc autem & de illis intelligi potest, quos secum ab inferis Dominus eduxit. Ad Ephes. 4. Sed quare vincti erant? Sequitur: *Quia exacerbauerunt eloquia Domini*. Sint ergo nobis initia, Diuina præcepta, ne patrum nostrorum catena constringamur. *Et consilium altissimi irritauerunt:* Qui enim furatur, illud Dei consilium facit irritum, quo dictum est: Non furtum feceris. Matth. 19. *Et humiliatum est in laboribus cor eorum:* Bonis quippe operibus humiliatur nunquam anima, sed qua si gradibus quibusdam semper ad altiora ascendit. *Et infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret:* Nulla enim eis medicina auxiliabatur, quia veri medici ignorabant auxilium. *Et tandem clamauerunt ad Dominum cum tribularentur*, qui solus salutem conferre potest. *Et de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris*, in quibus sedebant. *Et vmbra mortis*, qua erant inuoluti. *Et vincula eorum disrupit*, quibus irretiti erant Quocirca, *confitemini Domino misericordiæ eius. Quia contriuit portas æreas*, idest, diaboli obstacula, a quibus retenti, in patriam reuerti non poterant. Confirmatio. *Et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum*, conuertens ad se, qui veritatis, æquitatisque est via. *Propter iniustitias enim suas humiliati sunt*: hæc autem humiliatio, non corporis, sed animæ est. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis*, quia omne prædicationis verbum abominati fuerant, ideo in introitu mortis adstabant. *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.* Quomodo liberauit? *Misit verbum suum, & sanauit eos*: Quoniam omnem escam, omnemque doctrinam fastid erant, idcirco filium suum misit, Io 3. cuius eloquia super mel, & fauum dulciora sunt. Quapropter *confiteantur Domino misericordia eius.*

Et sacrificent sacrificium laudis, non hircorum vel taurorum, non vituperationi vel redargutioni obnoxium. *Et annuncient opera eius in exultatione*, neque præ timore vel amicitia, celent veritatem, illi videlicet, *qui descendunt mare in nauibus*, Hi autem sunt Apostoli, & Doctores, qui in fragilis carnis nauiculis residentes, & per huius sæculi maria nauigantes, magnam piscium multitudinem verbi Dei hamo ceperunt. *Facientes operationem in aquis multis: ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo*: Cum enim inter impios, & peccatores fuissent, & diuersis tribulationum fluctibus quaterentur, mirabilia multa, quæ per eos ipse Dominus operabatur, cernere meruerunt. Actuum 3. 5. 13. 14.

Dixit, & stetit spiritus procellæ. Stetit, inquit, procellarum impetus aduersitatumque incitatus, qua ille præcepit, cuius dicere facere est. *Et exaltati sunt fluctus eius*, hoc autem secundum temporum diuersitatem dicitur: Quia aliquando in prosperis, aliquando in aduersis erant sancti. *Ascenderunt vsque ad cælos, & descenderunt vsque ad abyssos*: Maris similitudinem sequitur, quod in se quidem nauigantibus, modo ad sydera consurgere, modo ad tartara descendere videtur, cuius timoris imminentias, recte omnibus præfertur quæ timenda, & euitanda sunt. *Anima eorum in malis tabescebat*, hic autem mortis, & afflictionis modus declaratur. Nam, sicut Apostolus ait, tantis multoties premebantur aduersitatibus, vt etiam viuere eos tæderet. Corinth. 2. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius*, pæne totius fidei nihil: *Et omnis sapientia eorum deuorata est*, non valentium tot & tantis resistere aduersariis. Vel etiam. Sicut ebrius commoti sunt, quoniam etsi occiderentur, flecti tamen non erat possibile, quia superno vino inebriati, mundi huius auferunt sapientiam, ideoque eorum & mundi sapientiam deuoratam dicit. *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius*, vt qui Euri fluctibus iactabantur in alium, mitissimi Fauonij spiramine ducerentur ad portum. *Et lætati sunt, quia siluerunt, & quia eduxit eos Dominus in portum voluntatis eorum.* Ideoque *confiteantur Domino misericordia eius & mirabilia eius filijs hominum.*

Et exaltent eum in Ecclesia plebis, idest in gentium congregatione. *Et in cathedra seniorum laudent eum*, idest in Ecclesia Apostolorum, & Prophetarum. *Qui posuit flumina in desertum*, quatuor Euangelia in gentes, Repetitio *Et exitus aquarum in sitim*, idest, in eos qui sitim patiebantur *Et terram fructiferam in salsuginem*, in arenosam inquit, sterilemque terram, misit Dominus Apostolos suos vt fructiferam facerent. Sed quare sterilis erat? Sequitur. *A malitia inhabitantium in ea.* Nam quia vitiorum multitudo eam inhabitat, ideo spinas, & tribulos germinabat. *Posuit desertum in stagna aquarum*, mergens peccatores in aquam baptismatis. Confirmatio. *Et terram sine aqua in exitus aquarum*, vt multis aquis irrigata sterilitatem amitteret. *Et collocauit illic esurientes*, vt spiritualibus pascerentur cibis. *Et constituerunt ciuitatem habitationis*, sanctam Ecclesiam, vel cælestem Ierusalem, in qua semper habitabunt. *Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas*, semen, est verbum Dei. Lucæ 8. per agros, & vineas, Ecclesias intelligimus. *Et fecerunt fructum natiuitatis*, non mortis & ruinæ, vt peccatores.

Et benedixit eis Dominus, & multiplicati sunt nimis: Quoniam ex 12. Apostolis, innumerabilis Ecclesiarum creuit multitudo. *Et iumenta eorum non minorauit*, idest Doctores, quibus propagatis, agri, & vineæ colerentur. *Et pauci facti sunt*: Quid est quod nunc multiplicatos, nunc paucos factos esse dicit? sed prius multiplicatos, deinde paucos: nulli enim sunt, qui modo Ecclesiam doceant ad primitiuorum comparationem.

Et vexati sunt a tribulatione malorum & dolore. Vnde *effusa est contentio*, ira & indignatio, *super* huius sæculi *Principes. Et errare fecit eos*, dux eorum spiritus malignus. *In inuio & non in via*, dirigere eos permisit. *Et adiuuit Dominus pauperem de inopia*, ferculis eum satians æternis. *Et posuit sicut oues familias*, vt vnaquæque suum humiliter sequeretur pastorem. *Videbunt recti*, non in inimicorum cæcitate manebunt. *Et lætabuntur*, de reperta visione. *Et omnis iniquitas oppilabit os suum*, vt sicut iniquitatem clamauit iniquus ad tempus, ita mutus æ contra, sileat in æternum.

Quis sapiens, ille vtique qui *& custodiet hæc*, quæ & in hoc psalterio replicata sunt. *Et in his intelliget multas & magnas esse misericordias Domini.*

EXPO-

EXPOSITIO PSALMI CVII.

Paratum cor meum Deus . Vox Eccleſiæ . Paratus ſum, non tantum, vt ſeruiam, verum etiam vt in tuo nomine moriar paratus ſum in moribus, paratus ſum in operib. paratus sum in ſenſu, & intellectu, veter bus cunctis exutus . *Cantabo & pſallam in gloria mea* , Cantabo ore , pſallam operibus . Hoc autem, non in me, ſed in te, qui es gloria mea , quicquid enim boni facimus in gloria, & corona, noſtraque facimus exultatione .

Exurge pſalterium . Surge operationis perfectio, vt in decem præceptorum concordia modo ſeruiam creatori . Exurge cithara, ne dormias dulcis modulatio, lauda Dominum, placa Saulem, fuga ſpiritum Phitonis. Ego autem exurgam diluculo, id eſt, in huius ſæculi conſummatione, quãdo verus dies dies manifeſtabitur : Bona ergo opera præmittat quicunq. in diluculo vigilare, & ſurgere deſiderat. Interim autem, *confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus* . dicens ? *Quia magna ſuper cælos*, venit ſuper nos *miſericordia tua, & vſque ad nubes* ad plenum peruenit *veritas tua* . Vnde Apoſtolus ait : Et audiui, inquit, arcana verba, quæ non licet homini loqui , Corinth. 2. Denit ergo veritas ad nubes , quæ vſque ad terram deſcendere nequit , *Exaltare ſuper cælos, Deus , &c.* Hæc autem quæ ſequuntur , quoniam in alio loco expoſita ſunt, nulla hic indigent enucleatione .

EXPOSITIO PSALMI CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris , quia os peccatoris , & os doloſi ſuper me apertum eſt. Vox capitis . Vides, inquit, Pater, quoniam Iudas peſſimus conſiliarius, machinator iniquitatis ſuper me os ſuum aperuit, proditioni inſtat , crucem mihi præparat, nomen meum ea ipſa ore conatur. Matth. 26. Sed tu, Pater, laudem meam ne taceas, reſurrectionem non abſcondas , cunctis gentibus innoteſcat , qualiter a mortuis reſurrexerim . *Locuti ſunt aduerſum me doloſa:* Illius, inquit, conſilio reperto, Scribæ & Phariſæi, Pontifices, & ſacerdotes , linguis ſuis doloſis, aduerſum me locuti ſunt, me damnantes, me accuſantes, me reum mortis vna voce clamantes. Matth. 26. *Et ſermonibus odij circumdederunt me* , falſis vndique adhibitis teſtibus . Idem loc. cit *Et expugnauerunt me gratis*, gratis, quidem, quia ſine cauſa, & ratione, gratis, quia fruſtra, ſuique ad diſperſionem .

Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi . Multa eis bona contuli de Aegypto liberaui. Exod. 14. in deſerto manna paui . Idem 18. terram eis promiſſionis dedi : Ioſuæ 14. mortuos eis ſuſcitaui : ; Lucæ 7. leproſos mundaui Lucæ 17. cæcos illuminaui , Lucæ 18. nonne hæc dilectionis, & non odij cauſæ ſunt ? Pro his tamen quibus & me diligere debuiſſent, detrahebant mihi . Ego autem quid faciebam ? orabam . O quanta miſericordia ? quanta noſtri redemptoris humilitas . Non maledicentibus maledixit, ſed pro ſe calumniantibus & perſequentibus orauit . Ait enim; Pater ignoſce eis, Lucæ 23. *Poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*, ego vitam, Ioan. 1. ipſi mortem. Io. 19. ego medicamentum, Num. 21. ipſi venenum, Roman. 3. ego mel & fauum, Num. 13. ipſi acetum . Io. 19. cum felle mixtum. Matth. 27. mihi porrexerunt .

Ideoque *conſtitue ſuper eum peccatorem*. Quoniam quidem peccatorẽ Cæſarẽ, Io. 19. & Barrabã, Io. 18. & ipſum diabolũ omnium vitiorum principem elegerunt, ſub ipſius iugo, atq. imperio comprimantur. Confirmatio, *Et diabolus ſtet a dextris eius* : quid de ſiniſtra fiet ? quando quidem manus eius dextra a diabolo detinetur ? Quid illius ſiniſtra operatur, in cuius dextra diabolus adſtat ? Cognoſcite ergo Iudæi, quoniam diabolica ſunt, in quibus maxime Domino vos ſeruire putatis.

Cum iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum . Nolite ergo orare Iudæi, ne legatis pſalmos, & prophetias, peccatum enim eſt. Deumque offendins , omniſque veſtra oratio in anathema conuertitur. Hoc autem erit manifeſtum, quando de iudicio condemnati exibitis . Matth. 25. *Fiant dies eius pauci:* pauci fuerunt dies Iudæ, quoniã ſe eadẽ die laqueo ſuſpendit; pauci fuerunt dies Iudæorum, quia poſt quadraginta, & duos annos locum, & gentem amiſerunt. Oſeæ 3. diminuti ſunt dies, quoniam creuerunt noctes. *Et Epiſcopatum eius accipiat alter*, Iudæ Matthias, Act. 1 Synagogæ Eccleſia ſucceſſit . Amiſit enim Synagoga Pontifices, ſuſcepit Eccleſia Apoſtolos .

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua . Hoc autem etiam ad literam completum eſt, quoniam temporibus Titi , magna Iudæorum interijt multitudo . Spiritualiter autem , huius populi filij dicuntur orphani, quia patrem ſuum crucifixerunt . Matt. 27. mater vero, id eſt, Synagoga , vidua remanſit, libello repudij recepto a tanto talique viro diſſociata . *Nutantes* , labentes, & morientes . *Transferantur filij eius* , de gente in gentem diuidantur , vendantur, cunctiſque gentibus ſubiiciantur . Et mendicent , qui enim indiget, pauper eſt. Ideoque Iudæi mendici dicuntur, quoniam cæleſtis patriæ diuitiarumque ſpiritualium ſunt pauperes . *Eijciantur de habitationibus ſuis* , nonne ita factum eſt ? vnicuique ita eſt .

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius. Fœnerator iſte, malignus ſpiritus intelligitur. Veniat hic importunus fœnerator, ſcrutetur ſubſtantiam populi huius, & quæ ſua ſunt ſecum euellat . Expoſitio . *Et diripiant alieni labores eius* , vt quicquid eſt operatus , a dæmonibus diripiatur . *Non ſit illi adiutor*, Quis enim Iudæis auxiliatur. Fuerunt in Aegypto, habuerunt Moyſen, & Aaron , Exod. 7. Qualiter autem Dominus eos adiuuerit, longum eſt enarrare . Fuerunt in Babylonia, ibi Daniel eos conſolabatur ; Cum ergo iam per mille annos ſint in captiuitate, & non, ſicut prius adiuuentur impletur, quod dictum eſt . Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius . Hoc autem de ſenſibilib. neceſſarium eſſe ſcimus. & de inuiſibilib. autem animab. videlicet quid Dominus faciat, ipſe melius nouit . *Fiant nati eius in interitum* . Multi enim iam ex eis ſunt interempti, maior tamen in iudicio exſpectatur interitus .

In generatione vna deleatur nomen eius. Vt tantum in hoc ſæculo viuant, vitamque poſt mortem non habeant . Sed tu Iudæus, qui literam quæris, nonne poſt quadraginta, & duos annos, in quibus vna perficitur generatio , Hieruſalem deletam conſpiceris ? Qui ergo quæris literam pereas ſecundum literam . *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini*, Vt qui poſt quadraginta annorum diuturnitatem non ſunt compuncti, Chriſti paſſionis, & Patrum iniquitatis crimine teneantur. Siue, cum ad iudiciũ venerint, nec originale peccatum nec cætera quæ commiſerunt eis dimittuntur . *Et peccatum matris eius*, illius ſcilicet Hieruſalem, quæ prophetas occidit. Act. 2. non deleatur .

Fiant contra Dominum ſemper. Semper enim Chriſto Domino contrarij fuerunt ! *Et diſpereat de terra memoria eorum* , ne ſimul cum ſanctis ſcribantur in libro vitæ; *pro eo quod populus iſte non eſt recordatus facere miſericordiam*, Quia in operibus conſiſtit miſericordia tam pauperis . *Et perſecutus eſt hominem pauperem & mendicum; & compunctum corde mortificare*, Inops enim & mendicus fuit. Quoniam, vt ait Apoſtolus cum omnium dotes eſſet , pro nobis pauper factus eſt . 2. Corinth 8. Corde autem fuit compunctus , quando dixit ; Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem . Matth. 26. Siue quando Patrem pro diſcipulis rogauit . Ait enim ; Pater conſerua eos quos mihi dediſti . Io. 17. *Et dilexit maledictionem*, quæ ſuper iniquos futura eſt *Et veniet ei. Et noluit benedictionem*, quæ in noſtram Eccleſiam deducetur . *Et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut veſtimentum* vt quaſi talari veſte ea tegeretur. *Et intrauit ſicut aqua in oſſibus eius* , vt qui fortiores eſſe videntur , corruptiones non

eius-

effugiant. *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut Zona, qua semper præcingitur*, omni tempore circumdatus ea, qua sit sine fine constrictus. *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominũ*, quicumque Dei filium me esse negant. *Et qui loquuntur mala aduersus animam meam*, dicentes, Deus dereliquit eum. Psalm. 70. & non est salus ipsi in Deo eius. Psal. 3.

Et tu Domine fac ut sis mecum propter nomen tuum. Quod inuocaui, vt ipsi mendaces inueniantur. *Quia suauis est misericordia tua. Libera me*, de huius carnis infirmitate. *Quia egenus, & pauper ego sum*, quamdiu in carnis inuoluor corruptione. *Et cor meum conturbatum est in me*, quod carnis quidem infirmitas facit.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus sum. Quoniam nullã Iudæorum partem inhabito. Vel ideo sicut vmbra, quoniã Iudęi si velint, me tamen fugere nequeunt. *Et excussus sum sicut locusta*, id est, vt populi regnique vastator, cui ipsi dicebant: Quousque animas nostras perdis, si tu es Christus, dic nobis palam.

Genua mea infirmata sunt in ieiunio, caro mea immutata est propter oleum. Quia ossa, cor, & anima, ob fidei firmitatẽ, alias appellantur. Genua hoc in loco Apostoli propter inflexionem, dicuntur: genu namque fuit Petrus, qui prius, etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, promittẽs ad vnius ancillæ vocem leuiter inflexus, non noui hominem, dixit. Matth. 26. Hoc autem a ieiunio fiebat, quia nondum scripturas intelligebant. Lucæ 24 Deficiente oleo mutata est caro, quoniam veri luminis fomento extincto infirmati sunt Apostoli. *Et ego factus sum opprobrium illis*, qui me in cruce pendentem viderunt & illudentes, capita sua mouerunt, dicentes? Vah qui destruis templum Dei. Matth. 27. *Adiuua me Domine Deus meus, saluum me fac propter misericordiam tuam. Et sciant quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam*, potestatem enim habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Ioan. 10. Non ergo eorum virtus, sed manus tua ista peregit; Non enim haberent in me potestatem, nisi hoc a te datum illis fuisset. Ioan. 18. Non vos excuso Iudęi, sed Dei omnipotentiam prædico: vos enim quæ potuistis, fecistis, & quæ non potuistis, voluistis. *Maledicent illi, & tu benedices*. Nihil enim in eum hominum valet maledictio. *Qui insurgunt in me confundantur seruus autem tuus lætabitur*, quia semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens Ad Philip. 2. *Induantur, qui detrahunt mihi pudore*, vt me die tertia resurgente, Matth. 16. de mendacio erubescant, quo mihi ante Pilatum detrahebant. Dicebant enim: Recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post diem tertium resurgam, iube ergo custodire sepulchrum, ne a discipulis furetur. Matth. 27. erubescant ergo, quia resurrexi. Induantur pudore, quia mendaces comprobantur Hoc autem non ego, sed eorum propheta testatur: *Operiantur sicut diploide confusione sua*. Est autem diplois, duplex genus vestis, merito ergo Iudæorum confusio diploidi assimilatur, quoniam duplex est, siquidem in anima & corpore, in hoc sęculo, & in futuro propagatur. O miseri & per omnia infelices, qui nuptiali veste amissa, confusione induuntur. Ego autem *confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum*. Non enim iam in sola Iudæa laudatur Dominus, verum etiam in omnibus mundi partibus. *Quia astitit a dextris pauperis*, cuius pauperis? Illius qui ait: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Lucæ 9. sic autem de se quasi de alio loquitur Dominus, quod nos sequentia docent. *Vt saluum faceret a persequentibus animam meam*: id est a Iudæorum impietatibus, qui eum armata manu circa sepulchrum obsidebant. (Matthæi 27.

EXPOSITIO PSALMI CIX.

D*Ixit Dominus Domino meo*. Vox Prophetę. *Sede a dextris meis*. Reuertenti inquit Domino meo de Edom dixit ei, Pater eius, qui illius & Dominus est. *Sede a dextris meis*. Dominus enim est Pater, Dominus est Filius Dominus est Spiritus Sanctus. Non tres tamen, sed vnus Dominus, Vt enim in personis trinitas, sic in maiestate permanet veritas. S Athanas. Symb. Quis igitur vel cui dixit: Sede a dextris meis? Pater dixit, & filio dixit, hoc autem secundum carnem: vt quem Iudęi in sepulchrum humiliauerunt, idem ipse a dextris Dei sedere intelligatur.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Donec inimici tui omnes tuo subiiciantur imperio Omnia autẽ quæcunque hic vel promittuntur, vel præcipiuntur, ad hominem referenda sunt.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Propheta est, qui loquitur, ideo, & futuro pro prętenito vtitur, verumque ordinem non obseruat. Sion et Hierusalem, vnum sũt, nisi quod Hierusalem tota ciuitas: Sion vero, quædam ciuitatis turris, & defensio erat. De hac autem: Syon, & Hierusalem exiuit lex, & verbum Domini Isaiæ 2. quo circa & virga virtutis eius. Virga virtutis eius Euangelium intelligitur de quo Apostolos ait: Non enim erubesco Euangelium, virtus enim Dei est. Roman. 1. Hac autem virga corriguntur, hoc sceptro venerabili reguntur, quicumque Dei virtutem & omnipotentiam recognoscunt. Misit ergo Dominus hanc virgam ex Syon quoniam Apostolica prædicatio ibi exorta, in omnes fines terræ processit. (Psalmo 18.)

Tu autem *dominare in medio inimicorum tuorum*. Quicumque enim diabolo seruit, Domini est inimicus. Aut, quia totus mundus ei seruiebat, priusquam carnem Christus assumeret. Erant ergo eius inimici, qui nunc amici facti, de ipsius imperio & dominio gratulantur.

Tecum principium. Tu, inquit, omnia cum Patre fecisti, tu omnium creaturarum es principium: Omnia per te facta sunt, & sine te factum est nihil: Ioann. 1. Confundantur ergo Iudæi, qui eum dæmonium habere clamabant, quoniam se prius quam Abraham fieret, esse dicebat. Ioann. 8.

Hoc autem manifestabitur *in die virtutis tuæ*, id est, *in splendoribus sanctorum*, Cum, inquit, tuæ virtutis dies aduenerit, in quo & mali peribunt, & sicut sol in Regno Dei sancti fulgebunt, Prou. 8. tunc principium, omniumq. creator manifestabitur.

Tu enim es, cui Pater dicit: *Ex vtero ante luciferum genui te*. Te, inquit, ex me genui ante tempora, Ioann. quem ex virgine, & nasci, & gigni volui in tempore. (Lucæ 2.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Quid iurauit. Sequitur. *Tu es sacerdos in æternũ*. Vnde Apostolus: Plures facti sunt sacerdotes secundũ legem, & ideo plures, quoniã morte prohibentur permanere ad Heb. 7. Tu aũt Christe, quia iã mori non potes, eris sacerdos in ęternum quo ordine? *Secundum ordinem Melchisedech*. Cessent igitur sacrificia mortuorum. Quis est iste Melchisedech? cuius pater, & mater & generatio ignoratur, Christus enim, neque secundum Deum, matrem, neque secundum hominem habuit patrem, de quo dicitur: Generationem eius, qui enarrauit? Actio. 8. Est ergo sine patre, & matre, & genealogia. Melchisedech sacrificium panis, & vini fuit. Genesi 14 Christus autem, sui corporis, & sanguinis. Vnde ipse ait; Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ioan. 6.

Dominus

Dominus à dextris tuis . Prius Filium a dextris Patris: nunc autem Patrem a dextris Filij eſſe dicit, Qua in re vna maieſtas, vna ęqualitas, una uirtus, eademque potentia demonſtratur, quæ Reges, & Princeps, ſęculique tyrannos *in iudicio franget* . poteſt autem & ſic intelligi. Dominus confringet Reges in die iræ ſuæ: qui tibi a dextris fuerint, quaſi ad præliandum accincti. Vnde in Zacharia legitur: quod a dextris Ieſu diabolus ſtetiſſet; vt cum eo pugnaret *Zach.* 3. Regem autem ipſe aſſerebat, quoniam vniuerſa regna mundi Domino promittebat, ait enim; Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me. *Matth.* 4. Hic autem Rex tunc confringetur, quando dies iræ, calamitatis, & miſeriæ reuelabitur.

Iudicabit in nationibus implebit ruinas. Oportet enim, vt ruinas impleat, qui in ruinam poſitus eſt, & in reſurrectionem multorum. *Lucæ* 2. Fecit Dominus ruinam, cum malignorum ſpirituum exercitum de cœlis expulit: *Apoc.* 12. Siue, cum Adam de Paradiſo cum vxore eiecit: *Gen.* 3. Siue cum filios Iſrael in deſerto ſtrauit. *Exod.* 32. Compleuit autem; quando diabolum, eiuſque angelos, igni tradidit inextinguibili: & nulla exinde ruina fiet. Implebit etiam ruinas, quia ſancti illuc aſcendent, vnde angeli ceciderunt. *Conquaſſabit capita in terra multorum*; capita conquaſſabit, ſuperbos humiliabit. Hoc autem in terra. Si enim in cœlo, & ſpirituales fuiſſent, non utique concuterentur.

De torrente in via bibet. In uia erat, peregrinus erat, ad Patrem Chriſtus feſtinabat. In hac ergo uia oportuit de torrente bibere Chriſtum de torrente bibit, mortis amaritudinem guſtauit. *Mat.* 27. De hoc calice ipſe ait: Pater, ſi poſſibile eſt, transfer calicem iſtum a me; *Mat.* 26. Quid eſt autem quod in Euangelio dicitur, & cum guſtaſſet noluit bibere. *Mat.* 27. hic autem de torrente bibiſſe dicitur, niſi ut mortem iſtam facilem & cito tranſeuntem oſtenderet.

Propterea exaltauit caput. Id eſt, die tertia reſurrexit; *Matth.* 27. quia ſe ipſum exinaniuit *Philip.* 2. ipſe & caput exaltauit, non iacuit in Sepulchro, ſed ſuper cęlos potenter aſcendit. *Marc.* 16. qui totius mundi Rex & caput cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat.

(?)

EXPOSITIO PSALMI CX.

C*onfitebor tibi domine*. Vox Prophetæ Laudabo te, magnificabo te, non in labijs tantum, ſed *in toto corde meo*. vbi? *In conſilio iuſtorum, & congregatione*. et dicam; *Magna* parebunt *opera Domini* Si fuerint *exquiſita*. Non enim ſolummodo in Sole, Luna, tantique firmamenti volubilitate, uerum etiam in minutis rebus Dei ſapientia, virtus, & operatio celeberrima reperitur. *In omnes voluntates eius, confeſſio, & magnificentia* incurrit. Non enim aliud ex noſtris uult Deus, niſi confeſſionem, & magnificentiam. Qui ergo ipſi placere deſiderat, ſemper confeſſionem in mente habeat, ut & Dominum laudet, & peccata confiteatur; hoc enim vtrumque ſignificat confeſſio. Sequatur magnificentia, ut ſibi ipſi ſemper tribuat incrementa, Hoc autem uult Dominus, ut aſſidue creſcat, et de uirtute in virtutem magnificetur, qui ad eum uenire concupiſcit, vnde ſicut luna perfecta: in nullo deficiens inueniatur, *opus eius*.

Et iuſtitia eius manet in ſæculū ſęculi, in hoc aūt a ceteris operibus diſtinguuntur opera Domini, quonia m hæc ſemper erunt, alia uero igne conſuminabuntur. Hęc ergo iuſtitia, et opera ſequantur, quæ imitatores æternos facere poſſunt.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator Dominus. Scribens ea, et prædicans per Prophetas. Qui enim docet, memoriam facit: quod enim omnino ignoratur, nunquam in memoria habetur. Quæcunque ergo ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. *Rom.* 15.

Eſcam dedit timentibus ſe, Vt enim panis corporum, ſic ſcripturarum memoria, eſca eſt animarum. Vnde ipſe Dominus ait? Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni verbo Dei. *Matt.* 4. Dedit et aliam eſcam, illum videlicet panem viuum, qui de cœlo deſcendit *Io.* 6.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui. Non enim ſola littera, verum etiam litteræ obſeruatores, ſunt teſtamentum Dei, *Virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo*. Iuſtitia namque, pax, patientia, humilitas, charitas, opera Domini ſunt. Horum autem uirtutem, eo docente, cognouimus. Scimus enim quoniam tanta in his uirtus habetur, vt uitam poſſint procurare æternam. Hoc enim ipſe Chriſtus docebat, quando octo beatitudines prædicabat. *Matth.* 5.

Vt det illis hæreditatem gentium. Expulſæ ſunt gentes de ſuperna hæreditate, quam bene in vinea laborantibus, daturus eſt Dominus. *Opera manuum eius veritas, & iudicium*, Cuncta enim quæ fecit, vera ſunt neque mendacij dolus in ſuis operibus reperitur. ſiquid autem corruptū eſt, hoc iā ipſius opus nō eſt, coruptio enim bona nō eſt, quæ autē Dei ſunt, bona ſūt. Falſitate ergo quæ ſunt corrupta, eius non ſunt. Iudiciū autem eſt in ſuis operibus, quoniam ſine diſcretione, & ordine nihil fecit.

Fidelia omnia mandata eius. Omnia ergo fidem habeant,

habeant, & ab omnibus credantur, quæ vel in nouo vel in veteri inueniuntur testamento. *Confirmata in sęculum sęculi*: Vnde ipsa veritas ait. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. *Marc.* 13. erunt ergo in sęculū sæculi. *Facta in veritate, & æquitate*, quoniam & vera sunt, & iustitiam prædicant, non autem omne verum, etiam iustum.

Redemptionem misit populo suo, id est Christum, qui suo sanguinem mundu redemit. *Ad Hebr.* 9.

Mandauit in æternum testamentum suum, ęternus est Dominus, æternum est & testamentum. *Sanctum & terribile nomen eius*. Sanctum est sanctis, terribile malis, *Initium sapientiæ timor Domini*, qui ergo sapiens fieri incipit, vt Deum timeat prius oportet. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Non ergo bene intelligit, qui quod intelligit, non operatur. Intelligat ergo homo quoniam initium sapientiæ est timor Domini. Et vt intellectus bonus sit, timeat Dominum, sicut intelligit; quod si fecerit, *laudatio eius manebit in sæculum sęculi*. Hoc enim Apostoli fecerunt quorum laus ab omnibus.



FACVLÆ

Ad S. Brunonis Astensis, Episcopi Signiensis, subobscura quædam loca.

TAmetsi is fuit S. Bruno Astensis, vt nulla vnquam de eius Sacra doctrina fuerit excitata
suspicio, & a fidei Magistris Romanis Pontificibus Gregorio VII. Vrbano II. & Pa-
schali item II. & aliis quorum ætate vixit, inter Optimos probatæ doctrinæ defensores
semper sit numeratus; Tamen ne in hac Operum eius ad lucem prima editione, quis
impingat ad paucas quasdam propositiones, a nauis horum Operum scrutatoribus annotatas,
quod minus viderentur cum recepta inter Catholicos Doctores Theologia cohærere; visum
est è re lectoris fore, si ad ea subobscura loca, quę notata cōperimus, & posse minus peritis dif-
ficultatem facere haud vanus timor fuit, admoueretur facula collustrans, & offucias quæ inge-
ri inde posse videbantur, dispellens. Fruantur hoc studio nostro qui eguerint, periti vero quibus
necessarium non fuerit, consultum per nos egentibus, boni consulant.

1 In expositione Psalmi 51. ad illa verba, *non est qui faciat bonum.* Auctor omnia Iudæorum & tom. 1. pag. 199. lin. 14.
aliorum infidelium opera, statuit esse peccata. Et probat, *quia quod ex fide non est, malum est. Nam ip-*
sæ quoque orationes eorum (sicut scriptum est) fiunt eis in peccatum. Non est igitur in eis qui faciat bonum.
Quæ doctrina infert quandam veluti contritionem naturæ humanæ, quasi ita sit deplorata &
abiecta, vt nullum sibi proportionatum fructum possit profundere, si fide Catholica destribua-
tur: quæ est cruda nimium sententia, & passim male audiens.

Respondeo, eam sententiam non esse adeo conclamatam, quin multis Scholasticis ac Patri-
bus placuerit. Sunt in ea è Theologis Gregorius Ariminensis, & Capreolus, ac Catharinus. Ex
Patribus vero Origenes in cap. 14. ad Rom. Vbi omnia infidelium opera, insimulat peccati, eo
quod a fide Christiana non procedant: quamquam dubitat, an idem dicendum sit de hæreticis,
in quo parum consequenter loquitur, cum non ambigat, hæreticos fide Catholica destitui, at-
que adeo ex ea operari non posse. Damnant item peccati omnium infidelium opera, S. Augu-
stinus l. 4. contra Iulia. c. 3. vrgens ex instituto locum Apostoli ex c. 14. ad Rom. (quem item lo-
cum Auctor ad dicti sui confirmationem adhibuit) & eo loco colligit, omnia infidelium ope-
ra, quatenus ex fide non procedunt, esse peccata. Augustino de more inhæret Fulgentius l. 2. de
remiss. peccat. c. 1. & Prosper l. contra Collator. c. 22. & 28. & in Epistola ad Ruffinum, & Au-
ctor Operis de vita Contemplatiua inter Prosperi opera l. 3. c. 1. Quæcunque ergo glossa hos
Patres criminationi hac in parte subducet, eadem Authori subducendo commodabit: quippe
qui aliud non dixerit, quàm quod prædicti Patres ac Doctores dixerunt. Verum est, eam senten-
tiam de malitia omnium operum ab infidelibus profusorum, non esse probandam, vt sonant,
seu iuxta verborum extimum corticem. Nec eam reuera firmat locus Apostoli, adductus ex c.
14. ad Rom. vt late ibi prosequuntur, Pererius, per quinque disputationes, Estius atq. Cornelius,
& passim Scholastici in 2. d. 41. Apostolus enim ibi sumit *fidem* pro *persuasione*, prout sumitur cū
quis dicitur *bona fide possidere*, idest absque remorsu conscientiæ, contra quam facere, peccatum
est, cum Deus signauerit super nos hoc lumen vultus sui, velitque nos eius ductum sequi operā-
do. Si ergo quis eam regulam abiiciat, & aduersus illud dictamen faciat, peccat. Expositio ergo
loci Apostoli de fide diuina, non est admittenda, quamuis de ea acceperint, Caietanus, & alii,
quos adducit, ac reiicit Suarez l. 1. de grat. c. 6. num. 16. & 17. Legitimæ autem expositioni quam
assignauimus, astipulatur c. *omnes* §. *illud vero* 28. q. 1. & Concilium Lateran. sub Innocentio III.
c. 41. Quamuis igitur doctrinā de malitia omnium operum, quæ infideles eliciunt, Apostolo in
loco allegato consonare diffitear, & improbandam existimem, tamen Auctor non plus ob eā
culpandus est, quam tot Patres & Doctores, quorum dictis variæ excogitatæ sunt interpretatio
nes ab adductis auctoribus traditæ, æquè Auctori commodaturæ.

2 In psalmum 90. ad illud, *Angelis suis mandauit de te*, agnoscit Auctor Angelicam custodiam,
non respectu dumtaxat aliorum viatorum, sed etiam respectu Christi, ita vt videatur iis præiuis- tom. 1. pag.
se Theologis, quos Maldonatus in c. 18. Matth. ad v. x. ait Christo adscripsisse Custodem Ange- 241. lin. 9.
lum, permotos eo Lucæ loco, quo refertur, Christo sub passionē apparuisse Angelum confor-
tatorem. Quæ tamen opinatio (vt Maldonatus ibi subdit) paradoxa est, & Christo vero Deo
minime digna.

Respondeo, non esse Christum referendum in numerum eorum qui Custodem Angelum ac-
ceperunt, quales sunt omnes puri homines, ne Beata quidem Virgine exclusā, qui equid in cō-
trarium de ea innuat Becanus Opusc. 14. c. 6. & pauci alii qui signantur in Diptychis Marianis
panc. 1. punc. 2. n. 3. plerisque omnibus aliud statuentibus, siue is Virginis Custos Angelus fuerit
Gabriel, quod ex multis Patribus firmare nititur Fanardentius in appendice ad Castrum V.
Angelus Hær. 3. siue alius quispiam. Tametsi enim Angelus cuius curæ concredita erat B. Vir-
go, non poterat circa eam omnia illa officia exhibere, quæ exhibent circa nos Custodes Ange-
li, ta-

li, tamen pleraque præstare poterat, & vero præstabat. At circa Christum, quippe Deum & hominem, nulla officia ab Angelo exhiberi potuerunt. Nam illa Angelica confortatio, cuius Lucas meminit c. 22. quicquid denique fuerit (de quo late Vasquez. 3. p. d. 56.) non fuit indigentis Christi subsidium, vt plene suo loco est declaratum. Verissimum igitur est Christum non habuisse Angelum, cuius tutelæ ac custodiæ esset concreditus, qualem nos habere certa fides est, vt bene paucis confirmat loco allegato Maldonatus. Habuit tamen Christus Angelos qui eū, veluti famuli ac satellites Principem, stiparent, & ministeria humiles exhiberent, vt diserte habetur Matth. 4. Idque vnum voluit Auctor, visus custodiam Angelorum Christo quoad humanitatem assignare, ne ad lapides (quos Iudæorum duritiam interpretatur) offenderet.

tom. 2. pag. 2. col. 2. lin. 39. 3 Sermone in Vigilia Natiuitatis Domini, ad illud *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, videtur Auctor diffiteri verum coniugium inter Mariam & Iosephum. Ait enim. *Ipsa est Domina tua quam putas esse sponsam tuam. Accipe igitur eam iam nunc quasi Dominam, non quasi coniugem; Accipe eam non tibi traditam, sed commendatam. Sis ei obediens vt seruus, non imperans vt maritus.* Hæc non videntur cohærere cum vero coniugio inter B. Virginem ac Iosephum; quale tamen agnoscendum est de Patrum ac Theologorum sententia, & non posse salua fide negari, Theologi in 4. dist. 30. pronunciarunt.

Respondeo, verè B. Mariam fuisse Iosephi coniugem, neque id negare Auctorem verbis allegatis, quibus etiam non est sentiendum inficiari voluisse subiectionem, naturali iure viro tanquam capiti debitam ab vxore, vt habetur Genes. 3. & 1. Petri 3. ac Ephes. 5. Tantum ergo significare voluit Auctor, tantam fuisse B. Mariæ dignitatem, & sanctitatem ex Christi maternitate, vt ei Iosephus omnem venerationem & reuerentiam deberet. Consideranda enim fuit Iosepho in Maria duplex conditio, ac veluti persona, nimirum coniugis & matris Dei, supra quamcunque purè creatam personam Sanctissimam. Ratione prioris conditionis suberat Virgo Iosepho in omnibus, exclusa dumtaxat potestate expedita in corpus ad vsum coniugii. Eaque ratione Iosepho ius erat imperare coniugi non obsequi, nec tenebatur eam agnoscere vt Dominam seruus. At spectata dignitate maternitatis Christi, & tam exagerata sanctitate, qua Virgo collucebat, longissimè supra ipsum Iosephum, debebat ei Iosephus omnem venerationem. Simile esset, de Rege ad subditum sanctitate eximia præcellentem comparatio, & de Supremo Ecclesiæ Rectore, collato cum simplici Clerico, aut seruo Dei, quem constaret summa esse apud Deum

lib. 2. Vitæ S. Bern. c. 4. gratia, & in eximiæ illius gratiæ argumētum magnis nobilitari miraculis. Quod videre licuit in Innocentio II. & S. Bernardo: de quibus (ait Abbas Bouceuallis) iam diuulgatum erat, S. Abbatem statutum in Ecclesia a Deo, vt quemadmodum ille Summo Pontificatu Aaronem, ita ipse doctrinæ & miraculorum prærogatiua, Mosem repræsentaret. Itaque locus Auctoris propositus nitet vsquequaque.

tom. 2. pag. 31. col. 2. lin. 29. 4 Sermone in feriam tertiam Domin. 1. Quadrag. ad illud *Cathedras vendentium columbas euertit*, videtur Auctor inficiari potestatem Ordinis in Simoniacis. Obseruat enim pulsos esse omnes de templo *qui vel Ecclesias, vel Sancti Spiritus gratias pretio largiuntur. Horum Dominus cathedras euertit, vt per hæc eos non esse Episcopos intelligamus.* Quod si non sunt Episcopi, ergo obliteratur in eis per Simoniā character Episcopalis præiacens Simoniæ, vel certè non est impressus, si ipsa ordinatio labe Simoniæ sorduit.

Mens Auctoris circa hoc punctum, perspicietur infra melius discurriendo dissertationem eius, cui titulus: *Cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ status.* Quare illhuc vsquè differatur huius quæsiti discussio.

tom. 2. pag. 44. col. 1. lin. 58. 5 Sermone in feriam quartam Dominicæ tertiæ Quadrag. ad illud, *Quod intrat in os &c.* conclamat Auctor in Philosophos, asserentes *mentem & rationem, memoriam & intellectum in cerebro esse.* Ipse è contrario contendere videtur, omnia illa in corde esse, eo quod Christus dicat, *de corde exeunt cogitationes malæ.* At sine dubio, (verba sunt Augustini) *qui fecit hominem, ipse scit quid in vnaquaque parte hominis posuerit.* Et quamuis læso capite, rationis vsus ac memoria lædantur, ideoque ad arcendum delirium, capiti non pectori adhibeatur curatio, tamen inde effici putat Auctor, aliquod impedimentum ad ritè obeundas functiones illas, a capite peti, & curatione capiti admota, remoueri, quamuis vere functiones illæ in corde exerceantur, ibique sedem habeant cum de corde exeant, Christo ipso dicente. Sic Auctor diffuse hoc loco, sed minus commode, cum certum sit, intellectum & memoriam, rationem ac mētem, nec esse in cerebro, nec in corde, agendo de intellectu & memoria, mente & ratione spirituali. Phantasiam autem & memoriam sensitiuam, verum est inesse cerebro, non cordi, quod est pars corporis insidens pectori, qua in re Philosophi non male sunt locuti. Vt quid ergo Auctor eos reprehendit? Aut quomodo ipse reprehensioni subducetur collocans in corde, quod cordi non inest, quomodocumque spectetur?

Respondeo probandum esse Auctoris studium in tenaci adhæsione ad verba Christi: qui cogitationes malas & affectus quoscunque prauos, (atque adeo etiam oppositos, siue bonos,) a corde deriuari, & in corde sedem habere, affirmauit, sumendo cor, non pro ea corporis parte, quæ est officina spirituum vitalium, & hominis velut caminus, sed pro anima iuxta phrasim scripturæ quæ animam *absconditum cordis hominem* appellat: & cogitari mala in corde asserit; id est intus, in anima. Passim enim in sacris litteris *ponere in corde*, vel *cor ad aliquid ponere* idem est.

quod

quod *animo aliquid versare*, vt multis locis signatis illustrat Maldonatus ad caput 1. Lucæ n.66. In quo etiam sensu censendum vocem cordis a Patribus vsurparam fuisse, vt exempli causa, a S. Bernardo Sermone III. de S. Andrea, istis verbis. *Solum cor hominis capax est rationis, & susceptibile mysteriorum Dei: quod purgatum atque politum, ipsam diuinitatis substantiam considerat, & si non comprehendit, tamen cor est in pectore, anima in corpore, mens in anima, fides in mente, Christus in fide.* Si qui ergo Philosophi rationem ac mentem, siue intellectum & memoriam intellectualem cerebro immiserunt, iure ab Auctore sunt reprehensi, quia ea omnia inexistunt animæ rationali, quam prout exercentem actus liberos morales, Christus cor denominauit, & idcirco Auctor Christi vocibus inhærens, asseruit cogitationes & affectus a corde progigni, & in corde sedem habere: idq. hoc modo intellectum nulli patet reprehensioni. Si tamen Auctor, cogitationes spirituales, & affectus ex eis progeminantes, deriuari a corde, quod est vna ex principibus corporis partibus, & ei inexistere tanquam subiecto inhæsionis, recederet a probata Philosophia, quam excutere nihil interest Christiani Tractatoris, qualem Auctor agit hoc loco.

6 Sermone de Decollatione S. Ioannis ad illud, *propter iusiurandum noluit eam contristare.* Auctor admittit aliquod peccatum posse esse licitum. Sic enim loquitur de Herode in virum Sanctum grassante, ne vox semel emissa abiret irrita, & mendacio se contaminaret. *Malum quidem est mendacium, sed peius est homicidium. Multo melius fecit Dauid, qui cum se Nabal occidere iurasset, victus tamen precibus Abigail, non eum occidit. Vbi igitur sine maiori peccato minus peccatum aliquis euadere non potest, faciat illud quod minus est, ne maius peccatum incurrat. Si enim dixeris, quod aliquem hominem innocentem hodie interficies, si eum occideris, verum dicis, si non occideris mentiris. Sed melius est non occidere & mentiri, quam occidere & verum dicere.* Duo dicit hic Auctor, digna (vt videtur) suffixione. Nempe, & quod Dauidem, cum recte mutata mente abstinuit a prius destinata cæde Nabalis, mendacium admisisse asserit, & quod suadet admitti minus peccatum, vt maius declinetur, cum tamen eo ipso quod aliquid est peccatum, nulla ratione sit admittendum. Tom. 2. pagin. 113. col. 1. lin. 21.

Respondeo, dissonantiam illam dicti anterioris a facto, recte mutata mente diuerso, non esse mendacium morali turpitudine inquinatum, immo esse laudabile resultum a proposito male concepto. Potest tamen latè & impropriè sumpta voce, dici *mendacium*; quia aliud fit, quam dictum fuerat. Cœterum si quis locutus est, tempore quo locutionem emisit, verè habebat animum patrandi postea, quod se patraturum affirmabat, locutio eius vera fuit, quantumcumque postea mens, iusta de causa mutetur, & recedatur a voluntate anteriore. Nec Auctor re ipsa id inficiatur, contentus externa specie apparere mendacium, cum aliud fit, quam quod dictum fuerat. Nec alterius mendacii quam istius planè illimis & innoxii, insimulat Dauidem, in priore pronunciato, quod suffixione dignum videbatur, quia mendacium sumebatur in notione propria, & passim recepta. Alterum Auctoris pronunciatum, quo suadebat in necessitate admittendi alterutrius peccati, admitti quod minus est dimisso maiore, immeritò reprehenditur. Honeste enim & citra reprehensionē omnem, suadet ei qui perplexus fuerit, & censuerit ineuitabilem sibi esse alterutrius peccati incursum, vt admittat minus peccatum, quia quāuis is qui est ita perplexus, malè sit facturus, minorem culpam admittendo, nec ei licitum sit ad declinationem peccati tetrioris, admittere peccatum leuius, tamen ex suppositione quod obfirmatè velit alterutrum admittere, ob perplexitatem qua implicatur, qui Auctor illi sit, vt admittat potius leue peccatum dimisso grauiore, honeste suadet, ex communiori, & magis recepta tum Theologorum, tum Canonistarum sententia. Itaque Auctor purus est hac in parte, quia non agit de operante malum minus, sed de suadente illud, operanti ad alterutrum peccatum admittendum obfirmato.

7 Sermone V. in Natali Apostolorum, ad illud *gratis accepistis, gratis date*, sic loquitur Auctor. *Si gratis non accepisti, à Domino non accepisti. Dominus enim nulli dat, nisi gratis.* Fuit qui in hac propositione, subolfaceret putorem Caluiniani dogmatis, inficiantis meritum hominis, quo supposito, præmium non datur gratis, sed est corona, & merces debita operibus ex gratia profusis. Verum hæc Auctoris sententia tam procul abest à Caluiniano illo dogmate, quam cœlum à terra. Neque enim hoc loco agit Auctor de merito bonorum operum, & præmio illis retributo, (quamquam de hoc quoque non malè dici posset, quod spectata totius meriti radice, detur gratis, iuxta illud *gratia Dei* vita æterna:) Agit igitur hoc loco Auctor, de gratia collata Simoniaco, quæ vere collata est a Deo gratis, & idcirco gratis est eroganda. Locus ipse purum se præstat, si vel perfunctoriè legatur. *Gratis* (inquit,) *accepistis, gratis date. Hoc audiant Simoniaci, hoc audiant illi qui Sancti Spiritus gratias emere & vendere non timent. Sed dicit Simoniacus, ego gratis non accepi, gratis dare non possum. Si gratis non accepisti, à Domino non accepisti. Dominus enim non dat, nisi gratis. Noli igitur dare, neque gratis, neque non gratis. Non enim tibi ista dicuntur.* Liquet de sana Auctoris mente, & seiunctissima ab errore Caluini circa merita. Quatenus autē morbosum non sit quod ait: Simoniacum non accipere à Domino charisma quod emit, intelligetur ex dicendis. Tomo 2, pag. 120. col. 1. sub finem.

8 Sermone in Natali plurimorum Martyrum, videtur Auctor non admittere partes hominis in resurrectione esse illi reddendas, numero easdem: quod tamen pugnat cum vera resurrectione, qua idipsum surget quod cecidit. Putat ergo Auctor, si cui fuerint iusto prolixiores capilli, fore vt capilli huiusmodi non resurgant nisi in decenti longitudine (vtique quoad beatos resurgentes, nam de reprobis alia posset esse ratio, quia eorum corpora resumere suas deformitates, & indecentias nihil vetabit.) Quod autem capillis Beati rediuiui deerit, cedet in

materiam partialem alicuius partis eiusdem corporis: qua ratione putat Auctor, nihil decedere veritati resurrectionis, ob eam capillorum coniunctionem cum altera materia eiusdem corporis, compingente aliud membrum. Nam (inquit) *necesse quidem est, ut totus homo resurgat, sed non est necesse, ut tota hominis substantia in ea parte resurgat, ubi prius in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis & argenteis qua iterum conflantur, materia quidem tota seruatur, partium tamen positio non eadem seruatur: ut quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequentis partibus fiat: ita & in homine substantia quidem tota resurget, tota tamen in eisdem partibus necessario non resurget. Ac per hoc, nihil superfluum, nihil minus, nihil indecens & inconueniens resurget in homine, quod enim in aliys partibus superabundat, aliis partibus supplementum dabit.* Non videtur hæc doctrina retinere perfectam identitatem corporis resurgentis. Nec similitudo vasis conflati quadrat huic negotio. Nam vas cum conflatur, non resurgit. Itaque doctrina Auctoris videtur non satis cohærere cum veritate resurrectionis corporum, quæ postulat, vt omnino idem corpus quod cecidit, rediuiuum sistatur, vt ferunt omnino multæ scripturæ, expensæ à Patribus, & nominatim à S. Augustino 22. Ciuit. à c. 21. & in Enchir. à c. 84. necnon à S. Hieronymo Epist. 61. Tertulliano & Athenagora in libris de resurrect. consentientibus Scholasticis in 4. d. 44.

Tom. 2. pagin. 123. col. 1. lin. 1.

Respondeo, Auctorem non egisse nisi de capillis, qui non sunt partes simpliciter dictæ, nec animatæ: atque adeo quamuis non resumerentur cum eadem prolixitate quam hic habuerant, parum officeretur perfectæ identitati corporis rediuiui. Doctrina tamen Auctoris æquè accomodari potest partibus corporis animatis, & simpliciter dictis, quas tamen absque permutatione illâ materiæ, quæ in vasis conflatione cernitur, esse in resurrectione instaurandas habet communissima sententia tradita à D. Thoma in 4. d. 44. q. 1. art. 1. q. 3. & passim ab aliis, quia quamuis rigor veræ resurrectionis videretur retinendus, dummodo totus homo ex eadem materia redintegraretur, tametsi caput haberet materiam pedis, aut è contrario, tamen scripturis, & diuinæ iustitiæ, ac omnimodæ resurrectionis perfectioni congruentius est, restituendas esse pristinis sedibus quaslibet materiæ resumptæ portiones. Sic enim eadem pars materiæ, quæ vitio vel virtuti cooperata est, intelligitur remunerationem suam habitura in eodem genere pœnę vel pręmii, vt oculi impiorum, plane iidem, & non aliquatenus alii, *videbunt in quem confixerunt*. Et è contrario, Iob affirmabat eosdemmet oculos quos habebat viator, Deum in carne sua conspecturos. Similia de aliis partibus cogitari possunt. Quamuis autem hæc veriora & probabiliora videantur, tamen Vuendelinus in supplemento Gabrielis d. 44. q. 1. art. 3. concl. 6. ait communem Doctorum sententiam ferre, quod hic tradit Auctor: & suffragatur Hæruæus Ephes. 4. ac creditus Anselmus, (reuera Gullielmus Conuentriensis) in Elucidario: & quod plus est, S. Augustin. 22. Ciuit. c. 19. & in Enchir. c. 89. Et hanc doctrinam videri sibi veriorem, si agatur de necessariis ad veram resurrectionem, concedit Suarez t. 2. 3. p. d. 44. sect. 1. non modo quoad partes homogeneas, de quibus S. Thomas concedit quod hic ab Auctore affirmatur, sed etiam quoad ethrogeneas & dissimilares, de quibus S. Doctor aliud opinatur, ratus in eis veritatem resurrectionis deposcere, vt partes materiæ non habeant in corporis resurrectione situm diuersum. Ex his liquet, doctrinam Auctoris, etiamsi extendatur ad partes corporis simpliciter dictas, probè cohærere cum dogmate Catholico de veritate resurrectionis, nec posse insimulari erroris, vel improbabilitatis. Restricta vero ad capillos prolixiores, (vt ab Auctore est factum) planè vacat difficultate; quia parum refert ad resurrectionis veritatem, quod totum capillitium pristinum, si indecore reueniret, non restituatur. Quandoquidem iuxta D. Augustinum 22. Ciuit. c. 22. non pugnat cum identitate substantiâ, quod in partibus animatis & simpliciter dictis, defectus aliquis suppleatur, facta aliunde additione nonnulla materiæ: vt dicitur de corporibus pusillis, quæ tamen ob eam suppletionem resurgent *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*.

9. Sermone 6. de Confessoribus, notatur Auctor, eo quod dixerit, *qui sensum & intelligentiam non habet, pecore inferior est: siquidem pecora habent sensum & intellectum*. At hoc videtur sordere bestiali illo errore, quo brutii quidam brutis quoque tribuerunt intellectum, atque adeo rationis vsum atque discursum. Ita Carpocrates (referentibus Philastrio atque Sandero l. 7. Monarch. hæresi 13.) Celsus apud Origenem l. 4. Porphirius 3. de abstin. & rerum nostrarum solidæque Philosophię minus sæpe conscius, Lactantius 3. *Inst.* c. 7. vt taceam Vallam, & obscura quędam ac ignobilia nomina, non adeo a nobis abiuncta apud Debrium l. 2. Magiæ. q. 20. fauente vtcumque Plutarcho, iusto Opusculo de rationis vsu in brutis, quamquam disputat potius quam affirmat: Estque reuera opinati pecunia, æquans bruta homini, qui rationis vsu constituitur, indeq. solus multiplicem genium & libertatem sortitur, vt optime differunt Hemesius l. de hom. c. 2. *sub finem*. Iustinus Apol. 2. Bardesanes apud Eusebium l. prærat. c. 8. Hugo Etherianus l. de regress. anim. c. 2. & Cydonius Orat. de contemnenda morte. Vt prætereram Recentiores, qui in hoc campo excurrerunt nauiter, nominatim Viuem suo 2. de anima c. de oratione, Crispum distibut. 2. lib. 4. ac Lælium tom. 1. Sublec. lib. 2. toto cap. 4. Quid ergo in mentem venit Auctori, vt pecora quoq. intellectu donata vellet, aut (vt verbo Augustini vtar,) intellectuaret bruta?

Tom. 1. pagin. 227. col. 2. in medio.

Respondeo, hæc nimia diligētia est, & scrutatio Auctoris plusquam in lucernis. Sane qui hęc posse criminationi patere censuerunt, peccarunt in Canonem à plerisq. Sapientissimis Patribus fixum, de non arripiendo ex libris Sanctorum vnico aliquo verbulo, & extra texturam disputationis ab eis institutæ trahendo: quod qui faciunt monoculos se exhibere scitè dixit Anastasius Sinaita in Duce Viæ c. 13. ex SS. Hilario, Eulogio, aliisque Patribus. Eamdem corruptelam

reiectam

reiectam legere licet in Tractatione de bicipiti Ecclesia puncto 9. n. 10. & seq. Hæc ergo reprehensio a SS. illis Patribus intorta in malignitatem eorum cum quibus agebant, æquè cadit in oscitantiam illorum, qui Auctorem in re præsenti vellicarunt. Poterat enim ex iis quæ Auctor continenter subdit, de sana eius mente liquere. Cum ergo dixisset, hominem sensu & intelligentia destitutum, esse inferiorem pecoribus, *quę habent sensum, & intellectum*, subdit. *Quod est sensus in corpore, hoc intellectus in anima est.* Asserit ergo Auctor, pecudes præter sensum externum sensiterio externo implantatum, habere in anima sensum internum, qui in bruto idem proportione est, quod in homine intellectus, quamuis longe aliud sit quam intellectus, qui est facultas inorganica animæ rationalis, cum sensus internus, & in homine & in bruto, sit facultas organica, inhærens cerebro, non animæ, quæ tamen eum habere dicitur, quia profundit illum, nec patet exterius, sicut patent externi sensus. Ob quam causam, sensum internum in homine, siue phantasiā communicare nomen suum intellectui simpliciter dicto, notauit Themistius expendens textū 96. & 57. libri tertii de anima, & habetur ex eodem libro textu 48.

10 Tractatus cui titulus est: *Responsio ad quæstionem, Cur corruptus tunc temporis Ecclesiæ status*, nō nemini visus est omnium Auctoris scriptorum, morbosissimus, duas ob causas, quantum video. Prior est, quod pro Simoniacis & Hæreticis reuenientibus ad sanam mentem, iterandum esse Sacramentum Confirmationis affirmat, vt accipiant Spiritum Sāctum ac remissionem peccatorum, quibus fraudati sunt, hæretici quidē dogmatici in baptismo valido, sed euanido, & gratiæ sterili, ob malam fidem suscipientis, Simoniaci vero in sua ordinatione. Nec Auctor, talibus ad cor redeuntibus indicit susceptionem sacramenti penitentię, cuius post initiationem per baptismum, capaces sunt: sed tantum imponit illis necessitatem suscipiendi de nouo sacramētum Confirmationis. Agit Auctor eodem modo de Simoniacis reuenientibus, & de hæreticis, quia supponit Simoniacos esse hæreticos. Et quamuis non vult statuere, an sint peiores Arrianis, & Nestorianis, ac Eutichianis, tamē hæreticos esse pro certo habet. Itaq. sicut hæreticos iterata cōfirmatione reconciliandos docet, ita idem de Simoniacis affirmare videtur. In quibus omnib. multiplex labes se prodit. Nempe repetitæ Confirmationis, hæreseos Simoniacorū, primę gratiæ iam renatis collatæ per Confirmationē. Causa altera morbositatis huius Tractatus præ ceteris, assignatur, quod Sacramenta Simoniacorum neget debere esse rata, atq. adeo cēset nulla esse: in quo non iam suspectum, sed planè compertū se monstrat erroris illius, cui non pauci ceteroqui Catholici, acti zelo non secundum scientiam, adhęserunt tempore S. Gregorii Septimi, contendentes Sacramenta Schismaticorum, Simoniacorum, & Concubinariorū, vana & irrita esse, quod S. Gregorio VII. Schismaticus Sigebertus imposuit, & tenuit aperte Bernardus Corbeiensis, cuius Epistolam de hoc argumēto repręsentauit Gretserus in Gregorii VII. Apologia

Respondeo, Sacramentum Confirmationis iterari non posse, de fide est. Imprimit enim characterem æquè ac Baptismus & Ordo, quæ sacramenta eo quod characterem inurant, repeti nō posse Auctor ipse profitetur. Et ita de Confirmatione traditur in Cōcilio Toletano 8. c. 7. & in Florentino in Instructione Armenior. ac in Trid. sess. 7. can. 9. de Sacram. in gen. Traditū quoq. esse ab Apostolo Heb. 6. negante, peccantibus post baptismum & Confirmationem regressum ad gratiam per ea sacramenta, affirmant ibi S. Chrisostomus, ac Theodoretus. In multis tamen antiquis decretis repetitionem Confirmationis approbari, atq. adeo in tota veteri Ecclesia Confirmationem ab Hæreticis Episcopis collatam, fuisse iteratam dixit Maldonatus in opere posthumo de Sacram. disp. de Cōfirm. q. 2. quod si verum esset, veniale profectò haberi deberet Auctori, errasse cum tam multis. Hoc tamen censeo reiiciendum, ne toti veteri Ecclesię fędum illū errorem affricemus, & ea decreta quę hęreticos reuenientes sola manuum impositione recōciliandos dicunt, accipio de manuum impositione reconciliatiua, quę fit in Sacramento Penitētiæ conferendo absolutionem. Vnde quia Auctor sententiam suam de iteranda manuū impositione, fulcit sola diffusa allegatione illorum decretorum, idem emplastrum quod decretis prędictis admouimus, erit qui censeat, se circa hoc posse iis quę in Auctore morbosa videbantur, mederi. Sicut etiam Thomas Valdensis tom. 2. c. 135. hac ipsa ratione medicinam fecit loco D. Augustini ex l. 3. de baptis. c. 16. quo manus impositionem, non esse sicut baptismum, & repeti posse diserte asserit, intelligens manus impositionem in Sacramento pœnitentię adhibitam. Hac ipsa porrò responsione admissa, euanescet illud quoq. in Auctore notatum, quod velle videretur, iam renatos accipere gratiam remissiuam peccatorum absque sacramento pęnitentię, per solam Confirmationem. Hęc enim obiectio euanesceret, si apud Auctorem manus impositio designaret Sacramentum Pœnitentię, non Confirmationis.

11 Iam quod Auctor Simoniacos notauerit hæreseos, & Simoniam hæresim esse censuerit, non fuit cur reprehenderetur, nisi vna in S. Gregorium, & alios plerosq. Doctores similiter locutos, intorqueatur reprehensio. Apud S. Gregorium, ita habetur explicatissime l. 4. epist. 51. & lib. 7. epist. 110. Similiter locutus est Paschalis Papa epist. ad Mediolanenses, & c. *pater*. 1. q. 7. Piget plura addensare in eam sententiam, cum nihil frequentius occurrat apud Pontifices & Patres Simoniam impugnātes, quam Simoniam esse hæresim, & Simoniacos hæreticos, vt latè refertur in opere cui titulus *Mala bonorum Ecclesiæ* l. 2. sect. 1. c. 3. a n. 6. Et verum quidem est, Simoniam per se, ac directè non impetere fidem diuinam, quod facit hæresis, sed tantum aduersari religioni moralium virtutum Principi, circa diuinum cultum versanti. Potest tamen Simoniæ inædificari hæresis, nec raro est inædificata, cum scilicet nefariæ voluntati emendi spiritualia, ad-

Tomo 2. pag. 118. col. 2.

iungitur pertinax iuditium liberum, quod ea venditio, ac emptio sit licita, quicquid Ecclesia in contrarium statuat, vt optime exposuit Petrus Damiani Opusc. 5. *sub initium* adducto exemplo nouorum Nicolaitarum, qui tum demum hæreticis sunt annumerati cum suas, spurcitias contra Temperantiam & religionem voto castitatis, quod emiserant, aduersantes, ob firmiter tuendas susceperunt, tanquam licitas, contra Ecclesiæ mandatum. Quia igitur temporis SS. Leonis Noni, & Gregorij septimi, quibus Auctor florebat, adeo inualuerat in sacris hominibus corruptio, vt plerique sacrilegas scortationes, nomine coniugij sibi liciti, obducerent, & multi quoque beneficia Ecclesiastica posse absque culpa comparari asseuerarent, quicquid denique statueret ecclesia, merito Auctor, & eiusdem æui scriptores, tales Concubinos, & Simoniacos, hæreticis annumerant, nec fuit cur hoc in Auctore specialiter reprehenderetur.


12 Venio ad alteram causam morbositatis libelli pro quo satagimus, quæ est de sacramentis simoniacorum & hæreticorum, quæ Auctor aliquando nulla & vana esse confirmat; ideoq. statuit, non esse habenda rata, sed esse repetenda, quippe quæ irrita fuerint ac nulla. Fatetur quidem Auctor aliqua Sacramenta simoniacorum, & Hæreticorum valida esse, nec repetenda, quæ scilicet bona fide ab occulto simoniaco, aut Hæretico essent suscepta. Vnde retundit calumniã aliquorum, iuxta quos, si Sacramenta simoniacorum sint nulla, Sacerdotium iam à tempore S. Leonis Noni defecerat in Ecclesia: eo quod vt ait in Vita S. Leonis, hanc calumniam referens, vix inueniri posset vel vnus in Ecclesia qui aut Simoniacus non esset, aut à Simoniacis non esset ordinatus, Vnde si ordinatio simoniaca erat nulla, nullus supererat in Ecclesia verus Episcopus, qui ordinare valide posset; nullus simplex Sacerdos cuius ordinatio cassa non fuisset ac nulla: Sic enim concipiebant argumentum. Si tempore Leonis Noni *omnes tales erant, idest si omnes vel Simoniaci erant, vel à simoniacis ordinati, vos qui nunc estis, vnde huc venistis? Per quos, nisi per illos transistis? non fuit via aliunde. Ergo illi qui vos ordinauerunt, ab illis, & non ab alijs, suos ordines susceperunt, qui vel simoniaci erant, vel à Simoniacis ordinati erant:* Huius argumentationis dilutione, noluit Sanctus Bruno intercidere narrationem gestorum S. Leonis; sed data fide eiusdem seorsim discutiendæ, confecit eam ob rem Lucubrationem, pro qua purganda laboramus; in qua sub finem concludit, hos argumentatores esse hallucinatos, quia multi supererant occulti simoniaci, & multi bona fide ab eis ordinati, quorum ordinatio non erat irrita, sed valida. Contrarium vero statuit de ea ordinatione quæ facta esset à Simoniaco comperto. Eam quippè inualidam & repetendam esse, contendit, Et tales tunc fuisse aliquorum (quamuis non omnium,) ordinationes supponit. Hoc ab Auctore ex magno Zelo contra Simoniacos cum multis alijs tunc prolatum, non est admittendum, nisi in eo sensu, in quo pleraque iura dicunt, Ordinationes simoniacas esse irritas. Quod Doctores exponunt de nullitate ordinationis quoad vsum, & executionem ordinum: seu quantum per Ecclesiam irritari possunt ratione liciti exercitij negati Simoniaco, aut ratione Iurisdictionis, si ad aliquam functionem est necessaria, & confert ab Ecclesia esse Simoniaco ereptam; vel denique ratione adeptionis beneficij, quam Ecclesia validam esse renuit, si Simoniace sit facta. Illustrat hęc omnia accurate Suarez l. de Simonia c. 57. a num. 2. Quod tamen ordinatio simoniace facta, & collatio sacramenti quamuis simoniace peracta, per se spectata, sit valida, non est dubitandum: & latè confirmantur non modò a Suarez ibidem n. 3. & 4. Sed etiam iam olim a Bernaldo Presbytero in Epistola ad Bernardum Constãtiensium Scholarum Magistrum postea Monachum Corbeiensem in Saxonia, qui in eã erat sententia, quam hic excutimus: & fuisse quoque Musici Vuidonis siue Guidonis (de quo Baronius anno 1022. testatur idem Bernaldus; laudato è contrario Petro Damiani, qui in libro cui titulum fecit *Gratissimus* non minus per simoniacos, quam per alios Hæreticos, sacramenta decurrere, demonstraret aliquanto anterius.

In Expositione Oddonis Astensis ad ipsum S. Brunonem iam Signiensem Episcopum Asta directa, super psalmum 101. ad illud, *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto* fuit qui notaret ea verba de Christo solitario in tecto, quia *nullus cum eo in carne cælos ascendit*. Hoc enim videtur repugnare verbis Euangelistæ affirmantis, multorum Sanctorum qui dormierant, corpora surrexisse vtique saltem cum Christo, aut post eius resurrectionem. Et quia dona Dei sunt sine poenitentia, non videtur dubitandum, quin ascendente post dies quadraginta Christo, ipsi quoque suis illis corporibus suscitatis amicti, cælos cum Christo conscenderint. Quomodo ergo Christus, iuxta Oddonem, fuit solitarius in tecto quia nemo carne circumdatus, ascendit cum ipso in coelum?

Pag. 4. co. 1. in medio Math. 27.

Respondeo, eam Psaltis interpretationem, non esse Oddonis singularem, cum tradita æque sit a Prospero ad hunc locum, & ab Innocentio tertio, atque alijs. De sanctis autem quos Euangelista testatur resurrexisse, problema est, an resurrexerint ad vitam immortalem; cuius problematis partem negantem, è qua euertitur illorum sanctorum cum Christo ascensio tradiderũt bene multi, vt ad eum Euangelistæ locum referunt interpretes, & latè Suarez 3. p. q. 53. ad articulum 3. Itaque non est quod criminationi pateat in eã Oddonis interpretatione.

INDEX



INDEX

ALLEGORIARVM, SEV SENTENTIARVM

Ex parte quæ extat Expositionis Psalterij Oddonis Astensis Monachi Benedictini, Selectarum.

Primus numerus paginam alter eiusdem paginæ columnam, littera a primam, b secundam partem columnæ indicat.

f 3 carnis

D

INDEX ALLEGORIARVM.

L

M

N

O

P

Pass-

R

S

Salu-

T

V

INDEX ALLEGORIARVM.

I N D E X

Continens Oddonis Astensis Monachi in Psalmos Expositionem.

F I N I S.